

XXVIII

R. P. F.
BENJAMIN
ELBEL
THEOLOGIA
MORALIS.

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS TRIPARTITA,

PER MODUM CONFERENTIARUM
Casibus Practicis applicata, & illustrata ad usum tum Curatorum, tum præsertim pro animarum cura Examinandorum.


ACCEDUNT

CONFERENTIÆ THEOLOGICO-MORALES
SEU CASUS CONSCIENTIÆ

DE RESTITUTIONE

Tum in Genere, tum etiam in specie secundùm generalia morum principia ex probatis Doctoribus practicè resoluti,

AUCTORE
R. P. F. BENJAMIN ELBEL
Ordinis FF. Minorum Recollectorum Almæ Provinciæ Argentinæ, seu Superioris Germaniæ, SS. Theologiæ Lectore Actuali.





VENETIIS. MDCCXXXIII.
SUMPTIBUS SOCIETATIS.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PRÆFATIO

AD LECTOREM.



Uam priori anno jam promiseram, partem primam, ad complendam Theologiam Sacramentalem, ecce tibi exhibeo, benevole Lector. Nec mireris, hanc, quæ aliàs ordine prima est, in executione ultimam prodire; non enim cogitaveram initio materiam de singulis Sacramentis typis evulgare, quippe quam ab aliis doctissimis, & in praxi versatissimis Viris toties jam pridem evulgatam reperi. Verùm, ut aliorum voluntati ac desiderio me accommodarem, universam materiam de Sacramentis in tres partes distribui, quarum hæc prima complectitur ea, quæ de Sacramentis in genere, nec non de Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, Eucharistia, & Ordine in specie, pro praxi frequentiùs occurrere solent: alteram de Pœnitentiæ, & tertiam de Matrimonii Sacramentis, utpote amplioris praxeos adornavi; hanc enim divisionem magis commodam existimavi, tum ad servandam partium æqualitatem, tum etiam ad majorem legentium commoditatem. Quæstionibus speculativis vel omnino prætermissis, vel obiter

duntaxat insinuatis, practica quæsita, quorum notitiam Curatis, vel etiam Curandis necessariam duxi, perscrutari studui, eademque succinctè non tam meo, quàm aliorum probatissimorum Virorum judicio & assensu resolvere conatus fui. Qui hisce angustiis non contentus, fusiorem moralium notitiam ambit, Authores citatos consulat & inquirat; in hunc enim finem passim inveniet citatos. Porro seriem Conferentiarum in cujusvis opusculi frontispicio posui, ut ea, quæ in corpore continentur, vel ex fronte paterent. Rursus cuilibet Conferentiæ præmisi summarium, in quo singulæ quasi resolutiones velut in compendio expressæ cernerentur; nec dubito, quin earum recapitulatione, & attenta Lectione, ii, qui Examen proximè subire cogitant, totius materiæ in corpore contentæ species facilè sint recollecturi. Opto jam tibi animitùs benevole Lector, ut hæc omnia tam ad animæ propriæ, quàm ad aliorum etiam salutem, & vel maximè ad majorem Dei gloriam cedant, ut sic in Servulis suis laudetur, & ab omnibus glorificetur Deus ter Optimus Maximus.



ELEN.

ELENCHUS CONFERENTIARUM PARTIS PRIMÆ.

ELENCHUS CONFERENTIARUM PARTIS SECUNDÆ.

ELENCHUS CONFERENTIARUM PARTIS TERTIÆ.

ELEN-

ELENCHUS CONFERENTIARUM,

& Casuum in opusculo de Restitutione resolutorum.

CA-

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Tommaso Maria Gennari Inquisitore*, nel Libro intitolato: *Theologia Moralis*, *Sacramentalis*, *Tripartita*, *Auctore R. P. F. Benjamin Elbel Ordinis F. Minorum Recollectorum &c.* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Sebastiano Coletti Stampatore*, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 29. Aprile 1732.

(Alvise Pisani Kav. Proc. Rif.
(Z. Piero Pasqualigo Rif.

Agostino Gadaldini Segr.

1732 19 Maggio
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia.

Angelo Legrenzi Segr.

THEO-



THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS TRIPARTITÆ

CONFERENTIA PRIMA.

De Natura, Numero, Effectu, & Necessitate Sacramentorum in genere.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentum est signum visibile invisibilis gratiæ.*
2 *Sacramenta N. L. dantur septem.*
3 *Tam in statu Legis Naturæ, quàm Mosaycæ fuit à DEO institutum remedium quoddam expiativum peccati originalis; quod habuit rationem Sacramenti propriè talis.*
4 *Satisfit cuidam instantiæ ex SS. Patribus desumptæ.*
5 *Omnia Sacramenta N. L. tribus perficiuntur, scilicet materia, forma, & Persona Ministri &c.*
6 *Omnium Sacramentorum materia & forma, saltem quoad substantiam fuit à Christo Domino determinata;*
7 *Hinc mutatio substantialis obstat valori Sacramentorum, non item accidentalis.*
8 *Quænam censeatur mutatio substantialis, & quænam accidentalis tantùm.*
9 *Inter applicationem materiæ & formæ necessaria est quædam simultas moralis.*
10 *Effectus Sacramentorum est duplex. Primarius est gratia sanctificans: Secundarius character.*
11 *Sacramenta ejusdem speciei conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem verò inæqualiter dispositis.*
12 *Quomodo Sacramenta N. L. sint necessaria.*
13 *Resolvitur Casus I. de Confessario, qui formam absolutionis interrupit.*
14 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote scrupuloso, repetente verba Consecrationis.*
15 *An hostiam maculatam licitè consecraverit.*
16 *Resolvitur Casus III. de Obstetrice, mutante formulam Baptismi.*
17 *Quid si habuisset intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & tamen errasset?*
18 *Cur Martyrium, Sacrificium Missæ, & Lotio pedum non sint Sacramenta.*
19 *Nec Pontifici, nec Ecclesiæ competit po-*

testas mutandi Sacramenta quoad substantiam.

20. & 21. *Solvuntur duæ instantiæ contra hoc.*

21 *Qui scienter suscipit Sacramentum vivorum in statu disgratiæ, per se loquendo peccat mortaliter.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Materia, & Forma Sacramentorum.



Quæres primò, quid sit Sacramentum propriè dictum?

1 R. Sacramentum propriè acceptum est signum visibile invisibilis gratiæ, ad sanctificandum hominem divinitùs institutum. Paulò aliter illud describit Scotus 4. *Dist.* 1. *q.* 2. *§. de tertio principali*, nempe, quòd sit signum sensibile, gratiam DEI, vel effectum ejus gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris. Ex quibus patet, quòd Sacramentum propriè dictum debeat esse 1. signum visibile, seu sensibile, id est aliquo sensu v. g. visu, auditu &c. perceptibile. 2. Debet significare gratiam DEI, id est, qualitatem illam supernaturalem, qua homo justus, sanctus, & Deo gratus efficitur. Vel 3. Effectum ejus gratuitum; quod addit Doctor subtilis propter venerabile Sacramentum Eucharistiæ; hoc enim, utpote consistens *in facto esse*, primariò & immediatè significat verum Corpus & Sanguinem Christi, realiter sub speciebus consecratis contentum, quamvis postea dignè sumentibus conferat gratiam sanctificantem ex opere operato. Et quoniam Christus sub dictis speciebus ex gratuita voluntate Dei existit; hinc benè dicitur effectus DEI gratuitus. 3. Debet Sacramentum gratiam significare efficaciter, id est, ita, ut significando infallibiliter causet gratiam. Et quidem ex institutione divina, seu stabili, firma, & perpetuò valitura constitutione Dei; Qui, sicut solus potest infallibiliter causare gratiam; ita solus etiam potest instituere Sacramenta, ceu signa collativa gratiæ. Et cùm omnium Sacramentorum finis sit, Sanctificatio Corporis Ecclesiastici ex fidelibus constituti; hinc additur: *ordinatum ad salutem hominis Viatoris.*

Quæres secundò. Quot sint Sacramenta N. Legis?

2 R. Sunt septem. Ita tanquam de fide decidit Concilium Trid. *de Sacram. sess.* 7. *can.* 1. ibi: *si quis dixerit Sacramenta N. Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum non esse verè & propriè Sacramentum; anathema sit.* Ratio hujus septenarii numeri alia dari nequit, quàm beneplacitum Divinæ voluntatis. Congruentiam tamen ejusdem Doctores colligunt ex analogia, seu proportione vitæ spiritualis cum corporali; quemadmodum enim ad vitam corporalem septem requiruntur, scilicet 1. Generari. 2. Crescere. 3. Nutriri. 4. A morbo curari, si contingat in ipsum incidere. 5. Curari à morbi reliquiis. 6. Per ordinem ad Communitatem habere potestatem, & officia Rempublicam gubernandi; 7. Pro conservatione generis humani prolem propagare; ita in vita spirituali requiritur 1. Generatio per Baptismum. 2. Augmentatio, & roboratio per Confirmationem. 3. Nutritio per Eucharistiam. 4. Remedium contra morbum peccati, per Pœnitentiam. 5. Remedium contra peccatorum reliquias, per extremam Unctionem. 6. Potestas regendi, & gubernandi homines, quæ confertur per sacrum Ordinem. 7. Ex parte Reipublicæ propagatio hominum ad cultum DEI per Matrimonium.

Quæres tertiò, Utrùm etiam in statu Legis Naturæ, & Legis Mosaycæ fuerit Sacramentum propriè dictum?

3 R. Cum Scoto 4. *dist.* 1. *q.* 6. Mastr. Herincz, & aliis SS. communiter affirmativè. In statu enim Legis naturæ. (qui duravit ab Adamo usque ad Moysen) fuit aliquod signum externum, saltem implicitè protestativum fidei in Messiam venturum. In statu autem Legis Mosaycæ (qui duravit usque

usque ad promulgationem Evangelii per Apostolos factam) pro fæmellis idem actus fidei adhibebatur , ad delendum peccatum originale : pro Masculis verò instituta fuit Circumcisio . Quòd autem habuerint rationem Sacramenti propriè talis , inde suaderi potest ; quia , ut testatur D. Augustinus *lib. 2. de Nupt. & Concupisc. c. 11.* item *l. 5. contra Julian. cap. 11.* tam Circumcisio , quàm actus ille protestativus Fidei habebant vim delendi peccatum originale : ergo conferebant gratiam sanctificantem ; nam sine hujus infusione , saltem de lege ordinaria , non dimittitur peccatum : atqui non ex opere operantis , puta parvuli circumcisi : ergo ex opere operato ; consequenter fuit verum Sacramentum .

Dices : Sancti Patres subinde negarunt , per Sacramenta V. Legis , vel etiam per Circumcisionem collatam fuisse gratiam .

4 R. SS. Patres esse intelligendos de Sacramentis V. Legis impropriè talibus cujusmodi erant 1. Esus Agni paschalis , & panum propositionis . 2. Certæ purificationes legales , factæ v. g. per aspersionem sanguinis hircorum , aut vitulorum &c. 3. Item quædam consecrationes Sacerdotum & Levitarum &c. Hæc enim non conferebant gratiam ex opere operato , sed solùm ex opere operantis , si fuerunt facta in charitate ; aut ad summum conferebant quandam sanctitatem legalem & externam , non item internam . Dum verò SS. Patres subinde negarunt , per Circumcisionem fuisse collatam gratiam , loquuntur comparative ad Baptismum , & innuunt , quòd Circumcisio non contulerit gratiam immediatè dispositivam ad Cœlum , qualem confert Baptismus , prout declaravit Innocent. III. *c. Majores. de Baptis.* vid. Reiffenstuel. *Theol. mor. tr. 14. dist. 1. à nu. 12.* Sporer. *Theol. Sacram. part. 1. cap. 1. n. 10.*

Quæres quartò , Utrùm Sacramenta N. Legis constent materia , & forma ? Et quomodo hæc à Christo D. fuerit determinata ?

5 R. Ad primum . Juxta Concil. Florent. *in Decret. Un.* Omnia Sacramenta N. Legis perficiuntur tribus , scilicet *rebus tanquam materia* , *verbis tanquam forma* , *& Persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi , quod facit Ecclesia .* Sic v. g. in Sacramento Baptismi ablutio dicitur res , & materia Sacramenti ; quia per verba : *Ego te baptizo , &c.* ceu formam , determinatur ad significandam ablationem spiritualem animæ .

6 R. Ad secundum . Omnium Sacramentorum materia & forma fuit à Christo Domino determinata quoad substantiam : non tamen in omnibus æqualiter . Ita cum communi DD. Bosco. *part. 1. disp. 1. sect. 3. num. 25.* Ratio est : quia ut suprà *num. 2.* vidimus , ex Concilio Trid. omnia Sacramenta sunt per Christum instituta : atqui Sacramenta non sunt aliud , quàm res & verba : ergo & hæc quoad substantiam à Christo fuisse determinata , necessum est . Cæterùm , quòd non æqualiter sit determinata , inde colligere licet : quia Christus materiam & formam baptismi determinavit in individuo , scilicet aquam naturalem , cum sequentibus verbis : *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* prout habetur *Joann. 3. & Matth. ult.* Pro Sacramento extremæ Unctionis determinavit oleum Olivarum , ut habetur *Jacob. 5. c.* & docet praxis Ecclesiæ . Pro Sacramento Eucharistiæ determinavit panem triticeum , & vinum in specie subalterna (supposito quòd sint plures species tritici , & vini) Pro materia Sacramenti Pœnitentiæ remota , peccatum vel mortale , vel veniale , pro proxima Confessionem , vel attritione , vel contritione dolorosam . Pro Sacramento Matrimonii contractum legitimum fidelium . Pro Sacramento Ordinis determinavit in genere signum aliquod visibile , ulteriùs determinandum ab Ecclesia cum certa verborum formula , quibus exprimeretur potestas spiritualis conferenda Ordinando . Quæ omnia partim ex Scriptura , partim etiam ex Conciliis , Traditionibus , & communi Theologorum consensu constant .

Quær. quintò . Quænam mutatio formæ aut materiæ obstet valori Sacramentorum , & quænam non ?

7 R. Mutatio substantialis obstat , non item mutatio accidentalis ; quamvis etiam hæc , per se loquendo , reddat Sacramenti confectionem illicitam . Ita cum communi Scot. 4. *d. 3. q. 2.* Frassen *tom. 4. disp. proœm. art. 1. q. 2. n. 14.* Ratio est : quia ,

ut proxime dictum, tota substantia Sacramentorum à Christo Domino fuit instituta, ita, ut eorum tota virtus & efficacia tam in significando, quàm in operando inde dependeat: ergo si non adhibeatur res per Christum determinata, non conficitur Sacramentum, bene autem, si adhibeatur. Atqui, ubi fit mutatio accidentalis tantùm, adhuc adhibetur res per Christum determinata, non item, si fiat mutatio substantialis: ergo hæc obstat valori, non item illa. Nihilominus quòd & mutatio accidentalis reddat Sacramenti confectionem illicitam, facilè suadetur ex eo: quia unusquisque Minister tenetur se gerere juxta praxim, & usum communem in Ecclesia receptum: atqui mutat materiam, vel formam Sacramenti, non ita se gerit: ergo peccat. A fortiori, per se loquendo, peccabit mortaliter, qui scienter variat materiam aut formam substantialiter; vel qui sine justa causa utitur materia, aut forma dubia, ubi posset uti certa; quia talis vel administrat Sacramentum sacrilegè, vel certè se exponit periculo sacrilegè administrandi, utique non sine gravissima injuria in Christum Auctorem Sacramentorum, & periculo animarum. Subinde tamen vel ob ignorantiam, vel ob casum necessitatis tales excusari possunt, prout dicitur in tract. de Consc. & Act. hum.

Dices: Sed quænam mutatio censetur substantialis, & quænam accidentalis tantùm?

8 R. Cum P. Sporer *cit. p. 1. c. 2. à n. 86. & communi aliorum*. Mutatio substantialis materiæ fieri censetur, quando in confectione Sacramentorum adhibetur aliqua res, quæ nomine, & ratione, vel saltem usu hominum differt ab illa, quam Christus instituit, aut Ecclesia usurpat. Mutatio verò accidentalis tantùm dicitur, quando res, etsi variata vel alterata, retinet tamen nomen, & rationem illius, quam Christus instituit, aut Ecclesia usurpat. Similiter, tunc censetur fieri mutatio substantialis formæ, quando verba non ampliùs retinent eundem substantialiter sensum, quem Christus voluit exprimi: è contra si eundem adhuc retineant, etsi variata, dicitur fieri mutatio accidentalis tantùm.

Quæres sextò, An, vel qualis requiratur simultas materiæ & formæ in confectione Sacramentorum?

9 R. Requiritur simultas saltem moralis. Ratio est: quia Sacramenta sunt quædam composita moralia: ergo requirunt partium suarum, materiæ scilicet & formæ simultatem saltem moralem. Et quidem in confectione Eucharistiæ requiritur physica coexistentia & præsentia materiæ consecrabilis pro tempore consecrationis, propter pronomen demonstrativum *hoc*, vel *hic &c.* quod designat materiam permanentem, loco & tempore præsentem Ministro. In reliquis tamen Sacramentis ad valorem non est necessaria physica præsentia vel coexistentia, sed sufficit moralis, prudentum judicio existimanda & mensuranda, juxta significationem formæ, & qualitatem actionis aut materiæ, quam forma afficit. Monent tamen omnes, ut, quantùm fieri potest, materia simul cum forma applicetur. Quin immò Scot. 4. *dist. 6. q. 3.* Sporer, Babenstub. & alii plures meritò peccati mortalis condemnant illum, qui baptizando integram materiam seu ablutionem perficeret, priùs quàm inciperet pronuntiare formam; eò quòd Sacramentum reddat dubium, aut certè illud exponat periculo frustrationis, & prolem periculo æternæ damnationis. *Vid. DD. citt*

Quæres septimò. Quisnam sit effectus Sacramentorum?

10 R. Effectus est duplex, scilicet gratia, & character, quem nonnulla Sacramenta secundariò conferunt; nam gratia est effectus primarius. Ratio hujus facilè eruitur ex dictis: omnia enim Sacramenta principaliter sunt instituta ad hominem sanctificandum: at, homo formaliter sanctificatur per gratiam: ergo necessum est, ut Sacramenta homini primariò, seu per modum effectus primarii conferant gratiam sanctificantem; vel primam, prout faciunt Sacramenta muortuorum, Baptismus scilicet, & Pœnitentia; vel secundam, id est augmentum gratiæ sanctificantis, prout per se loquendo faciunt reliqua quinque Sacramenta, Confirmatio, Eucharistia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium: quæ propterea appellantur Sacramen-

menta Vivorum, eò quòd supponant hominem spiritualiter viventem, id est, constitutum in gratia, quæ est vita spiritualis animæ: quamvis non rarò conferant gratiam primam per accidens, dum bona fide suscipiuntur cum sola attritione. Insuper omnia Sacramenta præter gratiam habitualem (quæ, nisi ponatur obex, statim infunditur in reali susceptione Sacramenti) conferunt quoddam jus ad percipiendas suo tempore gratias actuales, id est, pias quasdam illustrationes intellectus, & commotiones, seu inflammationes voluntatis ad bonum inclinantes. Sic Sacramentum Ordinis confert jus ad percipienda cum tempore gratiæ auxilia, quibus Ordinatus dignè obeat functiones sacras. Sacramentum Matrimonii confert jus ad percipienda gratiæ auxilia, quibus Conjuges faciliùs portent matrimonii onera, & prolem debitè educent.

Porro secundarius nonnullorum (ut diximus) Sacramentorum effectus est character, id est, signum quoddam spirituale, indelebile, in susceptione Sacramenti initerabilis animæ impressum, significans potestatem spiritualem eo Sacramento aquisitam. Tria autem dantur Sacramenta characterem imprimentia, videlicet 1. Baptismus; cujus character est signum ovium Christi. 2. Confirmatio; cujus character est signum Militum Christi. 3. Ordo, cujus character est signum Ministrorum Christi ad cultum DEI specialiter consecratorum. Et quoniam hæc tria solùm Sacramenta indelebilem imprimunt characterem, hinc etiam sola hæc tria sunt initerabilia, prout tum ex traditione perpetua, & communi Catholicorum consensu, tum etiam ex Concilio Trid. *suprà cit. Can.* 6. 8. & 9. constat. Vide *cit.* Sporer *part.* 1. *c.* 1. *n.* 34. *& seqq.*

Dices: Conferuntnè omnia Sacramenta gratiam æqualem?

11 R. Sacramenta ejusdem speciei semper conferunt gratiam æqualem æqualiter dispositis; inæqualem verò inæqualiter dispositis. Ita omnes. Ratio desumitur ex Trident. *Sess.* 6. *c.* 7. ubi de justificatione, quæ fit per Baptismum, agendo ait, *unumquemque recipere gratiam sive justitiam secundùm propriam dispositionem, & cooperationem*: ergo qui magis dispositus accedit, majorem recipit gratiam. Et certè hoc videtur exigere ordo gratiæ, ut, qui diligentiùs sese præparare satagit ad susceptionem Sacramenti, majorem inde reportet fructum, quatenus homines hoc modò allicerentur ad majorem erga Sacramenta reverentiam.

Dixi tamen: Sacramenta ejusdem speciei &c. Quòd enim Sacramenta diversæ speciei inter se comparata non conferant æqualem gratiam, DD. communiter supponunt, quamvis certò determinari nequeat, quænam excedant. Videtur tamen, cæteris paribus (ait Herincx *disp.* 4. *n.* 31.) Sacramenta non iterabilia plus gratiæ conferre, ob suam non iterabilitatem, nisi quòd nonnulli excipiant venerabile Sacramentum Eucharistiæ, etsi iterabile; idque ob conjecturam desumptam ex supereminenti illius Sacramenti præ cæteris dignitate.

Quæres tandem octavò, quomodo Sacramenta sint ad salutem necessaria?

12 R. Cum Mastr. 4. *disp.* 1. *n.* 365. Sporer, Sannig, & aliis, 1. Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ esse necessaria necessitate medii, ita quidem, ut Baptismus vel in re, vel in voto susceptus sit necessarius omnibus omnino hominibus, juxta illud *Joan.* 3. *nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei*. Pœnitentia autem iis duntaxat, qui post Baptismum sunt relapsi in peccatum mortale, prout rursus innuitur *Luc.* 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* 2. Sacramenta Ordinis, & Matrimonii pariter sunt simpliciter necessaria toti Communitati Ecclesiæ vagè acceptæ, non tamen cuipiam in particulari, seu determinatè sumpto. Ratio est: quia homines nequeunt salutem consequi, nisi aliqua Sacramenta recipiant, quæ non possunt confici vel ministrari sine Sacerdotibus: atqui Sacerdotes N. L. non habentur, nisi ex Ordinatione, & propagatione humani generis, facienda in matrimonio: ergo. 3. Sacramenta Confirmationis & extremæ Unctionis non sunt necessaria necessitate medii, immò nec præcepti, cùm de hoc nullibi constet: solùm ergo obligamur ea non contemnere. Tandem Eucharistia necessaria est necessitate præcepti, probabiliùs divini, ut dicemus. *Confer.* 15. *n.* 106.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de mutatione Formæ, & Materiæ Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos pœnitentem ritè (ut crediderat) dispositum absolvit. Verùm, ubi post prolata jam verba absolutionis: ego te absolvo *subitò respexit, animadvertit, eum jam discessisse e sacro tribunali; quapropter eundem revocavit dicendo: quid est hoc? cur non exspectasti? revertere, & flecte usque dum te absolverim; quo reverso protulit reliqua verba, scilicet:* à peccatis tuis &c. *Jam verò dubitat, an bene & validè absolverit, an verò totam debuisset repetere formulam absolutionis? Quid respondendum?*

13 R. Si Pœnitens fuit tam propinquus Confessario, ut illum statim potuerit revocare, procul dubio fuit moraliter præsens: proindeque minimè fuisset necessarium illum revocare, sed debuisset reliqua verba absolutionis continuò prosequi. Nihilominus, quamvis supponatur nonnulla verba interlocutus revocando, quia tamen interruptio & verborum interpositio non fuit tanta, quin verba subsequentia: *à peccatis tuis* in morali hominum æxistimatione cum præmissis: *ego te absolvo* apud audientes potuerint facere unam moraliter orationem; hinc dicendum, absolutionem valuisse. Ratio est: quia sicut Sacramentum totum, ita & forma Sacramenti est compositum quoddam morale, integrans unam orationem totalem: ergo illa solùm interruptio verborum obstat valori, quæ facit, ut in morali hominum existimatione verba non ampliùs reddant unam orationem & sensum, quem quoad substantiam Christus voluit exprimi: atqui in nostro casu non fuit tanta verborum interruptio, prout à pari colligere licet; nam si quis baptizando diceret: *ego te baptizo*, & post horum prolationem advertat, aquam esse nimis frigidam, aut infantem minùs accommodè dispositum ad baptizandum, proindeque interponeret: *infundite parum aquæ calidæ*, vel *apponite magis infantem &c.* postea prosequeretur reliqua verba: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, baptismus procul dubio valeret, prout tenent Tambur. Laym. Diana, Clericatus *de Sacram. in Gen. decis.* 10. *n.* 6. Gobat. *Theolog. experim. tr.* 2. *n.* 97. Marchant. *resolut. pastor. de Sacram. tr.* 1. *c.* 2. *n.* 2. *ad tertium*: ergo à pari, ob interpositionem illorum verborum impertinentium minimè impediebatur sensus substantialis formæ absolutionis. Unde quemadmodum in tali Casu non esset baptismus necessariò repetendus, ita nec absolutio. Si tamen verba absolutionis repetiisset sub conditione, ex pia quadam cautela, vel potiùs scrupulositate, non condemnarem illum gravis peccati. At cur sub conditione? ais. R. Ne formam repetat super eandem materiam: multi enim Doctores probabiliter tenent, sola hæc verba: *absolvo te*, esse de essentia.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius presbyter vehementer exagitatur scrupulis, videturque sibi numquam satis exprimere verba consecrationis. Unde fatetur, se nuper consecrasse sequenti modo: hoc, hoc, hoc, est, est, est, corpus, corpus, corpus, meum, meum, meum. *Dubitat jam* 1. *An consecraverit validè?* 2. *An etiam licitè? eò quòd sub actu consecrationis animadverterit, hostiam esse maculatam quadam particula prunæ eidem impactæ. Quid judicii?*

14 R. ad primum. Sempronius validè consecravit. Ita Clericat. *cit. decis.* 8. *n.* 8. Ratio est: quia illa repetitio singularum vocum non auferebat sensum substantialem formæ, prout bene ponderanti facilè apparebit. Rectè tamen existimat Gobat *cit. tr.* 3. *n.* 94. hujusmodi Repetitores committere peccatum ex genere suo mortale; quia inducunt novum ritum circa actionem omnium gravissimam; mutant formulam sacramentalem; & repræsentant Christum ridiculè loquentem. Credo tamen (subdit idem Doctor) tales coram Deo non peccare graviter; quia scrupuli eos adigunt ad hanc parvam stultitiam.

15 R. Ad secundum. Quòd, si macula non fuit enormis, ita, ut fortè cum scandalo

dalo

dalo potuisset à populo notari, licitè omnino consecraverit Ratio est: quia hostiam leviter solùm maculatam (vel etiam fractam, aut non integram) sine causa consecrare, non excedit veniale, per se loquendo; eò quòd non videatur gravis irreverentia irrogari Sacramento: ergo talem consecrare cum rationabili causa, qualis est, si hostia jam fuit oblata, vel Sacerdos ad actum consecrationis jamjam pervenerit, prout casus supponit, omni culpa vacat. Quòd si tamen Sacerdos defectum advertisset in Sacristia, vel etiam ante oblationem, è Sacristia alia fuisset petenda, ut tradit Quarti *in Rubric. Miss. p. 3. d. 10. n. 19. dub. 1.* quem refert, & sequitur La Croix *l. 6. p. 1. n.* 432. vide etiam Gobat. *tr. 3. n.* 832.

CASUS TERTIUS.

Caja *obstetrix infantem recens natum, & jamjam cum morte luctantem baptizaverat sequenti formula*: ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, & B. Virginis Mariæ, amen. *Quærit proin Parens hujus prolis, qui modum baptizandi gnaviter advertit, an baptismus valeat; tum quia Caja omiserat* ly &; *tum etiam, quia addit nomen B. Virginis Mariæ. Quid respondendum?*

16 R. Valuisse Baptismum. Ratio est: quia licèt omiserit particulam &, procul dubio tamen voluit baptizare in nomine Filii æquè, ac Patris. Esto etiam addiderit nomen B. Virginis, minimè tamen dubitandum videtur, quin illud solùm voluerit addere causa intercessionis, ad implorandum B. Virginis patrocinium pro conservanda gratia baptismali, prout bene advertit Marchantius noster apud Gobat *Theol. exper. tr. 2. n.* 94. Secus dicendum foret, si obstetrix in nomine B. Virginis æquè, ac in nomine Trinitatis voluisset baptizare; quia sensus substantialis formæ exigit, ablutionem fieri in auctoritate solius Trinitatis, non Quaternitatis, ait Herincx *cit. disp. 2. n.* 19.

Dices: Sed quid, si obstetrix præfata erroneè existimasset, esse baptizandum in nomine B. Virginis æquè, ac SS. Trinitatis, cæteroquin tamen habuisset intentionem baptizandi eò modò, quo Christus instituit, seu etiam faciendi id, quod facit Ecclesia?

17 R. Si supponatur habuisse hanc intentionem (prout regulariter supponi debet) non est dubitandum, quin valeat baptismus; quia tunc per hanc suam intentionem generalem correxit errorem privatum, quo credidit, Baptismum etiam in nomine B. Virginis esse administrandum. Hinc bene notat Herincx *cit. n.* 20. quòd, si verba de se sint æquivoca, seu indifferentia ad varios sensus, tunc ex mera intentione proferentis possint determinari ad certum sensum, vel legitimum & validum, vel illegitimum & invalidum. Quare, qui baptizando diceret: *ego te baptizo in nomine Patris*, intelligens non Patrem Divinum, sed proprium prolis; vel, qui consecrando diceret: *hoc est corpus meum*, intelligens non Corpus Christi, sed proprium, nullum conficeret Sacramentum; quia cùm hæc verba hìc & nunc nihil aliud significent, quàm quod loquens intendit, isque supponatur non intendere corpus Christi, vel Patrem Divinum, variatur sensus substantialis, consequenter nullum conficitur Sacramentum. *Vid. DD. cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

18 Colliges ex dictis, nec 1. Martyrium; nec 2. Sacrificium Missæ qua tale; nec 3. Lotionem pedum esse, vel fuisse Sacramentum. Ratio primi est: quia Martyrium non est à DEO institutum, sed potiùs prohibitum. Ratio secundi: quia Sacrificium qua tale est institutum ad DEUM colendum, non ad hominem sanctificandum, uti Sacramenta. Ratio tertii est: quia lotio pedum pariter non fuit instituta ad hominem sanctificandum, sed partim ad præbendum Discipulis & Christi sectatoribus humilitatis exemplum, partim etiam ad docendum, quanta cum animi puritate oporteat accedere ad hoc Sacramentum.

19 Collig. 2. Pontifici & Ecclesiæ non competere potestatem immutandi materias, aut formas Sacramentorum quoad substan-

tiam. Ratio est: quia secundùm dicta, omnium Sacramentorum forma & materia, quoad substantiam saltem, fuit à Christo Domino determinata: Ecclesia autem & Pontifex, sine speciali potestate & concessione (de qua hìc non constat) nihil valent contra voluntatem Christi Domini: quia lex Superioris per inferiorem tolli non potest. *Clem. Ne Romani. de elect.* Ergo.

Dices. Olim in primitiva Ecclesia conferebatur Diaconatus & Presbyteratus per solam manuum impositionem: sed hoc mutavit Ecclesia Latina: ergò. Confirmatur. Olim valebat contractus matrimonii clandestinus inter fideles, habuitque rationem Sacramenti: at, hoc fuit immutatum per Concilium Tridentinum: ergo.

20 R. Dist. maj. conferebantur per manuum impositionem, ita, ut hæc in individuo fuerit à Christo determinata, neg. ita ut fuerit determinata ab Ecclesia & Apostolis, con. maj. & con. min. neg. conf. Christus enim solùm determinavit pro ordinibus conferendis aliquod sensibile, de cætero relinquendo Ecclesiæ, quodnam in individuo vellet adhibere, ad designandam potestatem spiritualem: quare cùm Ecclesia etiamnum utatur signo sensibili in collatione ordinum, dici non potest, mutasse materiam quoad substantiam.

21 Ad Confir. R. rursus disting. Maj. valebat contractus matrimonii clandestinus, & hoc ideò, quia in Ecclesia habebatur legitimus, con. si non fuisset legitimus, neg. & con. min. neg. conf. Non enim quemlibet, sed solùm contractum legitimum matrimonii inter fideles celebratum Christus Dominus elevavit ad rationem Sacramenti; hinc Ecclesia annullando contractum clandestinum, non mutavit Sacramentum directè, sed solùm declaravit talem contractum tanquam illegitimum: contractui autem illegitimo nunquam fuit à Christo connexa ratio Sacramenti. Vide Kugler *de Matrim. num.* 863. Sporer *de Matrim. nu.* 32.

22 Collig. tertiò, Eum, qui in statu disgratiæ scienter suscipit Sacramentum vivorum, peccare mortaliter. Ratio est: quia talis indignè suscipit, & ponit obicem gratiæ sacramentali, utique non sine gravi injuria in Christum Dominum, Auctorem Sacramentorum, prout dicetur inferiùs, *nu.* 60.

CONFERENTIA

SECUNDA.

De Ministro Sacramentorum N. L.

SUMMARIUM.

23 *Soli homines Viatores sunt ordinarii Ministri Sacramentorum: extraordinarii possunt esse Angeli.*
24 *Ad validam Sacramenti confectionem nec fides Ministri est necessaria, nec probitas; bene verò ad licitam; Unde*
25 *Minister specialiter consecratus peccat mortaliter conficiendo Sacramentum in statu disgratiæ;*
26 *Non item Minister non consecratus specialiter.*
27 *Explicatur trifaria intentio, actualis, virtualis, & habitualis.*
28 *Actualis est omnium optima, non tamen necessaria; sed*
29 *Sufficit virtualis, etiam implicita, faciendi quod facit Ecclesia, seu, quod Christus instituit.*
30 *Non tamen sufficit in Ministro intentio habitualis;*
31 *Nisi in solo Matrimonio.*
32 *Solvitur quædam instantia de applicatione fructus Sacrificii.*
33 *Ministri intentio debet esse absoluta, nec sufficit conditionata de futuro, nisi in solo Matrimonio.*
34 *Insuper debet esse determinata ad certam materiam & Personam.*
35 *Quomodo regulariter sit formanda intentio?*
36 *Minister per se loquendo peccat mortaliter, administrando Sacramentum indigno.*
37 *Peccatori publico neganda est Eucharistia, sive publicè petat, sive occultè.*
38 *Si verò peccator sit occultus, & publicè petat, debet ipsi tribui.*
39 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

40 Re-

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Ministro Sacramentorum.

Quæres primò, quisnam sit legitimus Minister Sacramentorum N. Legis?

23 R. Soli homines viatores sunt ordinarii Ministri, prout contra Sectarios docet Scotus 4. *d. 6. q. 1. v. generaliter etiam.* Herincx *p. 4. tr. 2. disp. 3. num. 2. & alii communiter.* Ratio est: quia hominibus, & non Angelis Christus Dominus legitur contulisse hanc potestatem. *Luc. 22. & Joann. 20.* Unde & Apostolus *Hebr. 5.* ait: *omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum:* atqui Sacramenta sunt ad Deum: ergo &c. Nihilominus cùm & Angeli sancti subinde legantur administrasse Sacramenta, fatendum est, quòd & hi possint agere ministros extraordinarios Sacramentorum. Vid. Bosco *disp. 1. sect. 7. nu. 9.* Est tamen inter ipsa Sacramenta nonnulla differentia, quòd aliqua, scilicet Confirmatio, Ordo, Pœnitentia, Eucharistia, & extrema Unctio requirant Ministrum consecratum, non verò matrimonium, nec Baptismus, qui in casu necessitatis à quolibet homine rationis usu prædito, sive mas sit, sive fœmina, ministrari potest, prout praxis Ecclesiæ docet.

Quæres secundò, sitne in Ministro necessaria probitas & fides?

24 R. I. Ad valorem nec probitas ministri, nec fides est necessaria. Ita enim expressè decidit Conc. Tr. *ss. 7. Can. 12.* contra VVicles. & alios hæreticos, oppositum asserentes. Ratio etiam suffragatur: potest enim Minister in statu disgratiæ & infidelitatis constitutus applicare omnia essentialia Sacramentorum, ut puta materiam ac formam cum debita intentione: at, valor Sacramentorum solùm dependet ab his tribus, quibus positis certò subsistit: ergo.

25 R. secundò. Probitas tamen est necessaria ad licitam confectionem Sacramentorum, ita, ut Minister specialiter consecratus, in statu disgratiæ conficiendo, seu etiam administrando Sacramentum, per se loquendo (nam per accidens subinde ob ignorantiam vel casum necessitatis excusatur, secundùm omnes) peccet mortaliter. Ratio desumitur tum ex Rituali Rom. Pauli V. *tit. de iis, quæ in Sacramentorum administratione specialiter observanda sunt.* Ubi de Sacerdotibus ex officio ministrantibus Sacramenta dicitur: *impurè, & indi-*

dignè ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Tum etiam ex eo, quia, ut SS. Patres & DD. communiter fatentur, ipsa ratio naturalis dictat, graviter adversari reverentiæ, Deo, ac rebus sacris debitæ, quòd hostis Dei & Christi, permanens voluntariè in statu tam indigno, tractet res tam sacras, quibus sanguis Christi, sive ejus merita communicantur, per actionem, ad quam ritè obeundam est consecratus, & specialem potestatem ac sanctitatem accepit: atqui agens, quod graviter adversatur reverentiæ Deo debitæ, peccat mortaliter: ergo.

26 Dictum tamen est, quòd *Minister specialiter consecratus &c. peccet*; etenim plerique Doctores (contra Vasquez & alios, satis probabiliter oppositum tenentes) existimant, ad peccandum mortaliter non sufficere præcisè, quòd Minister Sacramentum, seu rem sacram indignè tractet, nisi sit specialiter consecratus ad dignè tractandum; eò quia hoc non videtur tam graviter adversari rectæ rationi, ut gravitatem peccati mortalis conscendat. Ex quo inferunt, Laicum baptizando, & Sponsos præcisè contrahendo, seu conficiendo Sacramentum non peccare graviter.

Quæres tertiò, an, & quænam intentio sit necessaria in Ministro ad confectionem validam Sacramenti?

27 Ante responsionem, suppono cum *Communi* DD. nomine intentionis hìc intelligi actum voluntatis, quo aliquid volumus, seu intendimus facere, aut fieri ab alio. Communiter etiam triplex solet distingui, videlicet 1. actualis. 2. virtualis, & 3. habitualis. Actualis tunc habetur, quando quis v.g. actu consecrans, cogitat seu vult consecrare, & conficere Sacramentum. Virtualis ea dicitur, quæ, licèt jam actu præterierit, adhuc tamen manet in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute intentionis priùs habitæ, facit omnia, quæ operatur: v.g. habet quis intentionem actualem celebrandi Missam, atque ex hac voluntate induit se sacris vestibus, vadit ad altare &c. dum verò celebrat, fit distractus, & ex distractione non advertit, nec considerat actualiter actum, quem exequitur: iste celebrans sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali; quia virtute intentionis priùs habitæ facit illos omnes actus concernentes Missæ celebrationem. Tandem intentio habitualis aliud non est, quam intentio merè præterita, & non retractata, quæ tamen non ampliùs influit in effectum. Hoc notato.

28 R. Ad quæsitum. Ad validam Sacramenti confectionem in Ministro 1. optima quidem, non tamen necessaria est intentio actualis; sed 2. sufficit virtualis etiam implicita, faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit. 3. Non tamen sufficit intentio merè habitualis excepto solo Matrimonio. Scotus 4. *d. 6. q. 6.* Gobat Sporer, & alii plures.

Ratio primi est: quia non est præsumendum, quòd Christus ad valorem Sacramentorum voluerit desiderare aliquid moraliter impossibile: atqui intentio actualis est moraliter impossibilis; quandoquidem spectata hominis fragilitate fieri nequeat, ut Minister nunquam distrahatur, & semper actu advertat, quid agat: ergo intentio actualis non est necessaria.

29 Ratio secundi est: quia intentio virtualis sufficit ad operandum modo humano, & activè influit in opus, facitque, ut actio sit Sacramentalis potiùs, quàm profana: ergo quemadmodum hæc sufficit ad vota, contractus, eorumque valorem & meritum; ita etiam ad confectionem Sacramentorum. Necessum tamen est, ut Minister saltem implicitè intendat facere Sacramentum, id est, ut intendat facere, *quod facit vera Ecclesia*, seu (quod idem est) facere *quod Christus instituit*, & fieri voluit. Unde non sufficit sola intentio ponendi materiam, & formam Sacramenti; secus enim is, qui joci causa perfunderet infantem aqua, dicendo simul: *ego te baptizo &c.* vel qui sub mensam ex Scriptura legeret: *hoc est corpus meum*; aut jocando diceret: *ego te absolvo &c.* verè conficeret Sacramentum: quod tamen falsum, immò damnatum est, tum à Leone X. tum etiam ab Alexandro VIII. Vide La Croix *l. 6. p. 1. à n. 54.*

30 Ratio tertii est: quia intentio Ministri debet esse causa actionis, qua ponitur Sacramentum, ita, ut virtute illius Minister

agat

agat in Persona Christi, & modò humano: atqui vi solius intentionis habitualis Minister non est causa actionis sacramentalis modo humano, prout vel inde colligere licet, quòd hujusmodi intentio habitualis sæpe sæpius reperiatur in homine ebrio, dormiente, aut rationis impote, qui non raro multa operantur ex habitu: ergo hæc non sufficit.

31 Dixi: *Excepto solo Matrimonio*; hujus enim specialis occurrit ratio, prout bene advertunt Lugo, Gobat. *tr.* 1. *nu.* 76. Sporer *cit. n.* 118. aliique: quia hoc Sacramentum fundatur in natura contractus, quam Christus non immutavit: ergo quemadmodum alii contractus perfici possunt, voluntate contrahentium habitualiter perseverante; ita & contractus Matrimonii: quod præcipuè contingit, ubi matrimonium contrahitur per Procuratorem, vel etiam sub conditione de futuro; qua adimpleta probabiliùs absque novo consensu subsistit, licèt sponsus aut sponsa supponantur actu dormientes. Vid. DD. citt. Quibus adde Dicastillo *de Sacram. in Gen disp.* 3. *dubit.* 6. *n.* 137.

Dices. Intentio habitualis sufficit ad applicandum fructum Sacrificii; nam si Sacerdos alicui dicat: *ego cras pro te offeram Sacrificium*, & hanc suam intentionem non ampliùs revocet, alter participabit fructum Sacrificii: ergo talis intentio etiam sufficit ad sacrificandum.

32 R. Neg. Conf. Disparitas in eo sita est, quòd talis oblatio fructus habeat se per modum donationis conditionatæ, *si scilicet cras sit celebraturus*: talis autem donatio conditione adimpleta subsistit. Neque intentio applicandi fructum debet esse confectiva fructus, sicut intentio sacrificandi debet esse confectiva Sacrificii, & Eucaristiæ Sacramenti.

Quæres quartò, Utrùm Ministri intentio debeat esse absoluta, an verò sufficiat conditionata.

33 R. Debet esse absoluta, vel saltem conditionata de præterito aut præsenti, nec sufficit conditionata sub conditione de futuro, nisi in solo Matrimonio. Ita *omnes*. Ratio est: quia actio Ministri mediante intentione debet esse efficax: at sola intentio absoluta, & conditionata de præterito vel præsenti, quippe quæ subsistente conditione statim transit in absolutam, est efficax, non item conditionata de futuro. Et licèt hæc aliquando, adimpleta scilicet conditione, supponatur transitura in absolutam, quia tamen tunc non ampliùs erit materia & forma Sacramenti; hinc nullum conficietur Sacramentum: ergo hæc non sufficit. Excipitur rursus Matrimonium, ob rationem datam *n.* 31.

Quæres quintò, An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam, & Personam?

34 R. Cum Spor. *cit. n.* 132. Babenstuber *tr.* 8. *disp.* 2. *art.* 3. *n.* 16. affirmativè. Ratio est; quia intentio Ministri ferri debet in id, quod per formas Sacramentorum significatur: sed per has significatur materia & Persona determinata, prout patet ex modo loquendi demonstrativo: *ego te baptizo, te absolvo à peccatis, tibi indulgeat Deus &c.* Hinc, qui ex pluribus hostiis vellet unam indeterminatam consecrare, vel ex pluribus confessis unum indeterminatum absolvere, nihil efficeret.

35 Regulariter tamen loquendo, ut rectè advertit Herincx noster *disp.* 3. *n.* 40. intentio Ministri debet dirigi in præsentem Personam v. g. hìc & nunc confessam, quæcunque illa sit, sive Petrus, sive Paulus, Mas vel Fœmina &c. quia tunc Sacramentum erit validum, etsi Confessarius putet esse aliam Personam. Secus dicendum in Matrimonio, ubi Persona solet eligi de industria, ejusdemque error censetur redundare in substantiam contractus.

Quæres sextò, Utrùm peccet, qui Sacramentum administrat indigno, seu incapaci gratiæ sacramentalis.

36 Per se loquendo peccat mortaliter, nisi ipsum excuset ignorantia, vel necessitas &c. Ratio autem est: quia Minister ex natura rei obligatur Sacramenta reverenter tractare & fideliter administrare: at, qui scienter Ministrat indigno seu immundo, nec reverenter tractat, nec fideliter ministrat: ergo. Et nunquid gravissimè peccatorum judicares illum, qui Sacramentum projiceret in cloacam, vel alium locum immundum? atqui talis est conscientia peccatoris. Accedit, quòd talis Sacerdos cooperetur peccato alterius. Loquimur tamen

de

de scienter administrante indigno; enimverò ubi indignitas certò non constat, vel de ea omnino dubitatur, potiùs est præsumendum de dignitate; *quisque enim naturaliter præsumitur bonus.cap.dudum.de præsumpt.* Idem dicendum, casu quo indignitas non constat, nisi ex sola confessione sacramentali; cujus notitia, cùm in foro fori uti neutiquam liceat, Sacerdos dici non potest *scienter* administrare indigno Sacramentum. Unde

37 R. Jam secundò. Peccatori publico, seu publicè indigno Sacramentum v.g. Eucharistiæ debet denegari; occulto autem, seu occultè indigno, denegari non debet, nec potest, si publicè petat, bene verò si petat privatim. Ita *communissimè DD.* Herincx. *disp.* 3. *n.* 58. Bosco *disp.* 1. *Sect.* 7. *n.* 202. La Croix ubi suprà *à n.* 138. Et sanè clarissimis omnino verbis docetur in Ritual. Rom. *tit. de SS. Eucharistiæ Sacramento*, ubi dicitur: *Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint. Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem, si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.* Hactenus Rituale. Ex quo facilè eruitur ratio, cur peccatori publico publicè, vel etiam occulto, sed privatim petenti sit denegandum hoc Sacramentum; secus enim communitas scandalizaretur, & sine causa sanctum daretur canibus, contra expressam prohibitionem Christi Domini *Matth.* 7. quippe solum periculum talem diffamandi posset excusare Ministrum, ut videbimus: atqui nec publicus peccator diffamatur; nec peccator occultus, si huic privatim tantùm postulanti negetur: ergo &c.

38 Cæterùm, quòd peccatori occulto publicè petenti possit, immò debeat dari Sacramentum Eucharistiæ (contra Clericatum & nonnullos alios) probatur hac ratione. Tum quia hoc docet Ritual. Rom. cit. immò verò Christus ipse suo nos docuit exemplo, dum Judam, quem probè noverat improbum & indignum, communicavit; tum etiam quia licitum est alterius peccato cooperari per actionem de se indifferentem, vel omnino bonam (qualis est administratio Eucharistiæ) quando peccatum illud sine gravissimis incommodis impediri nequit: atqui in tali casu Minister nequit impedire peccatum; tum quia aliàs illum diffamaret publicè; tum etiam quia aliàs sæpe contingere posset, ut innocentes repellerentur, sive ex odio, sive etiam ex imprudentia Ministrorum, sicque plures absterrerentur; adstantes pariter perturbarentur; & Ministris gravissimum, immò importabile onus imponeretur probandi, talem esse justè repulsum: ergo licet administrare &c.

Dices. Potiùs videtur consulendum honori Christi & Sacramenti, quàm famæ occulti peccatoris; qui, cùm non vereatur accedere, debet suæ potiùs, quàm Ministri culpæ imputare, si diffametur: ergo non licet tali administrare &c.

39 R. Disting. & explicando ant. consulendum potiùs videtur honori Christi, ita, ut Minister non possit se irreverenter gerere erga Sacramentum, ut famam proximi servet, con. ita, ut liceat positivè alteri auferre famam, ut ab altero etiam servetur honor debitus Sacramento, neg. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titio Sacerdoti jamjam accincto ad celebrandum, quidam Laicus obtulit parvam hostiam, petens, ut se sub Sacrificio Missæ communicaret: annuit Titius, hostiamque minorem supposuit majori super patenam. Contigit autem, ut ex distractione, vel etiam oblivione naturali, nec in actuali oblatione, nec in consecratione ampliùs recordaretur hostiæ minoris. At verò, ubi pervenit ad Pater noster, *subito illam*

adver-

advertens jacentem super corporale, obstupuit, hæsitavitque, an consecrata, proindeque Laico esset administranda, nec ne? Quid judicii?

40 R. Non est dubitandum, quin consecrata, ideoque Laico fuerit porrigenda. Ratio eruitur facilè ex dictis *n.* 28. quia ad conficiendum quodlibet Sacramentum sufficit intentio virtualis: atqui talem Titius habuit, dum hostiam illam minorem super patenam collocavit, & secum ad altare portavit: ad quid enim, nisi ut illam consecraret? Et nunquid interrogatus, cur illam deportet? quantocyùs vi prioris intentionis (quam exercitè habuit, dum hostiam ad petitionem Laici super patenam posuit) respondisset: *quia volo Laicum communicare, ideòque consecrare illam?* At, qui taliter est dispositus animo, ut statim vi prioris intentionis responderet: *volo hoc vel illud facere &c.* censetur habere, & operari vi intentionis virtualis, prout bene observat pro praxi practicus noster P. Sporer *Theol. Sacram. part.* 1. *c.* 2. *n.* 108. ergo &c.

Dices. At quid, si Titius imponendo hostiam patenæ cogitasset intra se: *faciam intentionem consecrandi, dum pervenero ad Altare*, & in Altari fuisset oblitus?

41 R. Minimè tamen dubitandum est, quin esset consecrata, ideoque Laico porrigenda. Ratio eruitur ex dictis: quia non requiritur intentio formalis explicita, sed sufficit implicita, seu etiam in actu exercito: at talem habuit, dum ad petitionem Laici hostiam secum portavit ad Altare: immò juxta Layman *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 14. *fin.* Gobat *tr.* 3. *n.* 85. Sporer *Theolog. Sacr. part.* 2. *c.* 3. *n.* 169. talem habere censendus est Sacerdos, hoc ipso, quòd sciat, seu rationali modo advertat, hostias à se consecrandas ad Altare afferri ab alio: ergo à fortiori, si ipsemet scienter deferat.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Clericus ad infirmum vocatus distulit illum invisere duplici de causa; 1. quia audiverat eum laborare morbo pestifero quasi, & infectivo. 2. Quia sciebat se esse in statu disgratiæ. Contigit proin ut infirmus moreretur sine consuetis Ecclesiæ Sacramentis. Quæritur jam, an, vel quomodo Sempronius peccaverit?

42 R. Cum distinctione. Vel enim Sempronius supponitur fuisse Parochus proprius infirmi, vel alius Clericus Regularis aut Sæcularis? Si primum, dicendum; quòd peccaverit mortaliter ex genere suo, & quidem dupliciter, scilicet contra charitatem & justitiam: quid ni & peccato scandali? Ratio est: quia secundùm *omnes*, Parochus ratione beneficii non solùm titulo charitatis, sed etiam justitiæ, tenetur succurrere, immò & vitam exponere nedum in extrema, sed & in gravi necessitate spirituali alicujus sibi subjectæ oviculæ, easdemque (juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.*) Sacramentorum administratione pascere: ergo si negligat, propereaque infirmus necessario subsidio Sacramentorum destituatur, peccat gravissimè, saltem per se loquendo; nam per accidens, ut puta si non advertisset periculum, aut huic ab alio Clerico subventum iri prudenter existimasset, vel, si non diu moram traxisset, vel denique si rationabiliter credidisset, infirmum illum non esse in statu disgratiæ &c. Forsitan excusandus foret, prout volunt Caramuel, Chapeaville, aliique apud Gobat. *tr.* 1. *n.* 136. Quamvis Veriuys *in Pastor. Mission. tr.* 14. *art.* 2. apud La Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 757. probabilius dicat, etiam tali, si petat, negari non posse Sacramentum Eucharistiæ, & multò minùs Pœnitentiæ; quia infirmus habet jus petendi: ergo Parocho incumbit obligatio ministrandi; præsertim cùm nullus infallibiliter scire queat, sitnè in statu gratiæ, nec ne? juxta effatum *Eccli.* 9. *nescit homo, utrùm amore dignus sit, aut odio.*

43 Quòd si Sempronius noster supponatur fuisse Clericus Regularis, vel Sæcularis quidem, non tamen Parochus seu Pastor infirmi, rursus discernendum est, & attendendum, utrùm infirmus moraliter loquendo potuerit habere alium Confessarium, vel non? si potuit, non peccavit: sin minùs, lethaliter deliquisse censendus est. Ratio est: quia generali lege charitatis quivis Sacerdos, tam Sæcularis, quàm Regularis tenetur succurrere proximo in gravi necessitate, & periculo animæ (quod semper timendum in mortis articulo) constituto:

stituto: at, si infirmus non potuit habere alium Confessarium, fuit verè constitutus in necessitate gravi: ergo tenebatur etiam Regularis succurrere, non obstante periculo propriæ infectionis. Vide de hoc Sanchez *l. 6. mor. c. 2. n. 55. & seqq.* Escobar. *Theol. mor. lib. 4. prbolem.* 104. Laym. *l. 2. tr. 3. c. 3.*

CASUS TERTIUS.

Quidam sponsus fatebatur, se nocte proximè dilapsa turpiter egisse cum sua sponsa: & quia Cajus Confessarius noverat, illum jam sæpiùs relapsum, nec vitasse occasionem proximam, hinc eundem sine absolutione dimisit. Huic proximè successit sponsa, Confessario optimè nota, quæ tamen (forsitan timens negationem absolutionis) nec verbulum movit de peccatis lasciviæ cum sponso commissis; quapropter Cajus dubitat 1. an possit, vel debeat illam absolvere? 2. an si uterque petat sacram Synaxin, tuta conscientia possit illam administrare? Quid judicii?

44 R. Ad primum. Cajus Confessarius, tenebatur sponsam à longè seu remotè examinare, v. g. interrogando, utrùm nunquam cogitationibus impuris peccaverit, vel quidquam castitati contrarium admiserit? Non tamen debet dicere: nunquid jam peccasti cum tuo sponso? quid vis negare? hoc enim modo ageret contra sigillum. Quòd si sponsa neget, se aliquid contra castitatem deliquisse, tenetur illam absolvere; tum quia pœnitenti, ceu Reo simul & Actori tenetur adhibere fidem tam pro se, quàm contra se loquenti; tum etiam, quia potest præsumere, quòd habeat forsitan justam causam hic & nunc peccatum negandi. Judico tamen oportere, ut illi absolutionem impertiatur non absolutè, sed conditionatè, sub conditione, saltem in mente retenta, dicendo: *si es disposita, ego te absolvo &c.* Ratio est: tum quia Confessarius in his circumstantiis rationabiliter suspicari, ac timere debet, ne pœnitens sit indisposita, sicque Sacramentum reddatur sacrilegum; tum etiam, quia Confessarii est, non solùm intendere saluti pœnitentis, sed etiam reverentiæ Sacramenti: atqui per hujusmodi absolutionem conditionatam, satis consulitur saluti pœnitentis, modò is supponatur dispositus, neque per hujusmodi tacitam conditionem frangitur sigillum, simulque cavetur reverentiæ Sacramenti, & vitatur sacrilegium: ergo &c.

45 R. Ad secundum. Sacram Synaxin tenetur utrique impertiri. Ratio constat ex dictis *n.* 36. quia sponsi indignitatem non cognovit, nisi ex sola confessione, ut supponitur; hujus autem notitia uti in foro fori neutiquam licet; tum etiam, quia potest Cajus supponere, sponsum interim vel alteri fuisse confessum, vel certè contritum. Secus dicendum, si Cajus aliunde nosset, sponsum esse indignum, vel esse peccatorem publicum & concubinarium.

Dices. Sed quis censendus est publicus peccator?

46 R. Cum P. Bosco. *disp. 1. sect. 7. n.* 212. Ille censendus est, cujus delictum est publicum vel evidentia juris, id est, per sententiam Judicis; vel evidentia facti, id est, quando ita multis & talibus notum est, ut nulla tergiversatione possit celari; quia talis absolutè amisit jus ad famam: ergo etiam ad Sacramentum, quamdiu non emendaverit se. Extendunt autem id Suarez, Rodriquez & alii etiam ad casum, quo de peccatore est publica, eaque vehemens, seu violenta suspicio, quæ scilicet probabili ratione deponi non potest, sive quæ nullam in contrarium admittit probationem; nam & hæc generat moralem certitudinem.

Dices iterum. At nunquid in casu, ubi peccator occultus publicè petit communicari, Sacerdos meliùs faceret, si loco hostiæ consecratæ eidem daret non consecratam?

47 R. Nequaquam faceret meliùs, quin potiùs peccaret mortaliter, partim quia talis simulatio videtur mendosa & perniciosa; partim etiam, quia vel sumenti, vel aliis circumstantibus præberet occasionem idololatriæ. Hinc Innocentius III. *c. de Homine celebrat. Miss.* in simili casu interrogatus, respondisse legitur: *falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora.* Et Innocent. XI. damnavit sequen-

ſequentem propoſitionem *n.* 29. *urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*. Vide de hoc Carden. *Criſ. Theol. diſſert.* 20. *num.* 24. Matthæucci *in Cautel. Confeſſ. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 5.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

48 COlliges 1. Sacerdotem in ſtatu diſgratiæ conſecrantem, abſolventem, inungentem infirmum &c. Item Epiſcopum ordinantem, vel confirmantem in ſtatu diſgratiæ, peccare mortaliter. Idem dic de Sacerdote vel Diacono in tali ſtatu baptizantibus, licèt non ſolemniter; quia, ut dictum *n.* 25. tales Sancta non tractant ſanctè, ſimulque ut ſanctè tractarent, ſpecialiter ex officio fuere conſecrati, & obligati. Ob eandem rationem probabile eſt, mortaliter peccare Sacerdotem aut Diaconum, qui miniſtrat alteri Sacramentum Euchariſtiæ, ab alio Sacerdote priùs confectum, quamvis Vaſquez, aliique non minùs probabiliter hoc negent. Videatur Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *à n.* 7. Illſung. *tr.* 6. *diſp.* 1. *art.* 4. *n.* 41. Dices: ſufficitnè, ut Miniſter priùs quàm Sacramentum conficit aut miniſtrat, ſe in ſtatum gratiæ reponat mediante contritione perfecta, an verò tenetur præmittere confeſſionem?

49 R. Cum *communi DD.* ſufficit ſi contritionem perfectam eliciat; quia huic competit vis juſtificandi; ideòque dignè adminiſtrabit: Confeſſio verò nullo jure præcipitur, quamvis ob majorem, de ſtatu gratiæ, ſecuritatem oporteat confiteri. Si tamen velit celebrare, tenetur præmittere Confeſſionem, ubi ſuppetit copia Confeſſarii; idque non ratione confectionis Sacramenti, ſed ratione ſumptionis Euchariſtiæ, quam etiam in Laicis debet præcedere confeſſio, ut monet Apoſtolus 1. *Cor.* 11. *probet autem ſe ipſum homo* &c. & expreſsè declarat Concilium Trid. *ſſ.* 13. *de Euchar. cap.* 7. Herincx *num.* 43.

50 Collig. 2. Sacerdotem probabiliùs non peccare mortaliter præcisè excipiendo confeſſionem, dummodo ante abſolutionem conetur elicere contritionem; quia audiendo præcisè non conficit, nec miniſtrat Sacramentum, ſed potiùs permiſſivè, & paſſivè ſe habet. Similiter nec peccat mortaliter Sacerdos in ſtatu diſgratiæ ſacram hoſtiam præcisè elevando, aut de loco in locum transferendo, cum eadem populum benedicendo &c. Nec Epiſcopus in tali ſtatu corporalia, calices, oleum pro infirmis benedicendo, vel chriſma conficiendo &c. Neque Diaconus in ſacro ſolemni ſacerdoti miniſtrando, Evangelium cantando &c. Ratio patet ex dictis: quia talia peragendo non conficiunt Sacramentum, ſed ſolùm exercent quædam (ut vocamus) Sacramentalia, ſeu ritus ſacros. Et licèt per hoc, quòd in malo ſtatu miniſtrent, inferant Deo, rebuſque ſacris quandam injuriam, non tamen cenſetur gravis: ſecus enim dicendum foret, etiam Oſtiarios vel Acolythos in ſtatu diſgratiæ ſua munia obeuntes peccare mortaliter, eò quòd & iſti ſint ſpecialiter conſecrati; quod tamen, ſicut à communi DD. judicio; ita & à veritate alienum meritò reputatur. Vid. Lugo *de Sacram. in gen. diſp.* 8. *num.* 156. Herincx ubi ſuprà *diſp.* 3. *n.* 51. *& ſeqq.*

51 Collig. 3. quòd, licèt abſolutio nunquam ſit danda ſub conditione de futuro v. g. hoc modo: *abſolvo te, ſi cras reſtitues, ſi concubinam domo ejicies* &c. eſſet enim invalida ob rationem datam *nu.* 33. nonnunquam tamen expediat, immò neceſſum ſit, ut Sacramentum adminiſtretur ſub conditione de præterito vel præſenti; idque toties, quoties prudenter dubitatur de ſufficienti diſpoſitione ſuſcipientis, vel aliis conditionibus ad valorem requiſitis. Ratio eſt: quia per hujuſmodi conditionem conſulitur & reverentiæ Sacramenti, & ſaluti ipſius ſuſcipientis. Hinc Confeſſarius, qui non poteſt habere majorem certitudinem de diſpoſitione moribundi, debet, illum abſolvere ſub conditione hac: *ſi es actu diſpoſitus*. Attamen citra juſtam & gravem cauſam non licet conditionatè tantùm abſolvere; quia ut advertit cum aliis Sporer *tr.* 1. *n.* 129. non licet Sacramentum conferre, vel formam proferre cum dubio, vel incerto eventu aut effectu, abſque gravi cauſa neceſ-

cessitatis vel utilitatis: si tamen talis subsit, excusatur Minister ab omni culpa.

52 Collig. quarto, Ministro Sacramentorum incumbere, ut quantum moraliter loquendo fieri potest, attendat ad dispositionem subjecti; quia juxta Apostolum 1. *Cor.* 4. debet Sacramenta fideliter ministrare. Hinc oportet, ut Confessarius ceu Judex spiritualis advertat diligenter dispositionem pœnitentis, utputa an sit verè contritus, an habeat propositum emendandi &c. Similiter Parochum oportet disquirere, an sponsi volentes contrahere, non laborent aliquo impedimento; item an intelligant rudimenta fidei. Idipsum diligenter examinari oportet circa parvulos, volentes primò communicare aut confiteri, utrùm scilicet satis intelligant ea, quæ sunt necessaria ad susceptionem istorum. In Sacramentis tamen Eucharistiæ, Confirmationis & extremæ unctionis, tanta non est opus cautela; cùm quisque præsumendus sit bonus, ideòque ad hæc dispositus, nisi contrarium constet. Vid. Bosco *cit. num.* 203. vel Clericat. *de Euchar. decis.* 40.

53 Collig. tandem quinto. Ministrum peccare mortaliter, si relicta sententia probabiliori, & tutiori, in confectione Sacramentorum sequatur minùs tutam v. g. relicta aqua naturali baptizando in aqua rosacea &c. Ratio est: quia talis exponit Sacramentum periculo nullitatis; quandoquidem valor Sacramenti non dependeat ex judicio practico, sicut honestas actionis, sed ex materia, & forma a Christo determinata. Accedit, quòd talis sine causa exponat infantem periculo damnationis, ideòque graviter impingit in præceptum charitatis; immò & justitiæ, si sit Minister specialiter obligatus ad Sacramentorum administrationem, uti sunt Parochi, aliique beneficia curata possidentes. Hinc justè ab Innocentio XI. proscripta fuit sequens propositio. n. prima. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantùm, utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*. Vide de hoc Matthæucci ubi suprà *l.* 2. *c.* 1. La Croix *lib.* 6. *pag.* 1. *num.* 104.

54 Tandem pro praxi observa sequentes tres Maximas seu Regulas, quas, suo more, sapienter tradit Doctor noster Subtilis 4. *d.* 3. *q.* 2. §. *tertiò de fin.* prima est ista: *si possibilitas adest, via tutissima est eligenda*. Secunda. *Si non adest possibilitas, viæ tutissimæ proxima est tenenda*. Tertia est ista: *cessante impossibilitate cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat*.

CONFERENTIA
TERTIA.

De Sacramentorum Subjecto.

SUMMARIUM.

55 *Subjectum capax Sacramenti est solus homo viator.*
56 *Ad validam susceptionem necessaria est intentio propria suscipientis in adulto;*
57 *Non item in Parvulo.*
58 *Sufficit tamen virtualis, vel etiam habitualis.*
59 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
60 *Ut quis licitè suscipiat Sacramentum mortuorum, non prærequiritur necessariò status gratiæ;*
61 *Bene verò ut licitè suscipiat Sacramentum vivorum*
62 *Quisnam censeatur Minister indignus?*
63 *Sine gravi causa non licet à tali petere Sacramentum; bene autem subsistente tali causa.*
64 *Solvitur; quædam objectio in contrarium.*
65 *Ob hujusmodi gravem causam licitum est, petere & recipere Sacramentum ab excommunicato tolerato.*
66 *A Ministro autem non tolerato non ita, præterquàm in mortis articulo;*
67 *In quo verosimiliter licet à tali petere Eu-*

Eucharistiam, aut extremam Unctionem.

68 *Quinam sint Ministri non tolerati ab Ecclesia?*

69 *Resolvitur Casus I. de Moribundo, qui protestabatur, se quidem venerari Sacramentum extremæ Unctionis, nolebat tamen illud recipere, quia erroneè existimavit, se non decumbere ad mortem: fuit tamen inunctus.*

70 *Unde colligendum, an, vel quando tales habeant intentionem sufficientem?*

71 *Resolvitur Casus II. de sponso, qui in statu peccati mortalis matrimonium contraxit, & ad mensam Domini accessit, Confessione non præmissa, eò quòd ad Confessarium non habuerit confidentiam.*

72 *Hinc probabiliùs commisit duplex Sacrilegium.*

73 *Et cur talis dici nequeat accessisse perfectè contritus?*

74 *Resolvitur Casus III. de Persona, quæ, ne cogeretur sese diffamare, noluit confiteri, alteri, quàm suo Complici, licèt indigno;*

75 *Videtur tamen probabiliùs fuisse obligata ut alium accederet.*

76 *Et cur hoc periculum infamiæ non excuset?*

77 *Enumerantur Casus, in quibus à Ministro indigno licitè petitur, & recipitur Sacramentum;*

78 *Quod tamen illicitè fieret, si possit haberi Minister bonus dignus.*

79 *Excipitur probabiliter Casus, ubi Moribundus non habet confidentiam ad Ministrum bonum.*

80 *Nunquam licet petere Sacramentum à Ministro in iis circumstantiis, in quibus illud licitè ministrare nequit.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de subjecto Sacramentorum N. L.

QUæres primò, quinam sint subjectum capax Sacramentorum N. L?

55 R. Soli homines viatores. Ita *omnes*. Ratio inde desumitur: quia Sacramenta sunt instituta ad gratiam vel primò dandam, vel augendam: soli verò homines viatores sunt capaces gratiæ dandæ, vel augendæ: ergo soli homines viatores sunt subjectum capax; baptismi quidem omnes & singuli, modò ipsi velint: reliquorum verò non ita; neque enim omnes sunt capaces Matrimonii, Ordinis &c. ut suis locis videbimus.

Quæres secundò, utrùm ad valide suscipiendum Sacramentum sit necessaria intentio, & quænam?

56 R. Ut Sacramentum validè recipiatur, requiritur in Adultis positiva intentio illud suscipiendi, eaque, si non est formalis, debet esse virtualis, vel interpretativa, vel habitualis. Ita rursus *Communis DD*: Ratio est, quia sicut Deus non justificat Adultum sine proprio illius consensu; ita congruum est, ut eum per Sacramenta non consecret, & sanctificet sine ejusdem consensu. Hac de causa Rituale Rom. Pauli V. *de baptis. Adult.* prohibet illum baptizari, qui aliquando habuit usum rationis, nullam tamen ostendit voluntatem suscipiendi baptismum, antequam in amentiam incideret.

57 Dictum tamen fuit: *in adultis &c.* quia Parvuli (ad quos etiam reducuntur perpetuò amentes) non sunt capaces propriæ intentionis; ideoque sufficit in illis intentio Christi, & Ecclesiæ.

58 Dictum est secundò, requiri *intentionem positivam*; quia non sufficit mera carentia intentionis contrariæ. Et additur: eaque *vel virtualis &c.* Non enim necessarium est, ut semper interveniat intentio formalis & expressa, sed in nonnullis Sacramentis sufficit intentio implicita & interpretativa. Hinc vita christianè transacta (ait Herincx. *cit. disp. 3. n. 92.*) videtur sufficiens, & interpretativa petitio Confirmationis, & extremæ Unctionis ceu mediorum salutis omnibus Christianis valdè utilium; qua ratione Rituale Rom. *de extrem. Unct.* expresse præscribit, *hoc Sacramentum esse præbendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt, seu verosimiliter petiissent, vel dederunt signa contritionis.* Idem dicemus suo loco de Sacramento Pœnitentiæ. Baptismus tamen,

Elbel Theol. P. I. B

men, Ordo, & Matrimonium magis expressam requirunt voluntatem saltem habitualiter manentem; eò quòd inducant notabilem statum mutationem, cum gravibus oneribus sibi annexis, ut notant *communiter DD.*

Dices. Suscipiens Sacramentum passivè tantùm se habere debet: atqui passivè se habere potest sine ulla intentione: ergo.

59 R. Dist. Maj. passivè se debet habere, per modum patientis naturalis & necessarii, neg. per modum patientis moralis & voluntarii, con. hoc autem modò se habere nequit sine omni intentione etiam habituali: ergo &c.

Quæres tertiò, qualis dispositio requiratur ad licitè suscipienda Sacramenta?

60 R. 1. Ut licitè, & cum fructu recipiantur Sacramenta mortuorum (Baptismus scilicet, & Pœnitentia) 1. non requiritur status gratiæ, bene verò 2. (præter intentionem) actus fidei, & spei: & in eo, qui sibi est conscius peccati mortalis à se commissi, attritio supernaturalis. Conink, Bonacin. *de Sacram. in Gen. disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 12. & alii *communiter*. Ratio primi est: quia hæc Sacramenta instituta sunt, ut conferant gratiam primam, & vitam spiritualem: ergo hanc non præexigunt aut supponunt in suscipiente. Ratio autem secundi est: quia teste Apostolo *Hebr.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Cùm verò de facto nullum peccatum dimittatur sine pœnitentia, juxta illud *Luc.* 13. *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*; hinc necessaria est saltem attritio supernaturalis de peccato *personali*; nam originale non est objectum pœnitentiæ, prout alibi dicitur.

61 R. secundò. Ut licitè & fructuosè recipiatur Sacramentum vivorum (præter intentionem) requiritur, ut suscipiens sit in statu gratiæ. Ita *cum communi* Bonacin. cit. Castropal. *tract.* 18. *punct.* 13. *num.* 2. Ratio est: quia secundùm dicta *n.* 10. Sacramenta vivorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam non primam, sed secundam: ergo primam supponunt.

Quæres quartò, Utrùm peccet, qui Sacramentum petit, vel etiam recipit a Ministro indigno?

62 Ante responsionem suppono, nomine indigni hìc intelligi illum, qui *certò noscitur* mortaliter peccaturus ministrandò; etenim si de indignitate Ministri non certò constet, unusquisque Clericus (præsertim à Laicis, quorum non est, in vitam & honestatem Clericorum inquirere) præsumi debet bonus, juxta utriusque juris Regulas. Ex quo Doctores inferunt, quòd, si quis sciret Sacerdotem paulò antè peccasse mortaliter, nihilominus licitè ab eo reciperet, & peteret Sacramentum: deberet enim præsumere, illum jam esse perfectè contritum, ideòque dispositum ad ritè subeundum suum officium, nisi palam constaret, eum in diuturna peccandi consuetudine esse inveteratum, aut fovere occasionem proximam. Hoc not.

63 R. Ad quæsitum. Sine justa & gravi causa non licet Sacramentum recipere, aut petere à Ministro indigno, bene verò si justa subsit causa necessitatis vel utilitatis. Ita cum *communi* Scot. 4. *d.* 5. *q.* 2. *§. quantùm autem* Bosco. *disp.* 1. *sect.* 8. *nu.* 60. Ratio est: quia non licet cooperari alterius peccato, vel ad id præbere occasionem sine gravi causa: bene verò licitum est per actionem de se indifferentem, vel omnino bonam (utì est petitio vel administratio Sacramentorum) occasionem præbere alterius peccato. Hinc DD. communissimè fatentur, ob magnum commodum vel utilitatem licitè ab usurario peti mutuum, tametsi prævideatur non daturus sine usura; item licitè puellam ornari honestè, etsi prævideat, alium oculis captum iri, & lapsurum &c. Et ratio à priori est: quia jus meum, seu facultas agendi, non debet impediri per nequitiam alterius; secus enim non liceret mihi rem meam a fure repetere, casu quo prævidérem, eum graviter offensum iri, aut blasphematurum &c. quod certò falsum est: ergo ob gravem causam licitè petitur Sacramentum à Ministro indigno, nec petens censeri debet cooperari peccato alterius, sed potiùs illud permittere.

Dices. Non licet mihi petere medicinam à Medico, quem scio, me sanaturum

rum incantationibus magicis seu superstitiosis, licèt mediis naturalibus meo mederi posset morbo: ergo nec licitum est petere Sacramentum à Sacerdote ceu Medico spirituali, si absque peccato non sit administraturus.

64 R. 1. cum Ledesma, Sanchez. *de Matr. l. 7. d. 95. nu.* 12. Lessio *l. 2. de just. c.* 44. *dubit. 6. n.* 46. negando antecedens: quia mea petitio non videtur causa moralis illius veneficii, quod per accidens, & præter meam intentionem contingit; quandoquidem hujus permittendi habeam rationabilem causam. R. 2. Trans. ant. neg. conf. Non enim ideò prohibitum est à tali Medico petere ut me sanet, quia scio eum peccaturum (ipsius enim peccatum ob gravem causam recuperandæ sanitatis non teneor impedire) sed idcircò, quia jure naturali & divino est prohibitum, habere quamcunque communicationem, aut commercium cum Dæmone, ceu jurato Divinitatis hoste: qui autem admittit talem medicinam, quam scit ex sua natura nullam habere vim, sed solùm ex assistentia Dæmonis, censetur habere commercium implicitum cum Dæmone; non item, qui à Sacerdote malo petit Sacramentum.

Quæres quintò, sitnè aliquando licitum petere vel recipere Sacramenta à Ministro excommunicato?

65 R. 1. Ob justam causam necessitatis vel utilitatis licet recipere, immò & petere Sacramenta ab excommunicato tolerato. Ita *omnes*. Ratio est: quia post constitutionem Concilii Constant. *Ad evitanda scandala &c.* Excommunicatus toleratus etiam in divinis non est magis vitandus, quàm alii peccatores: ergo ab excommunicato tolerato licet postulare Sacramentum ob causam justam, æquè ac ab alio Ministro indigno.

66 R. secundò. Ab excommunicato, vel quocunque alio Ministro non tolerato non licet recipere, multò minus petere Sacramenta; attamen in mortis articulo etiam ab his peti potest Baptismus & Pœnitentia, & verosimiliter Eucharistia, atque extrema Unctio. Ita DD. satis *communiter* Bosco *sect. 8. n.* 79. & Herincx cit. *n.* 109. Ratio est: quia Ecclesia severissimè prohibet fidelibus communicationem, præsertim in Divinis, cum excommunicatis non toleratis seu vitandis. Nihilominus cùm sit benigna Mater, nolens aliquem defectu Sacramentorum perire, permittit fidelibus in mortis articulo constitutis, ut Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ etiam à tali Ministro valeant recipere, prout clarè colligitur ex constitutione Tridentina *sess. 14. de pœnit. cap.* 7. ubi sine exceptione dicitur, *in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis & censuris posse absolvere.*

67 Dixi etiam: *& verosimiliter Eucharistia atque extrema Unctio*; quia valdè probabile est ex multorum sententia, extremam Unctionem posse suscipi à Ministro non tolerato, casu quo non possent infirmo conferri alia Sacramenta, puta pœnitentiæ &c. tunc enim posset esse extrema hujus Sacramenti necessitas, ut per hoc conferatur gratia prima per accidens. Idem ob eandem rationem verosimiliter asseritur de Viatico, in defectu aliorum Sacramentorum.

Dices. Quinam ergo sunt Ministri tolerati, & quinam non?

68 R. Cum P. Herinx *cit. disp. 3. n.* 108. & La Croix *l. 6. p. 1. n.* 210. Illi dicuntur non tolerati, qui sunt nominatim excommunicati & publicè denuntiati: item notorius percussor Clerici, id est, talis, cujus delictum nulla tergiversatione celari potest: deinde publicè in perpetuum degradati, nominatim suspensi, & publicè irregulares per sententiam. Reliqui omnes censentur tolerati. Vid. Suarez *de censuris. disp. 9. sect.* 2.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de Subjecto Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titius extremè decumbens, à suo D. Parocho admonitus, ut reciperet consueta Ecclesiæ Sacramenta, Eucharistiam lubens quidem sumpsit, extremam verò Unctionem recusavit dicens: veneror hoc Sa-

cramentum, sed quia est Sacramentum periculosè decumbentium, & apud me nullum est periculum, hinc nolo illud suscipere. Quid enim homines cogitarent? nunquid stultum me proclamarent? Idipsum bis, tervè admonitus semper respondit (nimirum vis morbi rationis usum perturbaverat, ut periculum non agnosceret.) At verò, ubi D. Parochus animadvertit, Titium jamjam cum morte luctari, cœpit sacro oleo eundem delibare; qui dum ad narium inunctionem oleum sensit, oculisque apertis cerneret, quid circa se ageretur, capitis agitatione (nam voce non ampliùs potuit) displicentiam & dissensum in extremam Unctionem ostendit. Quæritur jam, an D. Parochus bene fecerit, & validè inunxerit reliquos sensus?

69 R. D. Parochus laudabiliter & validè egit. Laudabiliter quidem, quia quod boni erat Pastoris præstitit, dum oviculam periclitantem sacro Viatico, & extrema Unctione, meliori quo poterat modo, munivit contra lupum infernalem. Validè etiam, quia in Titio consensus non defuit; quòd ex eo suaderi facilè potest. Enim verò non contempsit Sacramentum, nec absolutè respuit, quin potiùs voluntatem illud suscipiendi satis ostendit per hoc, quòd dixerit, se illud venerari, & Eucharistiam statim sumpserit, proindeque Christiano more voluerit mori: nec dubitandum, quin, si periculum mortis agnovisset, extremam Unctionem æquè ac Eucharistiam postulasset: atqui juxta præscriptum Ritualis Rom. suprà *n.* 58. allegati, Sacramentum extremæ Unctionis est præbendum etiam illis, *qui veròsimiliter postulassent:* ergo minimè est dubitandum, quin Titius noster habuerit intentionem saltem implicitam & habitualem; & per voluntatem generalem *Christianè moriendi* correxerit errorem particularem, vel potiùs voluntatem contrariam ex errore provenientem. Vide Gobat. *tr.* 1. *n.* 248.

Dices. Sed unde colligendum, quòd per voluntatem generalem *Christianè moriendi* correxerit hanc voluntatem: *nolo suscipere extremam Unctionem, quia non sum periculosè infirmus?*

70 R. Id colligi debet ex comparatione animi. Nam si suscipiens Sacramentum (idem dic de Ministrante) habet duas intentiones contrarias, quarum una ex errore provenit, uti sunt istæ: *volo Christianè mori, ideòque consueta Ecclesiæ Sacramenta recipere*; & *nolo recipere extremam Unctionem, quia non sum periculosè infirmus*, tunc est attendendum, qualiter suscipiens sit animo comparatus, seu etiam, quamnam ex istis duabus intentionibus deponeret, si agnosceret veritatem; & illa erit inefficax: atqui moraliter certum est, quòd, si Titius noster veritatem agnovisset (se scilicet periculosè decumbere) hanc secundam intentionem deposuisset, & extremam Unctionem postulasset: ergo &c. Vid. de hoc Babenstuber *tr.* 8. *p.* 1. *disp.* 2. *n.* 21.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius non rarò sumpsit sacram Synaxin multis peccatis venialibus inquinatus. Quin etiam nuper sibi conscius peccati morealis, contraxit matrimonium, accessitque ad mensam Domini cum sola contritione. Et licèt copia Confessarii, Parochi scilicet proprii, non defuisset, neglexit tamen confiteri; tum quia apud hunc noluit se diffamare; tum etiam quia erga illum nullam habuit confidentiam. Quæritur jam, an, vel quomodo peccaverit?

71 R. 1. Non peccavit ex eo, quòd peccatis venialibus inquinatus sumpserit sacram Synaxin; quia peccatum veniale non obstat effectui primario hujus Sacramenti, scilicet gratiæ, nec impedit simpliciter nutritionem spiritualem animæ, quin potiùs ordinatur quodammodo etiam ad delenda venialia commissa, ut notat Mastr. 4. *disp.* 3. *nu.* 404. Si tamen actu inter communicandum peccasset venialiter, ut puta cum vana gloria, voluntariis distractionibus &c. accedendo, probabiliùs commisisset novum peccatum veniale contra virtutem Religionis; quemadmodum contra hanc virtutem peccat, qui cum voluntariis distractionibus orat. Et certè hoc Venerabile Sacramentum suapte natura sanctè & reverenter suscipi postulat; cui tamen reverentiæ oppo-

ponitur peccatum veniale in actuali sumptione commissum.

72 R. 2. Sempronius in statu disgratiæ accedendo ad mensam Domini, commisit deplex sacrilegium; quandoquidem indignè susceperit duo Sacramenta, scilicet Matrimonii, & Eucharistiæ. Etenim secundùm dicta *nu.* 49. Communioni necessariò est præmittenda Confessio, ubi suppetit copia Confessarii: atqui Titio hæc non defuit: ergo. Neque excusandus est ex eo, quòd erga suum D. Parochum non habuerit confidentiam, & noluerit se diffamare apud illum; si enim talis infamia excusaret, nullus teneretur peccatum diffamatorium aperire Confessario, cui notus esset. Secus dicendum foret, si ex revelatione sui peccati rationabiliter potuisset timere grave malum corporis aut animæ sibi imminens, ut puta injustam persecutionem, officii sui, vel sustentationis privationem, aut sigilli fractionem &c. quæ tamen, utì rarissimè contingunt; ita minimè præsumi possunt vel debent de prudenti & discreto Confessario quocunque.

Dices. Sempronius accessit contritus ad mensam Domini: ergo fuit satis dispositus; contritio enim perfecta habet vim justificandi.

73 R. Negando suppositum, quòd in tali casu potuerit habere contritionem perfectam: si enim scivit, S. Communioni necessariò esse præmittendam, confessionem, dum suppetit copia Confessarii, & tamen communicavit non confessus, hoc ipso voluit peccare mortaliter: atqui voluntas peccandi mortaliter stare nequit in eo, qui est verè contritus: ergo. Esto etiam contritio perfecta hominem justificet, atque adeò jure naturæ sufficeret: ex jure tamen non solùm Ecclesiastico, sed etiam præcepto divino (ut fert communior sententia) est insufficiens, & debet præmitti Sacramentalis Confessio peccatorum mortalium; quia talis peccator *non tantùm debet reconciliari Deo, sed Ecclesiæ ad hoc, quòd dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis*, ait Scotus 4. *distin.* 9. *quæstion. un.* §. *de tertio dico*. Vide etiam Reinffestuel. *tr.* 14. *dist.* 2. *num.* 39.

CASUS TERTIUS.

Caja moraliter certò scit, illum Confessarium, à quo hactenus consueverat recipere Sacramenta, esse indignum, seu in malo statu; tum quia actu fovet occasionem peccandi proximam; tum etiam quia ipsamet Caja eidem nuper aliquoties fecerat potestatem sui corporis: hinc dubitat, an non teneatur alium Confessarium accedere, an verò liceat sibi confiteri suo Ordinario; quod quidem libentiùs faceret, partim ne se vel complicem teneretur apud alium diffamare, partim etiam, quia novit, Confessarium illum ordinarium ægrè ferre, immò aliquoties sibi jam exprobrasse, & interdixisse, ne alteri confiteretur. Quid judicii? vel quid consilii?

74 R. 1. Probabiliter licitum est Cajæ in tali casu confiteri suo Confessario ordinario; tum quia Confessio facta apud Confessarium criminis complicem, per se loquendo est valida; quandoquidem nulla lege prohibeatur, aut irritetur, modò supponatur pœnitens verè dispositus, prout Herincx noster *de Sacr. Pœnit. disp.* 5. *nu.* 67. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1204. Gobat, & alii plures docent. Tum etiam quia secundùm dicta *nu.* 63. ex gravi causa licitè petitur Sacramentum à Ministro indigno, qui illud dignè posset ministrare, etsi prævideatur non facturus: atqui Caja videtur habere gravem causam, scilicet ne se, vel complicem cogatur diffamare: ergo. Adde, minùs requiri ad licitè petendum Sacramentum à Ministro indigno, parato tamen ad illicitè ministrandum, quàm ab alio non parato: atqui Confessarius ordinarius Cajæ est paratus; quia supponitur ægrè ferre, si alium accedat, immò id exprobrasse, & interdixisse: ergo Cajæ videtur licitum tali confiteri, modò sit aliàs ritè disposita.

75 R. Tamen secundò. Videtur longè probabilius, quòd Caja in hoc casu teneatur accedere alium Confessarium. Ratio est: quia illicitè Sacramentum petitur à Ministro indigno etsi parato, quando absque notabili incommodo potest recipi ab alio Ministro bono: atqui Caja hoc potuit: ergo &c. Neque satis videtur

excusata propter infamiam; tum quia juxta opinionem Dianæ, Navarri, & quorundam aliorum, poterit peccatum, quod sine infamia complicis explicare nequit, differre in aliam confessionem, faciendam apud illum, qui complicem non novit; tum quia certum, aut certo probabilius habetur ab omnibus nec infamiam propriam, nec infamiam complicis præcisè apud Confessarium incurrendam, quempiam eximere ab onere, vel etiam integritate Confessionis; siquidem Deus confessionem præceperit, non obstante confusione illa, quæ naturaliter & intrinsecè consequitur manifestationem peccati apud Confessarium. Et certè pœnitens majus habet jus ad conservandam propriam famam, quàm complicis: ergo si infamia propria non excuset ab onere, vel etiam integritate Confessionis, minùs excusabit periculum infamandi complicem apud Confessarium præcisè, prout bene arguunt Herincx *cit. disp.* 3. *nu.* 59. & Babenstuber. *tr.* 8. *p.* 6. *d.* 5. *ar.* 2. *nu.* 46. Accedit insuper, hujusmodi Confessionem, Confessario, complici faciendam, non vacare periculo, præsertim in nostro casu; vel quia Complex facilè dabit novum consensum in delectationem, ex peccato præterito captatam; vel quia non satis bene consulet saluti pœnitentis, inculcando obligationem vitandi occasionem, aut præscribendo remedia ad hujus evitationem necessaria, prout bene notarunt S. Thomas, Pontius, Verjuys & alii apud La Croix *l. cit.* qua ratione (teste La Croix cit.) in Diœcesi Leodiensi, Mediolanensi, & Coloniensi, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ est prohibitum, ne Confessarius (extra casum extremæ necessitatis) excipiat Confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit. Atque hinc consulendum omnimodis, & Cajæ inculcandum censeo, ut non complici, sed alteri confiteatur.

Dices. Si Caja confiteatur suo complici, licèt indigno, magnum sentiet commodum; quia declinabit utriusque infamiam: ergo &c.

76 R. Atqui si confiteatur alteri, sentiet majus commodum animæ; tum quia alter meliùs consulet; tum etiam quia peccatum Ministri impediet. Cùm igitur commodum, seu etiam bonum animæ sit præferendum bono famæ; hinc obliganda, aut certè, quo meliori modo fieri potest, persuadenda est, ut alium accedat.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

77 Colliges ex dictis primò, à Ministro malo (saltem ubi non suppetit bonus) licitè peti & recipi Sacramentum in sequentibus casibus. 1. Si alioquin aliquis esset moriturus sine baptismo, vel absolutione. 2. Vel si aliàs sentiret periculum succumbendi tentationi. 3. Si urgeat præceptum annuæ Confessionis aut Communionis. 4. Item si occurrant indulgentiæ, consuetudo laudabilis non diutiùs differendi, pius affectus erga S. Synaxin &c. Videatur Herincx *de Sacram. in com. disp.* 3. *num.* 101.

78 Collig. secundò, illicitè peti ac recipi Sacramenta à Ministro malo, præsertim excommunicato non tolerato, si adsit alius Sacerdos bonus & toleratus, qui possit & velit administrare. Ratio patet ex dictis; tum quia in tali casu sine causa proximo præbetur occasio peccandi, & spiritualis ruinæ; tum etiam, quia Ecclesia solùm indulget fidelibus communicationem cum excommunicato non tolerato propter necessitatem, & ne fideles defectu Sacramentorum subeant periculum animarum: at, si alius sit Sacerdos bonus, volens, & potens administrare Sacramentum, nulla est necessitas, aut periculum: ergo &c.

79 Excipiunt tamen multi Doctores casum, quo moribundus ex rationabili causa nullam haberet confidentiam ad Sacerdotem bonum & toleratum; tum quia Concilium Trid. indistinctè ait, *in articulo mortis nullam esse reservationem*, item, *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes posse absolvere*; tum etiam quia in hoc casu non videtur cessare periculum sacrilegæ Confessionis, atque æternæ damnationis; ideoque Ecclesia, ceu pia Mater præsumitur condescendere ac permittere, ut mori-

ribundus valeat confiteri excommunicato non tolerato. Ita tenet Barbosa, Tannerus, Tambur. *de Sacram. l. 5. c. 12. §. 1.* Herincx, Sporer, *Theol. Sacr. part. 3. nu. 725.*

80 Collig. tandem tertiò, nunquam esse licitum, postulare Sacramentum ab eo, qui illud licitè non potest ministrare, v. g. ob censuram Ecclesiasticam, vel aliam prohibitionem particularem. Ratio est: quia talis postulatio esset provocatio & cooperatio ad illicitam administrationem, ideoque ad peccandum. Boscο *cit. disp. 1. sect. 8. numer. 95.* Herincx ubi suprà *nu. 99.*

CONFERENTIA

QUARTA.

De Baptismi natura, ejusdemque institutione, & materia.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Sacramentum Baptismi?*
2 *Quo tempore à Christo institutum?*
3 *Baptismus, habens rationem Sacramenti, est unicus, scilicet fluminis; ultra hunc tamen assignantur duo alii.*
4 *Quid sit Baptismus Flaminis?*
5 *Et quid Baptismus sanguinis?*
6 *Ad verum Martyrium requiruntur sex conditiones, & quæ?*
7 *Materia remota Baptismi fluminis est aqua elementaris: proxima verò est ablutio corporis.*
8 *Recensetur Materia certò valida & sufficiens.*
9 *Item materia certò invalida;*
10 *Et materia dubia pro Baptismo fluminis.*
11 *Proponitur Casus I. de infante, qui delatus ad Ecclesiam, cœpit agonizare, & refertur responsio inepta cujusdam.*
12 *Quid in tali Casu agendum, resolvitur.*
13 *Non licuisset infantem certò submergendum projicere in flumen aut puteum, animo baptizandi.*
14 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*
15 *Resolvitur Casus II. de Parocho, qui tempore hyemali consueverat baptizare in aqua calida, & semel baptizavit infantem cujusdam Nobilis in aqua valdè modica.*
16 *Quantum aquæ sit affundendum in Baptismo?*
17 *In Casu necessitatis potest adhiberi modicum aquæ.*
18 *Resolvitur Casus III. de quadam Puerpera, quæ proprium infantem baptizaverat in pede protenso;*
19 *Quo non obstante potuit ab alia muliere rebaptizari sub conditione: posteà verò natus à D. Parocho debuit hoc modo rebaptizari.*
20 *Qui relictâ aqua naturali utitur alia, peccat graviter.*
21 *Deficiente tamen aqua elementari, usurpanda est materia probabilis, vel dubia.*
22 *Subinde est baptizandus infans, quamvis nondum sit egressus claustra ventris.*
23 *Ad valorem baptismi necessum est, ut aqua immediatè tangat infantem; & in qua parte?*
24 *Perinde tamen est quoad valorem, sive fiat per immersionem, sive per infusionem, aut aspersionem: & quid in praxi circa hoc observandum?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Materia Baptismi.

QUæres primò, quid sit Baptismus, & quo tempore institutus?

1 Ad primum. Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis, simul ab eodem abluente cum intentione debita prolatis. Ita Doctor subtilis. *4. d. 3. q. 1.* Hæc descriptio satis

tis exactè naturam hujus Sacramenti exprimit. Si tamen nimis longa tibi videatur, dic breviùs ex Catechismo Rom. §. *quod ad rel. de Baptis.* Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.

2 R. Ad secundum. Circa tempus, quò Baptismus fuit institutus, diffident DD. Thomistæ communiter asserunt cum Angelico, Christum instituisse Baptismum tunc, quando in Jordane fuit baptizatus à Joanne. E contra Scotistæ cum D. Bonaventura 4. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *fin.* & Scot. *eadem. d. q.* 4. §. *ista quæstio.* tenent, non esse assignabile certum tempus institutionis, quamvis certum videatur, quòd à Christo fuerit institutus ante passionem, pauló post quàm ipse à Joanne fuit baptizatus. Rationem inde colligunt: quia Discipuli Christi jam ante mortem Christi leguntur *Joan.* 3. baptizasse, utique Baptismate sui Magistri. Tum etiam, quia Christus in ultima Cœna Apostolis contulit Sacramentum Ordinis, & Eucharistiæ: ergo probabiliùs jam priùs erant baptizati; cùm Baptismus sit janua ad reliqua Sacramenta, ut dicitur *c. veniens. de Presbyt. non baptizato*. Vide, si placet, Bosco. *p.* 1. *disp.* 2. *sect.* 1. *à n.* 6.

Quæres secundò Quotuplex sit Baptismus?

3 R. Baptismus à Christo institutus, habens annexam rationem Sacramenti, est unicus. Ita *omnes*. Ratio desumitur ex illo *Ephes.* 4. *unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Verumtamen præter hunc Baptismum solent adhuc recenseri duo alii. Hinc ad quæstionem illam generaliter intellectam, *quotuplex sit Baptismus?* communiter etiam à Catechizantibus respondetur: Baptismus est triplex, videlicet fluminis (de quo hactenus) flaminis, & sanguinis. Hi duo tamen solùm per quandam analogiam appellantur baptismi, quatenus supplent vices veri baptismi, faciuntque, ut is, qui baptismum fluminis suscipere nequit, à peccatis abluatur per cordis contritionem, aut sanguinis pro Deo effusionem. Unde

Quæres tertiò. Quid sit Baptismus flaminis?

4 R. Est desiderium seu votum, suscipiendi in re Sacramentum; idque vel formale, quo quis expresse cupit & desiderat baptizari; vel virtuale, quale censetur habere is, qui invincibiliter ignorans necessitatem Baptismi, elicit actum supernaturalem amoris Dei super omnia, vel contritionis perfectæ; quia talis censetur velle adimplere omnia præcepta, ideoque & præceptum de suscipiendo baptismate. Quòd autem præfati actus habeant vim justificandi, communissimè tradunt DD. ut videri potest apud Mastr. 4. *disp.* 2. *n.* 170. Laym. Gobat. Clericatum. *de Baptis. decis.* 26.

Quæres quartò. Quid sit Baptismus Sanguinis, & quænam ad hunc conditiones requirantur?

5 R. Ad primum. Baptismus sanguinis est Martyrium propter DEUM perpessum. Quòd enim huic competat privilegium, & vis conferendi gratiam ex opere operato, docet cum communissima Catholicorum D. Bonavent. 4. *d.* 4. *p.* 2. *ar.* 1. *q.* 2. & Scotus *ead. d.* 4 *q.* 6. Confirmatque praxis Ecclesiæ honorantis SS. Martyres. Hinc Cyprianus *in exhortat. ad Martyr.* ait: *Martyrium est baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, quod nos de Mundo recedentes, statim Deo copulat.*

6 R. Ad secundum. Ad verum Martyrium requiruntur sequentes sex conditiones. 1. Ut Martyr habeat veram fidem; quia sine fide impossibile est placere Deo. 2. Ut velit mori pro vera fide aut virtute aliqua: perinde enim est, an quis suo sanguine defendat, quæ sunt credenda, vel quæ ex præcepto divino sunt operanda. 3. Ut mors inferatur à Tyranno vel alio Persecutore; quia nulli licet se ipsum interficere. 4. Ut Martyr volens acceptet & subeat Martyrium, nec recalcitret; secus enim non occumberet ut verus Martyr, sed ut miles victus in bello. 5. Ut sit constans in tormentis usque in finem, juxta illud *Apocal.* 4. *esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. 6. Tandem præcipuè necessum est, ut Martyr non sit obnoxius culpæ mortali, aut certè, si se reum agnoscat, confiteatur priùs, vel si id fieri nequeat, eliciat actum amoris Dei super omnia, aut contritionis. Censent tamen Suarez. Gobat. *tr.* 2. *n.* 617. Mastr. Hetincx, Cardinalis de Lauræa aliique plures apud Clericat. *l. c. n.* 13. etiam attritionem sufficere

cere cum martyrio ad obtinendam justificationis gratiam; quia, ut jam diximus, martyrio competit vis conferendi gratiam, non minùs quàm Baptismo: sicut ergo ad hunc sufficit attritio, ita & ad illud. Quin immò, in casu, quo Martyr vel immemor suorum peccatorum, vel memor quidem, ob vim tamen tormentorum non posset concipere dolorem & detestationem, probabile existimat Scot. 4. *d.* 14. *q.* 1. §. *Ex his, ad solut.* aliique multi, sufficere cum martyrio solam voluntatem moriendi pro Christo; tum quia talis voluntas & sufferentia martyrii est actus charitatis valdè heroicus; tum etiam, quia nullus excluditur à Regno Cælorum, qui facit, quantum est simpliciter necessarium, & sibi possibile; tum denique, quia Ecclesia jam per sexdecim sæcula veneratur indifferenter SS. Martyres pro fide interfectos, & tamen vix dubitandum videtur, quin inter tot myriades nonnulli decesserint cum sola attritione, vel etiam cum sola hac voluntate pro Christo, vel virtutis defensione moriendi: ergo hoc sufficit.

Quæres quintò. Quænam sit materia Baptismi?

7 R. Materia remota est aqua naturalis, proxima verò est ablutio corporis in aqua. Ita *unanimis Catholicorum*. Utraque pars constat, tum ex praxi Ecclesiæ; tum etiam ex perpetua traditione. Ratio à priori alia assignari nequit, quàm voluntas divina, nobis utique satis intimata per Scripturam *Joann.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* item *Act.* 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Nec non per Concilia, præsertim Trid. *sess.* 7 *Can.* 2. ubi habetur: *si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi &c. anathema sit.* Et sapienter omnino disposuit Sapientia, ut pro hoc Sacramento, utpote maximè necessario, adhiberetur aqua naturalis; quippe quæ passim obvia, & obtentu facillima, nunquam, aut certè admodum raró deficeret, simulque internam illam animæ ablutionem à peccatorum sordibus aptè significaret. Vid. Castrop. *tr.* 19. *disp. un. punct.* 3.

Quæres sextò. Quænam sit materia certò valida, quænam invalida, & quænam dubia vel probabilis?

8 R. 1. Materia certò valida, & apta ad baptizandum, est 1. aqua naturalis seu elementaris, tam frigida, quàm calida, sive sit fluminis, sive putei, maris, fontis, paludis. Item 2. aqua pluvialis, vel resoluta ex nive, aut glacie vel grandine. Item. 3. aqua transfusa per venas metallicas, acetosas, salsas. 4. Aqua cadens ex parietibus, lapidibus desudantibus, aut arborum foliis. 5. Denique aqua mixta cum modico vino, aut alio liquore, vel in qua sunt leviter decoctæ carnes vel pisces, ita, ut liquor plus habeat de natura aquæ, quàm de substantia corporum lixatorum in ea. Ratio horum est: quia omnia mox recensita sunt substantialiter aqua: ergo sufficiunt pro valore baptismi, quamvis ita alterata usurpari non debeant extra casum necessitatis.

9 R. 2. Materia certò invalida & inepta ad Baptismum censetur 1. sanguis, lac, lacrymæ, saliva, urina, pituita. Item 2. aqua supernatans cruori, seu sanguini extracto, sicut & illa, quæ fluit ex corpore hydropici. 3. Succus pomorum, pyrorum, cerasum. 4. Item à potissimis DD. materia certò inepta censetur, atramentum, cerevisia valdè decocta, sicut & lixivium valdè decoctum. Ratio desumitur à contrario, quia omnia & singula mox enumerata, nomine, usu, & re differunt ab aqua elementari: ergo sunt substantialiter diversa, ac per consequens inepta ad baptizandum.

10 R. 3. Materia dubia baptismi habentur 1. aqua rosacea, aliique consimiles liquores, per alchimiam educti ex floribus seu plantis; quia aliqui probabile censent, vi caloris aquam naturalem separari, & extrahi posse ex mixtis, seu plantis. 2. Aqua turbida, expressa ex luto. 3. Cerevisia tenuis, & lixivium mediocriter decoctum seu bullitum. 4. Attramentum Gobat existimat, esse materiam validam; sed Illsung & Babenstuber meliùs videntur dicere, esse materiam dubiam; quia, ut benè docet Herincx noster *disp.* 5. *num.* 16. ad materiam dubiam illa meritò revocatur, de cujus valore sunt dissentientes Doctorum opiniones: atqui de atramento dissentiunt, sicut etiam de succo seu humore, tempore vernali stillante ex vitibus, & aliis

aliis arboribus, itemque de aqua resoluta ex sale: ergo. De his videri possunt Bonacin. *tom.* 1. *de Sacram. bapt. q.* 2. *punct.* 3. *n.* 2. Gobat. Theol. exper. *tr.* 2. *Sect.* 1. *per totam.* Cleric. *de Sacram. in Gen. decis.* 6. Kazenberger *in supplem. Theol. Sacr. P. Sporer c.* 1. *à n.* 8.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Materia Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titio Parocho oblatus fuit infans baptizandus; qui, ut suo satisfaceret muneri, recta gradiebatur cum mulieribus ad Ecclesiam, mediæ circiter horæ spatio distantem à domo parochiali. Sed ecce! dimidio itineris nondum emenso, subitò contra omnium exspectationem advertunt, infantem jamjam agonizare; hinc mulieres in lamenta, ploratum, & ululatum prorumpunt, petuntque, ut D. Parochus (qui recitandis intenderat horis canonicis) succurrat trepidantibus in tanto periculo. Quid consilii?

11 Casus hic non fictus, sed factus est haud procul Passavio; & quoniam non procul ab itinerantibus rivulus quidam dilabebatur, hinc bonus ille Pastor properavit ad illum, indeque vola manuum suarum hausit aquam, infantem baptizavit, baptizatumque astris Cælitum transmisit, utique sapienter & laudabilissimè.

At quid, si itinerantes (prout de facili contingere posset) aqua omnino fuissent destituti, quid, inquam, in tali rerum articulo agendum, vel quid medii capessendum?

Mihi olim studiosus quidam Moralium hac super re interrogatus respondit, mulieri præcipiendum fuisse, ut lacrymaretur super caput infantis, simulque à D. Parocho fuisse proferendam formulam Baptismi; Cui ego: sed quid, si mulier, utpote valdè duræ cervicis & cordis nequeat lacrymari? Respondit ille: percutienda erit, quousque fuderit lacrymas; oportet enim, ut pro salute animulæ innocentis hanc sustineat corporis afflictionem. Ratio hæc haud fuisset spernenda, si lacrymæ non essent materia certò inepta, nec forma necessariò proferenda ab eo, qui adhibet materiam. Sed instabam ulteriùs. Nunquid meliùs faceret D. Parochus exspuendo in faciem infantis, & mox formam proferendo?

Respondit ille: optimum consilium, & omnimodis amplectendum. Verùm ex dictis hactenus facilè quisque concludet, ridendum potiùs esse hoc consilium, quàm amplectendum; quandoquidem saliva, ceu materia prorsus inepta, nihil omnino ad valorem Sacramenti, ac per consequens nec ad salutem infantis conducat. Hinc

12 R. Nec in saliva, neque in lacrymis fuit baptizandum, ne quidem sub conditione. Ratio est: quia formula Sacramenti nec conditionatè est proferenda, ubi deficit materia, nec apparet probabilis spes valoris vel fructus inde percipiendi, prout cum communi DD. tenet La Croix *l.* 6. *p.* 1. *n.* 266. quem enim in finem id fieret? atqui nec lacrymæ, nec saliva sunt aqua naturalis, prout fatentur omnes, & habetur *c. penult. de Baptis.* item *c. in quadam. de celebrat. Missarum.* ergo quemadmodum ne quidem sub conditione absolvendus est is, de quo constat, quòd non doleat, quacunque demum de causa id contingat; ita nec baptizandus est infans in saliva vel lacrymis. Quærenda tamen fuit aqua elementaris ex quacunque demum palude; vel si pluviæ cecidissent, nonnullæ saltem guttulæ fuissent à Ministro ducendæ super caput infantis cum debita prolatione formæ; quia hoc probabiliter sufficit ad valorem Baptismi. Monet etiam sapienter Gobat. *cit. n.* 264 ut, si Parochus advertat, mortem imminere infanti, si deferretur ad templum, non autem sic imminere, si non efferatur domo, curet illum non deferri ad Ecclesiam, sed domi baptizando referat illum ad beatissimam classem Christi fidelium.

Dices. Quid si autem properantes ad Ecclesiam transiissent puteum aut fluvium, nec potuissent inde haurire aquam, licuissetne infantem certò submergendum projicere in puteum cum prolatione formæ, & hoc modo baptizare?

13 R. Non licuisset. Quamvis enim Tho-

Thomistæ & Recentiores plurimi existiment (contra Scotum & communiorem SS.) talem baptismum valere; communissimè tamen fatentur (prout videre licet apud Babenstuber *tr.* 8. *p.* 2. *d.* 1. *a.* 2. *n.* 20.) hujusmodi projectionem infantis esse mortaliter illicitam in omni casu; cùm videatur directa occisio innocentis, ideoque intrinsecè mala: atqui non sunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona, & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in se ipso, quàm quærere salutem proximi, ait rectè Doctor subtilis 4. *d.* 5. *q.* 3. ergo non licuit. Si tamen strophiolo, vel alio quocunque instrumento, v. g. arundine, vel pertica &c. aliquot saltem guttulas inde haurire potuissent, iis mediantibus attentandus fuisset Baptismus.

Dices. Multi DD. quos refert La Croix *cit. n.* 264. tenent: talem projectionem esse probabiliter licitam; quibuscum etiam sentit Bosco *p.* 1. *disp.* 2. *sect.* 1. *concl.* 7. ergo Parochus in tali casu tenetur projicere puerum; quippe cui in tanto animæ periculo obligatur succurrere omni medio licito.

14 R. Doctores illos, quos refert La Croix cit. non loqui de submersione per se occisiva, sed solùm asserunt, infantem esse baptizandum (per actionem utique de se licitam) tametsi mors aliquo modo acceleraretur. Bosco quidem existimat, ex ratione difficulter probari posse, hujusmodi projectionem esse illicitam, fatetur tamen ipsesmet *n.* 93. hoc à Theologis communiter negari. Quapropter & ego cum P. Gobat. *tr.* 2. *n.* 262. & aliis, huic non subscribo, utpote gnarus, esse valdè periculosum, in re tanti momenti recedere à communi. Hinc constanter nego, hoc medium esse licitum in ullo casu.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius tempore hyemali consuevit baptizare infantes aqua nonnihil calefacta, seu tepida. Quin etiam nuper, cùm eidem oblatus fuit baptizandus infans cujusdam magni Domini, sacro fonti commiscuit aquam rosaceam, & ne tenellum quoquo modo affligeret, modicissimam aquam affudit super caput illius. An peccati condemnandus est Sempronius.

15 R. Sempronius non peccavit ex eo, quòd hyemali tempore baptizaverit in aqua nonnihil calefacta. Ita Illsung *tr.* 6. *d.* 2. *a.* 3. *n.* 13. Babenst. *ubi suprà a.* 2. *n.* 5. aliique plures. Ratio est: quia Sacramentum non debet obesse vitæ hominis, quod ad vitæ, peccato Adami amissæ, restaurationem institutum fuit. Immò, teste Illsung *l. c.* quædam Ritualia expressè monent, expedire, dum frigus est acrius, ut Minister aquæ baptismali aliam calidam in pelvi misceat, atque inde infantes baptizet. Minùs est excusandus Sempronius, quòd S. fonti miscuerit aquam rosaceam, utpote nullatenus necessariam. Nihilominus hæc contra communem Ecclesiæ morem deordinatio politica non apparet adeò gravis; hinc non videtur culpam venialem excedere. Certò autem peccati mortalis condemnandus foret, si (quod tamen vix credendum) aquam tam modicam affudisset, ut verè non fluxisset super caput infantis, vel etiam sola aqua rosacea illud humectasset; quia hoc modo absque sufficienti causa Baptismum reddidisset dubium, ideoque & Sacramentum periculo irreverentiæ sacrilegæ, & prolem periculo æternæ damnationis exposuisset, magis sollicitus pro vita corporis, quàm animæ; quod non decet Pastorem animarum.

Dices. Quantum igitur aquæ affundendum est, ut valeat Baptismus?

16 R. Tantum est affundendum, ut successivè fluat super infantem, & is in morali hominum æstimatione censeatur verè ablutus; hoc etenim vult & significat verbum *baptizo*. Quare sententiam Vasquez, Dianæ & quorundam aliorum, asserentium, valere baptismum collatum in una solùm vel altera guttula (esto speculativè probabilis videatur) extra casum necessitatis neutiquam practicare licet, utpote non verè tutam; nam moraliter loquendo non dicimus verè ablutum, qui unica tantùm, vel altera guttula est aspersus, prout observant Valentia, Mezger, Bonacin. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Kazenberger ubi suprà *c.* 1. *n.* 17.

17 Dixi tamen: *extra casum necessitatis &c.* Enimverò, si infans esset tam debilis, ut absque periculo mortis ablui non posset, oporteret saltem nonnullis guttulis è manu

aut

aut digito fluentibus delinire caput, aut scapulas infantis; quia in hoc nullum apparet periculum. Immò si quod minimum interveniret, utique postponendum foret periculo æternæ damnationis, quam certò incurret non baptizatus. Vid. Gobat. *n.*255. & 263. Herincx. *disp.* 5. *n.*22.

CASUS TERTIUS.

Caja ex illicito, immò damnato coitu prægnans (conceperat enim à Consanguineo in primo gradu) intempesta nocte obruebatur doloribus partus, & quia adverterat, infantem jamjam protendere aliquod membrum, licèt ignara quodnam esset, apprehensa in tenebris aqua lustrali, conabatur illud abluere cum prolatione formæ baptismalis, ne delictum hactenus incognitum, teneretur aliis manifestare. Tandem verò lamentis & suspiriis Cajæ excitata quædam alia mulier, accurrit, & re comperta affudit rursus aquam supra eundem pedem infantis, simulque protulit formam baptismi. Quæritur jam 1. *an Caja potuerit licitè hoc modo baptizare, an verò fuerit obligata implorare aliarum mulierum opem?* 2. *Utrùm altera mulier superveniens benè baptizarit infantem nondum natum, in eodem membro seu pede?* 3. *Utrùm D. Parochus infantem illum posteà natum debuerit rebaptizare?*

18 R. Ad primum. Procul dubio licuit Cajæ in tali periculo baptizare præfato modo: nihilominus graviter obligabatur ad implorandam aliarum fæminarum opem. Ratio est: quia secundùm *communissimam* DD. opinionem, quam tenent etiam Laym. Sporer, La Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.*776. quivis homo, ideoque & quælibet Mater tenetur pro conservatione tum propriæ, tum etiam prolis vitæ, adhibere media saltem ordinaria: atqui, implorare aliarum mulierum expertarum opem ad salvandum, vel etiam facilitandum partum, non est extraordinarium, sed vel maximè ordinarium, medium: ergo. Esto etiam Caja ex tali invocatione timuerit periculum infamiæ, forsitan & capitis, meritò tamen postponi debuit periculo perdendæ utriusque, Matris scilicet, & prolis vitæ, immò & æternæ damnationis, cui prolem exposuisset; cùm sit incertum satis, an baptismus taliter collatus valeat. Adde, illam mulierum invocationem valdè remotè se habuisse in ordine ad pœnam capitis; præsertim cùm potuerit hanc declinare, non quidem mentiendo, sed dissimulando Patrem proprium, & cum quadam restrictione mentali dictitando quemdam incognitum, prout jam sæpiùs factum fuit, & licitè fieri ob gravissimam causam, docet Gobat. *in appendice ad tr.* 2. *n.* 9. & 21.

19 R. Ad secundum & tertium, Mulierem supervenientem licitè baptizasse, saltem sub conditione: & si infans supponatur posteà fuisse natus, denuo à D. Parocho sub conditione rebaptizari potuit, immò debuit. Ratio est: quia quotiescunque prudenter dubitatur, an baptismus sit validè collatus, toties est repetendus, sin minùs absolutè, saltem sub conditione: atqui mulier in nostro casu superveniens huic spectaculo, prudenter dubitare potuit, utrùm mater, scilicet Caja, in tanta perplexitate, confusione & periculo constituta, fuerit sibi satis præsens, & validè baptizaverit: Et quandoquidem multi DD. existiment, Baptismum in sola manu aut brachio collatum infanti nondum integrè effuso esse nullum; hinc etiam D. Parochus potuit prudenter dubitare de valore collati priùs Baptismi: ergo debuit sub conditione rebaptizare. Vid. Gobat. *n.* 252.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

20 Colliges primò, eum peccare mortaliter, qui, cùm posset adhibere materiam certam, aquam scilicet naturalem seu elementarem, adhibet dubiam. Ita *omnes*. Ratio est: quia absque urgenti causa exponit salutem infantis discrimini, simulque Sacramentum periculo irreverentiæ sacrilegæ; quod sine peccato gravissimo fieri nequit. Idem tenent Doctores communiter de eo, qui sine necessitate utitur aqua turbida, fæculenta &c.; eò quòd huic Sacramento gravem irreverentiam irroget. Babenstub. ubi suprà. *disp.* 1. *a.* 2. *n.* 13. Castrop. & alii.

21 Collig. 2. In casu quo deficit aqua ele-

elementaris, adhibendum esse talem liquorem, qui propiùs accedit, & magis videtur aqua elementaris. Quodsi etiam talis desit, adhibenda erit materia dubia, seu talis, quæ ab uno vel altero saltem censeatur materia sufficiens. Hinc idem Gobat *l. proximè cit.* ait, in tali casu adhiberi posse aquam distillatam è rosis, herbis, fluentem ex arboribus, resolutam ex sale, lixivium, jusculum, cerevisiam, & glaciem non resolutam: ob rationem mox dandam.

22 Collig. 3. Baptizandum subinde esse infantem, etsi nondum sit egressus claustra ventris. Quòd autem communiter dicatur, renasci non posse, qui non est natus, ideò solùm contingit, quia regulariter loquendo infans ablui non potest, priùs, quàm nascatur. Hinc sapienter ait Gobat *cit. n.* 253. quòd, si sit dubium, an parturiens sit editura prolem vivam, Confessarius vel Parochus ad illam vocatus debeat monere Obstetricem, ut, quamprimùm infans manum aut pedem protenderit, eundem aqua aspergat, ac baptizet: vel, si credat, infantem moriturum intra Matrem suadeat, ut conetur extrahere aliquam ejus partem; vel denique, si possibile sit, intra ventris abdita latentem, conetur manu, digito, vel alio instrumento humectare, & cum debita formula baptizare; quia cùm hoc Sacramentum sit summè necessarium, administrandum est, quotiescumque apparet saltem probabilis spes valoris: at, in tali casu apparet: ergo &c. La Croix *n.* 292. & 293.

23 Collig. 4. Ad valorem Baptismi necessum esse, ut aqua tangat corpus infantis immediatè; secùs enim non diceretur ablutus. Hinc non valeret baptismus, si solùm vestes, aut fascia, aut uterus prægnantis, in quo latet infans, ablueretur. Cæterùm monent DD. communiter, & cum illis Herincx *p.* 4. *tr.* 2. *disp.* 5. *n.* 22. infantem semper esse abluendum in capite; tum quia hoc est præcipuum hominis membrum; tum etiam quia hoc fert antiqua Ecclesiæ consuetudo. Quòdsi in pectore aut scapulis ablueretur, videtur satis certum, non ampliùs esse repetendum Baptismum: si verò in alia parte minùs principali, utpute manu, pede, umbilico, vel capillis tantùm fuisset ablutus, Baptismus velut dubius foret repetendus. Clericatus, Babenstuber, Kazenberger ubi supra *c.* 1. *n.* 17.

24 Collig. tandem 5. Ad valorem Baptismi perinde esse, sive corpus aquæ immergatur, sive ea aspergatur, aut superinfundatur. Ita *communiter* Theologi, & habetur in Rituali Rom. Quamvis hoc præferat: immersionem capitis in aquam, vel infusionem aquæ in caput baptizandi. Similiter indifferens est ad valorem Baptismi, utrùm fiat una, vel etiam trina immersio, aut infusio. Ratio est: quia tam per unam, quàm per trinam infusionem vel immersionem fieri potest ablutio verè usualis. In praxi tamen observare oportet consuetudinem receptam cujuscunque Ecclesiæ, quæ ob diversas rationes occurrentes subinde unicam immersionem aut infusionem, subinde verò trinam adhibuit, & etiamnum adhibere consuevit, prout habetur *c. de trina. dist.* 4. *de consecr.* Quocirca videri potest & debet Rituale cujuslibet Diœceseos, nec sine urgenti causa ab eo est recedendum, Reinffestuel *Theol. mor. tr.* 14. *dist.* 3. *n.* 16. & 17.

CONFERENTIA

QUINTA.

De Forma, & Ministro Baptismi.

SUMMARIUM.

25 *Legitima forma Baptismi est hæc*: ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

26 *In hac necessariò necessitate Sacramenti sunt exprimenda, quatuor scilicet* 1. *actus Baptizationis.* 2. *Persona baptizanda.* 3. *Unitas Essentiæ D.* & 4. *Trinitas Personarum.*

27 *Cur potiùs Persona baptizanda, quàm baptizantis sit exprimenda?*

28 *Ordinarius & legitimus Minister Baptismi est Sacerdos &c. In casu tamen necessitatis quivis homo validè baptizare potest.*

29 Po-

29 *Potestas baptizandi solemniter ex rationabili causa potest etiam Diacono committi.*

30 *Non repugnat, quin unus Minister saltem validè simul plures baptizet;*

31 *Et è contrario plures simul eundem*

32 *Nullus tamen seipsum baptizare valet.*

33 *Resolvitur Casus I. de infante baptizato cum hac formula:* ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti

34 *Et quid, si baptismus fuisset collatus hoc modo:* ego te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus sancti?

35 *Resolvitur Casus II. de Obstetrice, quæ defectu intentionis debitæ plures infantes invalidè baptizaverat.*

36 *Quid Confessario hoc audienti faciendum?*

37 *Et quid, si Obstetrix fuisset Saga, nec sine periculo vitæ potuisset suum delictum manifestare?*

38 *Suggeritur aliud Consilium in tali casu amplectendum.*

39 *Resolvitur Casus III. de alia Obstetrice, quæ infantem nondum integrè egressum tentavit baptizare, posteà verò natum rebaptizavit;*

40 *Quo non obstante D. Parochus licitè eundem rebaptizavit sub conditione.*

41 *Quandonam infantes ab Obstetricibus baptizati sint rebaptizandi?*

42 *Explicatur Canon 11. Ritualis Passaviensis de iterando tali baptismate.*

43 *Valet Baptismus, si dicatur:* ego te abluo, mundo &c. *vel si loco* te *dicatur:* suam Dominationem &c. *Non tamen valet, si conferatur in nomine Sanctissimæ Trinitatis, aut in nomine Christi.*

44 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ.*

45 *Etiam in casu necessitatis inter ministros Baptismi per se loquendo servandus est Ordo, ita, ut Sacerdos Laico, vir fæminæ &c. sit præferendus.*

46 *Nec nobis Fratribus minoribus vi Regulæ S. est prohibitum baptizare.*

47 *Nullus tamen Minister Diacono inferior potest baptizare solemniter; & quas pœnas incurrat, qui hoc attentare præsumit?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de forma, & Ministro Baptismi.

Quæres primò, quænam sit legitima forma Baptismi?

25 R. Est sequens: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti amen.* Ita decisum habetur in Concilio Lateran. *c. firmiter. de summa Trinit.* Item in Florent. & Trident. *Sess. 7. de Bapt. can.* 4. Ratio desumitur ex illo *Matth. 28.* ubi Christus legitur mandasse suis Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris &c. Et quamvis non legatur præcepisse, ut baptizando exprimerent Trinitatem Personarum explicitè, constat tamen ex perpetua Ecclesiæ traditione, & Conciliorum definitionibus, Christum hoc intendisse & voluisse. Sed

Quæres secundò, Utrùm omnia illa allegata verba, vel quænam sint necessariò necessitate Sacramenti exprimenda?

26 R. Necessariò exprimi debent quatuor, videlicet 1. actus baptizationis; quod fit per ly *baptizo*. 2. Persona baptizanda; quod fit per ly *te*. 3. Unitas Essentiæ D. quod fit per ly *in nomine*. & 4. tandem Trinitas Personarum; quod fit per ly *Patris & Filii &c.* Ita communissimè Theologi. D. Thomas. Scot. 4. *d.* 3. *q.* 2. Constat etiam, tum ex perpetuo usu & praxi Ecclesiæ, tum etiam ex *c. si quis de Baptis.* Ratio à priori alia dari non potest, quàm voluntas Dei. Cùm enim Baptismus sit Sacramentum fidei, quò ingredimur Ecclesiam; hinc voluit Christus, ut in hujus susceptione fieret explicita invocatio SS. Trinitatis, consistentis in unitate Naturæ Divinæ, & Trinitate Personarum in eadem Natura subsistentium, ceu principalissimi & primarii objecti nostræ fidei: & quia Forma debet versari circa certam materiam, & materia proxima, scilicet ablutio, circa certam personam; hinc necessum est, ut per formam expri-

exprimatur & actus baptizationis, & persona baptizanda; secus enim foret nimis imperfecta & confusa significatio formæ.

Dices. De essentia formæ non est, ut explicitè exprimatur Persona Ministri, prout constat ex hac forma Græcorum: *baptizatur Servus Christi in nomine Patris & Filii & Spirtus sancti*, quæ à Concilio Florentino fuit agnita tanquam valida, & tamen in hac non exprimitur explicitè Persona Ministri: ergo nec est de essentia, ut Persona baptizanda, vel Trinitas Personarum exprimatur.

27 R. Negando Conseq. Quamvis enim spectando præcisè rationem videatur esse paritas inter utrumque; quia tamen hoc unicè dependet ex Dei arbitrio, hinc non tam rationi, quàm auctoritati, vel potiùs voluntati divinæ nobis per Ecclesiam intimatæ inniti debemus: atqui, tam Græca, quàm Latina Ecclesia semper expressit, & exprimendam censuit unitatem Essentiæ, & Trinitatem Personarum, nec non personam baptizandam, non item Personam Ministri baptizantis: ergo.

Quæres tertiò. Quisnam sit Minister Baptismi?

28 R. Minister ordinarius Baptismi solemniter, aut privatim extra casum necessitatis conferendi, 1. est solus Episcopus, vel Sacerdos curatus. 2. in casu tamen necessitatis baptizare potest quilibet homo ratione utens, & potens abluere, simulque proferre debitam Baptismi formulam. Ita *communis*. Constat ex *c. firmiter. cit.* & *c. à quodam Judæo. de consecr. dist.* 4. item *c. constat. ead. dist.* Et habetur expressè decisio facta in Concil. Florent. *decret. de Armen.* ibi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus & Mulier, immò etiam Paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia*. Ratio prioris est: quia per Baptismum recipitur Baptizatus in Collegium Ecclesiæ militantis: recipere autem in Ecclesiam, pertinet ad Præsidentem, & habentem auctoritatem in Collegio, qualem habet Episcopus, & Sacerdos curatus, ait Doctor subtilis. 4. *d.* 6. *q.* 1. Ratio autem posterioris est: quia Sacramentum Baptismi est omnibus ac singulis ad salutem simpliciter necessarium: ergo omnino congruum fuit, ut in casu necessitatis assumeretur quivis Minister, ne hujus defectu periclitarentur animæ: sicut ob eandem rationem placuit Deo assumere materiam passim obviam, scilicet aquam naturalem.

29 Dixi tamen: *Minister ordinarius est Episcopus &c.* Extraordinarius enim ex commissione vel Sacerdotis curati potest esse Diaconus; huic quippe in ordinatione Episcopus dicit: *Diaconum oportet baptizare*. Et *c. Diaconus. dist.* 93. dicitur: *Diaconi absque Episcopo, vel Presbytero* (id est, ait Glossa, absque eorum consensu aut commissione) *baptizare non audeant*: ergo supponitur, quòd Diaconis saltem committi possit potestas solemniter baptizandi, id est, cum Ritibus & Ceremoniis in hunc finem ab Ecclesia in Rituali præscriptis. Nec ad licitam commissionem requiritur extrema necessitas, sed sufficit quævis alia rationabilis causa; ut si Minister ordinarius esset infirmus, vel componendis concionibus, aut excipiendis Confessionibus occupatus. Sic enim ait Herincx *disp.* 6. *n.* 9. Apostoli, ut prædicationi vacarent, videntur Baptismum commisisse Diaconis.

Quæres quartò, possitnè unus simul baptizare plures?

30 R. Potest saltem validè (non tamen licitè extra casum necessitatis) si simul plures perfundendo aqua dicat: *ego vos baptizo in nomine Patris &c.* Ita cum communi Scot. 4. *d.* 4. *q.* 2. Ratio desumitur à pari: quia potest unus simul plures consecrare hostias, vel etiam plures simul confessos v. g. in casu naufragii, aut tempore pestis absolvere, dicendo: *ego vos absolvo &c.* ergo similiter plures baptizare. Et in tali casu fierent plura Sacramenta; fieri namque posset, ut respectu unius valeret Baptismus, non item respectu alterius nolentis baptizari: quemadmodum in simili casu absolutio respectu dispositi esset valida, respectu indispositi autem invalida & nulla.

Quæres quintò, Utrùm plures simul possint baptizare eundem?

31 R.

31 R. Cum distinctione. Vel enim supponuntur baptizare ita, ut unus affundat aquam, alter verò proferat formam; vel sic, ut quivis baptizandum abluat, simulque proferendo formam, independenter ab alio baptizare intendat? Si primum, Baptismus erit nullus; tum quia Ecclesia semper tenuit, Christum voluisse ut idem Minister simul abluat, & proferat formam; tum etiam, quia videtur forma falsificari, si Minister dicat: ego te baptizo, seu abluo, & tamen non abluit. Si secundùm, rursus distinguendum est, & dicendum, quòd, si unus abluentium priùs proferat & absolvat formam, quàm alter, tunc ille alter nihil ampliùs efficiet; quia homo jam fuit baptizatus, ideoque incapax secundi Baptismi. Si verò uterque ex abluentibus formam simul in eodem instanti absolvat, tunc uterque simul validè baptizabit: ferè quemadmodum si plures Sacerdotes simul proferendo absolvant formam consecrationis super eundem panem, omnes simul consecrabunt; cùm non sit major ratio, cur unus potius, quàm alter consecret. Vide Herincx *cit. disp. 6. quæstion. 2.* Babenstub. *tract. 8. pag. 2. dist. 1. art. 5. à num. 13.*

Quæres sextò. Possitnè idem homo, v. g. Catechumenus in fide satis instructus, se ipsum validè baptizare?

32 R. Cum *communi DD.* Negativè. Ratio est: quia in Baptismo (ait Doctor subt. 4. *distinct. 6. quæst. 2.*) celebratur illa spiritualis generatio, de qua veritas ait *Joann. 3. oportet vos nasci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione alius est qui gignit, & alius qui gignitur: ita & in Sacramentali generatione; alius debet esse, qui spiritualiter generat, & alius, qui spiritualiter generatur. Et ita claris verbis ab Innocentio III. decisum legitur *c. debitum. 4. de Baptis.* Vid. Frassen. *T. 4. tr. 1. disp. 1. ar. 2. num. 11.*

§. II.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Forma, & Ministro Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titius prolem ab Uxore sua inopinato effusam baptizavit sequenti formula: ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti, amen. *Vocatus dein D. Parochus, cùm narrante puerpera (quæ modum baptizandi gnaviter animadvertit) rem intellexisset, Puerum rursus rebaptizavit sub conditione. An bene?*

33 R. Omnino bene. Licèt enim Reinfestuel, Castrop. Laym. Salmantic. Babenstuber, & alii plures existiment, præfatam. formulam esse validam (quod & probabilius videtur) Multi tamen, nominatim Busemb. Herincx. *disp. 5. n. 44.* Illsung. *tr. 6. disp. 2. num. 18.* Kazenberger. *c. 1. sect. 1. num. 30.* censent eam esse saltem dubiam. Quare sicut secundùm dicta superius *n. 10.* materia, de cujus valore sunt dissentientes Doctorum opiniones censeri debet dubia; ita ob eandem rationem dubia censeri debet hæc formula: atqui Baptismus dubius est certò iterandus sub conditione, prout omnes fatentur: ergo.

Dices. Quid si autem baptizasset hoc modo: *ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Dei Filii, & Dei Spiritus sancti*, prout quædam Obstetrix acatholica ex instructione sui Prædicantis consuevisse legitur apud Gobat?

34 R. Videtur satis certum, quòd Baptismus hoc modo collatus valeat; quandoquidem & Trinitas Personarum satis exprimitur, & unitas Essentiæ D. per voculam in *nomine.* Hinc idem Gobat *tr. 2. n. 721.* ait: ego non juberem rursum tingi, qui esset sic ablutus; quia nec auctoritas, nec ratio permittit vocare in dubium. Fatentur tamen omnes, hunc modum baptizandi esse graviter illicitum; cùm sit contra praxin & præscriptum Ecclesiæ.

C A-

CASUS SECUNDUS.

Sempronia Obstetrix vetula morti proxima inter alia Confessario aperit, se per viginti annos obstetricasse, & ob necessitatem quamplures baptizasse infantes, circa nullum tamen habuisse intentionem legitimam, quin potiùs baptismo oppositam. Et licèt fuerit usa consueta Baptismi formula, ego te baptizo &c. *non tamen intendit baptizare in nomine Patris Divini, sed in nomine Patris illius, qui genuerat prolem. Quæritur jam 1. quid censendum de valore hujus Baptismi? 2. Quid Confessario agendum?*

35 R. Ad primum. Baptismus est nullus. Ratio desumi debet ex dictis *de Sacram. in gen. n.* 29. quia ad validam confectionem Sacramenti necessaria est intentio legitima Ministri, scilicet faciendi Sacramentum, vel saltem faciendi quod facit Ecclesia, aut Christus instituit: talem verò supponitur non habuisse Sempronia; ergo. Et licèt fuerit usa legitima forma baptismi; quia tamen non est usa illis verbis in sensu legitimo, sed alieno; hinc nihil effecit, quemadmodum nihil efficeret Sacerdos, qui sine intentione consecraret, vel proferens hæc verba: *hoc est corpus meum &c.* intelligeret non Corpus Christi, sed suum, sibi proprium.

36 R. Ad secundum. Sempronia fuit à Confessario adigenda, ut vel ipsamet hunc suum defectum propalaret uni aut alteri, præsertim Parocho, vel certè sibi (Confessario scilicet) daret licentiam propalandi, & deferendi, & ad Dominum Parochum; in cujus Parochia exercuerat officium Obstetricis, quatenus hoc modo invalidè baptizati investigarentur, & de nullitate sui baptismi admoniti (saltem privatim & in occulto) denuo baptizarentur. Si hoc recuset vetula, neganda erit absolutio velut indispositæ, & nolenti satisfacere suæ obligationi in re gravissima, ex qua pendet animarum salus.

Dices. At quid, si Obstetrix nequeat hoc suum delictum manifestare sine gravissima infamia, vel etiam periculo vitæ, utputa si esset saga, & infantes baptizasset in nomine Diaboli, vel (ut de quadam refert Layman. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. *n.* 3.) in nomine Zabuli, quid Confessario, vel Obstetrici confessæ agendum in casu tam lugubri?

37 Respondet Laym. *l. cit.* à Confessario in primis fuisse tali mulieri explicandam gravitatem tot scelerum, & damnorum inde emergentium, & absolvendam, postea quam sua exhortatione excitarit in ipsa firmum propositum desistendi à maleficiis, ac faciendi ea, quæ Confessarius judicaverit esse necessaria ejus saluti. Secundò. Nominatim inducendam (si queat) ad libenter subeundam mortem, pro sua, aliorumque à se deceptorum salute. Tertiò. Si vero non sit spes impetrandi ab illa tam heroicam resignationem, dissimulandam obligationem se sistendi Judici; quandoquidem hanc obligationem ipsa probabiliter ignorat, ejus autem manifestatio paritura sit plus mali, quàm boni. Hanc responsionem meritò approbat Gobat *cit. tr.* 2. *n.* 220. mox subjungens: Et quid, si in casu Laymanni Confessarius diceret tali mulieri si per te liceat, accedam Judicem seu Principem, dicamque me aliquod secretum, ex quo pendeat salus multarum, animarum, ipsi aperturum, si sanctè promittat impunitatem? Fortè denique ipsa consentiret in revelationem sigilli, & sine dubio teneretur Princeps stare promissis. Ita Gobat; & bene.

38 Neque ego dubito, quin talis mulier consentiret, aut certè consentire deberet in tantum, ut Confessarius cum cautela jamjam memorata Principem accedat, dicatque cum debita restrictione mentali, mulierem illam baptizando errasse, serioque fateri, se non baptizasse cum debita intentione, quam modò ex instructione Confessarii audivit, esse necessariam. Cæterùm, quòd sit saga, vel quòd in nomine Diaboli, aut Zabuli tinxerit infantes, omnino reticeat, & dissimulet Confessarius: nec dubitet, quin & Princeps sit dissimulaturus strictius examen, & pro sua prudentia provisurus, ut suppleto (quantùm fieri potest) baptismate, huic tam ingenti malo succurratur. Et certè ad hoc videtur obligatus Judex vel Princeps Ecclesiasticus, ne scilicet ex severiori animadversione hujusmodi homines delinquentes omnino absterriti,

riti, delicta sua ne Confessario quidem detegere ampliùs audeant, sicque defectu manifestationis multi pereant, aut certè multorum æterna salus periclitetur. Quæ autem de Obstetrice diximus, prudens Confessarius facilè noverit applicare, casu quo Parochus ipse fatetur, se multis baptismum invalidè administrasse, prout de quodam narrat Quintanadvennas *singular. tr. 1. sing.* 19. quem, si placet, vide.

CASUS TERTIUS.

Caja Obstetrix vocata ad puerperam, invenit eam cum partu luctantem: cernens autem, quòd infans brachium protendat, eo validè utraque manu apprehenso, imploravit cujusdam mulieris astantis opem, jussitque, ut aquam affunderet; quo facto Caja protulit formam Baptismi. Sed quia de hujus valore ipsamet dubitaverat, hinc eundem infantem paulò post in lucem editum, denuo aqua benedicta perfundens, rebaptizavit. Quæritur jam 1. quid de valore prioris Baptismi? 2. An infans post à D. Parocho potuerit, vel 3. omnino debuerit rebaptizari, an verò solùm suppleri Ceremoniæ Baptismi?

39 R. Ad primum. Si Caja non abluit brachium protensum, sed merè protulit formam, altera muliere aquam affundente, Baptismus fuit nullus, ob rationes datas *n.* 31. Et ita communissime tenent DD. S. Thomas. Scot. 4. *d.* 6. *q.* 2. Mastr. Cleric. *hic decis.* 31. Debuisset ergo vel ipsamet Caja abluere brachium, aquam altera saltem manu super illud deducendo; vel altera Coadjutrix, quæ supponitur affudisse aquam, simul etiam proferre consuetam Baptismi formulam; & tunc probabiliter valuisset Baptismus. Quia tamen & hic Baptismus à multis vocatur in dubium, prout visum est *n.* 23. hinc instante periculo Caja bene fecit, si sub conditione eundem infantem paulò pòst in lucem editum rebaptizavit. Ex quibus facilè colliget quisque prudens, quàm sapienter Celsiss. Princeps JOSEPHUS DOMINICUS Episcopus Passaviensis in Epistola sua pastor. *Ad suscipienda.* §. I. nuper ordinaverit, immò & mandaverit omnibus Parochis & Vicariis &c. ut Obstetrices omnes, cæterasque fæminas in absentia Obstetricum ordinariarum puerperis assistere solentes rigorosè examinent, num materiam & formam Baptismi ab eis in casu necessitatis conferendi debitè calleant? &c.

40 R. Ad Secundum. Dominus Parochus licitè potuit eundem infantem rebaptizare. Ratio est: quia unusquisque licitè sequitur statuta suæ Diœceseos: at, in Diœcesi Passaviensi *Can.* 12. *de Baptis.* aliisque multis statuitur, ut infantes ab Obstetricibus vel laicis baptizati, denuo rebaptizentur: ergo &c. Idipsum, teste Gobat. *tr.* 2. *n.* 171. statutum est in Diœcesi Melchliniensi, Iprensi, Augustana, Curiensi; & meritò. Cùm enim infantes à Laicis baptizari non debeant, nisi in casu necessitatis: in tali autem casu plerumque soleant perturbari, vel propter instans periculum, vel propter lamenta parturientis, vel ob vigilias aut labores, quibus non rarò defatigantur mulieres, vel denique propter abundantiorem potum, quò hujusmodi vetulæ sæpe sese animare tentant ad faciliùs lucrandum fætum; hinc a potiori prudenter dubitare licet, an non baptizando commiserit aliquem defectum substantialem, prout vel ex nostro casu facilè colligi potest, ubi narratur Obstetrix pronunciasse formam, & mandasse alteri, ut affunderet aquam.

41 R. Tamen ad tertium. Si Caja cæteroquin fuit integræ famæ, modumque baptizandi bene edocta, testeturque, se infantem, posteaquam natus est, debitè baptizasse, ita, ut re bene examinata nullus deprehendi valeat error, & præsertim si etiam alii idem attestentur, infans non ampliùs debuit rebaptizari, ne quidem sub conditione, sed tantùm suppleri ceremoniæ: Ita satis communiter DD. Herincx *disp.* 6. *n.* 45. Conink, Præpositus, Quintanad., Gobat. *cit. n.* 183. La Croix *n.* 321. & alii. Ratio autem est: quia ubi non occurrit prudens dubium de valore Baptismi semel collati, nec sub conditione repetendus est: at, in suppositione quòd nullus possit error deprehendi &c. nullum occurrit dubium de valore &c. ergo.

42 Nec refert, quòd in Passaviensi aliisque suprà mox enumeratis Diœcesibus vigeat consuetudo, immò speciali constitutione cautum sit, ut infantes ab Obstetricibus Bapti-

Baptizati denuo rebaptizentur: licèt enim non raró compertum sit, hujusmodi mulierculas baptizando errasse, propterea-que & Episcopus sapienter statuerit, ut in tali casu Baptismus repetatur, & Parochus licitè hoc statutum Diœcesanum exequatur; quia tamen jure divino cautum est (cui non prævalet humana consuetudo vel constitutio) ne Baptismus semel validè collatus reiteretur, profectò nequaquam præsumendum est, Episcopum voluisse, ut etiam in iis circumstantiis, in quibus nullum exstat prudens dubium de valore, iteratò conferatur Baptismus sub conditione. Vide de hoc Gobat *cit. n. 353.* La Croix *l. c.* Kazenberger *c. 1. à n. 41.* Schmaltzgruber *l. 3. Tit. 42. n. 56.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

43 Colliges ex dictis primò, validum esse Baptismum, si Minister pro ly *baptizo* diceret: ego te *abluo, mundo, &c.* vel si loco *te* diceret *suam Dominationem*, aut *Petrum* &c. vel denique si idioma latinum mutaret in vernaculum: quia hæc non est, nisi mutatio accidentalis, atque ideò quamvis per se loquendo illicita, non tamen invalidat Baptismum. Quin immò, si Obstetrix vel laicus latini idiomatis ignarus baptizet, oportet, ut vernacula lingua utatur; quia ex hoc minus periculi est timendum. Secus dicendum foret, si Minister diceret: *ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, vel *in nomine SS. Trinitatis, sanctæ Crucis*, vel etiam *in nomine Christi;* quia talis committeret errorem substantialem, prout ex dictis facilè colligitur, & communiter fatentur DD. Vide etiam, si placet, quæ diximus *de Sacram. in gen. n. 8. 16. & 17.*

Dices. Olim in primitiva Ecclesia baptizabantur fideles in nomine Christi, prout constat ex *Actibus Apostol. c. 2. 10. & 19.* ergo etiamnum valeret Baptismus in nomine Christi collatus.

44 R. Trans. ant. neg. conf. Esto enim D. Thom. D. Bonaventura, Scot. 4. *d. 3. q. 2.* aliique magni nominis Doctores probabile censeant, Deum in hac lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ dispensasse; eò quòd fuerit ratio dispensandi, nempe ut venerabile nomen Christi, quod tunc temporis multis erat valdè invisum & exosum, redderetur hominibus magis amabile & commendabile; cùm tamen ratio hæc jamjam cessarit, non est, cur Deus pro moderno tempore dispenset in illa lege. Dixi etiam *Trans. ant* Enimverò multi etiam graves Doctores, Bellarm. Vasq. Cornelius à Lap. & alii plures, videndi apud Clericat. *decis. 30. n. 5.* absolutè negant, Apostolos nunquam in solo nomine Jesu Christi baptizasse: per allegatos autem S. Scripturæ textus (ajunt) solùm innui, baptismum ab Apostolis fuisse administratum in nomine, id est, virtute, & auctoritate Jesu, ut nosceretur esse distinctus à Baptismate Joannis; vel (quod verosimilius est) Apostolos ad expressionem SS. Trinitatis, secundæ Personæ addidisse nomen Jesu, hoc modo: *ego te baptizo in nomine Patris, & Jesu Christi ejus Filii, & Spiritus sancti.*

45 Collig. secundò. Etiam in casu necessitatis servandum esse ordinem inter Ministros, saltem per se loquendo, ita, ut Parochus proprius alteri Sacerdoti, Sacerdos Diacono, & hic aliis Clericis, ac Laicis sit præferendus, sicut & vir præferri debet fœminæ, & non excommunicatus excommunicato. Per accidens tamen aliquando oportet non servari ordinem prædictum, ut scilicet fœmina edocta modum baptizandi, baptizet potiùs quàm vir, immò potiùs quàm Sacerdos, in iis saltem circumstantiis, in quibus pudoris gratia non decet virum accedere, utputa si infans nondum effusus, esset baptizandus solùm in protenso brachio, manu, vel alia parte; quia Sacerdos vel quicunque alius, etsi de se superioris ordinis foret, dum congruè nequit accedere, censetur moraliter absens, ait Herincx *n. 12.* Vide de hoc Rituale Rom. *de Minist. Bapt.*

Dices. Sed nunquid oportet laicum vel etiam fœminam præferri Fratribus minoribus, quibus specialiter vi sacræ Regulæ *c. 11.* prohibitum est, ne fiant Compatres virorum aut mulierum?

46 R. Non oportet; quia per illa verba S. Regulæ: *& non fiant compatres virorum vel mulierum*, solùm prohibetur nobis, ne

ne agamus Patrinum in Baptismate, prout teste Sannig. *Tom. 3. dist. 2. q. 15. n. 11.* declaratum fuit in Capitulo generali anno 1499. Melchlinii celebrato. Nos tamen Franciscani baptizare nunquam debemus, nisi urgeat necessitas, vel D. Parochus id indulgeat aut velit, vel à nostris Parochia administretur.

47 Collig. tertiò, Nulli Clerico, Diacono inferiori, multò minùs Laico, competere potestatem baptizandi solemniter. Ratio est: quia his non permittitur plus, quàm exigit necessitas: atqui necessitas solùm exigit substantiam, non item ceremonias Baptismi: ergo &c. Hinc *c. un. de Cleric. non ord. ministr.* Clericus Diacono inferior solemniter baptizans, punitur pœna irregularitatis ipso facto incurrenda. Hanc tamen pænam probabiliùs non incurrit laicus solemniter baptizans: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis: atqui in jure non legitur satis expressa irregularitas lata in laicum solemniter baptizantem: ergo &c. Vide Castropal. *tr. 29. disp. 6. punct. 18. n. 11.* Schmalzgrueber *h. t. n. 23.*

CONFERENTIA

SEXTA.

De Subjecto Baptismi.

SUMMARIUM.

48 *Subjectum capax Baptismi est omnis homo vivens nondum baptizatus, etiam Parvulus.*

49 *Præcluditur quædam objectio Hæreticorum.*

50 *Etiam infans in utero Matris latens, si possit ablui, probabilissimè validè baptizatur.*

51 *Satisfit cuidam instantiæ contra hoc.*

52 *Proles infidelium in quatuor casibus licitè baptizantur.*

53 *Extra hos casus licitè baptizari, negant Thomistæ & RR. affirmant vero Scotistæ, quamvis fateantur, non expedire, ut baptizentur sine consensu Parentum.*

54 *Monstrum, de quo dubitatur, an sit homo? an baptizandum.*

55 *Et quid agendum, si dubitetur, an sit unus, an verò plures homines?*

56 *Quænam dispositiones requirantur in baptizando?*

57 *Resolvitur casus I. à quo baptizandus sit infans, quem Mater in alieno territorio peregrina effudit.*

58 *Non peccaret talis Parens, tametsi infantem natum non Parocho loci illius, sed alieno offerret baptizandum in suo territorio.*

59 *Econtra Parochus puerperæ, in territorio peregrino illicitè baptizaret hunc infantem, non consentiente Parocho loci.*

60 *Resolvitur Casus II. de muliere prægnante, quæ, cùm non potuit fœtum eniti, suadente Confessario dissecta est à Chirurgo circa umbilicum, & statim obiit.*

61 *Talis Confessarius videtur malè consuluisse, non tamen incurrisse irregularitatem.*

62 *Si contingat, prægnantem mori ante partum editum, vel sectionem, os demortuæ aperiendum est, ne infans in utero latens defectu respirationis pereat, priùs, quàm eximatur.*

63 *Resolvitur Casus III. de quadam puella, quæ in infantia à Parentibus derelicta, prorsus ignorat, an unquam fuerit baptizata; propterea que baptizanda est sub conditione.*

64 *Idem faciendum videtur circa infantes expositos, & inventos, nisi aliunde certis indiciis constet, eos validè fuisse baptizatos.*

65 *Sacerdos, immò & Episcopus extra suam Diœcesin illicitè administrat baptismum solemnem, sine licentia alterius Episcopi, vel Parochi localis.*

66 *Similiter Parentes graviter delinquunt, offerendo prolem suam alieno Parocho baptizandam.*

67 *Amentes an, vel quando sint baptizandi.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Subjecto Baptismi.

Quæres primò, quinam homines sint Subjectum capax Baptismi?

48 R. Subjectum capax est omnis homo vivens, & nondum baptizatus, etiam parvulus. Ita Catholici omnes contra Anabaptistas & Pelagium. Estque velut dogma fidei decisum in Concilio Milevit. II. Nec non in Trident. *Sess. 7. can. 12. & 13. de Bapt.* Constat insuper ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, baptizantis parvulos. Ratio autem est: quia omnes homines, etiam parvuli nascuntur capaces Regni Cœlorum, quod propter peccatum originale nequeunt adipisci, nisi renascantur spiritualiter per lavacrum regenerationis; ergo & parvuli hujus sunt capaces.

49 Nec obstat, quòd parvuli sint incapaces intentionis; hanc etenim Ecclesia & Christus supplet; Qui sapienter voluit, ut, quemadmodum per voluntatem alienam, Adæ scilicet, constituti sunt peccatores; & per voluntatem alienam, suam scilicet aut Ecclesiæ, ad vitam spiritualem regenerentur D. Bonavent. 4. *d.* 4. *in expos. text.* Scot. 4. *d.* 4. *q.* 1. Bosco. *p.* 1. *disp.* 2. *sect.* 4. *concl.* 1.

Quæres secundò, possitne baptizari infans etiamnum latens in utero Matris?

50 R. Regulariter loquendo baptizari nequit; eo quòd ita latens nequeat ablui, prout etiam supponit *c. si quidquid. 35. de consecr. dist.* 4. Si tamen Obstetrix vel Chyrurgus supponatur tam peritus, ut manu, vel alio instrumento (scilicet metrenchyte ut vocant) in uterum inserto norit infantem ita latentem abluere, Baptismus probabilissimè valebit: quia sicut in tali casu vera fieret ablutio, ita & verus Baptismus. Bosco. *l. cit.* Herincx. *disp.* 6. *n.* 23.

Dices. Qui secundùm Adam nondum est natus, nequit renasci secundùm Christum. *c. si ad Matris. 44. de consecr. dist.* 4. Atqui talis infans nondum est natus secundùm Adam: ergo &c.

51 R. Disting. & explicando textum cit. cap. Qui nondum est natus, nequit renasci, regulariter loquendo; & hoc ideò solùm, quia nequit ablui, con. Dato, quòd verè abluatur, ut supponimus, neg. Certè enim infans è latere Matris excisus potest, immò debet baptizari secundùm omnes, licèt non sit natus. Cæterùm gratis fatemur, talem baptismum à multis revocari in dubium, ideoque esse sub conditione repetendum, si infans posteà egrediatur claustra ventris. Vid. Babenstub. *tr.* 8. *p.* 2. *disp.* 1. *art.* 2. *n.* 23. *fin.*

Quæres tertiò, Utrùm liceat baptizare proles Infidelium id est, non baptizatorum, invitis eorum Parentibus?

52 R. Certò licet in quatuor sequentibus casibus. 1. Si prævideatur infans statim moriturus; tunc enim ex charitate quivis tenetur mediante lavacro regenerationis spiritualis succurrere periclitanti de salute animæ. 2. Si Parentes supponantur despoticè, seu serviliter subjecti Principi Christiano; vel 3. si à Parentibus etiam non subjectis Christiano Principi supponatur infans jam abstractus (sive per fas, sive per nefas) nec ampliùs reversurus ad eos cum periculo subversionis. 4. Denique, si alteruter ex Parentibus Baptismum suscipiat, & consentiat etiam in Baptismum suæ prolis.

53 Extra hos quatuor casus Thomistæ & RR. communiter negant, licitum esse baptizare proles Infidelium repugnantibus, seu etiam non consentientibus eorum Genitoribus: Econtra Scotus 4. *d.* 4. *q.* 9. Mastrius, Bosco, Herincx & alii Scotistæ communiter non minùs probabiliter affirmant, per se loquendo licitè baptizari hujusmodi proles, saltem auctoritate publica, & de consensu Principis; eò quòd Parentes injustè resistant, & abutantur patria potestate. Quia tamen ex tali Baptismo plerumque timenda sunt graviora mala, utputa, quòd Parentes infideles sint rursus subversuri proles, vel omnino occisuri, aut certè magis aversaturi Christianam Religionem; hinc etiam Scotistæ communiter fatentur, non oportere, ut contra voluntatem Parentum infi-

delium proles baptizentur. Vide Mastr. 4. *disp.* 2. *à n.* 87. vel Bosco. *cit. disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 65. *& seqq.*

Quæres quartò, Utrùm etiam Monstra sint baptizanda?

Ante responsionem breviter adverto cum P. Layman. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 13. reperiri monstra in duplici genere, de quibus baptizandis difficultas oritur. Primò etenim reperire est monstra ex peccato bestialitatis nata (prout fusissimè ostendit Clericatus *de Baptis. decis.* 46. *& seqq.*) de quibus dubitatur, an sint homines, an verò bestiæ? Secundò. Reperiuntur subinde monstra, tde quibus dubitatur, sintnè unus, vel verò plures homines. Hoc notato

54 R. 1. In monstro, de quo dubitatur, sitnè homo an bestia, inspici debent membra principalia, videlicet caput & pectus, quæ, si humanam præseferant formam, baptizandum est monstrum saltem sub conditione: secus, si præseferant formam bestialem. Quodsi caput appareat ferinum, reliqua verò constitutio corporis humana, Baptismus foret aliquamdiu differendus, donec ex aliis indiciis certiùs cognoscatur, sitnè homo, nec ne. Si tamen videatur sub esse periculum mortis, baptizandum esset sub conditione.

55 R. secundò. Quando occurrit dubium, sitnè monstrum unus homo vel duo, vel maximè attendendum erit ad diversitatem operationum humanarum, intellectus scilicet & voluntatis, ut monet Doctor subtilis 4. *d.* 6. *q.* 2. *§. de quarto membro*. Unde si appareant duo capita cum uno corpore, vel vicissim duo corpore cum uno capite, & unus velit, alter autem nolit, prout aliquando contigisse narrat Scot. *l. cit.* deberet quodlibet caput aut corpus seorsim baptizari. Quodsi omnibus pensatis rursus maneat dubium, sintnè duo, vel unus homo, Baptismum aliquamdiu differre oportebit, usque dum magis constiterit de rei veritate. In casu tamen necessitatis posset hujusmodi monstrum baptizari cum unica ablutione & hac forma: ego vos baptizo in nomine Patris &c. Vid. *DD. citt.* vel Frassen. *ubi suprà. disp.* 1. *art.* 2. *n.* 18. vel Rituale Passav. *de Bapt. can.* 11.

Quæres quartò, an, vel quænam dispositio sit necessaria ex parte baptizandi?

56 R. In parvulis, & perpetuò amentibus, velut incapacibus, nulla requiritur dispositio.

In adultis tamen (præter intentionem saltem habitualem, quam superiùs jam *n.* 56. diximus esse necessariam) requiritur 1. quædam fides actualis de præcipuis saltem fidei mysteriis; item 2. si supponatur adultus inquinatus peccatis personalibus (peccatum quippe originale non est objectum pœnitentiæ) dolor supernaturalis, non quidem contritio perfecta, sed attritio saltem. Ita communiter Catholici. Ratio prioris desumitur ex illo *Act.* 8. ubi Philippus Eunucho baptismum postulanti respondisse fertur: *si credis ex toto corde: licet &c.* Idipsum satis clarè docet Trident. *Sess.* 6. *de justif. c.* 6. *&* 8. Ratio posterioris pariter colligitur ex illo *Act.* 2. ubi D. Petrus ait: *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Unde in Concilio Trid. *Sess.* 14. *de pœnit. c.* 1. ait: *fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent &c.* Cæterùm, quòd attritio sufficiat, inde patet: quia Baptismus est Sacramentum mortuorum, ideoque non præsupponit necessariò statum gratiæ in suscipiente, consequenter nec contritionem perfectam, sed sufficit attritio, modò sit supernaturalis; secùs enim foret improportionata formæ, gratiæ scilicet sanctificanti, ad quam disponit.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titia partui propinqua suscepit peregrinationem ad Beatissimam Virginem Passaviensem, miraculis clarissimam, quatenus hujus patrocinio, & potenti intercessione impetraret facilem sui partus expeditionem: quod & factum; nam in eodem loco feliciter (præter suam exspectationem) peperit. Dubitat jam, cuinam offerre debeat infantem suum baptizandum? Quid respondendum?

57 R.

57 R. Cum distinctione. Vel enim Titia multùm distat à sua domo & Parochia, vel non? Si non distet ab ea, nisi duabus aut tribus horis, & absit periculum, infans deferri debet ad proprium Parochum. Ratio est: quia actus baptizandi solemniter est actus jurisdictionis parochialis, ideoque illi competit, qui gaudet jurisdictione in baptizandum, vel potiùs in Parentes baptizandi: at: proprius Parochus Titiæ gaudet hac jurisdictione, non verò ille, in cujus Parochia Titia peregrina peperit, ut habet *c. de his. de sepulturis & c. 1. & 2. eodem tit. 6.* ergo Titia per se loquendo, offerre debet suum infantem proprio Parocho baptizandum, si ab hoc non multùm distet. Verùm, si supponatur distare tantum, ut huic sine magno incommodo, vel evidenti periculo deferri nequeat, tuta conscientia potest eum offerre Parocho loci, in quo peperit: quia in tali casu Parochus proprius nequit esse invitus rationabiliter.

Dices. Quidsi autem nec hujus loci Parocho, sed omnino alieno offerret infantem suum baptizandum, peccaretne?

58 R. Non peccaret: tum quia Parochus loci non habet jurisdictionem in infantem, qui nondum est Christianus: neque in genitricem, utpote peregrinam & viatricem. Tum etiam, quia glossa *in cap. Nec numerus. 10. q. 3.* expressè dicit: *transeuntes, & qui non habent domicilium, posse, ubi voluerint, eligere locum Baptismi.* Barbosa *de offic. & potest Paroch. p. 2. c. 18. n. 7.* Tamb. Sanchez, quos refert, & sequitur Clericatus *decis. 43. n. 4.*

Dices iterùm. At quid, si Titiam peregrinantem comitatus fuisset proprius Parochus, nunquid licitè baptizasset infantem?

59 R. Cum P. Gobat. *Theol. exper. tr. 2. num. 135.* Negativè. Ratio est: quia non supponitur existere in propria, sed in aliena Parochia. Et quamvis actus jurisdictionis voluntariæ in alieno territorio plerumque licitè exerceatur, etiam irrequisito Ordinario loci, ut bene docet Layman. *l. 1. tr. 4. c. 5. n. 4.* Quia tamen Baptismus est actus solemnis, & requirens materiam, in quam accipiendam jus non competit alieno Parocho; hinc Parochus Titiæ absque licentia Ordinarii, vel Parochi localis, illicitè baptizaret.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia periclitabatur in partu: jamque res eò devenerat, ut Medici desperarent de salute Matris simul & prolis. Sed cùm Chyrurgus quidam satis peritus & famosus promisisset, se secaturum Semproniam in umbilico, prolemque sine periculo exempturum, hortante simul Confessario, Sempronia sectionem admisit; sed prole exempta quantocyùs obiit. Occasione hujus casus quæritur. 1. Utrùm Sempronia fuerit obligata ad ferendam sectionem? 2. Utrùm Confessarius bene fecerit, sectionem suadendo, an verò incurrerit irregularitatem?

60 R. Ad primum cum distinctione. Vel enim affulsit vera, aut saltem verè probabilis spes conservandi vitam Matris simul & prolis, vel non? si non; Sempronia non fuit obligata, nec obliganda ad ferendam sectionem. Immò talis sectio in his circumstantiis, velut per se tendens ad mortem Matris innocentis fuisset illicita, ideoque nullatenus attentanda; cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona. Et in hac hypothesi omnino vera est sententia Laymanni, Grassii, Vict. Franc. Lugo, Herincx & aliorum plurium absolutè negantium esse licitam sectionem prægnantis.

Si autem apparuisset certa, aut certò probabilis spes, servandi Matrem simul & prolem Sempronia probabiliùs fuisset obligata ad ferendam hanc lanienam; tum quia in tali supposito sectio fuisset honesta ac licita; tum etiam quia Mater pro salute spirituali prolis tenetur sufferre corporis incommoda, esto videantur duriora, modò de se licita.

Cæterùm, quòd saltem subindè Mater prægnans secari queat sine periculo vitæ, diffusè ostendunt Raynaudus *tom. 14. de Ortu infantium per sectionem Cæsaream c. 5. num. 2. & seqq.* Boudevv. *p. 2. q. 20.* Gobat. *in Append. ad tr. 2. n.* (mihi) *21. & seqq.* aliique plures, pluribus experientiis remonstrantes, hujusmodi sectiones fuisse sæpiùs attentatas, eventu

felicissimo. Testaturque idem Gobat, nobilem Matronam fide dignissimam sibi narrasse, se in difficilibus suis puerperiis usam fuisse opera certæ Obstetricis, quæ bis secuerat in duplici parturitione unam, eandemque Matrem, ac felicissimè ex ejus utero eduxerat duas proles; cùm ob corporis constitutionem eniti nequiret modo naturali ullum fœtum. Et nihilominus dicta Mater bis secta vivebat, & iterum erat prægnans. Ut tamen talis sectio licitè fiat, sapienter monet Zacchias in suis *QQ. Medico legal. tom.* 2. *l.* 9. *tit.* 2. *q. un. n.* 28. observandas esse sequentes conditiones, videlicet. 1. Quòd Mater habeat vires subsistentes pro tolerenda sectione. 2. Quòd non sit minor anno vigesimo, neque major quadragesimo. 3. Quòd non sit valetudinaria, & uterinis morbis obnoxia. 4. Quòd Chyrurgus sit valde peritus. Vid. de hoc Clericatum *de Baptis. decis.* 41. *à n.* 3.

61 R. Ad secundum. Videtur Confessarius non adeò bene fecisse suadendo sectionem; eò quòd procul dubio respectu Semproniæ sectio illa fuerit periculosissima, prout eventus, & mors quantocyùs subsecuta monstravit. Si tamen Medici, aliivè prudentes judicassent, nullum subesse periculum, reprehendi non debuisset Confessarius, quòd ob salutem spiritualem infantis suaserit incisionem: quamvis in similibus casibus periculosis, ubi de vita agitur, Confessarium deceat tacere potiùs, quàm multa loqui, aut suadere remedium tam periculosum.

Irregularitatem tamen probabiliùs non incurrit; non enim ex defectu lenitatis; cùm non concurrerit ad homicidium tanquam Minister justitiæ: neque ex delicto; quia hæc, cùm sit pœna gravis, supponit culpam gravem: Confessarius autem delictum grave non commisit: ergo &c. Vide Layman *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *num.* 4. Reinffestuel. *Theol. mor. tr.* 13. *dist.* 3. *num.* 55.

62 Opportunè hìc insinuandum censeo, quod Gobat, La Croix *num.* 293. Clericatus, aliique plures monent, videlicet, ut si contingat prægnantem mori, antequam fætum enixa est, ejusdem os aperiatur, ne infans in utero latens defectu respirationis necessariæ pereat priùs, quàm eximatur: quod si alii præsentes, vel ex ignorantia, vel etiam ex oblivione negligant, Confessarius fieri curet, & moneat.

CASUS TERTIUS.

Caja adhuc parvula à suis Parentibus derelicta, venit ad quendam pagum, ubi velut ignota ex misericordia suscepta est, & educata ab aliquo, qui eidem nomen Cajæ imposuerat. Cæterùm an unquam fuerit baptizata, vel à quibus progenita Parentibus, prorsus ignorat, proptereàque dum nuper postulavit inscribi Albo Archi-Confraternitatis Cordigerorum S. P. N. Francisci, suum cognomen edicere non potuit. Quæritur, an Caja sit baptizanda?

63 R. Est baptizanda sub conditione. Ratio est: quia Rituale Rom. *tit. de parvulis baptizand.* præcipit, ut infantes expositi & inventi, si re diligenter investigata de eorum Baptismo non constet, baptizentur sub conditione: atqui non constat de Baptismo Cajæ; ergo est baptizanda: præsertim cùm hoc Sacramentum sit summè necessarium ad salutem, & ad alia Sacramenta recipienda. Vide Herincx. *p.* 4. *disp.* 7. *num.* 46. La Croix *l.* 6. *pag.* 1. *num.* 318.

Dices. Sed quid de infantibus expositis, seu etiam inventis cum schedula collo alligata, vel etiam appensa, testante de Baptismo & nomine infanti imposito?

64 R. Secundùm probabiliorem DD. opinionem etiam tales baptizandi sunt sub conditione, nisi aliunde certioribus judiciis constet, eos fuisse validè baptizatos. Ita præter DD. proximè citt. tenent Scot. 4. *d.* 4. *q.* 8. Gobat. *n.* 397 noster Kazenberger *in supplem.* P. Spoter *c.* 1. *sect.* 2. *n.* 72. Ratio est: quia ut superiùs *n.* 40. visum est, Baptismus ab Obstetrice collatus vocatur in dubium, & plerumque saltem, si non semper, est sub conditione reiterandus; ergo multò magis Baptismus talis infantis expositi revocari potest in dubium, eò præsertim, quòd hujusmodi infantes plerumque baptizentur ab ipsa Matre, quæ subinde est vel juvencula, baptizandi modum minimè

gna-

gnara, aut certè vel metu infamiæ, vel doloribus partus angustiata, & perplexa in tantum, ut nesciat, quid in talibus circumstantiis agat, vel egerit. Et quid, si infans fuisset expositus à Judæo, vel alio Baptismum prorsus execrante, schedulaque apposita solùm ad declinandam suspicionem à Parente?

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

65 Colliges primò, tam Diaconum, quàm Sacerdotem, immò & Episcopum in aliena Diœcesi illicitè baptizare, sine licentia Episcopi, vel Parochi proprii. Estque hoc peccatum ex genere suo mortale. Ratio est: quia tali modo injustè usurpatur, & invaditur jus alienum, & quidem in puncto valdè notabili contra constit. *Caus.* 13. *q.* 1. *can.* 1. ubi Papa Dionysius ait: *unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat*. Excusari tamen potest Sacerdos 1. ob licentiam rationabiliter præsumptam Parochi. Item 2. ob parvitatem materiæ, si nempe id faciat semel vel iterum, Parocho non contradicente, nec multùm de hujusmodi baptizatione curante, prout bene docent Gobat, Herincx, Babenstuber *tr.* 8. *p.* 2. *d.* 1. *a.* 5. *n.* 10.

66 Collig. secundò, Etiam Parentes graviter peccare, si prolem suam alieno Parocho absque licentia proprii baptizandam offerant. Ratio est: tum quia violant legem charitatis, cooperando alterius peccato; tum etiam quia contra justitiam adversantur juri proprii Parochi, immò & Ecclesiæ ordinationem transgrediuntur. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 2.

67 Collig. tertiò, Etiam à nativitate amentes sine lucidis intervallis, esse baptizandos; tum quia tales æquiparantur infantibus; tum etiam quia his æquè ac illis Baptismus est necessarius ad salutem. Quòdsi à nativitate amentes, sed aliquando sui compotes exstiterint, attendi debet, an in eo statu ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum, vel non? si prius; baptizandi sunt. Si posterius; non sunt baptizandi ob defectum intentionis. Tandem, si dubitetur, an aliquando intenderint baptizari, baptizandi erunt sub hac conditione: *si Baptismum aliquando desiderasti, ego te baptizo &c. &c.* modò non constet, talem actu existere in statu disgratiæ, & Baptismus differri nequeat in aliud commodius tempus. Bonac. *de Baptis. disp.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 21. Mastrius *Theol. mor. disp.* 17. *n.* 43.

CONFERENTIA

SEPTIMA.

De Baptismi necessitate, effectu, ac ceremoniis.

SUMMARIUM.

68 *Extra casum Martyrii Baptismus fluminis est omnibus hominibus simpliciter necessarius.*
69 *Solvitur quædam instantia.*
70 *Nec sufficit in adulto quodcunque votum baptismi.*
71 *Hujus effectus primarius est remissio omnis culpæ, & pœnæ propriè dictæ: secundarius est character &c.*
72 *In Baptismo solemni necessariò adhibendæ sunt ceremoniæ, ab Ecclesia in Rituali respective proprio præscriptæ, quæ tamen*
73 *In casu necessitatis licitè omittuntur.*
74 *Baptismus regulariter est conferendus in Ecclesia, exceptis prolibus Regum ac Principum.*
75 *Estque in Baptismo solemni adhibendus Patrinus.*
76 *Quinam sint excludendi ab officio Patrini?*
77 *Quid agendum, ubi infans est rebaptizandus;*
78 *Et quid, si Baptismus adulti sit reiterandus?*
79 *Resolvitur Casus I. de Parocho, qui omittendo ceremonias Baptismi graviter peccavit.*
80 *Et quid, si unam solùm, vel alteram omisisset.*

81 In-

81 *Infantem sibi oblatum in Ecclesia filiali, ubi non habetur baptisterium, an licitè baptizaret, animo supplendi cum tempore cerimonias in Ecclesia matrice?*

82 *Resolvitur Casus II. de quodam Barone, qui petiit prolem suam domi baptizari, & quidem sine assistentia Patrini, quem absentem exspectavit.*

83 *Si non fuit periculum in mora, differendus erat Baptismus, vel alius substituendus, qui nomine absentis prolem levaret.*

84 *Neque proles Nobilium baptizandi sunt extra Ecclesiam, nisi alicubi vigeat consuetudo.*

85 *Resolvitur Casus III. de Baptismo, in quo plures volebant agere munus Patrini, & quid Parocho in tali casu agendum?*

86 *Adultus in principiis fidei satis instructus peccat, sine causa differendo susceptionem Baptismi;*

87 *Sicut & Parentes graviter peccant, si proli suæ de Baptismo non provideant.*

88 *Parocho graviter incumbit, diligentem gerere curam libri Baptismalis*

89 *Et quid agendum, vel in eodem libro scribendum, Casu quo Mater illegitimæ prolis nominat Patrem, ipse autem denominatus negat, se esse talem?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Ritu & Ceremoniis in Baptismo adhibendis.

QUæres primò, an, vel quibus Baptismus sit necessarius ad salutem?

68 R. Extra casum Martyrii (de quo suprà *n.5.*) Baptismus est simpliciter necessarius necessitate medii, omnibus hominibus ab Adamo descendentibus, parvulis quidem in re, adultis autem in re, vel saltem in voto. Ita velut de fide decisum legitur in Concil. Milevit. Carthag. & Trid. *sess. 7. de Baptis. can. 5* ibi: *si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.* Ratio autem est: quia illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo (non obstante quacunque ignorantia, vel etiam impotentia) finis, scilicet salus æterna, obtineri non potest: atqui, stante moderna DEI ordinatione, sine Baptismo in re vel saltem in voto, obtineri nequit salus æterna; cùm Christus *Joannis 3.* absolutè protestetur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* ergo. Scot. *4.d.4.q.6.* cum *communissima DD.*

Dices. Idem Christus Dominus *Joann.6.* pari modo dixit: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: & tamen ex his verbis nequaquam licet inferre, sumptionem Eucharistiæ esse necessariam necessitate medii: ergo similiter ex allegatis Christi verbis non probatur, Baptismum esse simpliciter necessarium.

69 R. Neg. conf. Disparitas petenda est ex diversitate utriusque Sacramenti; cùm enim Eucharistia sit Sacramentum vivorum, supponens in homine gratiam sanctificantem primam, eo ipso supponit jus ad hæreditatem æternam: sed hoc ipso sumptio hujus nequit esse simpliciter ad salutem necessaria, sicut Baptismus, qui est Sacramentum mortuorum, non supponens gratiam primam in subjecto, consequenter nec jus ad gloriam. Deinde non omnes sunt capaces refectionis seu nutritionis spiritualis, ad quam Eucharistia per se ordinatur; consequenter præceptum Christi de sumptione hujus nequit intelligi universaliter, & sine ulla limitatione: è contra omnes homines sunt capaces regenerationis spiritualis, immò vult Deus omnes homines salvos fieri, & spiritualiter regenerari: ergo omnes ad Baptismum obligat. Adde, Ecclesiam, semper hoc præceptum intellexisse velut illimitatum; seu pro omnibus datum, non item illud de sumptione Eucharistiæ.

70 Dictum tamen fuit, Baptismum fluminis *saltem in voto* esse simpliciter necessarium adultis; in hujus enim defectu sufficit Baptismus flaminis, prout pulchrè explicat Doctor Seraph. *4.d.4.a.4.q.1.* Quocirca tamen bene animadvertit Herincx. *cit. disp.7. n.9.* non sufficere quodcunque votum: qui enim Baptismum simpliciter desideraret, non idcircò justificaretur: sed requiritur votum conjunctum, seu conten-

tentum in actu amoris Dei super omnia, vel in contritione charitate perfecta, cui competit vis infallibiliter justificandi, ut Theologi communiter docent in *Tract. de grat.*

Quæres secundò, quinam sint effectus Baptismi?

71 R. Effectus primarius, quem per se confert, nisi ponatur obex, est remissio omnis culpæ, tam originalis, quàm actualis ante Baptismum commissæ, itemque omnis pœnæ propriè dictæ. Ita rursus velut de fide decisum habetur in Concil. Florent. itemque Trid. *Sess. 5. in decr. de peccat. origin. Can. 5.* ubi de baptizatis ait: *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur*: at, si quæ culpa, vel pœnæ obligatio post Baptismum remaneret, procul dubio eos remoraretur ab ingressu Cœli: ergo. Præter hunc autem effectum primarium, secundariò quasi confert etiam characterem ceu signum Ovium Christi, simulque conjungit hominem cum Christo ceu capite, subjicit jurisdictioni Ecclesiæ, ac tandem aperit januam Cœli. Vid. S. Bonavent. *cit. d. 4. a. 1. q. 1. & 2.* Filliuc. *tr. 2. n.* 101.

Quæres tertiò, an, vel quænam ceremoniæ sint adhibendæ in administratione Baptismi?

72 R. In Baptismo solemni sunt omnino adhibendæ ceremoniæ in Rituali præscriptæ. Ita *omnes*. Et constat ex Trid. *Sess. 7. de Sacram. in gen. Can.* 13. ubi sic habet: *si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit*. Et certè ratio naturalis dictat, justo Ecclesiæ mandato esse obtemperandum: atqui justè præcipit adhiberi ceremonias; tum ut Sacramenta cum majori solemnitate pro sua dignitate administrentur; tum etiam, ut cum majori reverentia, dispositione & attentione suscipiantur: ergo. Quænam autem sint illæ ceremoniæ, dabunt & docebunt Ritualia cuivis Diœcesi propria.

73 Rursus tamen dictum fuit: *in Baptismo solemni &c.* quia cùm necessitas non habeat legem (ut commune fert adagium) hinc instante periculo, ne v. g. infans decedat sine Baptismo, administrari potest ac debet omissis ceremoniis, prout cavetur in Rituali Passav. *de Baptis. can.* 7.

Quæres quartò, quo loco administrandus sit Baptismus?

74 R. Est administrandus in Ecclesia. Ita *cum commun.* Gobat. *tr. 2. n.* 491. La Croix *n.* 334. Kazenberger *in supplem.* 2. P. Sporer. *c. 1. sect. 3. à n.* 97. Qui unanimiter Ministrum baptizantem extra Ecclesiam sine necessitate, condemnant peccati mortalis; eò quòd Ecclesia hoc severè prohibeat, *Clement. un. de Baptis.* & res ipsa sit magni momenti, quippe ex cujus neglectu varii abusus de facili possent irrepere, prout experientia docuit. Excipiuntur tamen in eadem constitutione proles Regum atque Principum, quæ in Aula licitè baptizantur. Vid. Clericat. *decis.* 30. *n.* 9.

Quæres quintò, sitnè etiam adhibendus Patrinus in Baptismo?

75 R. Est adhibendus in Baptismo solemni. Ita statuitur variis juribus, præsertim in Trid. *Sess. 24. c.* 2. Rationem congruentiæ subministrat Doctor Angelicus S. Thom. *q. 67. art.* 7. dicens: quemadmodum in generatione naturali parvulis datur nutrix; ita oportet, ut in spirituali detur aliquis, qui fungatur vice nutricis, scilicet in rebus animæ salutem concernentibus imbuendo parvulum. Munus itaque Patrini est, ut in defectu Parentum clientem suum instruat in rudimentis fidei, & moribus Christianis; quod si culpabiliter negligat, peccabit graviter: quamquam hoc rarò contingat; eò quòd communiter à Parentibus, Ludimagistris, vel aliis Pedagogis satis instruantur, prout rectè advertunt Suarez, Herincx *cit. n.* 26. aliique plures.

Quæres sextò, quinam ab officio Patrini sint arcendi, seu non admittendi?

76 R. Non sunt admittendi sequentes. 1. Monachi, ut habetur *c. Monachi de consecr. dist.* 4. Nobis quoque Fratribus Minoribus vi Regulæ *S. c.* 11. specialiter interdicitur munus Patrini. 2. Arcendi sunt non baptizati; item 3. Hæretici, utpote de qui-

quibus supponi nequit, quòd unquam sint in se suscepturi curam spiritualem infantis. 4. Ob eandem rationem admitti non debent publicè excommunicati aut interdicti, nec publice criminosi aut infames, neque insani, vel ignorantes rudimenta fidei, prout cavetur in Rituali Rom. *tit. de Patrinis*. Hinc specialiter constat (ait Herincx *cit. p. 4. tr. 2. disp. 7. n. 28.*) excludi pueros ante usum rationis, veluti qui nec spondere, nec instruere possunt; id, quod etiam cavetur in Concilio Parisiensi *lib. 1. c. 45.* teste Illsung. *tr. 6. disp. 2. a. 6. n. 24.* 5. Tandem permitti non debet, ut Parens suscipiat prolem propriam *c. pervenit ad Nos.* 30. *q. 1.* quia Patrinus ordinatur in defectum & subsidium Parentum: ergo ab his debet esse distinctus. Vid. *Rituale Passav. de baptis. can. 5.* vel Clericat. *decis. 4. n. 2. & seqq.*

Quæres septimò, quænam sint observanda, dum Baptismus iteratur?

77 R. 1. Si rebaptizandus est infans jam semel dubiè v. g. in casu necessitatis baptizatus, tunc cessante periculo deferendus est ad Ecclesiam, adhibendæ ceremoniæ, & Baptismus repetendus sub conditione; ut jam suprà dictum. Si autem de Baptismo nullum exstet prudens dubium, solæ ceremoniæ in Ecclesia erunt supplendæ, juxta præscriptum Catechis. Rom Pauli V. *de Baptis. p. 2. c. 2. n. 43.* & Ritual. Pass. *can. 12.*

78 R. 2. Si verò rebaptizandus sit adultus, sibi conscius peccati mortalis personalis, debet 1. elicere con- vel attritionem supernaturalem. 2. Debet peccata post dubium Baptismum commissa subjicere clavibus, & ab illis absolvi sub conditione, ut, si fortè Baptismus fuit validus, satisfaciat præcepto confessionis sacramentalis. 3. Potest talis adultus rebaptizari privatim à quolibet perito, sine Patrino, & aliis ceremoniis Ecclesiæ. Ita Tambur. Mezger, quos citat & sequitur Babenstuber *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 6. n. 34.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ritu, seu Ceremoniis Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos hactenus plures baptizavit infantes, sed quia Ceremoniarum series in Rituali præscripta eidem videbatur longa nimis, præsertim verò illa adjuratio: Ergo maledicte Diabole &c. *sæpiùs repetenda; hinc non nisi semel insufflavit; semel infantem cruce signavit, & unicam tantùm orationem recitavit, subjuncta illa adjuratione:* Ergo maledicte Diabole &c. *reliquas verò insufflationes, crucis signationes, orationes & adjurationes omisit. Jam verò dubitat, an, vel qualiter peccaverit?*

79 R. Probabiliùs peccavit mortaliter, toties quoties præfatas ceremonias omisit sine necessitate. Ratio est: quia Titius meritò præsumitur contemnere Ecclesiæ ceremonias pro Baptismi administratione præscriptas, dum illas, vel saltem plures ex illis sine necessitate omittit: at hoc graviter repugnat virtuti Religionis, propterea que Tridentinum *cit. n. 72.* anathemate ferit eos, qui dicunt, Ecclesiæ Catholicæ ritus contemni posse: ergo. Ex quo Nugnus, Gobat *n. 469.* & La-Croix *n. 339.* inferunt, etiam illum mortaliter delinquere, qui sine necessitate unam solùm notabilem ceremoniam Baptismi negligit.

80 Dixi: *Notabilem Ceremoniam;* qualis est v. g. unctio Chrismatis &c. Nam qui unam solùm vel alteram non notabilem omittit, venialiter solùm peccat, ut rectè observat Gobat *l. cit.* mox subjungens, quemlibet sub gravi veniali peccato teneri observare ceremonias seu ritus receptos in Diœcesi, in qua administrat hoc Sacramentum: secus enim in Ecclesiam inveheretur confusio.

Dices. Quid si autem Parocho vel Capellano in Ecclesia filiali, ubi non habetur Chrisma, nec Baptisterium, offeratur infans baptizandus, an licitè illum baptizabit animo supplendi suo tempore ceremo-

nias

nias in Ecclesia matrice, dum infans ad eandem fuerit deportatus?

81 R. Si infans facilè posset deportari ad Ecclesiam matricem, peccabit graviter baptizando in filiali omissis ceremoniis: si verò supponatur, tam facilè deportari non posse, vel quia Ecclesia filialis à Matrice multùm distat, vel quia Cœlum pluvium seu nimbosum, aut tempore hyemali rigidum, nec subsit periculum scandali, vel inducendi morem contrarium *Clementinæ citat.* arbitror (ait Gobat. *n.* 504.) fore nimis rigidum Theologum, qui hoc opus charitatis damnaret noxæ lethalis: si quis ne venialis quidem, haberet me adstipulatorem. Quia verò inter præcipuas ceremonias Baptismi est Chrismatio & Unctio, existimo, utramque meritò esse posteà supplendam). Ita Doct. cit. cui lubens adstipulor.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius L. Baro nova prole beatus à Superis, in patrinum postulavit alium quendam Virum illustrem, & magni nominis, sed absentem; & quia hic antè unam alteramvè hebdomadam venturus non speratur, hinc Sempronius petiit à suo D. Parocho, vellet interim domi baptizare prolem non solemniter, & sine assistentia Patrini, tum verò primùm, cùm hic advenerit, in Ecclesia supplere ceremonias. An licitè hoc faciet D. Parochus?

82 R. Si subsit periculum ne infans moriatur, aut ne ex delatione ad Ecclesiam infirmitatem contrahat, utique licitè baptizabitur domi, etiam prætermissis solemnitatibus, ut communiter fatentur DD. & constare debet ex dictis *n.* 74. At verò si nullum subsit periculum, non oportet baptizare intermissis solemnitatibus, sed exspectare, donec cum decente solemnitate Baptismus administrari valeat, tametsi unum aut sesqui-mensem exspectandum foret, ait Laymann. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *num.* 9. ubi tamen invigilandum, ne ex ingruente infirmitate infans sine baptismo decedat.

Dices. At quid, si subesset aliquale, non tamen grande periculum, dabitnè hoc causam sufficientem privatim baptizandi, & solemnitates differendi usque ad adventum Patrini illustris?

83 R. Non desunt, qui id affirmant. Verùm Pax Jord. Hurtadus, Toletus, Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 33. *sect.* 1. *n.* 2. Palao *tr.* 19. *pu.* 8. *n.* 4. meliùs negant, extra verè gravem necessitatem, aut periculum mortis id esse licitum; quandoquidem Ecclesia severè præcipit, & inculcat adhibendas ceremonias. Nec apparet, cur propter exspectationem Patrini differantur solæ ceremoniæ: quia revera talis non ampliùs poterit agere compatrem, secundùm communem DD. opinionem, quam tenent etiam Armilla, Angelus, Navarrus *c.* 22. *n.* 40. cùm infans jam fuerit baptizatus, & spiritualiter regeneratus. Quare videtur magis expediens, ut vir ille illustris moneatur, quatenus velit aliquem denominare, qui suo nomine levet infantem solemniter baptizandum.

Dices. Permulti Doctores tenent, constitutionem Clement. qua permittitur ut proles Regum ac Principum baptizentur in Aula, extendi posse etiam ad proles Comitum, Baronum, immò omnium obtinentium jurisdictionem temporalem; eò quòd sit favorabilis, propterea que latè interpretanda, *argum. l. Beneficium. ff. de Constit. Princip.* ergo etiam extra casum necessitatis infans Sempronii nostri licitè baptizaretur domi absque solemnitatibus.

84 R. Esto multi hoc doceant, plures tamen contradicunt: quia præfata constitutio non est extendenda ultra proprietatem verborum: atqui nomine Regum ac Principum propriè loquendo non veniunt quivis jurisdictionem temporalem obtinentes: ergo &c. Hinc communiter monent DD. in praxi standum esse consuetudini receptæ in qualibet Diœcesi: atqui in nostra hac inclyta Diœcesi Passaviensi non videtur consuetudine receptum, ut proles Nobilium baptizentur domi suæ, præsertim sine solemnitatibus. Quin immò, constat mihi certò, Celsissimum nostrum JOSEPHUM DOMINICUM quadriennio abhinc non permisisse, ut quædam Baronissa domi baptizaretur, sed jussisse, eandem more aliorum deferri ad Ecclesiam: ergo. Testatur etiam La Croix. *l.* 6.

l. 6. p. 1. n. 337. in Archi-Diœcesi Coloniensi id non permitti. In Constantiensi autem (teste Gobat. *tr.* 2. *n.* 492.) permittitur quidem Nobilibus, ut eorum filii baptizentur extra Ecclesiam, sed non, nisi in Sacello vel Oratorio. Ex quibus prudens Minister facilè concludet, sibi in hoc puncto cautè procedendum; præsertim cùm permulti doceant, esse peccatum mortale, baptizare extra Ecclesiam sine necessitate, vel consuetudine legitimè præscripta, vel etiam sine dispensatione. Videatur Ilsung. *tr. 6. disp. 2. art. 6. n.* 29.

CASUS TERTIUS.

Quidam D. Parocho haud nuper delatus fuit infans Caji baptizandus, quem præter Obstetricem comitabantur vir unus, & duæ aliæ mulieres, volentes singuli levare infantem. Vir dicebat, sibi hoc competere, eò quòd hactenus semper egerit Patrinum prolium Caji: è contra una mulier asserebat, se à Patre, altera dictitabat, se à Matre fuisse rogatam, ut prolem levaret. Quid jam agendum in hoc casu?

85 R. Non debet D. Parochus admittere omnes, neque utramque fœminam, sed vel solum virum, vel præter virum unam tantùm mulierem. Ita enim statuitur *c. Non plures dist. 4. de consecr.* item in Trid. *sess. 24. c. 2. de reform. matri.* ubi dicitur: *unus tantùm, sive vir, sive fœmina, vel ad summum unus & una debent baptizatum suscipere*; quocirca Laym. aliique rectè dicunt, oportere, ut in Baptismo masculi vir, in Baptismo autem fæmellæ fæmina munus Patrini obeat. Cæterùm, si Parentes assignent unum vel plures Patrinos ineptos, vel etiam si dignosci nequeat, quem, vel quos designaverint, relinquitur arbitrio D. Parochi, ut ipse designet, prout statuitur in Rituali Passav. *de Baptis. can.* 6. sequentibus verbis: *quòd si plures duobus sese tanquam patrinos sistere velint, nec possit Parochus à Parente baptizandæ prolis, aut ab Obstetrice, aut ab alio quopiam certò cognoscere duos illos, qui libro sint inscribendi, & spiritualem cognationem contracturi, liberum sit Parocho, ex pluribus duos ad hoc munus maximè idoneos deligere, & eos patrinos declarare.* Quænam autem conditiones requirantur, ut Patrinus contrahat cognationem spiritualem, diximus *de matrim. n.* 137. potestque de hoc videri Laym. *cit. c.* 9. Clericatus *de matrim. decis.* 23. *à num.* 10. Schmalzgr. *h. tit. n.* 34. *& seqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

86 Colliges primò, Adultum, qui semel est satis instructus in fide, vel qui potest brevi sufficienter instrui, diu absque peccato non posse differre, seu negligere Baptismum. Ita omnes. Ratio est: quia quivis, dum commodè potest, tenetur intrare Ecclesiam, & fieri membrum mystici Corporis Christi: neque enim sufficit in Ecclesia tantùm mori, sed necessum est in ea vivere; nam idcirco Christus instituit Ecclesiæ Rectores & Pastores: atqui Ecclesiam intrare, aut membrum mystici Corporis Christi evadere nemo potest, nisi per viam Baptismi: ergo &c. Fatendum tamen est, eum, qui parum differt Baptismum, non statim graviter delinquere. Quando autem dilatio censenda sit notabilis, debet prudenter dijudicari, spectatis causis occurrentibus; quæ, si rationabiles sint, nullum erit peccatum, aliquantò diutiùs differre Baptismum juxta earum exigentiam: qua ratione S. Ambrosius, Nazianzenus, aliique nonnulli graves & SS. Viri, licèt satis instructi, leguntur Baptismum per sat longum tempus distulisse. Vid. Herincx, ubi suprà *disp. 7. n.* 12.

87 Collig. secundò, Parentes sub mortali obligari, ut suis prolibus tempestivè provideant de Baptismo. Ratio est. Tum quia ita fert communis consuetudo, ne citra legitimam causam diu differatur Baptismus infantium; tum etiam, quia valde repugnat pietati & charitati Parentum, permittere, ut sui liberi diu maneant membra Diaboli, quando facili negotio procurare possent, ut fierent membra Christi. Quòd si Parentum, aut etiam Tutorum negligentia vel incuria id contingat, Parochi seu Pastoris Ecclesiæ erit corrigere, & supplere hujusmodi defectum, prout cavetur

in

in Rit. Rom. Pauli V. Babenstuber *tr.8.p.2. d. 1. a. 6. n. 6.* aliique plures.

88 Collig. tandem tertiò, Parocho incumbere, ut gerat diligentem curam libri baptismalis. Res quippe est gravissimi momenti; quandoquidem ex illo libro petitur testimonium ætatis pro Ordinibus, Professione, Matrimonio, jejunii inchoatione necessaria, liberatione à Tutela, Minorennitate; item testimonium de cognatione spirituali, deque Parentibus. Quantæ verò ex hujus defectu non rarò natæ sint difficultates, & incommoditates, multiplex sanè docuit experientia. Unde Possev. Quintanadv. *singul. tr. 2. singulari 2.* aliique plures peccati mortalis damnant Parochum, qui scienter & ex negligentia frequenter, seu plures baptizatos non scribit. Et Concilium Trid. *Sess. 24. Cap. 2. de reform. matrim.* vult, arbitrio Ordinarii puniri negligentes. Idcircò oportet, non solum annum, mensem, ac diem, unà cum nomine & cognomine Patrini vel Patrinorum, Parentum, & ipsius etiam baptizati; sed insuper ipsam horam, in qua natus fuit infans, accuratè describere, prout nuper in nostra hac Diœcesi sapientissimè ordinatum & mandatum fuisse, audivi à quodam R. D. Parocho, mihi per quàm noto, qui idipsum hactenus accuratè observavit.

Dices adhuc. Sed quid aget Parochus, casu quo Mater prolis illegitimæ nominat Patrem, ipse verò denominatus negat se esse Parentem?

89 R. Cum P. Gobat, *tr.2. n.592.* in tali casu non esse absolutè scribendum nomen illius denominati Parentis, sed cum quadam cautela & clausula in libro baptizatorum scribendum erit hoc modo: *Pater ejus* (scilicet prolis) *est v.g. Petrus, ut dicit Mater*. Nec improbandum censeo, quod nuperrime in simili casu à quodam Domino Parocho factum esse intellexi, qui prolis baptizatæ cognomen, unà cum nomine, & cognomine Patris, à Matre suspecta dictitati, libro baptismali inferere noluit, donec causa maturiùs discussa, à Judice legitimo certus Parens declararetur.

CONFERENTIA

OCTAVA.

De Sacramento Confirmationis.

SUMMARIUM.

1 *Confirmatio est verum, & propriè dictum Sacramentum N. L.*
2 *Fuit à Christo Domino instituta in ultima Cœna.*
3 *Materia remota hujus est Chrisma &c.*
4 *Forma est hæc*: signo te signo crucis, & confirmo te &c.
5 *Minister ordinarius est Episcopus.*
6 *Extraordinarius ex commissione Papæ, potest esse simplex Sacerdos.*
7 *Ad validam hujus Sacramenti susceptionem ex parte subjecti requiritur. 1. Intentio. 2. Baptismus. Ad licitam verò 3. etiam status gratiæ.*
8 *Nullum tamen exstat præceptum graviter obligans ad hujus Sacramenti perceptionem.*
9 *Ceremoniæ circa hoc observandæ enumerantur sex*
10 *Resolvitur Casus I. de quadam muliere, quæ filiolum suum quinquennem obtulit confirmandum, propriisque sustentabat manibus.*
11 *Confirmatio talis pueri, facta ab Episcopo in maxilla, & non in fronte, probabiliùs fuit nulla.*
12 *Resolvitur Casus II. de studioso, qui vult suscipere Ordines, dubitat tamen, an sit confirmatus.*
13 *Talis probabiliter non peccat graviter, esto confirmationem petere dissimulet.*
14 *Resolvitur Casus III. de illo, qui non confirmatus tenuit puerum cujusdam Viduæ, quam modò vult ducere in uxorem.*
15 *Cur talis non exponat Sacramentum matrimonii periculo nullitatis?*
16 *An plures simul eundem tenentes cognationem spiritualem contrahant, disputant Doctores utrinque probabiliter.*
17 *Confirmatio vel solo oleo simplici, vel solo*

solo balsamo, vel Chrismate quidem, sed non benedicto facta, est nulla.

18 *Non est differenda confirmatio pueri, posteaquam adeptus est usum rationis.*

19 *Etiam parvulis, & aliis morituris, immò & amentibus, per se loquendo debet, vel saltem potest utiliter administrari.*

20 *Adultus contemnendo hoc Sacramentum, peccat mortaliter.*

21 *Item peccant graviter, qui hoc Sacramentum sæpiùs suscipiunt.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Sacramento Confirmationis.

QUæres primò, quid sit Confirmatio?

1 R. Est Sacramentum, quo homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. Ita Concil. Florent. *in decret. Eugen.* Ex quo patet, Confirmationem esse verum, & propriè dictum Sacramentum novæ legis; cùm sit signum sensibile, collativum gratiæ sanctificantis ex opere operato &c. Meritò proin Hæretici oppositum asserentes anathematizantur à Concilio Trid. *Sess. 7. can. 1. de Confir.* Vide D. Bonav. 4. *d. 7. a. 2. q. 1. n. 21.*

Dices. Nullibi clarè constat ex S. Scriptura de institutione hujus Sacramenti: ergo à Catholicis malè asseritur.

2 R. Etiam nullibi clarè constat ex S. Scriptura, esse duo tantùm, aut tria Sacramenta, ut asserunt hæretici. Sufficit proin, institutionem hujus Sacramenti constare ex traditione, usuque perpetuo jam inde à Christo D. & Apostolis derivato, esto non constaret clarè ex S. Scriptura. Quin immò in Scriptura S. clarè habetur *Act. 8. & 19. c.* Apostolos Fidelibus imposuisse manus, ut reciperent Spiritum sanctum: at, quod Apostoli tunc fecerunt per manus impositionem, idem facit hodie Ecclesia per Chrismatis unctionem, seu Confirmationem, prout docent Innocent. III. *c. un. de Sacr. unct. §. fin.* Et Innocent. IV. *epist. ad Episc. Tusculanum.*

Dicendum igitur est, & cum Ecclesia firmiter tenendum, hoc Sacramentum fuisse à Christo Domino institutum in ultima cœna, quia (teste Fabiano Papa *in epist. 2. c. 1.*) tunc designavit ejus materiam & formam, docuitque Apostolos conficere Chrisma, quamvis etiam fatendum, illud consummativè & completè fuisse institutum post resurrectionem, quando Christus *Joann. 20.* Apostolis tradidit potestatem, hoc Sacramentum aliis administrandi. Herincx. *p. 4. tr. 2. disp. 9. n. 10.* Babenstuber. *tr. 8. p. 2. d. 2. a. 1. n. 6.*

Quæres secundò, quænam sit hujus Sacramenti Materia?

3 R. Materia Confirmationis remota est Chrisma, confectum ex oleo olivarum & balsamo, atque ab Episcopo benedictum, ut habetur. *c. cùm venisset. de Sacr. Unct.* Proxima autem materia est Unctio cum Chrismate facta ab Episcopo in fronte hominis baptizati ad modum crucis. Ita Catholici *omnes* cum Scot. 4. *d. 7. q. 1.* Et habetur decisum tum in Concilio Florent. tum etiam in Trid. *Sess. 7. can. 2. de Confir.* Vide Clericatum *decis. 54.* ubi pulcherrimas affert rationes mysticas, ob quas Christus voluit adhiberi Chrisma confectum ex oleo & balsamo.

Quæres tertiò, quænam sit forma hujus Sacramenti.

4 R. Forma, qua Ecclesia latina utitur, est hæc: *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen.* Ita rursus *cum communi* Scot. *l. c.* Laym. Cleric. & alii. Cæterùm, an omnia hæc verba sint de essentia & necessitate Sacramenti, multùm disputant, & inter se dissident DD. quibusdam affirmantibus, aliis verò negantibus. Mastrius, Bosco, Herincx, aliique Scotistæ satis probabile existimant, hæc sola verba: *signo te in nomine Patris &c.* vel: *confirmo te in nomine Patris & Filii &c.* sufficere ad valorem. Fatentur tamen omnes, omnia præmemorata verba, esse de necessitate præcepti, ita, ut Episcopus ea, vel eorum aliqua omittendo peccet mortaliter. Ratio est: quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis, sequendo sen-

sententiam minùs tutam relicta tutiore, & quidem sine necessitate, quod certè non vacat culpa gravi. Mastrius 4. *disp* 2. *n*.236. *& seqq*. Kazenberger *in supplem. Theol. Sacram*. P. Sporer *c*. 2. *sect*. 1. *n*. 18. Suarez, La Croix, Caspensis & alii.

Quæres quartò, quisnam sit Minister hujus Sacramenti?

5 R. Minister ordinarius est solus Episcopus. Ita rursus Catholici *omnes*. Et habetur decisum nedum in Concil. Florent. sed etiam in Trid. *Sess*. 7. *can*. 3. *de confirm*. Item *Sess*. 23. *can*. 7. Quamvis autem ratio à priori alia dari nequeat, quàm beneplacitum divinæ voluntatis; congruum tamen videtur ex eo, quia, ut ait Doctor Seraph. S. Bonavent. *cit. d*. 7. *a*. 1. *q*. 3. *num*. (mihi) 16. Apostoli, eorumque Successores, Episcopi, sunt Prælati in Ecclesia principales: Prælati autem duplex est officium, scilicet inferiores in gradu suo statuere, & collocare in ordine, & murum opponere se, sive gregem suum defendere, ideò ipsi soli (Episcopi) ordines faciunt, & corroborant. Ita Sanctus Doctor.

6 Dixi: *Minister ordinarius* est Episcopus; nam extraordinarius ex speciali commissione S. Pontificis potest esse simplex Sacerdos; qua ratione *c. pervenit. dist*. 95. legitur Gregorius Magnus Sacerdotibus Sardiniæ potestatem confirmandi delegasse. Eandem potestatem Adrianus VI. concessit Fratribus minoribus in India degentibus, teste Herincx *cit. disp*. 9. *n*. 43. Hinc Concil. Florent *in Decreto de Armenis* ait: *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis Sacramentum.*

Quæres quintò, quænam dispositio requiratur ex parte Subjecti?

7 R. Ad validam hujus Sacramenti susceptionem, præter intentionem saltem habitualem, insuper requiritur Baptismus, velut janua ad reliqua Sacramenta, ut constat ex *c*. 1. *&* 2. *de Presbyt. non baptizato*. Ad licitam verò susceptionem est etiam necessarius status gratiæ. Ita *communis*. Ratio est: quia confirmatio est Sacramentum vivorum: ergo supponit hominem spiritualiter viventem, seu præditum gratia sanctificante. Vid. *Catechism. Rom. de confirm*. §. 14.

Quæres sextò, deturnè obligatio, vel præceptum aliquod hoc Sacramentum suscipiendi?

8 R. Non exstat præceptum; quia nullibi constat de hoc: proindeque per se loquendo nullus fidelium obligatur ad hujus susceptionem, prout communissimè fatentur DD. Nihilominus supposita institutione divina ipsa ratio naturalis dictat, hoc Sacramentum non esse contemnendum, aut vilipendendum. Cumque magna utilitas & fructus multiplex inde proveniat, utputa 1. Gratia sanctificans. 2. Character militum Christi, & 3. jus ad percipiendas gratias actuales, quibus veram fidem invictè & intrepidè propugnemus; idcircò à DD. Parochis, aliisque animarum Pastoribus excitandi, & cohortandi sunt fideles, ut hoc Sacramentum non negligant, sed potiùs debita cum reverentia, ac dispositione illud suscipere conentur. Scot. 4. *d*. 7. *q*. 2. D. Bonavent. *ead. dist*. Mastr. 4. *disp*. 1. *n*. 369. Cleric. *decis*. 60. *n*. 10.

Quæres septimò, quibus cum ceremoniis hoc Sacramentum sit administrandum, & recipiendnm?

9 R. Breviter cum P. Herincx *cit. n*.64. Kazenberg. aliisque Doctoribus, observandas esse sex sequentes ceremonias. 1. Episcopus ob reverentiam Sacramenti debet indui habitu pontificali. 2. Frons confirmati obliganda est fascia, seu vitta linea, cruce notata, & quidem ad aliquot dies gestanda, ne sacrum Chrisma irreverenter aliis rebus inhæreat, aut illiniatur: nec frons interim lavari debet. Potest tamen, si ratio subsit (ait post Præposit. Busembaum hìc *dub*. 3. *Resp*. 2. *n*. 3.) fascia statim auferri, & fons ablui (id, quod etiam in hac nostra Diœcesi practicari hisce meis oculis perspexi) vitta tamen debet comburi, vel honestè asservari, nec ad profanos usus adhiberi, propter contactum Chrismatis: neque solvens illam contrahit cognationem. 3. Episcopus confirmato infligit alapam, dicens *pax tecum*, partim ut confirmatus recordetur, se hoc Sacramento armari ad ferendas pro Christo injurias; partim etiam, ut recordetur ipsius Sacramenti suscepti, quo adscriptus est militiæ spiri-

tuali.

tuali. 4. Observanda est circumstantia loci, qui, si commodè fieri potest, debet esse Ecclesia; & 5. circumstantia temporis sacri, quod deberet esse tempus Paschæ aut Pentecostes. Quia tamen defactò plerùmque maximus fit concursus hominum, & ob distantiam locorum non omnes confluere possunt ad sedem Episcopalem; hinc Celsissimus noster laudabiliter solet hoc Sacramentum administrare tempore visitationis, subinde etiam in domo parochiali, vel alio loco decenti & accommodo, licèt extra Ecclesiam. Sexta tandem ceremonia est, ut adhibeatur Patrinus, & quidem juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem distinctus à Patrino Baptismi, qui confirmatum teneat, humeris, aut certè humero dextro ipsius imponendo manum; cui etiam post patrinum Baptismi incumbit cura spiritualis, in defectu Parentum. Cæterùm, quinam ad hoc munus Patrini sint admittendi vel non, diximus suprà de Baptismo *n.* 76. Est enim quantùm ad Patrinum Baptismi & confirmationis par ratio.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Sacramento Confirmationis.

CASUS PRIMUS.

Titia pia, ac devota Mater filiolum suum quinquennem detulit ad locum Confirmationis, eundemque velut parvulum & frustum hominis, propriis sustentabat manibus. Quia verò Episcopus ob populi tumultum retrò se excitatum inopinatò respexerat, contigit, ut loco frontis maxillam præfati parvuli inungeret sacro Chrismate. Qua ratione jam dubitat Titia, & quærit 1. *An benefecerit, offerendo, & propriis manibus sustentando suum filiolum?* 2. *Quid de tali Confirmatione sibi tenendum?*

10 R. Ad primum. Si Titia rationabiliter timuit, ne defectu occasionis vel Ministri filiolus suus longo tempore, vel omnino in perpetuum deberet carere beneficio hujus Sacramenti, haud quaquam foret redarguenda ex eo, quòd tam parvulum obtulerit confirmandum. Licèt enim (ut constat ex praxi) Ecclesia laudabiliter exigat in confirmando usum rationis, tum ut hoc Sacramentum majori cum reverentia suscipiatur, tum etiam ut evitetur periculum iteratæ susceptionis, tum denique ut ipse confirmatus possit aliquo modo fidem suam profiteri; hæc tamen praxis & consuetudo Ecclesiæ non obligat, præsertim in illis locis, ubi hoc Sacramentum rarò administratur, prout passim sentiunt DD. & supponere videtur Catechismus Rom. *loc. proximè cit.* Verùm, in hac nostra Diœcesi, ubi Zelosissimus noster, ac Celsissimus Princeps JOSEPHUS DOMINICUS singulis annis qua domi, in Civitate scilicet Passaviensi, qua ruri etiam in visitationibus, incredibili, & nunquam satis deprædicanda vigilantiæ pastoralis & solertiæ contentione hoc Sacramentum administrat, Titiam minùs laudabiliter egisse judico, dum ante adeptum rationis usum filiolum suum admovit Sacramento huic, contra Ecclesiæ praxin & consuetudinem. Magis adhuc culpanda videtur ex eo, quòd propriis manibus illum sustentando egerit quasi patrinam; quia cùm Patrinus ab Ecclesia substituatur in defectum Parentum, ab his omnino diversus sit, oportet, prout jam suprà de Baptismo *n.* 76. dictum fuit.

11 R. Ad secundum, Confirmationem factam in maxilla, probabiliùs esse nullam. Ita Diana, quam citat, & sequitur Clericatus *de Confirm. decis.* 66. Etenim quòd Unctio in fronte sit de essentia hujus Sacramenti, omnino verosimilius est, si non certum. Immò opinionem contrariam Diana Coord. *tom.* 1. *tr.* 2. *Resol.* 6. *n.* 2. non veretur appellare falsam & erroneam, eò præsertim ex capite, quòd omnes Sancti Patres, Pontifices, & Canones de hac S. Unctione loquentes semper afferant, esse faciendam in fronte. Et licèt Ecclesia nondum definierit Unctionem frontis esse de essentia hujus Sacramenti, id tamen docet praxis, & nunquam interrupta antiquissima observantia Ecclesiæ. Adde eodem jure præscribi, Unctionem esse faciendam in figura crucis, & in fronte: ergo utramque censet essentialem. Vide Clericatum, in praxi Ecclesiæ versatissimum *l. cit. n.* 2. ubi

pro

pro eadem opinione allegat S. Thomam, Suarez, Sylveſt. Layman, & alios.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cogitat proximè ſuſcipere Ordines minores, cùm verò dubitet, an unquam fuerit confirmatus, hinc quærit, an teneatur, priùs quàm ordines præfatos ſuſcipiat, petere Sacramentum Confirmationis? Quid reſpondendum?

12 R. Si Sempronius merè negativè dubitet, ita, ut non ſuppetat rationabile fundamentum ſuſpicandi, ſe eſſe confirmatum, poteſt, immò debet abſolutè petere priùs Confirmationem; partim quia Eccleſia vult Confirmationem præmitti Ordinibus; partim etiam, quia in dubio factum non præſumitur: ergo nec Confirmatio. Si verò Sempronius dubitet poſitivè, eò quòd occurrat una, alteravè ratio judicandi, ſe fuiſſe confirmatum, & tale dubium vinci nequeat, debet petere, ut ab Epiſcopo confirmetur, non quidem abſolutè, ne Sacramentum forſitan iteratò ſuſcipiat, ſed ſub conditione, *ſi nondum ſit confirmatus*. Ratio eſt: quia Tridentinum *Seſſ.* 23. *de reform. matr. c.* 4. vult, ac præſcribit, ut prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint. Et meritò; quippe indecens foret, ad dignitatem, & altiores gradus Eccleſiæ, ſeu etiam in Miniſtrum aut Præconem fidei promoveri talem, qui mediante Sacramento Confirmationis in vera Fide nunquam fuit corroboratus. Quia tamen Confirmatio non eſt ita neceſſaria ſicut Baptiſmus; hinc, ut licitè petatur, vel adminiſtretur ſub conditione, requiritur majus dubium, quàm pro repetitione Baptiſmi, prout rectè advertunt Nugnus, Bardi, Gobat. *cit. tr.* 2. *n.* 763. & La Croix *l.* 6. *p.* 1. *n.* 393.

Dices. Sed quid, ſi Sempronius noſter ſuſciperet Ordines minores, non petita priùs Confirmatione, peccaretnè graviter?

13 R. Non peccaret graviter; quia non poteſt oſtendi præceptum graviter obligans ad ſuſceptionem Confirmationis. Concilium enim Trident. mox allegatum (ut notat Barboſa in hunc locum) potiùs monere videtur, quàm præcipere, ut non initientur prima tonſura, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint: ergo cùm aliunde ſupponatur dubium, an Sempronius non fuerit jam confirmatus, dicendum, quòd ſuſcipiendo minores Ordines diſſimulata confirmationis petitione, graviter ſaltem non peccaverit. Caſtrop. Salmatic. Suarez, Navarrus Babenſtub. ubi ſuprà *a.* 3. *n.* 9. Reinffeſtuel. *Theol. mor. tr.* 14. *diſt.* 3. *n.* 49.

CASUS TERTIUS.

Cajus non confirmatus tenuit ad confirmationem puerum, cujus Matrem Viduam modò vult in uxorem ducere. Dubitat tamen, & quærit, an propterea non contraxerit cum præfata Vidua cognationem ſpiritualem matrimonio repugnantem?

14 R. Probabiliſſimè non contraxit cognationem, ideòque tutò poteſt ducere Viduam illam. Ita Sanchez *de Matrim. l.* 7. *d.* 60. *n.* 20 Lugo *lib.* 3. *de Confirm. c.* 5. *q.* 1. Clericat. *deciſ.* 59. *n.* 5. quem ſequitur Matthæucc. *in Cautel. Confeſſ. l.* 4. *c.* 3. *fin.* Ratio potiſſima deſumitur tum ex *cap. in Baptiſmate de Conſecr. diſt.* 4. tum etiam ex Pontificali *Rom. tit. de Confirm.* ubi dicitur: *nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione patrinus*. Et quod ly *non poteſt*, habeat vim irritandi actum, tenent plurimi tum Canoniſtæ, tum etiam Theologi ampliſſimi nominis, videndi apud Clericatum, *l. cit.* Quibus accedit Em. Card. de Laurea *de imped. Matr. diſp.* 28. *n.* 102. & *ſeqq.* Idcircò, cùm tantæ prudentiæ, ſcientiæ, & experientiæ in Romana Curia Auctorem habeamus, docentem, à Patrino non Confirmato nullam contrahi cognationem ſpiritualem, abſque hæſitatione dicendum, quòd Cajus noſter ſine ſcrupulo poſſit ducere præfatam Viduam; eò præſertim, quòd juxta Regulas Juris odioſa ſint reſtringenda, & contra eum, qui potuit clariùs dicere legem, facienda interpretatio.

Dices. Multi Doctores tenent, à Patrinò etiam non confirmato contrahi impedimentum cognationis ſpiritualis: ergo Cajus ducendo Viduam hanc, exponet Sacramentum Matrimonii periculo nullitatis, utique non abſque ſacrilegio.

15. R. Neg. Conſeq. Eſto enim multi

hoc teneant, quia tamen plures id negant, hoc ipso manet quodammodo dubium speculativum, utrùm Cajus contraxerit impedimentum? atqui in dubio, an impedimentum præsertim juris humani fuerit contractum, manet melior conditio possidentis suam libertatem cum qualibet contrahendi, & Ecclesia velut pia Mater tale matrimonium, subjectum suæ potestati, tacitè approbat, sicut approbat matrimonium contractum coram Parocho existimato; & jurisdictionem certò tribuit, quando Minister cum jurisdictione probabili & titulo colorato absolvit: ergo Sacramentum nullatenus exponitur periculo. Vide Carden. *Crisith:olog. diss. 2. n. 529.* Kugler *de Matr. n. 1533.* Viva *ad 1. propos. ab Innocent. dam. n. 29.*

Dices adhuc. At quid, si plures, licèt contra præscriptum Tridentini, simul teneant eundem infantem ad confirmationem?

16 R. Utrùm in tali casu omnes designati cognationem contrahant, multùm disputant, & inter se dissident DD. prout videre licet apud Sanchez, Clericat. *cit. decis. 60.* & alios. Ego utramque sententiam judico probabilem, probabiliorem tamen affirmativam, quòd scilicet singuli contrahant. Non tamen dubito, quin in casu mox dato singuli possent ducere Viduam, ob rationes numero præcedenti datas.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

17 COlliges primò, Confirmationem esse nullam, si fiat vel solo balsamo, vel solo oleo simplici, vel chrismate quidem, sed non benedicto. Ratio patet ex præmissis: quia materia essentialis hujus Sacramenti est Chrisma ab Episcopo benedictum: ergo hoc deficiente, deficit pars essentialis, & per consequens ipsum Sacramentum. Valet tamen Confirmatio collata in chrismate veteri, seu priori jam anno benedicto; quia adhuc manet chrisma benedictum ab Episcopo, ideoque materia essentialis, quamvis Episcopus graviter peccaret utendo veteri chrismate, ut communiter tenent DD. & cum illis Scotus ubi suprà, Bosco *part. 1. disp. 3. sect. 1. à n. 40.*

18 Collig. secundò, condecens esse, ut dum puer explevit septimum annum ætatis, vel ante illum quoque putatur assecutus usum rationis, confirmatio ejusdem non diu differatur; tum quia digniùs eam suscipiet adhuc innocens, seu gratiam baptismalem servans illæsam; tum etiam, quia hoc Sacramentum est institutum in remedium, quo homo à gravioribus lapsibus præservetur.

19 Collig. tertiò, hoc Sacramentum per se loquendo esse administrandum etiam Parvulis, aliisque in mortis articulo constitutis, idque ob gratiæ ampliationem inde participandam, vi cujus homo ad conflictum spiritualem armatur. Esto etiam tales supponantur nunquam pugnaturi, quia tamen hæc arma sunt præmunientia, & meliùs est, hominem muniri ante læsionem, quàm post; hinc nec parvuli, nec morituri entes sunt fraudandi hoc Sacramento: idipsum concedendum est amentibus, modò non constet, tales in amentiam incidisse in statu peccati mortalis, vel ante amentiam contra hoc Sacramentum excepisse. D. Thom. S. Bonavent. ubi suprà. *dist. 7. a. 3. q. 1. nu. 31.* Laym. *l. 5. tr. 3. c. 5.* Filliuc. *tr. 3. c. 2. n. 34. & seqq.*

20 Collig. quartò, Adultum, qui hoc Sacramentum contemnit, seu ex contemptu non recipit, peccare mortaliter. Ita cum *communi* Castropal. *tr. 20. pu. 8. nu. 6.* Herincx *disp. 9. n. 55.* Babenstub. *cit. a. 3. n. 8.* Ratio est: quia gravem injuriam infert Sacramento, ejusdemque institutori Christo. Quocirca tamen notandum, illum reputari contemnere, qui ideò non recipit, quia Confirmationem nihili facit, vel reputat aliquid vile, puerile, & sua persona indignum. Qui verò dissimulat suscipere Confirmationem solùm ex tepiditate, & torpore spiritus, quia hìc & nunc non placet, licèt haberet occasionem optimam suscipiendi, non idcircò dicitur contemnere; multa etenim animæ lucra prætermittimus, utpute audire Missam die ferali, vel percipere S. Communionem die festivo &c. quin reputemur ea contemnere. Quamvis cum Suarez, Conink, Palao cit. & aliis fatendum videatur, hujusmodi torporem ac negli-

negligentiam circa Confirmationem rarò vacare omni culpa, etiam veniali.

21 Collig. quintò, peccati mortalis condemnandos, & arguendos esse illos, qui hoc Sacramentum sæpiùs suscipere non verentur: quod, utinam non nimis frequenter fieret ex damnabili cupiditate aliquid recipiendi à Patrino. Ratio autem hujus corollarii patet: quia cùm hoc Sacramentum sit initerabile ob characterem indelebilem, animæ semel impressum, necessum est, ut, quoties iteratur, toties frustretur, non sine gravissimo sacrilegio. Quapropter vehementiùs objurgandi, immò & puniendi sunt stolidissimi illi Mercatores, qui ob modicum, sæpe etiam inaniter speratum lucrum temporale, non verentur & Dei gratiam, & animam suam perdere. Nihilominus iterantes Confirmationem, etiam scienter, non incurrunt irregularitatem; cum hæc non incurratur, nisi sit in jure expressa: nullibi autem legitur in jure expressa irregularitas in iterantes Confirmationem: ergo cùm aliunde constet, odiosa esse restringenda, dicendum, quòd non incurratur. Scotus 4. *d.* 7. *q.* 5. Reinffestuel ubi suprà *n.* 53. cum communiori DD.

CONFERENTIA

NONA.

De institutione, materia, forma, & effectibus extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

22 *Extrema Unctio est verum, & propriè dictum Sacramentum N. L.*

23 *Immediate à Christo D. institutum, sed post resurrectionem primùm.*

24 *Materia remota hujus est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum: proxima verò consistit in Unctione infirmi.*

25 *Quæ in quinque saltem sensibus fieri debet.*

26 *Legitima forma, in Ecclesia latina usurpanda, sita est in sequentibus verbis: per istam sanctam Unctionem &c. &c.*

27 *Non omnia verba totius formæ sunt de essentia Sacramenti.*

28 *Probabiliùs tamen est de essentia hujus, ut forma proferatur modo deprecatorio.*

29 *Effectus specialis primarius consistit in remissione peccatorum venialium, finaliter restantium in ægroto. Insuper*

30 *Ad singulas Unctiones confertur gratia.*

31 *Resolvitur Casus I. de infirmo delirante ex morbo, quem D. Parochus rectè unxit, licèt restiterit in tantum, ut etiam oleum S. excusserit manibus Ministri.*

32 *Quid circa oleum ita dispersum agendum?*

33 *Si residuum oleum benedictum non ampliùs sufficeret pro reliquis infirmis, licebit huic affundere aliud non consecratum: & quomodo?*

34 *Resolvitur Casus II. de Capellano, qui per errorem cuidam D. Parocho loco olei infirmorum, transmiserat oleum Catechumenorum, propterea que tenebatur errorem suum corrigere.*

35 *An, vel quando repetenda sit Unctio, facta oleo Catechumenorum.*

36 *Resolvitur Casus III. de Ministro, qui cujusdam sensus unctionem intermiserat, simulque in forma erravit.*

37 *Qui extra casum necessitatis unicum tantùm sensum inungit peccat mortaliter*

38 *Non item, si in casu necessitatis id agat.*

39 *Quando infirmus caret aliquo sensu, pars illi sensui propior est ungenda*

40 *Valet extrema unctio, tametsi minister non ungat in modum Crucis, nec ordinem servet inter sensus: per se loquendo tamen peccat.*

41 *Unctio extrema collata cum hac formula:* indulgeat tibi Deus, quidquid dereliquisti, *est nulla; ideoque repetenda.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de materia, & forma extremæ Unctionis.

Quæres primò, quid sit extrema Unctio?

22 R. Est verum, & propriè dictum Sacramentum N. L. quo aliquæ partes corporis infirmi inunguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ & corporis. Ita Mastr. 4. *disp. 6. n. 18.* aliique communiter. Quòd autem extrema Unctio sit Sacramentum, habetur (contra VValdenses, Calvinistas, Lutheranos, aliosque hæreticos) tanquam de fide decisum, tam in Concilio Florent. quàm Tridentino *sess.* 14. *can.* 1. ubi oppositum asserentes anathematizantur. Ratio autem hujus decisionis sumitur, tum ex epistola S. Jacobi Apost. *c.* 6. ubi ait: *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes cum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei.* Tum etiam ex communi omnium Catholicorum DD. & SS. Patrum consensu, nec non ex perpetua, jam inde ab Apostolis derivata praxi & consuetudine Ecclesiæ; cui se opponere, errare est.

Quæres secundò, quandonam hoc Sacramentum sit institutum, & à quo?

23 R. Est immediatè à Christo D. institutum, & quidem 2. probabiliùs primùm post resurrectionem, etsi fortè (inquit Herincx) modus benedictionis servandæ circa oleum, uti circa chrisma, sit à Christo in ultima cœna traditus. Ratio prioris est: quia secundùm dicta *de Sacram. in Gen. num.* 6. omnia Sacramenta sunt immediatè instituta à Christo: ergo & hoc, Hinc Tridentinum *cit. can.* 1. ait: *si quis dixerit, extremam unctionem non esse verum, & propriè dictum Sacramentum, à Christo D. institutum, & à B. Jacobo promulgatum &c. anathema sit.* Ratio autem posterioris inde desumitur: quia Sacramentum extremæ unctionis supponit potestatem Episcopalem, aut certè Sacerdotalem, tum benedicendi oleum, tum etiam remittendi peccata; cùm sit quodammodo completivum, & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ ad peccatorum reliquias ultimatò extirpandas: atqui Apostoli non acceperunt potestatem Episcopalem ante ultimam cœnam: potestatem autem absolvendi primùm obtinuerunt post resurrectionem *Joann.* 20. ergo dicendum, quòd hoc Sacramentum priùs non fuerit institutum, saltem completè. Scot. 4. *dist.* 23. Frassen. *tom.* 4. *tr.* 1. *disp.* 3. *q.* 1. *n.* 13.

Quæres tertiò, quænam sit hujus Sacramenti materia?

24 R. Materia remota est oleum olivarum, ab Episcopo benedictum: proxima autem est Unctio infirmi. Ita *omnes*. Ratio desumitur partim ex perpetua Ecclesiæ praxi; partim etiam ex eo, quòd tam Florent. quàm Tridentinum pro materia necessaria hujus Sacramenti expressè, & absolutè assignent *oleum ab Episcopo benedictum*. Idipsum asserunt Innocent. Papa I. *in epist. ad Decentium*. Itemque Innocent. III. *c. cùm venisset de Sacr. Unct.* Quo modo loquendi innuunt, benedictionem Episcopalem olei nedum esse de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti. Ita etiam sentiunt Scot. Aretinus, Poncius, aliique plures, quos refert & sequitur Mastrius *cit. disp.* 6. *n.* 27. Quamvis communiter fateantur, potestatem benedicendi oleum infirmorum à summo Pontifice committi posse Sacerdoti simplici, prout constat ex *constitut.* 34. *Clement. VIII. Sanctissimus. edita* 31. *Aug.* 1595.

Quæres quartò, quot, vel quænam Unctiones sint de necessitate hujus Sacramenti?

25 R. Est probabile (saltem speculativè loquendo) ad valorem sufficere unicam Unctionem, cum hac formula exprimente omnes quinque sensus: *per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Nihilominus extra casum necessitatis, dum videlicet tempus & occasio suppetit, necessariò debent fieri saltem quinque Unctiones, scilicet quinque sensuum, puta oculorum, aurium, labiorum, narium & manuum. Ratio primi est: quia nec Scriptura S. nec Con-

cilia

cilia plus requirunt pro valore, quàm Unctionem infirmi, sicut, in Baptismo ablutionem: ergo quemadmodum ad valorem Baptismi sufficit unica ablutio, ita probabiliter ad valorem hujus Sacramenti sufficit unica Unctio. Hac de causa nostrum Rituale Passaviense *de Sacr. extr. Unct. can.* 11. *ait: in morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur sufficit inungi sensus organum, magis ad unctionem expositum ac detectum, dicendo: per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* Idem statuitur in Pastorali Frising. *pag.* 135. & Mechliniensi teste Frassen & Herincx *n.* 22. Hoc autem malè præscriberetur, si ne probabiliter quidem ad valorem sufficeret unica Unctio: ergo &c. Ratio secundi datur hæc: quia extrema Unctio instituta est ad tollenda finaliter peccata venialia, & peccatorum reliquias; proindeque convenienter applicatur illis partibus corporis, in quibus peccatorum radix residet: atqui hæc residet in prædictis quinque sensibus, à quibus omnis malitia transit ad cor; nihil enim est in intellectu, quod non priùs fuit in aliquo sensu: ergo necessariò, necessitate præcepti graviter obligantis debet fieri Unctio saltem in quinque sensibus. Et licet Florentinum Concilium dicat, unctionem esse faciendam etiam in renibus ac pedibus, hanc tamen non esse essentialem, satis colligitur ex Catechismo Rom. jussu Pauli V. edito, dum monet, unctionem renum decentiùs omitti in fæminis: immò & in viris juxta receptissimam praxin loco renum solet inungi pectus. Hinc Rituale Passaviense nullam prorsus facit mentionem de ungendis renibus, & *can.* 8. docet mulierem puerperam, aut fluxu laborantem in pedibus ungendam non esse: sicut ob eandem causam honestatis unctio pectoris in mulieribus intermittenda est. Vid. Illsung. *tr.* 6. *d.* 7. *n.* 4. Gobat. *tr.* 8. *n.* 792. Clericat. *decis.* 66. *n.* 7. *& seqq.*

Quæres quintò, quænam sit legitima forma hujus Sacramenti?

26 R. Forma legitima in Ecclesia latina (Græca enim utitur alia, licet non substantialiter diversa) sub gravi culpa per se loquendo usurpanda est hæc: *per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum &c.) deliquisti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti &c.* Ita *omnes*. Ratio alia à priori dari nequit, quàm beneplacitum divinæ voluntatis, nobis satis manifestatum, dum & Concilium Florent. & Tridentinum, itemque Rituale Romanum eandem formam præscribunt. Circa hanc tamen duo restant dubia breviter resolvenda. 1. Utrùm omnia allegata verba sint de essentia? 2. utrùm forma hæc debeat necessariò esse deprecatoria? ad quorum primum

27 R. Non omnia verba sunt de essentia, sed probabiliter sufficiunt hæc: *per unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.* Ita satis *communiter* Doctores Mastr. ubi suprà *n.* 41. Kazenberger *c.* 2. *sect.* 3. *n.* 72. Illsung, Babenst. & alii. Ratio est: quia illa sola verba sunt essentialia, sive de necessitate formæ, quibus præcisè positis obtinetur, & sine quibus non sufficienter obtinetur essentialis significatio. Atqui prædictis præcisè verbis obtinetur significatio à Christo intenta (puta effectus primarii) non item, si aliqua eorum omittantur: ergo reliqua non sunt de necessitate Sacramenti, esto sint de necessitate præcepti.

28. R. Jam ad secundum. Probabiliùs est de essentia Sacramenti, ut hæc formula proferatur modò deprecatorio, & non auctoritativo, seu indicativo. Ita contra multos tenent S. Bonavent. 4. *d.* 23. *a.* 1. *q.* 4. Mastr. Frassen. Illsung. *cit. disp.* 7. *n.* 8. Clericat. *decis.* 68. *n.* 7. & alii satis communiter. Ducuntur hac potissimùm ratione. Quia S. Jacobus vult, ut Presbyteri *orent* super infirmum. Tum etiam quia hoc Sacramentum principaliter fuit institutum pro infirmis, qui cùm propriis viribus, & præsertim vigore ad præstanda pietatis exercitia regulariter loquendo sint destituti, vel maximè indigent sublevari orationibus Sacerdotum. Plures rationes congruentiæ videri possunt apud DD. citt.

Quæres sextò. Quosnam effectus conferat extrema Unctio?

29 R. Effectus primarius *communis* omnibus aliis Sacramentis est gratia sanctificans: *specialis* autem, quem confert, est remis-

remissio peccatorum venialium, finaliter restantium in ægroto; hic etenim effectus specialiter exprimitur in forma proximè recensita. Unde dicit D. Jacobus: *& si in peccatis sit, remittentur ei*: quod DD. etiam intelligunt de remissione pœnarum peccatis debitarum, quamvis non semper omnium. Secundò. Alleviat infirmum, & abstergit peccatorum reliquias, id est, tollit animi languorem, torporem mærorem, tristitiam, fastidium, & anxietates, aliasque consimiles pravas affectiones, quæ ex peccatis commissis, eorumque recordatione oriri natæ sunt, & peccatorem in barathrum desperationis abducere. Tertiò tandem secundariò conducit extrema Unctio ad recuperandam corporis sanitatem, non quidem absolutè & semper seu infallibiliter, sed quasi conditionatè, *si animæ saluti expediat*, ut loquitur Apostolus; nec mirandum: Sacramenta enim non conferunt suos effectus, nisi in ordine ad spiritualem animæ profectum. Vid. Reinffest. *Theol. mor. tr.* 14. *dist.* 11. *à n.* 17.

Quæres septimò, utrùm ad singulas unctiones conferatur gratia, vel verò primùm in ultima Unctione?

30 R. Probabiliùs confertur ad singulas Unctiones; quia quælibet Unctio habet essentialiter completam significationem sui effectus: ergo quævis confert peccatorum remissionem: atqui Sacramenta non aliter remittunt peccata, quàm caussando gratiam remissivam peccatorum: ergo dicendum, ad quamlibet Unctionem conferri gratiam, vi cujus remittuntur peccata commissa per sensum taliter inunctum. Fatendum tamen est, quòd, si subinde vi hujus Sacramenti dimittatur peccatum mortale per accidens, illud ad primam statim Unctionem remitti debeat; quandoquidem juxta modernam Dei ordinationem nullum peccatum mortale cum gratia sanctificante sit compatibile in eodem subjecto, ne quidem per momentum. Scot. 4. *d.* 23. Frassen. *tom.* 4. *disp.* 3. *q.* 2. *num.* 19.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de materia, & forma extremæ Unctionis.

CASUS PRIMUS.

Titius Parochus vocatus ad infirmum maligna febre correptum, invenit eundem mirum in modum delirantem, quare cùm nec Sacramentum Eucharistiæ, multò minus Pœnitentiæ potuisset eidem ministrare, voluit saltem impertiri extremam Unctionem. Verùm, ubi propiùs accessit, infirmus vasculum, in quo Sacrum oleum continebatur, manibus D. Parochi excussit, horribiliterque ejulavit; crediderat enim se interfectum iri. Dubitatur jam 1. An D. Parochus bene fecerit? 2. quid circa oleum sacrum fuerit agendum?

31 R. ad primum. Titius Parochus bene fecit: quia cùm juxta *communem* Doctorum opinionem suprà *de Sacram. in gen. n.* 10. insinuatam, hoc Sacramentum habeat vim, saltem per accidens conferendi gratiam primam, non solùm potuit, sed etiam debuit in tanto periculo, & defectu aliorum Sacramentorum administrari, quatenus infirmus, fortè in statu disgratiæ constitutus, & solùm attritus, hoc mediante recuperaret gratiam primam, & vitam æternam, qui sine Sacramento incurrisset æternam damnationem. Nec obstat, quòd supponatur repugnasse, immò & S. oleum excussisse: id enim ex insania & delirio fecisse piè præsumendum est, nec dubitandum, quin habitualiter saltem fuerit ita dispositus, ut si nosset periculum, procul dubio lubens voluisset amplecti hoc quasi unicum aut certè saluberrimum salutis æternæ remedium: atqui juxta constitutionem Ritualis Rom. & Passaviensis *can.* 5. extrema Unctio administranda est etiam illis, qui petierunt, vel verosimiliter petiissent: ergo &c. Oportuisset tamen Titium cautiùs procedere, & siquidem prævidisset periculum, curare, ut infirmus ab aliis, vel teneretur, vel etiam ligaretur interim, dum Sacramentum administraret, ne oleo sacro tanta fieret irreverentia. Hinc

32 R.

32 R. Ad secundum. Oleum sacrum fuit quàm diligentissimè colligendum, & mediante lana bombycina, aut lino mundo in sacrum vasculum reponendum, partes verò, seu loca illa, quibus erat aspersum, solerter debent vel radi, vel lavari; idque ob reverentiam olei sacri, quod quidem lumen naturaliter congenitum, & prudentia facilè dictabunt cuivis fidei Ministro.

Dices. Sed quid agendum, si oleum residuum non ampliùs sufficeret pro reliquis infirmis per annum ungendis?

33 R. Si aliunde non possit obtineri oleum infirmorum, potest, ac debet residuo affundi & commisceri aliud, licèt non consecratum, sed hoc *in modica quantitate* (ut loquitur Rituale Rom.) sic, ut quantitas residua olei consecrati semper sit major, & superet quantitatem olei non consecrati, quod affunditur (esto etiam oleum affusum successivè, tandem superaret oleum consecratum, quod erat residuum) Ratio autem est: quia per plures additiones successivas minores non amittitur benedictio; quin potiùs, cùm sit prima additio minor, hæc participat benedictionem, & totum illud mixtum manet undequaque benedictum: quo fit, ut dum advenit secunda additio rursus in minori quantitate, hæc denuo participet benedictionem à quantitate olei benedicti præexistentis. Quòd autem hoc licitè fiat, exstat declaratum à S. Congregatione Cardinalium 23. Septemb. 1682. ut videre est apud Carden. *Crisf. Theol. dissert. 2. n. 486.* Unde hæc opinio non subjacet damnationi; cùm sit verè tuta, prout bene docent Card. *l. cit.* Viva *ad propos. I. ab Innocent.* XI. *proscriptam. n. 26.* Clericatus *decis. 65.* La Croix *l. 6. p. 2. n. 2090.* Secus dicendum de opinione, asserente, etiam una commixtione fieri posse additionem olei non consecrati in majori quantitate, quàm fuerit residuum consecratum: hæc enim non est verè probabilis, multò minùs tuta, proptereaque damnationi obnoxia. Vide *DD. citt.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Capellanus à suo R. D. Decano jussus tempore paschali distribuere olea sacra singulis D. D. Parochis, per errorem vasculum signatum O. I. (id est, Oleum Infirmorum) implevit oleo Catechumenorum, proindeque eidem D. Parocho transmisit duo vascula, impleta oleo Catechumenorum, addito tertio vasculo Chrismatis, sine oleo infirmorum? jam verò erroris à se commissi conscius & certus, angitur, petitque scire, an teneatur hunc errorem corrigere, etiam cum aliquali confusione propria, an verò possit D. Parochum relinquere in bona fide? Quid respondendum?

34 R. Sempronius graviter obligatur hunc suum errorem corrigere, monendo D. Parochum, eidemque, si habeat, submittendo oleum infirmorum, non obstante aliquali confusione propria inde forsitan emersura. Ratio est hæc: quia juxta probabiliorem Doctorum opinionem nec oleum Catechumenorum, nec Chrisma sufficit ad valorem hujus Sacramenti. Quamvis enim hæc sint olea ab Episcopo benedicta, quia tamen cum aliis longè diversis ceremoniis ac benedictionibus consecrantur, hinc probabiliùs specie morali differunt ab oleo infirmorum, quod est materia extremæ Unctionis: qua de causa Cardenas mox *cit. dissert. 2. n. 494.* existimat, opinionem quæ tenet, unctionem extremam extra casum necessitatis licitè ministrari cum Chrismate, subjacere damnationi, eò quòd per talem praxin Sacramentum reddatur dubium, cum periculo sacrilegii, & infirmi detrimento spirituali haud exiguo: atqui certum est, famam propriam, præsertim ubi confusio tam est exigua, postponendam esse reverentiæ Sacramenti, & saluti spirituali proximi, qui ex tali errore graviter damnificaretur: ergo Sempronius tenetur &c.

Dices. Sed quid, si præfatus D. Parochus jam aliquos unxisset oleo Catechumenorum?

35 R. Non est necessum ut unctio repetatur; tum quia probabile est, jam valuisse priorem; tum etiam, quia hoc Sacramentum non est usque adeò necessarium; tum deni-

denique quia talis Unctio fieri non potest sine aliquali scandalo aut murmure in Populo. Ita Laym. *l. 5. tr. 8. c. 2. n. 3.* Babenstuber. *tr. 8. p. 6. d. 7. a. 2. n. 3.* Cotonius, Diana, & alii plures. Censeo tamen Unctionem repetendam, casu quo infirmus aliud Sacramentum non potuisset suscipere; eò quia in talibus circumstantiis sin minùs absolutè necessaria, certò tamen utilissima evadit, proptereaque apud prudentes non est timendum periculum scandali.

CASUS TERTIUS.

Cajus Presbyter dum nuper infirmum oleo sacro perlinivit, ex quadam perplexitate, seu etiam mentis distractione, intermisit unctionem manuum, & dum pervenit ad pedum unctionem, usus est, hac formula: per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti: *qua ratione non nihil anxius quærit quid sibi tenendum de tali Unctione?*

36 R. Probabiliter valet, ideoque per se loquendo, non est necessariò repetenda, tum quia juxta probabilissimam opinionem Scoti & aliorum, Unctio singulorum sensuum non est de necessitate Sacramenti; tum etiam, quia hoc non est usque adeò necessarium. Nihilominus si Minister talem defectum advertat vel sub ipsa Unctione, vel immediatè post, dum adhuc præsens est infirmo, tenetur sub gravi culpa supplere defectum ungendo sensum priùs præteritum seu intermissum; quia juxta *omnes*, dum fieri facilè potest, Sacramenta debent ritè, completè, & integrè administrari: ergo quemadmodum in aliis Sacramentis debent suppleri defectus, ita & in hoc. Si tamen supponatur Minister jam-jam discessisse ab infirmo, & ad eundem tam facilè reverti non posse, oportebit rem committere Deo: nec videtur obligatus cum notabili difficultate ad redeundum, nisi aliud suadeat necessitas aut periculum infirmi in casu, quo is alterius Sacramenti non est capax.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

37 Colliges ex dictis primò, ministrum graviter peccare, qui extra casum necessitatis vel unica solùm uteretur formula, vel unicum solùm inungeret sensum, vel denique Unctionem unius ex quinque sensibus deliberatè intermitteret. Ratio patet: quia talis ageret contra præscriptum Concilii Florentini, & Ritualis Romani, quod secundùm opinionem Clericati *cit. decis. 66. n. 19.* & aliorum, in hoc puncto habet vim legis graviter obligantis. Adde, quòd talis exponat Sacramentum periculo nullitatis.

38 Dixi tamen: *extra casum necessitatis.* Etenim in casu ubi Sacerdos rationabiliter timet, ne infirmus planè decedat priùs, quàm singulas Unctiones perfecerit, præsertim si nullum aliud Sacramentum percepit, potest ac debet uti unica unctione vel solius Capitis, vel plurium quidem sensuum cum unica formula dicendo: *per istam sanctam Unctionem -- indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, gustum, &c. &c. deliquisti:* melius quippe est, in tanto periculo ministrari Sacramentum quodammodo dubium, quàm omnino nullum. Mastr. *cit. disp. 6. n. 49.* Frassen. *disp. 3. q. 2. n. 9.* Illsung. *disp. 7. n. 4.*

Dices. Sed quid agendum, si infirmus careat aliquo sensu v. g. visu, aut manibus &c.?

39 R. Juxta præscriptum Ritualis Rom. & Passav. *can. 9.* ungenda est pars corporis hujusmodi sensui proxima, puta, palpebræ, aut brachium. Nec refert, quòd v. g. Cæcus à nativitate nunquam potuerit peccare visu, propterea que forma videatur quodammodo falsificanda &c. Esto enim non potuerit peccare visu exteriori corporis, certè tamen potuit peccare visu mentis, vel potiùs inordinato desiderio videndi, prout post D. Thomam notant Gobat. Laym. Clericatus *decis. 67. n. 10.* aliique plures.

40 Collig. secundò, Unctionem extremam valere, tametsi minister non ungeret in modum crucis; item tametsi ungendo non

non servaret ordinem inter sensus præscriptum. Ratio primi est: quia nec S. Jacobus, nec Concilium Florent. aut Trident. ullam faciunt mentionem de efformanda cruce, licèt cæteroquin exactè materiam ac formam hujus Sacramenti descripserint, citra veniale peccatum tamen efformationem crucis intermitti non posse absque necessitate, colligitur ex *cap. Nunquid de Consecr. dist.* 5. Ratio autem secundi est hæc: quia per inversionem Ordinis inter Unctiones sensuum ab Ecclesia præscriptas non tollitur perfecta & integra significatio Sacramenti. Graviter tamen delinquere talem ministrum censent Bonacin. *disp.* 7. *q. un. punct.* 5. *n.* 20. Castropal. *tr.* 26. *disp. un. punct.* 3. *n.* 11. aliique plures; eoquòd in materia gravi agat contra consuetudinem Ecclesiæ.

41 Collig. tertiò, invalidam, ideoque repetendam fuisse Unctionem illam: quam Sacerdos ministraverat cuidam mulieri cum hac formula: indulgeat tibi Deus, quidquid *dereliquisti*. Ita Gobat. *tr.* 8. *num.* 811. Clericat. *decis.* 69. *num.* 19. Kazenberger *cit. num.* 73. Ratio est: quia vocabulum *dereliquisti* sive grammaticaliter sive moraliter spectetur, reddit sensum substantialiter diversum à vocabulo *deliquisti*: ubi autem fit mutatio substantialis, Sacramentum evadit nullum, prout constare debet ex dictis de *Sacram. in Gen. n.* 7. ergo &c.

CONFERENTIA

DECIMA.

De Ministro, & Subjecto extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

42 *Minister extremæ Unctionis est solus Sacerdos.*

43 *Quilibet Sacerdos eam validè, solus tamen Pastor seu Parochus suis subditis licitè administrat;*

44 *Qui etiam sub gravi culpa subditis postulantibus tenetur illam administrare.*

45 *Quibus cum ceremoniis sit ministranda; Et*

46 *Quomodo peccet, qui preces vel alias ceremonias negligit?*

47 *Plures Ministri simul validè eam administrarent:*

48 *Non tamen licitè extra casum necessitatis.*

49 *Hoc Sacramentum solis adultis; graviter decumbentibus, & aliquando personaliter lapsis est administrandum*

50 *Nec sæpiùs durante eodem periculo, bene tamen si novum superveniat periculum mortis.*

51 *Per se loquendo nullus tenetur extremam Unctionem suscipere;*

52 *Bene tamen per accidens subinde oritur obligatio suscipiendi.*

53 *Resolvitur Casus I. de Parocho, qui simul vocatus ad baptizandum infantem, & infirmum providendum, bene fecit, priùs properando ad infantem, si is supponatur fuisse in æquali periculo mortis.*

54 *Non tamen bene fecisset, si apud infantem nullum, aut minùs periculi fuisset timendum.*

55 *Per se loquendo Parochus non tenetur ministrare extremam Unctionem cum periculo vitæ.*

56 *Resolvitur Casus II. de cooperatore, qui, ne sæpius cogeretur adire Vetulam, eidem ministravit extremam Unctionem simul cum viatico, tametsi nullum deprehenderit in ea periculum mortis.*

57 *Esto non necessarium, congruum tamen est, ut Pastor sæpiùs invisat ac consoletur oviculam infirmantem.*

58 *Resolvitur Casus III. de infirmo, qui malè recusavit extremam Unctionem, eò quòd putarit, sibi certò moriendum, si eam admitteret. Unde*

59 *Non erant audiendi Parentes, postulantes ut D. Parochus hunc infirmum sacro oleo perliniret, dum actu gravi sopore erat sepultus.*

60 *Extrema Unctio non est ministranda infantibus, nec perpetuò amentibus.*

61 *Neque sanis.*

62 *Neque eidem infirmo sæpiùs in una die.*

63 *Ref-*

63 *Respondetur cuidam instantiæ ex more Græcorum petitæ.*

64 *Agentes curam infirmi, seu infirmarii per se loquendo non peccant graviter, tametsi negligant eidem procurare extremam Unctionem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos Casus practicos de Ministro, & Subjecto extremæ Unctionis.

QUæres primò, quisnam sit Minister extremæ Unctionis?

42 R. Est solus Sacerdos. Ita *omnes Catholici*. Et patet ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap. & can.* 4. *de extr. Unct.* ubi oppositum afferentes anathemate feriuntur. Ratio autem congruentiæ inde desumitur: quia extrema Unctio quodammodo substituitur Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam plenam remissionem peccatorum: ergo convenienter ordinatum fuit à Christo Domino, ut is solùm valeret orare: *indulgeat tibi Dominus*, qui potest dicere: *absolvo te*, ait Herincx *disp.* 9. *n.* 27. atqui solus Sacerdos potest dicere: *absolvo te*: ergo etiam &c. Hac de causa B. Jacobus voluit, ut inducantur Presbyteri, qui orent super infirmum, ungentes eum oleo.

Quæres secundò, An quilibet Sacerdos possit hoc Sacramentum administrare?

43 R. Validè quivis potest; quia hæc potestas fundatur in charactere sacerdotali, jurisdictio autem non est de substantia hujus ministerii. Nihilominus solus Pastor animarum, aut alius, habens ab illo licentiam expressam, vel tacitam vel rationabiliter præsumptam, licitè illud administrat suis Ovibus. Ratio est: quia hoc ministerium spectat ad officium Pastoris: ergo ut licitè fiat requiritur jurisdictio, sicut in aliis Sacramentis: solus autem Pastor habet jurisdictionem: ergo &c. Dato tamen, quòd Parochus vel non posset, vel etiam nollet administrare, nec alteri dare licentiam, quivis Sacerdos, etiam Religiosus absque peccato aut periculo censuræ hoc ministerium assumeret; quia in tali casu Ecclesia censetur dare licentiam; quippe quæ non vult patrocinari malitiæ Pastoris, aut filios suos tam salubri remedio destitui. Herincx *cit. n.* 30.

Quæres tertiò, utrùm Parochus teneatur suis subditis hoc Sacramentum administrare?

44 R. Si petant, tenetur vel per se, vel saltem per alium ministrare: quia suis Ovibus non solùm de simpliciter necessariis, sed etiam de valdè utilibus, & communiter ministrari solitis mediis ad salutem tenetur providere; ob hujusmodi enim officia præbentur beneficia & stipendia Beneficiatis: atqui extrema Unctio est utilissimum remedium salutis, & hujus administratio reputatur inter communia obsequia Parochianis debita, ergo Navarrus. *Man. c.* 24. *nu.* 131. Suarez. *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 1.

Quæres quartò, quibus cum Ceremoniis sit administranda extrema Unctio?

45 R. Ministrari debet cum Ceremoniis in Rituali Diœcesano præscriptis, nec ab his sine necessitate recedendum est. 1. Itaque Sacerdos debet esse indutus stola & superpelliceo. 2. Debet adhibere vel alium Clericum, vel saltem (juxta consuetudinem jam receptam) Æditum, aut alium Sæcularem (nunquam tamen fæminam) qui sibi ministret & respondeat: quo deficiente potest, ac debet sibimet respondere. 3. Debet vel solus, vel cum aliis infirmo adstantibus dicere Psalmos pœnitentiales cum Lytaniis, vel si mora non suppetat, Psalmum *miserere*, ut habet Rituale Passaviense. 4. Debet præstare Unctiones secundùm ordinem in Rubricis præscriptum, idque pollice dextro priùs intincto, & madente oleo sacro, modo tamen hominibus accommodato, ita, ut non ungat ipsam pupillam oculi, aut linguam, sed palpebras, labia &c. Manus etiam Sacerdotum sunt ungendæ exteriùs; quia interiùs jam semel fuerunt unctæ & consecratæ ab Episcopo in Ordinatione. Potest tamen tempore pestis, vel alterius contagiosæ infirmitatis, unctio perfici mediante virgula argentea, vel alio consimili instrumento. 5. Denique peracta qualibet Unctione debet Minister sensum inunctum,

vel

vel potiùs oleum sacrum abstergere lana bombycina, vel alia simili materia munda, hanc verò postmodum comburere, & cineres projicere in Sacrarium, ut habet Rituale Rom. & communiter monent DD. Saa, Laym. *ubi suprà c. 8. num.* 3. Castropal. *tr.* 26. *punct.* 8. *à num.* 11. Kazenberger *in supplement.* P. Sporer. *cit. c.* 2. *sect.* 4. *num.* 118.

Dices. Sed quomodo peccat, qui præfatas Ceremonias omittit?

46 R. 1. Qui sine sacris vestibus eam ministrat, peccat mortaliter, juxta Suarez, Naldum, Bonacin. Palaum & alios *communiter*. In casu tamen necessitatis, ubi ægrotus aliud Sacramentum non suscepisset, nec Sacerdos ad manus habet vestes sacras, ego cum P. Gobat. *Theol. exper. tr.* 8. *nu.* 928. non dubitarem, esse ministrandam sine vestibus sacris. 2. Similiter peccati mortalis reatum incurrit Sacerdos qui omnes preces in Rituali præscriptas, tam præcedentes, quàm etiam subsequentes unctionem sine necessitate omitteret. Ita Tambur. *l.* 6. *c.* 1. *§.* 4. Bonacin. *disp.* 7. *q. un. pun. ult. n.* 7. Palao *cit.* & alii. At verò solos Psalmos pœnitentiales vel Lytanias, etiam extra casum necessitatis omittere, non est, nisi veniale peccatum, secundùm opinionem Gobat. *cit. n.* 924. & aliorum. 3. Nec graviùs videtur delinquere, qui alium ministrum non adhibet. Quomodo autem peccet, qui intermittit unctionem unius, vel etiam plurium sensuum; diximus mox superiùs *num.* 37.

Quæres quintò, An hoc Sacramentum valeat ministrari à pluribus simul, ita, ut unus hunc, alius alium sensum ungat?

47 R. Probabiliter quidem valeret, extra casum tamen necessitatis mortaliter peccarent simul ministrando. Ita *omnes*. Ratio primi est: quia hoc Sacramentum non est quid unum indivisibile, sed potiùs aggregatum ex pluribus unctionibus, ita, ut singulis sua correspondeat forma: ergo quemadmodum Eucharistia sub utraque specie potest consecrari à diversis ministris, quorum unus panem, alter consecret calicem; ita & Sacramentum extremæ Unctionis à diversis simul confici valet &c. Ratio autem secundi est: quia juxta Trident. *de Sacram. can.* 13. non est licitum in administratione Sacramentorum recedere à Ritu ab Ecclesia approbato: Ritus autem Ecclesiæ fert, ut hoc Sacramentum ab uno solo Ministro, non verò à pluribus simul ministretur. Adde, à multis dubitari, an valeat ministratum à pluribus simul: ergo hoc modo Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: atqui hoc extra casum necessitatis semper est mortaliter illicitum: ergo &c. Herincx *disp.* 9. *nu.* 34. Bosco *part.* 4. *disp.* 9. *sect.* 3. *n.* 59.

48 Dixi: *extra casum necessitatis*. Duos etenim Casus DD. communiter excipiunt, ut videre licet apud Mastr. Clericat. *decis.* 70. & alios passim. Primus est: si Sacerdos post unctionem unius vel alterius sensus subitò moreretur, tunc alius ob integritatem Sacramenti deberet supplere reliquas, non tamen repetere jam factas: secundus casus est; si infirmus credatur priùs moriturus, quàm unus Minister compleat omnes unctiones. Censent tamen Diana, Gobat *cit. n.* 877. aliique multi, consultius esse, ut in hoc casu unus idemque Sacerdos velocius perliniat singulos sensus cum hac formula: *per istas sanctas Unctiones--indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum &c. deliquisti &c.* Quod vel maximè observandum, & practicandum erit; casu quo non, nisi unicus Sacerdos infirmo assistit, prout regulariter fieri assolet in Ecclesia Latina.

Quæres sextò, quibusnam hoc Sacramentum sit administrandum?

49 R. Est administrandum solis adultis, graviter decumbentibus, qui aliquando personaliter peccarunt, vel saltem creduntur peccasse. Ita cum *communi* DD. Scot. 4. *dist.* 23. *§. de secunda.* Bosc. *cit.* Frassen, Herincx, Babenst. & alii. Constat etiam tum ex Conciliis tum etiam ex Ritualibus, & perpetua Ecclesiæ praxi. Rationem congruentiæ insinuavimus suprà *nu.* 23. quia videlicet extrema Unctio est quodammodo supplementum Sacramenti Pœnitentiæ, & per se instituta ad remittenda finaliter peccata venialia, & tollendas peccatorum reliquias: ergo illis solùm

solùm debet administrari, qui prudenter creduntur aliquando peccasse personaliter. Hac de causa Doctores probabilius existimant, hoc Sacramentum nunquam fuisse ministratum B. Virgini, ut videri potest apud Clericat. *decis.* 78. Illsung. *tr.* 6. *disp.* 7. *n.* 13. *& alios*.

Quæres septimò, possitnè hoc Sacramentum sæpiùs administrari eidem infirmo?

50 R. Durante eodem periculo mortis illicitè administraretur: superveniente tamen novo periculo, sive ex eadem, sive ex alia infirmitate, licitè iteratur, & toties quidem, quoties novum, moraliter interruptum, supervenit periculum. Ita Doctores *satis communiter*. D. Bonavent. 4. *d.* 23. *p.* 2. *q.* 4. Mastr. Gobat &c. Et habetur clarè decisum in Concil. Florent. & Trid. *de ext. Unctione cap.* 13. item in Catechism. Rom. §. 11. Disposuit autem sapienter Christus, ut durante eodem periculo semel tantùm ministraretur hoc Sacramentum, ut scilicet infirmus hoc inaudiens, majori cum devotione & spiritus fervore ad hujus susceptionem sese præpararet: similiter congruè videtur dispositum, ut superveniente novo periculo posset iterari; quia hoc Sacramentum non tam respicit infirmitatem, quàm infirmitatis periculum sublevandum: ergo si novum instet periculum, infirmus de novo est armandus ad luctam. Necessum tamen minimè est, prout sapienter advertit noster Herincx *cit. nu.* 51. ut infirmus plenè recuperet sanitatem, & denuo incidat in simile periculum, sed satis est, jam de novo instare periculum; quin immò tametsi antiquum periculum, non tamen ita urgens, cum antiqua ægritudine perseveret (ut frequenter accidit in Astmaticis, Hydropicis, Phthisicis, in quibus perseverante radice ægritudinis, sæpe notabiliter variatur status morbi, ut modò extra periculum videantur, mox iterum in periculo mortis) accedente novo periculo possunt denuo inungi absque scrupulo, idque ob rationem proximè datam. Vide Rituale Passav. *can.* 6.

Quæres octavò, utrùm Fideles teneantur suscipere extremam Unctionem?

51 R. Per se loquendo nullus tenetur; cùm nullibi ostendi queat præceptum graviter obligans. Deinde hoc Sacramentum non tam est necessarium, quàm utile: at hoc ipso non videtur graviter delinquere, qui illud negligit, tametsi haberet occasionem commodam, modò id non faciat ex contemptu: ergo. Meritò tamen Doctores talem condemnant peccati saltem venialis contra charitatem erga se ipsum, eò quòd videatur quodammodo incurius, aut certè minùs sollicitus de sua salute.

52 Dictum fuit: *per se loquendo nullus tenetur &c.* Per accidens enim potest oriri obligatio in duobus præcipuè casibus. 1. Si ex tali neglectu magnum oriretur scandalum in populo, prout facilè contingere posset, si Parochus ipse, vel alia persona sacra hoc recusaret. 2. Si infirmus constitutus in statu peccati mortalis, non posset ampliùs confiteri, nec sacram Synaxin suscipere. Ita cum aliis pluribus Clericatus *decis.* 81. *num.* 23. & 24. Quamvis hic ultimus Casus vix unquam possit contingere in praxi, prout bene notant Suarez, & Bosco *cit. disp.* 9. *sect.* 3. *nu.* 155.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro, & Subjecto extremæ Unctionis.

CASUS PRIMUS.

Titius animarum Pastor eodem tempore postulabatur ad infirmum extremè decumbentem, & ad baptizandum infantem, ad quem etiam mox properavit, postposito infirmo; tum quia is erat pauperculus, nec potens premere pollicem; tum etiam quia longiùs distabat; tum denique quia apud hunc timendum erat periculum infectionis. Unde contigit, ut infirmus planè decederet sine consuetis Ecclesiæ Sacramentis. Quæritur jam, an Titius bene fecerit?

53 R. 1. Si infans supponatur fuisse in æquali periculo, nec ab alio baptizari potuit, ita, ut fuerit timendum, ne moreretur sine Baptismate, Titius bene fecit, properando priùs ad infantem: siquidem of-

ordinata charitas postulet, ut cæteris paribus priùs succurramus magis indigenti: atqui ope Pastoris magis indiguit infans, quippe qui se ipsum nullo modo juvare potuit, fortè nec ab alio juvari: è contra infirmus potuit se ipsum juvare, per actum contritionis, vel amoris Dei super omnia: ergo &c.

54 R. Tamen secundò. Supposito, quòd apud infantem non fuerit timendum periculum, salutis, Titius malè fecit, & per se loquendo peccavit mortaliter negligendo infirmum. Neque ipsum excusat periculum infectionis, multò minùs inopia infirmi, vi cujus non erat solvendo; certum quippe & exploratum videtur, Pastores animarum etiam cum periculo vitæ propriæ teneri, ad ministranda suis subditis Sacramenta necessaria, uti est Sacramentum Pœnitentiæ præsertim in articulo mortis: in hunc sanè finem conducuntur, & ob hujuscemodi officia ipsis conferuntur beneficia, prout communissimè tenent DD. La Croix ubi suprà *n.* 2112. Gabriel, Nugnus, Sylv. quos refert, & sequitur Clericatus *decis.* 71. *num.* 17. ergo non obstante periculo infectionis Titius tenebatur &c.

55 Dixi tamen: *Sacramenta necessaria &c.* satis etenim probabile est, Parochus, aliosque animarum Pastores nec ex justitia, nec ex charitate teneri cum certo, aut certè rationabiliter præsumpto periculo vitæ, subditis suis administrare Sacramenta non necessaria ad salutem; quare cùm extrema Unctio non sit Sacramentum necessitatis, dicendum, quòd ob hanc solam ministrandam Titius stante tali periculo non fuerit graviter obligatus properare ad infirmum modò is supponatur jam fuisse confessus, & sacro Viatico refectus, nec aliunde constet, quòd denuo inciderit in peccatum mortale. Amicus, Palao, Gobat à *num.* 902. Cleric. *numer.* 20. Mastrius 4. *disp.* 6. *num.* 144. & 145.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Cooperator vocatus ad vetulam quandam, annorum pondere potiùs, quàm infirmitate gravatam ac decumbentem, cum absolutione unà simul SS. Eucharistiam eidem impertivit. Quia verò sat longo itinere distabat ab Ecclesia; hinc ne easdem sæpiùs cogeretur metiri vias, etiam extremam unctionem administravit, quamvis nullum prorsus indicium mortis potuerit deprehendere in illa. Jam verò dubitat, an bene fecerit?

56 R. Esto etiam Sempronius nullum in Vetula mortis indicium deprehenderit, nihilominus extremam Unctionem licitè eidem administrare potuit, tum quia juxta commune adagium senectus ipsa est morbus, proptereaque nimio annorum pondere gravati in continuo mortis periculo versantur. Profectò multiplici experientia constat, multos solo senio confectos exspirasse; tum etiam, quia ut hoc Sacramentum licitè administretur, sufficit adesse probabile mortis periculum, nec requiritur omnino certum: multò minùs differendum est usque ad extremum quasi halitum infirmi, eò præsertim, quòd hoc Sacramentum sit secundariò saltem institutum, ut alleviet infirmum. Hinc non solùm Rituale Rom. sed & Concilium Mediolanense IV. expressè præscribit, ut senio confectis præbeatur hoc Sacramentum, *licèt non sint ægroti*: ergo cùm aliunde supponatur Vetulam hanc longiùs ab Ecclesia dissitam fuisse, Sempronius minime culpandus videtur ex suo facto. Vid. Herincx *cit. num.* 41. Gobat. *nu.* 852. Kazenberg. *c.* 2. *n.* 99.

57 Cæterùm, quamvis per se loquendo nulla sit obligatio sæpius invisendi infirmum, posteaquam is SS. Ecclesiæ Sacramentis semel ritè fuit munitus; condecens tamen, & pastorali sollicitudini valdè, congruum esse, nemo est, qui ambigat, vel non videat. Hinc Rubricæ Ritualis Passav. monent, ut meminerint Pastores, infirmos suos post administrationem hujus Sacramenti (scilicet extremæ Unctionis) subinde visitare, & consolari in Domino, in eo enim vel maximè temporis articulo partes boni Pastoris, zelosique animarum Curatoris exigunt, ut sit charitate inflammatus, firmatus constantia, in fervore circumspectus, invictus in labore, ait Celsissimus noster *JPSEPHUS DOMINICUS* Princeps & Episcopus Passav-

ſav. in ſua, auro, cedroque digniſſima Epiſtola paſtorali §. 5. *de Proviſ. infirm.*

CASUS TERTIUS.

Cajus graviter decumbens, renuit ſuſcipere extremam Unctionem, quia certò credit, ſibi moriendum fore, ſi hanc admitteret. Cùm verò evidenter conſtet, hanc Caji reſiſtentiam ſolùm oriri ex ſiniſtra perſuaſione; hinc Parentes inſtantiſſimè petunt, & rogant D. Parochum, quatenus filio ſuo Cajo dignaretur adminiſtrare extremam Unctionem, dum gravi ſopore ſepultus quodamodo teneretur. Quæritur ergo 1. Utrùm Cajus peccet, recuſando hoc Sacramentum? 2. An Parentes ſint audiendi.

58 R. ad primùm. Cajus peccat graviter, non quidem contra præceptum de ſuſcipienda extrema Unctione; cùm nullum exſtet, ſecundùm dicta *n.* 51. ſed potiùs contra fidei veritatem, credendo ſiniſtrè, hoc Sacramentum vergere in mortem. Non tamen peccaret graviter reſpuendo hoc Sacramentum ideò, quòd crederet, poſt hujus ſuſceptionem ſibi non ampliùs fore licitum ducere choreas, vel pedibus nudis terram contingere, aut induere calceos &c. prout teſte Gobat. *cit. n.* 818. nonnulli ineptè fecerunt; quia talis error non eſt tam perniciosus, nec reverentiæ ſacramenti, aut veræ fidei contrarius, uti prior. La Croix ubi ſuprà *num.* 2118. Clericatus *deciſ.* 81. *num.* 31. rectè monens, Parochis, vel etiam Confeſſariis incumbere, ut ponderoſis ſermonibus hujuſmodi aniles fabulas, & ſiniſtras, vel omnino perverſas exiſtimationes infirmis eximant, eoſdemque ad fructuoſam ſuſceptionem diſponere ſatagant.

59 R. Ad ſecundùm, non fuiſſe audiendos Parentes, ſed potiùs conandum Parocho, ut ſuaviter diſponeret Cajum ad voluntariam ſuſceptionem hujus; quod quidem, meo judicio, haud difficulter obtinebit, ſi Cajus ſit homo bonæ voluntatis: ſin autem ſupponatur homo perverſus, & ſuæ ſalutis incurius, qui nec Dei monita, nec ſalutaria D. Parochi conſilia audire vult, profectò exiguum perciperet fructum, tametſi eidem gravi ſopore obruto adminiſtraretur hoc Sacramentum. Vid. *DD. mox citt.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

60 Colliges primò, hoc Sacramentum non eſſe adminiſtrandum infantibus, uſum rationis nunquam adeptis, nec perpetuò amentibus; quia de talibus ſupponi nequit, quòd unquam peccaverint perſonaliter. Et licèt nonnulli probabile cenſeant. Sacramentum valere etiam infantibus miniſtratum; eò quòd ſaltem augmentum gratiæ inde capere queant, id tamen practicandum nunquam eſt; tum quia praxis ſeu conſuetudo Eccleſiæ repugnat; tum etiam quia hoc in Rituali Paſſavienſi *can.* 3. *de extr. Unction.* expreſsè interdicitur. Quo non obſtante miniſtrari poteſt ac debet temporaliter tantum amentibus, ſicut & Puellis, aut Pueris, qui aliquando uſi ſunt ratione, eſto nunquam ſumpſerint ſacram Synaxin. Vid. Rituale *l. cit.*

61 Collig. ſecundò, extremam Unctionem non eſſe adminiſtrandam ſanis. Ratio deſumitur tum ex fine primario hujus Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum venialium finaliter reſtantium, & alleviatio *infirmi*, tum etiam quia B. Jacobus Apoſtolus id ſatis innuit, dum ait, *infirmatur quis ex vobis &c. &c.* Nec ſufficit quæcunque infirmitas, ſed debet eſſe gravis, ita, ut infirmo timeatur de morte, prout expreſsè docent Concil. Florent. ac Trident. *hic c.* 3. Hinc juxta præſcriptum Rit. Paſſav. *can.* 2. & *communem DD.* ſententiam, ſacro oleo liniendi non ſunt milites prælium mox ingreſſuri; nec maleſactores ad furcam vel Rotam &c. damnati; quia tales revera infirmi non ſunt. Poſſet tamen illis miniſtrari, ſi jam fuiſſent lethaliter vulnerati; qua ratione poteſt inungi, qui ſumpto veneno mortem exſpectat; item Puerpera, e qua fœtus eſt extrahendus, vel cui ob ſpecialem rationem timetur mors in partu. Ita cum aliis pluribus La Croix *cit. num.* 2108.

62 Collig. tertiò, hoc Sacramentum non eſſe ſæpiùs miniſtrandum in una, eademque die eidem infirmo, ſed interponendam eſſe notabilem temporis moram, quatenus conſtet, periculum mortis in infir-

mo

mo verè renovatum fuisse. Et certè eundem infirmum sæpiùs in una eademque die inungere, foret contra receptam Ecclesiæ praxin. Utrùm autem sufficiat intervallum unius hebdomadæ, disputant DD. putatque Barbosa *de officio & pot. Paroch. c.* 22. *n.* 38. apud Gobat. *n.* 889. sufficere, eò quia intra tantum temporis spatium judicio Medicorum constare potest, infirmum incidisse in novum periculum, qui ante octiduum videbatur evasisse. Nec ego de hoc dubito, præsertim si novum, à priori distinctum periculum superveniat, utputa dum v. g. Hydropicus vel Phthisicus subitaneo lapsu, aut alio simili casu lethaliter vulneratur. Vid. Kazenberger. *cit. c.* 2. *n.* 111. & 112.

Dices. Græci sæpiùs ungunt suos infirmos, tametsi in novum non incidant periculum: ergo necessum non est, ut novum periculum exspectetur.

63 R. Neg. conf. Nam illas Græcorum unctiones (si tamen supponantur adhiberi velut sacramentales) Herincx *cit. nu.* 50. meritò nominat abusus. Pignatelli tamen, Clericatus *decis.* 79. *n.* 15. aliique multi existimant, Græcos hisce Unctionibus non semper uti veluti habentibus vim Sacramenti, sed velut quibusdam ritibus, habentibus virtutem expiandi peccata venialia, sicut nos utimur aqua lustrali; quod vel inde patet, quia etiam sanos inungere consueverunt.

64 Collig. quartò, eos, qui curam infirmorum gerunt, non peccare mortaliter, licèt absque rationabili causa extremam Unctionem illis procurare intermittant, dummodo absit contemptus, vel grave scandalum, vel casus extraordinarius necessitatis, ubi nimirum infirmus hujus Sacramenti capax, aliud ante vitæ suæ finem non potest suscipere. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 8. *c.* 7. *n.* 2. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 6. *d.* 7. *a.* 1. *n.* 5. Ratio est: quia sicut infirmus ipse hoc Sacramentum sine peccato mortali potest non suscipere; ita curam ejus gerentes possunt sine mortali peccato id illi non procurare; quod tamen nequaquam intelligendum est de Parocho negligente infirmum: huic enim non est liberum, ministrare Sacramenta, vel non ministrare subditis rationabiliter petentibus, sed tenetur sub gravi peccato illis succurrere, si petant; idque ob rationem suprà *n.* 44. datam.

CONFERENTIA

UNDECIMA.

De Institutione SS. Sacramenti Eucharistiæ, ejusdemque materia.

SUMMARIUM.

1 *Eucharistiæ Sacramentum, quid sit?*
2 *Est institutum à Christo Domino in ultima Cœna.*
3 *Est etiam unum unitate integritatis, non simplicitatis.*
4 *Materia, ex qua conficitur, est panis triticeus usualis, & vinum de vite.*
5 *Quisnam censeatur panis verè triticeus in nostra Patria.*
6 *Et quid de pane siligineo tenendum.*
7 *Panis usualis debet esse confectus ex aqua naturali, & igne tostus, atque azymus in Ecclesia latina.*
8 *Ad validam consecrationem calicis sufficit quodcunque vinum de vite, non item ad licitam.*
9 *Sufficit etiam vinum miraculosè productum ex aqua.*
10 *Vino consecrando in ipso Sacrificio ex præcepto Ecclesiæ commiscenda est modica aqua naturalis;*
11 *Quæ probabiliùs mediatè solùm convertitur in sanguinem Christi vi consecrationis.*
12 *Resolvitur Casus I. de Sacerdote, qui hostias fieri curavit partim ex tritico, partim etiam ex Siligine, propterea minùs laudandus.*
13 *Idipsum etiam à fortiori tenendum de hostiis ex mero siligine confectis.*
14 *Et quid, si cum tritico pauca solùm grana siliginea sint commolita.*
15 *In casu necessitatis, an fas sit consecrare hostiam minorem, vel panem fermentatum.*

 16. *Re-*

16 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote, qui perveniens ad consecrationem, advertit vinum acescere, & in congelationem vergere.*

17 *Modica congelatio non est multùm curanda.*

18 *Et quid si vinum inveniatur ita alteratum, ut dubitare liceat, sitnè adhuc vinum, vel verò acetum.*

19 *Resolvitur Casus III. de Sacerdote, qui semel consecravit vinum nimis lymphatum, id est, aqua nimia permixtum.*

20 *Alia vice consecràvit vinum, dubitans an guttula aquæ calici immissa verè fuerit eidem commixta.*

21 *Quantum aquæ sit affundendum vino, ut censeatur modicum.*

22 *Ad dignoscendum panem verè consecrabilem vel maximè attendendus est usus Regionis & Populi, an scilicet, vel qualem panem habeat pro triticeo atque usuali.*

23 *Referuntur aliquot panes non usuales, ceu materiæ certò ineptæ ad consecrandum corpus Domini.*

24 *Item aliæ certò ineptæ ad consecrandum Sanguinem.*

25 *Succus ex uvis immaturis expressus, seu mustum, sicut & vinum congelatum sunt materia valida, non item licita consecrationis.*

26 *Satis fit cuidam instantiæ in contrarium.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur nonnulla quæsita scitu necessaria, ad resolvendos Casus practicos de Materia Eucharistiæ.

QUæres primò, quid sit Sacramentum Eucharistiæ?

1 R. Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini consecratis, ad spiritualem animæ refectionem. Ita *communissimè* DD. Idipsum docet Scotus 4. *d.* 8. *q.* 1. etsi paulò aliis verbis.

Dicitur autem hoc Sacramentum *Eucharistia* (quod græco vocabulo idem significat, ac *bona gratia*, vel *gratiarum actio*) quia hoc Sacramentum est signum sensibile Christi Domini, qui ceu fons & origo totius gratiæ sub ipso realiter continetur: quam ob causam etiam omnium aliorum Sacramentorum dignissimum meritò reputatur ab universali Ecclesia, veluti tradit Concilium Tridentinum *Ss.* 3. *de Eucharistia. c.* 3.

Quæres secundò, quandonam hoc Sacramentum fuerit institutum, & à quo?

2 R. Fuit ab ipso Christo Domino immediatè institutum in ultima Cœna; nam ibi Christus consecravit corpus & sanguinem suum, consecratumque sub speciebus panis & vini distribuit Apostolis, mandans, ut idem facerent in sui commemorationem, prout habetur Matth. *cap.* 26. Marci 14. Luc. 22. 1. *Cor.* 11. itemque ex Concil. Trid. *l. cit. c.* 2.

Quæres tertiò sitnè Sacramentum Eucharistiæ unum vel plura?

3 R. Est unum, non quidem unitate simplicitatis & indivisibilitatis, sed unitate integritatis, atque perfectionis; quo non obstante dici potest ac debet multiplex numero, juxta multiplicationem ac pluralitatem numericam specierum consecratarum. Ita Doctor subt. 4. *d.* 8. *q.* 1. quem sequitur Mastrius 4. *Disp.* 3. *à n.* 65. aliique Scotistæ communiter contra nonnullos alios. Ratio prioris est hæc: quia, si non esset unum, sed plura Sacramenta, necessariò fatendum foret, dari plura, quàm septem Sacramenta N. L. quod repugnat fidei, & definitioni Concilii Trid. *SS.* 7. *can.* 1. Quod autem sit unum unitate integritatis tantùm, & non indivisibilitatis, inde patet: quia Eucharistiæ Sacramentum constat pluribus partibus, speciebus scilicet panis ac vini à se utique divisibilibus, atque separabilibus: quia tamen utraque species per modum convivii ordinatur ad unam totalem refectionem spiritualem animæ; hinc bene dicitur esse unum unitate integritatis. Ratio autem posterioris est hæc: quia Sacramentum Eucharistiæ non est solum corpus & sanguis Christi (quod utique est unum numero duntaxat) sed ipsæ species consecratæ, quatenus sunt signum sensibile corporis & sanguinis Christi realiter sub eisdem contenti, constituunt Sacramen-

tum

tum Eucharistiæ: atqui species panis ac vini multiplicantur numero: ergo etiam numero multiplicatur Sacramentum hoc. Verùm plura de his discutienda relinquimus Scholasticis, nobis enim moralia duntaxat sectari præfixum est.

Quæres quartò. Quænam sit materia hujus Sacramenti?

4 R. Materia ex qua fit & consecratur Sacramentum Eucharistiæ, est panis triticeus usualis, & vinum de vite. Ita *communiter* omnes Catholici, & habetur expressum in Concilio Florentino *decreto unionis*. Ratio congruentiæ inde desumitur: quia hæc duo sunt aptissima ad significandam integram refectionem animæ, simulque solus panis triticeus ab omnibus habetur pro vero pane, & propterea communiter solet adhiberi ad reficiendas corporis vires.

5 Dictum fuit: *panis triticeus usualis*: qualis in hac nostra patria indubitanter habetur is, qui conficitur ex illa specie frumenti, quam germanico idiomate communiter appellare solemus .... Ratio est: quia hæc species frumenti verè dicitur triticum, ex quo optimus & usitatissimus panis conficitur: ergo.

Dices: Etiam ex siligine, id est, ... uti appellant Germani, conficitur panis usualis: ergo etiam hic sufficit ad consecrationem.

6. R. Distng. illatum. Ergo hic sufficit ad consecrationem validam, trans. ad consecrationem etiam licitam, neg. Conf. Etsi enim hic panis in Germania nostra satis sit usualis, etiam inter homines melioris conditionis; nihilominus multi existimant hunc panem, ex siligine scilicet confectum, non esse triticeum, ideòque nec simpliciter usualem, sed solùm usurpari ab hominibus in defectum tritici ac verè usualis, sicut subinde pauperiores ob eundem defectum usurpant panem ex hordeo vel aliis leguminibus confectum; hinc res manet quodammodo dubia, aut saltem controversa atqui reverentia hujus augustissimi Sacramenti postulat, ut nunquam conficiatur, nisi ex materia certa, seu certò sufficiente ad valorem: ergo solus panis ex tritico vulgo .... non item ex siligine, seu.... confectus adhiberi debet ac potest licite! Videatur Tannerus *tom.* 4. *Disp.* 5. *dub.* 3. *n.* 102. Gobat *theolog. experim. tr.* 3. *n.* 29. Layman. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. Sporer *Theolog. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *à n.* 137.

7 Porrò, ut panis triticeus validè ac licitè consecretur, necessariò debet esse confectus ex aqua naturali, & igne tostus, atque substantialiter incorruptus, nec non 2. azymus in Ecclesia saltem latina. Ita *DD. citt.* aliique *communissimè*. Ratio prioris est: quia sola farina non dicitur panis, nisi sit aqua naturali confecto, & igne tosta: enimverò massa farinacea confecta ex aqua rosacea, oleo, butyro, vino, aut alio liquore &c. jam non ampliùs censetur panis, sed potiùs placenta, vel aliud quid simile: consequenter talis materia invalidè simul & illicitè consecraretur. Ratio autem secundi desumitur ex Concilio Florentino, in quo statuitur, ut Sacerdotes latini in azymo tantùm consecrent, Græci verò in fermentato; uterque enim panis sufficit ad valorem. Quo non obstante græci peregrinantes inter latinos, ubi non habent propriam Ecclesiam, licitè se conformant Ecclesiæ latinæ, consecrando in azymo, esto ad hoc non sint obligati absolutè: idemmet vicissim dicendum de Sacerdotibus latinis fortè peregrinantibus inter græcos. Ratio hujus, inter theologos satis receptæ opinionis est: quia quilibet peregrinus licitè se accommodat particularibus institutis cujusque Ecclesiæ probatæ, licèt per se loquendo (secluso scilicet contemptu & scandalo) ad hoc non teneatur. Reinffestuel *cit. dist.* 4. *n.* 17.

Quæres quintò, quale vinum sit materia consecrationis?

8 R. Ad validam consecrationem sufficit omne vinum de vite, uvis scilicet maturis expressum, & substantialiter incorruptum, cujuscunque demum speciei sit aut coloris: ut tamen licitè consecretur, debet vinum esse simplex, purum, & perfectum. Ratio prioris est: quia omne & solum vinum de vite habet (juxta communissimam hominum opinionem) veram rationem & substantiam vini, nec ullibi constat, Christum D. unam potiùs speciem præ alia instituisse aut demandasse: ergo ad valorem sufficit omne & solum

vinum de vite, modò supponatur substantialiter incorruptum, Ratio autem posterioris est: quia cùm hoc Sacramentum sit omnium dignissimum, utpote continens Deum ipsum velut Auctorem & fontem omnis puritatis, omnino condecens est, ut ex materia, quantum fieri potest, purissima, aut certè defæcata conficiatur. Unde Herincx noster *part. 4. tr. 3. disp. 2. n. 27.* rectè ait, graviter peccari posse consecrando uti in pane, ita & in vino minùs puro, proptereaque culpandos esse quosdam Sacerdotes hac in re incurios, dum hostias à vermiculis turpiter corrosas aut fœdatas, vinum fœcibus infectum &c. adhibent. Videatur de hoc Gobat. *tract. 3. n. 24. & seqq.*

Dices: Vinum miraculosè productum ex aqua, quale fuit illud in nuptiis Chananæis à Christo productum, juxta communem DD. reputatur pro materia valida consecrationis: atqui non est vinum de vite: ergo.

9 R. Conc. Maj. dist. min. non est vinum de vite quoad modum producendi, id est, non est eodem modo productum, quo producitur vinum de vite, con. non est vinum de vite quoad substantiam, id est, habens veram substantiam vini, æque ac illud à vite productum, neg. min. cum conseq.

Quæres sextò, an, vel qua necessitate vino consecrando commiscenda sit aqua in sacrificio Missæ?

10 R. Est necessariò admiscenda aqua modica naturalis, non quidem necessitate Sacramenti, quippe quod validè saltem conficeretur sine admixtione aquæ, sed necessitate præcepti Ecclesiastici. Ita cum *communissima DD.* Scotus. Constat etiam satis tum ex concilio Florent. *In Decreto de Armenis*; tum etiam ex Tridentino *Ss. 22. c. 7.* ubi dicitur, *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent*; ubi idem Concilium hujus constitutionis mox subdit triplicem rationem congruentiæ, tum 1. quòd Christum Dominum ita fecisse credatur; tum quòd de latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum seu mysterium hìc recolitur. Et 3. cùm *Aquæ* in Apocalypsi B. Joannis *populi* dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Quæres ahduc septimò, Utrùm aqua immediatè, vel verò mediatè duntaxat vi consecrationis convertatur in sanguinem Christi?

11 R. Ad hanc quæstionem speculativam cum communi SS. & TT. contra Recentiores, probabiliùs aquam vino mixtam mediatè tantùm, quatenus scilicet priùs conversa in vinum, & non immediatè converti in sanguinem vi consecrationis. Ratio potissima hujus opinionis videtur esse hæc: quia sola materia calicis convertitur in sanguinem: atqui materia calicis est vinum, non verò aqua; secus enim ambæ species essent seorsim consecrabiles, ergo aqua probabiliùs non est immediatè, sed mediatè duntaxat consecrabilis. Et certè juxta Trident. *Ss. 13. can. 2.* facta conversione panis in corpus & vini in sanguinem remanent duntaxat species panis & vini: ergo juxta concilium *cit.* sanguis Christi non continetur sub speciebus aquæ nedum conversæ in vinum; secus enim non remanerent solæ species panis & vini.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Materia Eucharistiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos, utpote provisus valde tenui beneficio, molendari curavit grana partim ex tritico, partim verò ex siligine, & ex iisdem jussit fieri panem pro se suaque tenui familia, simulque confici hostias, quibus in sacrificio Missæ uteretur ad consecrandum Corpus Domini. Jam verò dubitat, an propterea graviter peccaverit? Quid respondendum?

12 R. Non videtur condemnandus alicujus gravis noxæ, etsi propterea pariter nec in minimo sit laudandus. Ratio est: quia panis confectus ex granis partim triticeis partim verò siligineis in hac nostra Patria Germania scilicet, indubitanter habetur pro pane usuali, & à multis etiam Nobilibus usurpatur. Certè Doctores Germani, uti Dicastilo, Tannerus, Gobat, Sporer, Reinffestul & alii probabilissimum censent, ex

ex solo siligine, id est, ... in nostra Germania confici verum panem usualem: quidni ergo à fortiori talis conficiatur ex siligine, cui media pars de tritico fuit commixta? atqui panis verè usualis indubitanter est materia consecrationis, ergo. Nihilominus quia iidem Doctores Germani, ut videre est apud Gobat. *tr.* 3. *à n.* 29. communiter tenent, nunquam esse consecrandum in pane siligineo, nisi urgeat necessitas; hinc & ego censeo, Titium nostrum minùs laudabiliter fecisse jubendo hostias ex farina partim triticea, partim verò siliginea confici, easdemque consecrando: neque enim verosimile videtur, eum tanta premi potuisse necessitate, ut sine permagno incommodo non potuerit procurare hostias merè triticeas.

13 Cæterùm quod modò diximus de hostiis ex farina partim siliginea, partim verò triticea confectis, idipsum à fortiori intelligendum est de hostiis ex puro siligine confectis, etsi supponantur confectæ ex nucleo quasi, seu (uti vocant) extracto, quia tales sine vera & gravi necessitate adhiberi nunquam debent in sacrificio Missæ, idque saltem propter reverentiam Sacramenti, sin minus propter evitandum periculum nullitatis: atqui in his nostris partibus nunquam occurret tanta necessitas, siquidem passim in abundantia obtineri potest triticum optimum: ergo illicitè saltem ageret, quisquis hostias ex mero siligine confectas consecraret. Videatur Layman. *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 2.

Dices: At quid, si constet farinæ triticeæ commolita fuisse grana alterius frumenti, v. g. hordei, aut avenæ &c. an ex tali farina confectæ hostiæ licitè consecrarentur?

14 R. Si paucula duntaxat grana sint commolita tritico, ego cum P. Gobat. *cit.* Sporer, Laym. & aliis communiter censeo, nullum fore Theologum tam rigidum, ut hujusmodi Sacerdotem damnet noxæ lethalis: *nam ad usum sacramentalem communiter assumitur talis materia, quæ communiùs apud homines in talem usum venit*, ait D. Thomas *art.* 3. *in Corpore*. communissimè autem homines utuntur ac vescuntur pane pisto ex farina non prorsus sincera: ergo. Ita Gobat *cit. tr.* 3. *n.* 37. Tannerus & alii.

Dices adhuc. Quidsi autem urgeat necessitas celebrandi, utputa vel quia dies est festivus, vel quia dandum est Viaticum sacrum moribundo, nec haberi possit hostia ex azymo pane confecta, aut certè non possit haberi hìc & nunc hostia major, sed minor duntaxat, licitumnè foret ob hujusmodi necessitatem consecrare panem fermentatum, aut hostiam minorem ex azymo confectam?

15 R. In tali casu licitè consecrari hostiam ex azymo, etsi sit minor, qualis solet dari Laicis, non ambigo: quia nullum exstat præceptum, nulla etiam consuetudo sub gravi culpa obligans ad consecrandas hostias majores tantùm: qua ratione Tamburinus *de sacrificio Missæ ritè peragendo l.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 16. eumque secutus Gobat existimant licitum, consecrare hostiam minorem etiam sine necessitate, & ex sola devotione, modò absit scandalum in populo, quod quidem haud difficulter præcaveri poterit, præmonendo assistentes sacrificio, & docendo, quòd nullum exstet præceptum graviter obligans ad consecrandas hostias duntaxat majores: tum etiam quòd hìc & nunc nulla major valeat obtineri. At verò consecrare panem fermentatum in nostra Ecclesia Latina, nefas esse censent Sotus, Suarez, Ledesma, Dicastillo, & alii. Nihilominus, casu quo abesset omne periculum (quod tamen in hoc casu magis, quàm in priori de hostia minore timendum judico) cum Tannero & Gobato non auderem oppositam sententiam Majoris damnare noxæ lethalis, saltem pro casu, ubi urget vera necessitas consecrandi, aut Viatici administrandi. Et certè præceptum consecrandi in azymo tantùm non videtur usque adeò urgere, ut propterea potiùs permittendum sit aliquem corpore & anima damnari, prout voluit Thomas Tamburinus apud Gobat *cit. tr.* 3. *n.* 41. & 42. quem vide, si placet.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos rigidissima hyeme celebraverat Missam in quadam Ecclesia filiali, qui dum pervenit ad actualem consecrationem calicis, naribus non nihil propiùs admotis calici, videbatur

batur sibi olfacere acetum, quam ob rem nonnihil perterritus, paulò accuratiùs considerаverat materiam calici infusam, moxque deprehendit, vinum illud fœculentum esse, multumque acescere, insuper & frigoris rigore nonnihil contractum, & quasi glaciata quadam membranula hinc inde obductum; nihilominus perrexit in consecratione, eò præsertim, quòd aliud vinum sine permagna difficultate, fortè etiam scandalo in populo obtinere non potuisset. Unde jam dubitat, an bene fecerit, vel quid deinceps agendum foret in simili contingentia facti.

16 R. Sempronius nedum validè, sed & licitè consecravit, etsi supponatur vinum calici infusum multùm inclinasse in acetum. Et quidem de valida consecratione nemo facilè ambiget; quandoquidem adhuc fuerit vera substantia vini in calice, prout supponitur. Quod autem insuper licitè consecraverit, facilè suadetur hac ratione: quia in casu veræ & gravissimæ necessitatis licitè consecratur materia minùs pura, seu fœculenta, veluti communiter fatentur DD. & clarè deducitur ex *cap. cùm omne crimen de Consecr. dist.* 2. atqui Sempronius noster urgebatur vera necessitate; tum quia ob integritatem sacrificii ex jure D. tenebatur consecrare utramque speciem; tum etiam quia supponitur, sine permagna difficultate & periculo scandali non potuisse obtinere aliud vinum. Vide Tambur. *de sacrific. l.* 2. *c.* 8. §. 5. Unde

17 Nec refert, quòd idem vinum jam cœperit congelare; quippe levis quædam & inchoata congelatio non est multùm curanda, ait Herincx *cit. n.* 29. præsertim cùm facilè possit tolli, admota ad cupam manu: ergo ob hanc causam sacrificium minimè fuit relinquendum mutilum.

Dices. At quid, si Sempronius invenisset vinum ita alteratum, ut non potuisset discernere, sitnè adhuc verum vinum, vel verò merum acetum?

18. R. Si invenisset vinum ita alteratum, & quidem jam ante sacrum inchoatum, debuisset omnino abstinere à sacro celebrando: nec licuisset citra gravissimam sacrilegii culpam in eo celebrare, ne quidem ut populus audiret sacrum die festivo. Ratio est: quia plus urget reverentia huic Sacramento debita, quæ certam materiam postulat, quàm præceptum audiendi sacrum, quo populus tenetur. Nihilominus in casu nostro, ubi Sempronius supponitur primùm advertisse hunc defectum in actuali sacrificio post unam speciem (panis scilicet) jam consecratam, simulque aliud vinum moraliter loquendo non potuisse obtinere, judico eum etiam licitè (sub conditione tamen) consecrasse illam materiam dubiam. Ratio est: quia præstat conficere sacrificium saltem dubiè integrum, seu cum inegritate dubia, quàm certò mancum. Fateri tamen cogimur, tantò majorem requiri necessitatem ad licitè celebrandum in tali casu, quantò magis dubia apparet materia consecranda; idque ob reverentiam huic Sacramento debitam, uti jam dictum fuit. Videatur Gobat *cit. n.* 400. vel la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 535. & 536.

CASUS TERTIUS.

Cajus celebrando Missam, voluit juxta præscriptum Rubricarum vino consecrando modicam admiscere aquam, verùm præter intentionem suam tantum affudit, ut dubitare licuerit, an non superaret vinum in calice contentum: quapropter altera vice cautiùs volens procedere, unicam duntaxat guttulam aquæ coeleariolo haustam ex urceolo immisit calici, sed ita, ut rursus dubitarit, an guttula illa revera vinum attigerit, an verò potiùs in cupa calicis hærendo permanserit, nullatenus commixta vino. Jam dubitatur, an, vel quomodo Cajus peccaverit in his casibus?

19 R. primò. Cajus consecrando vinum, cui tantum aquæ admiscuerat, ut dubitare licuerit, an non superarit quantitatem vini, peccavit graviter. Ratio est: quia vinum usque adeò lymphatum, erat materia dubia saltem, sin minùs certò invalida: atqui citra grave peccatum non licet consecrare materiam dubiam, nisi fortè in casu gravis necessitatis, de quo mox egimus *n. præced.* ergo. Debuisset ergo in praxi materiam illam vel omnino effundere in urceolum aquæ, & aliud infundere vinum, vel certè eidem materiæ jam contentæ in calice adhuc super affundere tantum de vino,

ut

ut potuerit se resolvere, jam contineri in eodem calice materiam certò validam pro consecratione. Vid. Sporer *Theol. Sacram. p. 2. n. 163.*

20 R. secundò. Etiam in altero casu, ubi supponitur dubitasse, utrùm guttula aquæ verè fuerit admixta vino, videtur graviter peccasse. Ratio est: quia sine causa sese exposuit periculo transgrediendi præceptum Ecclesiæ in materia graviter obligante: jubemur enim sub gravi culpa aquam admiscere vino consecrando: jam verò hoc ipso, quòd Cajus dubitet, an aquæ guttula attigerit vinum, pariter dubitare debet, an aquam miscuerit vino: at, qui sine verè gravi causa vel necessitate se exponit periculo transgrediendi præceptum Ecclesiæ graviter obligans, peccat graviter: ergo &c. Itaque si hoc advertit jam ante consecrationem, tenebatur superinfundere unam saltem guttulam, eandemque veraciter admiscere vino consecrando. Secus dicendum foret, si hoc primùm advertisset post consecrationem calicis; etenim juxta communem doctrinam Ecclesiæ latinæ aqua modica admiscenda solùm est vino consecrando: consecrato autem calici nihil non consecratum est admiscendum. Bonac. Busenbaum, La Croix *l. 6. num.* 450. Sporer *cit. num.* 161.

Dices. Quantum igitur aquæ licet affundere, ut censeatur modicum?

21 R. Id universaliter determinari non posse, sed prudentum judicio esse relinquendum, attenta tum quantitate, tùm etiam generositate vini; enim verò ubi plus vini præsertim generosi infunditur, ibi minus subest periculi de corrumpenda substantia vini, & de Sacramento invalidando. Ego cum D. Gobat, La Croix, Sporer, & aliis existimo, vino etiam medioeri in hisce nostris partibus sine scrupulo admisceri posse v. g. quintam partem aquæ; cùm non appareat verosimile, per tam modicam aquæ quantitatem substantiam vini posse corrumpi. Vid. La Croix *l. cit. n.* 449.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

22 Colliges ex dictis primò, ad discernendum panem usualem, & licitè consecrabilem, vel maximè attendendum esse, an frumentum illud, ex quo confectus fuit, in tali loco vel Regione habeatur pro vero tritico, vel non; Etenim juxta satis receptam Doctorum regulam universalem quasi, materia certò apta & valida consecrationis conficitur ex illo solo frumento, quod in quavis Regione à peritis certò judicatur esse triticum: econtra omnis panis confectus ex alio frumento, quod non est triticum reputatur materia inepta; quemadmodum etiam panis confectus ex frumento, de quo dubitatur à peritis, an sit triticum, habendus est pro materia dubia vel incerta, & hoc ipso nunquam assumendus in sacrificium, idque propter reverentiam summam huic Sacramento debitam, uti jam superiùs notatum fuit. Sporer *cit. n.* 137. Babenstuber *tr. 8. p. 3. disp. 2. n. 8.*

23 Colliges secundò Materiam certò ineptam pro consecratione esse panem confectum ex oriza, avena, hordeo, milio, pisis, aut fabis. Ratio est: qaia hæc frumenta secundùm communem usum & existimationem etiam peritorum non habentur pro tritico: econtra panem ex farre, sive spelta, itemque ex mero siligine confectum, esse materiam dubiam, & hoc ipso non adhibendam in sacrificio. Ratio est: quia sapientes dubitant, an spelta, & siligo sint verè triticum: quinimmo multi existimant, ea specie differre à tritico, etsi alii putent differre solùm accidentaliter, immò Doctores Germani, nominatim Layman, Gobat, Sporer, Reinffenstuel, Babenstuber &c. certum existimant, ex siligine suevico confici verum panem usualem, & materiam saltem validam pro consecrando corpore dominico Vid. Layman. *cit. c. 2. n. 3.* Babenstuber *l. cit. n. 6.*

24 Colliges tertiò, neque agrestam, neque vinum adustum, neque loram, neque acetum esse materiam validam pro consecrando calice: idipsum tenendum est de vino

five physicè, five etiam moraliter corrupto: censetur autem moraliter corrumpi quoad substantiam, quando eidem admiscuntur aliæ materiæ vel condimenta in tanta copia, ut non ampliùs reputetur, aut simpliciter nominetur vinum. Ratio hujus illationis est, quia in primis agresta est succus antecedens; acetum verò est liquor subsequens formam vini: vinum autem adustum in diversam à vino substantiam decoquitur: Lora est solùm aqua temperata, esto retineat aliquod accidens vini: ergo nihil horum est verè & substantialiter vinum: quemadmodum etiam vinum substantialiter etiam in sensu morali jam præmisso, corruptum, non ampliùs reputatur pro vino: consequenter hæc ne pro valida quidem consecratione possunt deservire. Vid. Babenstuber *cit. n.* 17. *& seqq.*

25 Colliges quartò, Succum ex uvis maturis expressum, seu mustum, nec non vinum congelatum esse materiam validam consecrationis, etsi pro tali statu non sint materia licitè consecrabilis. Ratio est: quia mustum seu etiam succus expressus ex uvis maturis est substantialiter vinum, & est quid potabile, esto nondum sit accidentaliter perfectum, eò quod includat adhuc multas fæces, & humorem aqueum, propptereaque illicitè consecraretur. Similiter vinum in statu congelationis retinet substantiam vini simpliciter, & est aliquid per se potabile, esto per accidens potari nequeat: quemadmodum panis triticeus, etsi durissimus, ita, ut comedi non possit, nisi emollitus, adhuc manet verè panis usualis, & materia de se comestibilis. Aliud est tenendum de vino pani imbibito, item de succo uvis adhuc incluso; quia ita inclusa non habentur pro potu vel materia potabili, sed potiùs pro materia comestibili; unde nec mirandum, quòd pro hoc statu, communi hominum existimatione, non habeantur pro materia consecrabili. Reiffenstuel, Herincx, Henno.

Dices. Aqua congelata non est materia valida baptismi: ergo nec vinum congelatum potest esse materia valida Eucharistiæ.

26 R. Neg. Conf. Disparitas est hæc: quia baptismus est Sacramentum in usu & actione aliqua transeunte consistens, id est, in ablutione, facta, cum debita prolatione formæ &c. atqui ablutio fieri nequit in aqua congelata quamdiu manet congelata: econtra Eucharistiæ Sacramentum non consistit in usu, vel actuali sumptione, aut potatione, sed in re permanente & ordinata ad comedendum, aut bibendum: ergo cùm vinum congelatum adhuc maneat res potabilis, esto per accidens pro hoc statu potari nequeat, adhuc potest deservire pro materia valida Eucharistiæ, veluti satis communiter tradunt DD.

CONFERENTIA

DUODECIMA.

De conditionibus ad materiæ consecrationem requisitis, & de ipsa forma consecrationis.

SUMMARIUM.

27 *Ad validam consecrationem materiæ duæ conditiones requiruntur.*
28 *Rursus aliæ duæ ad licitam.*
29 *Forma consecrandi consistit in certis verbis, præscriptis in canone Missæ scilicet:* hoc est corpus meum &c.
30 *Omnia verba consecrationis sunt necessariò, saltem necessitate præcepti graviter obligantis exprimenda.*
31 *Excipitur tamen communiter particula* Enim.
32 *Quænam verba consecrationis necessitate Sacramenti exprimenda sint in consecratione.*
33 *Quid sit verba proferre* recitativè, *&* *quid* significativè.
34 *Verba consecrationis quo modo sint proferenda.*
35 *Resolvitur Casus I. de Sacerdote, qui volens consecrare duas hostias minores pro duobus sponsis communicadis, postea præter intentionem deprehendit, se assumpsisse tres.*
36 *Et quid practicè agendam fuerit in hoc casu cum illis hostiis.*
37 *An licitum sit consecrare hostias minores*

res ad Aram Sacerdoti delatas primùm post oblationem factam.

38 *Et utrùm fas sit hostias immediatè post consecrationem auferre ab altari.*

39 *Quid tenendum sit de guttulis, calici sive exterius, sive etiam interiùs adhærentibus.*

40 *Et quid circa illas in praxi sit observandum.*

41 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote, qui propter distractionem non poterat se reflectere, an verba consecrationis protulerit, proptereaque eadem repetiit.*

42 *Et quid, si habuisset prudens motivum dubitandi de consecratione facta vel non.*

43 *Resolvitur Casus III. de alio quodam Sacerdote scrupuloso, assueto consecrare alta & clamorosa voce &c. &c.*

44 *Quid de tali modo consecrandi tenendum sit.*

45 *Unum etiam verbum aut Syllabam in consecratione repetere sine causa; non vacat culpa veniali.*

46 *Vinum in calice cooperto contentum validè consecratur;*

47 *Non item repositum post parietem, vel in tabernaculo clauso.*

48 *Neque consecratur materia inscio Sacerdote posita super altare tempore Sacrificii.*

49 *Sacerdos consecrando hostias in ciborio cooperto, illicitè agit.*

50 *Forma consecrationis quando censeatur mutata substantialiter, & quando non.*

51 *Qualem Sensum genuinum reddant verba consecrationis.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria, ad debitè resolvendos Casus de conditionibus materiæ consecracrabilis, & ipsa forma consecrationis.

QUæres primò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut materia Eucharistiæ validè consecretur?

27 Ad hoc requiruntur duæ conditiones, quarum prima est, ut materia consecranda Sacerdoti sit moraliter & sensibiliter præsens 2. ut eadem materia sit certa, & per intentionem consecrantis determinata. Ita cum aliis Bonacina *disp. 4. qu. 2. punct. 6.* Layman *lib. 5. tr. 4. c. 2. n. 10. & 12.* Ratio utriusque partis dusumitur ex institutione Christi, & ex ipsis pronominibus demonstrativis formæ, scilicet. *hoc est*: *hic est &c.* quæ debent necessariò verificari, ut consecratio validè fiat: at nunquam verificabuntur hæc verba demonstrativa, nisi materia sit certa, moraliter præsens, & determinata in individuo: ergo &c. Confirmatur hoc ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ nunquam consecrare consuevit, aut benedicere res absentes. Et certè sacrificium ex sua natura requirit hostiam moraliter præsentem, & in individuo determinatam; quandoquidem actiones sunt singularium, quæ debent esse certa, & determinata.

Quæres secundò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut materia Eucharistiæ etiam licitè consecretur?

28 R. Rursus desiderantur duæ conditiones 1. ut non consecretur major quantitas, quàm quæ tempore opportuno possit absumi 2. ut in consecrando materiam non recedatur ab usu Ecclesiæ in Missali præscripto. Ita Bonacin. & Layman. *cit. n. 11.* Ratio prioris hæc est: quia consecrans quantitatem nimiam, tantam scilicet, quæ tempore opportuno non possit, aut certè nunquam absumetur, exponit Species periculo putredinis, & Sacramentum irreverentiæ: quod utique culpa non vacat. Ratio autem posterioris est: quia Rubricæ Missalis saltem à potiori sunt præceptivæ, & non merè directivæ, illæ præsertim, quæ versantur circa consecrationem &c. ergo qui ab istis recedit, peccat pro gravitate ipsius rei.

Quin etiam, sine causa non observare Rubricas directivas, esse peccatum veniale, probabiliter tenent Quarti & La Croix *l. 6. p. 2. n. 410.* eo quòd sit neglectus temerarius rei meritò observandæ, & deordinatio à communi sine rationabili causa; quod videtur esse saltem venialiter malum, etsi hoc negent Tamburinus & Gobat: sed de hoc vide dicenda inferiùs *Confer. 20. nu. 268.*

Quæ-

Quæres tertiò, quænam sit forma consecrationis Eucharistiæ?

29 R. Sunt verba illa in Canone Missæ præscripta, atque in Ecclesia latina semper observata, pro consecrando scilicet corpore hæc: *Hoc est enim corpus meum*, pro consecrando autem calice sequentia: *Hic est Calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ita *omnes Catholici*. Ratio desumitur tum à paritate de aliis Sacramentis, quorum forma consistit in prolatione certorum verborum, secundùm dicta *Confer. 1. n. 5.* Tum etiam quia velut certum habetur, quòd ipse Christus Dominus fuerit usus iisdem met, aut certè similibus verbis, quando in ultima Cœna consecravit, prout diffusiùs tum auctoritate, tum etiam ratione probat noster Henno *de Eucharist. disp. 3. q. 1.*

Quæres quartò, sintnè omnia mox relata verba necessariò exprimenda in consecratione?

30 R. Sunt omnia exprimenda necessariò necessitate præcepti, non tamen necessitate Sacramenti. Ita DD. *communissimè*. Et ratio posterioris redditur hæc: quia tametsi unum aut alterum verbulum omittatur, nihilominus probabilissimè valida est consecratio, prout de particula *enim* omnes omnino fatentur: ergo non omnia verba relata sunt de necessitate Sacramenti. Ratio autem prioris est: quia omnia & singula verba consecrationis mox relata ab Ecclesia Romana in Canone Missæ studiosè præscribuntur & observantur, eademque à Christo, etsi forsitan non eodem ordine, dicta fuisse & usurpata, partim ex traditione, partim ex scriptura habetur. Tum etiam quia illa verba: *novi & æterni Testamenti, qui pro vobis &c.* faciunt unam integram, perfectamque orationem cum aliis præcedentibus, ita, ut multi dubitent, an non etiam pertineant ad sensum substantialem: ergo qui ea, vel unum eorum omitteret studiosè, peccaret mortaliter secundùm *omnes*.

31 Nihilominus multi DD. uti Reiffenstuel, Henno, Herincx *disp. 2. n. 80.* Suarez & alii censent, non esse peccatum grave, ex parva duntaxat negligentia, vel alia simili causa, excluso contemptu, omittere particulam *enim*; idque tum ob parvitatem materiæ; tum etiam quia juxta *communem DD.* hæc particula non est de essentia consecrationis. Secus dicendum foret, si omitteretur ex contemptu formali, qualis facilè posset intervenire in omnino voluntariè omittente; cùm nulla possit esse ratio omittendi, inquit Herincx *l. cit.*

Quæres quintò, quænam igitur verba sint de essentia consecrationis?

32 R. Ad consecrationem corporis essentialiter necessaria sunt hæc quatuor verba: *Hoc est corpus meum*. Ad consecrationem autem calicis sequentia: *Hic est calix Sanguinis mei*. Ita D. Bonavent. Scotus, & potior Theologorum pars, quibuscum etiam sentit Babenstuber, quamvis Gonet aliique multi Thomistæ putent, omnia verba consecrationis in canone præscripta (excepta duntaxat particula *Enim*) esse de essentia consecrationis calicis. Ratio autem nostræ resolutionis est: quia si omnia illa verba utputa: *novi & æterni testamenti &c.* essent de essentia consecrationis, procul dubio Sancti Apostoli & Evangelistæ id tradidissent vel præscripsissent; non enim est verosimile, quòd aliquid essentialiter requisitum ad hoc mysterium omisissent, quando modum & verba consecrandi præscripserunt, atqui hoc non fecerunt: ergo. Et certè in opinione AA. fatendum foret, neque S. Marcum, neque Jacobum fratrem Domini, neque alios Apostolos unquam validè consecrasse, aut docuisse modum validè consecrandi; quia nec sunt usi omnibus illis verbis, nec illis utendum esse, aliis præscripserunt, veluti constat ex illorum liturgiis apud Lugo *Disp. 11. Sect. 4.* & Babenstub. *cit. Disput. 3. n. 18.* Consequens autem est absurdum: ergo &c.

Quæres sextò, quo sensu verba consecrationis sint proferenda?

33 Ante responsionem suppono & adverto, verba posse proferri 1. vel *recitativè tantùm & historicè*, seu, ut alii loquuntur, *materialiter*; vel 2. *significativè tantùm & assertivè*; vel denique 3. *recitativè & significativè simul*. Primo modo, recitativè scilicet proferuntur, quando proferens præcisè refert verba alterius, absque ulla intentione asserendi id, quod significant: & ita loqui-

loquitur David *Psalm.* 13. dum ait: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus*. Secundo modo, significativè scilicet proferuntur, quando proferens intendit suis verbis aliquid asserere vel enunciare, sine respectu ad dicta alterius, quo sensu idem Propheta dixit *Psalm.* 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Tertio denique modo, scilicet recitativè & simul significativè proferuntur, quando quis utitur verbis ab alio prolatis, simulque vult illis mediantibus idem asserere; quo sensu rursus idem Psaltes Regius *Psalm.* 109. ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*. His præsuppositis.

34 R. Verba consecrationis proferenda sunt recitativè, & significativè simul. Ratio est: quia Sacerdos consecrans refert ea, quæ Christus dixit, simulque loquitur in Ejusdem Persona & auctoritate; atque hinc recitativè profert illa verba, quando de Christo Domino dicit: *qui pridiè quàm pateretur, accepit panem &c.* & dixit: *Hoc est enim corpus meum*: significativè autem, quia iisdem verbis in Persona Christi loquens Sacerdos assertivè dicit: *hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei &c.* Quocirca rectè advertit Sporer *theolog. Sacram. part.* 2. *n.* 197. non esse cuipiam scrupulizandum de prolatione verborum in utroque sensu mox relato: nam quivis Sacerdos præsumitur habere intentionem, faciendi id, quod Christus fecit, & instituit, vel quod facit Ecclesia; atqui hoc ipso sufficientissimè intendit proferre verba consecrationis in utroque sensu mox dicto: ergo.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de conditionibus materiæ consecrandæ, & ipsa forma consecrationis.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos sub suo sacrificio voluit communicare duos sponsos, & in hunc finem duas hostias minores secum deferre ad Altare: at ecce, ubi ad actualem communionem pervenit, animadvertit, se præter intentionem suam tres hostias minores assumpsisse, quia verò duas duntaxat intenderat consecrare; hinc stupefactus dubitare cœpit 1. an vel nulla, vel duæ tantùm vel denique omnes tres consecrasset? 2. Quid in praxi sibi esset agendum?

35 R. Ad primum. Videtur probabilissimum, & quasi certum, omnes tres hostias fuisse consecratas. Ratio est: quia regulariter loquendo intentio consecrantis solet, immò (juxta præscriptum Missalis *de defect. intent. tit.* 7. *n.* 1.) debet esse hæc, *quòd scilicet velit consecrare totam materiam, quam sibi habet moraliter præsentem & licitè consecrabilem*: certè in nostro casu practico hanc habuerit intentionem, *quòd scilicet velit præter suam hostiam majorem etiam consecrare illas minores*, quas quidem duas duntaxat putaverat, errore speculativo, reipsa autem erant tres: at verò error speculativus non obstat intentioni practicæ *consecrandi* materiam præsentem, quam, velut conformem consuetudini & menti Ecclesiæ quivis Sacerdos censetur habere saltem implicitè: ergo. Secus tamen resolvendum foret, si supponeretur Titius habuisse expressam intentionem *non consecrandi plures, quàm duas hostias minores*: quo supposito probabilissimè nulla omnino fuisset consecrata; cùm non sit major ratio, de una potiùs, quàm de altera: quamvis aliqui putent, in simili casu, quo plures hostiæ quasi compactæ sunt, & ita unitæ, ut credantur esse duntaxat una, eam solùm consecrari, quæ est in conspectu Sacerdotis. Id, quod & in nostro hoc casu verificatum credo, si Titius expressè intendisset consecrare illas hostias, *quas ante se vidit in corporali positas*.

36 R. Jam ad secundum. Supposito, quòd Titius habuerit saltem implicitam intentionem *consecrandi hostias sibi præsentes*, & in corporali propositas (quæ intentio semper præsumitur, nisi constet de contrario, uti jam diximus) tuta conscientia potuit illas distribuere sponsis, tertiam verò residuam debuisset ipse sumere ante ablutionem. Similiter si habuisset intentionem consecrandi duas duntaxat hostias minores, *quas sub actu consecrationis vidit*, easdem ita visas tuta conscientia potuit tribuere sponsis, tertiam verò non visam debuisset ipsemet sumere post communionem, seu ante

te ablutionem. Denique si omnibus bene ponderatis adhuc existimavit sibi dubitandum de sufficientia suæ intentionis, an scilicet hostiæ illæ minores sint revera consecratæ, vel non, ipse solus debuisset omnes illas tres hostias sumere ante ablutionem, sponsos verò aliosvè præsentes & advertentes, quantùm tunc fieri potuit, admonere de commisso errore, & de dubio inde orto; quod, si debito modo fiat, facilè omne scandalum in populo, & omnis admiratio insolita avertetur. Vide Sporer *cit. n.* 171.

Dices: at quid, si Edituus vel alius post factam jam oblationem mihi ad Aram deferat aliam, vel alias hostias minores consecrandas?

37 R. Juxta præscriptum Missalis, hostiæ pro communicantibus consecrandæ, debent poni super corporale vel Arulam, idque ante offertorium. Nihilominus etsi paulò post offertorium afferantur, facta priùs oblatione mentali adhuc licitè eas consecrari afferunt Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 71. Gavantus apud ipsum & Busembaum *tract.* 3. *c.* 1. *dub.* 5. *in fine*. Quin etiam licitè consecrari putant Tamburinus *lib.* 2. *c.* 5. §. 2. & Gobat *tract.* 3. *n.* 86. modò adsint ante consecrationem. Ubi tamen idem Gobat mox subdit dicens: *Si unus tantùm esset dimittendus sine commonione, non consecrarem pro illo novam hostiam, sed secutus arbitrium Gavanti & aliorum, diffringerem particulam è mea grandiore, ipsique porrigerem.*

At ecce! vixdum peracta consecratione, alius Sacerdos vult illas hostias minores auferre ab Altari, ut communicet populum avidè exspectantem: an sine peccato?

38 R. Cum Gobat *l. cit.* Sporer *n.* 170. & aliis. Fiet hoc sine peccato mortali; quia non agit contra præceptum graviter obligans; at, nisi sit aliqua vera necessitas tam maturè ministrandi illis panem supersubstantialem, certò non fiet sine peccato veniali; est quippe aliqua inordinatio, si super illis non formentur signa crucis, & aliæ ceremoniæ in Missali præscriptæ.

Dices rursus: sed quid tenendum de guttulis calici adhærentibus, suntnè habendæ pro consecratis, vel non?

39 R. Guttulas exterius calici adhærentes (etsi absolutè loquendo validè consecrari possent) à nullo tamen Sacerdote unquam consecrari; ita DD. *communissimè*. Ratio est: quia tales guttulæ sine periculo irreverentiæ gravis, & eo ipso licitè nunquam consecrarentur: at nullus Sacerdos præsumitur, aut præsumi debet, velle consecrare materiam, quam licitè & sine periculo irreverentiæ nunquam consecrare posset: ergo. At verò guttulas interiùs calici adhærentes, etsi separatas à vino in fundo congregato, validè consecrari, Tannerus, Dicastillo & alii probabile tenent; de quo quidem dubitari neutiquam liceret, si supponatur Sacerdos habere intentionem, consecrandi, quidquid validè consecrabile continetur in calice. Quia tamen quivis Sacerdos præsumitur habere intentionem Ecclesiæ conformem: intentio autem communis & optima Ecclesiæ teste Laymanno *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 2. *n.* 15. videtur esse hæc: *consecrare omnem liquorem consecrabilem, qui per modum unius in calice continetur*; hinc mihi cum Laym. cit. Gobat, Sporer & aliis probabilius videtur, ne illas quidem guttulas ad intra calici adhærentes consecrari validè.

40 Idcircò ad tollendum & præcavendum omnem scrupulum Sacerdos optimè faciet, si semel & pro semper intendat, illas guttulas, sicut & micas hostiæ adhærentes nunquam consecrare. Practicè verò, dum in actuali infusione, vel statim post hujusmodi guttulas adhærentes advertit, eas statim abstergat purificatorio; vel si illas primùm advertat jam consecraturus, circumagendo vinum quod est in fundo calicis, uniat cum eodem, veluti rectè consulit Gavant. apud Gobat *n.* 64. Quamvis Tamburinus *opuscul. de Sacrif. l.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 29. apud Gobat *cit.* meritò dicat, non peccare Sacerdotem non abstergentem, immò nec expedire ut abstergat, si primò illas advertat jamjam consecraturus ad *simili modo*. Post consecrationem autem nullo modo sunt abstergendæ; tum quia sine periculo irreverentiæ fieri vix poterit; tum quia fortè consecratæ sunt: quare admotis speciebus consecratis iisdem uniendæ sunt ante sumptionem, aut saltem in prima ablutione. Sporer *n.* 172.

C A-

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sub sacrificio suo, & ipso actu consecrationis ita distractus fuit, ut jamjam consecraturus calicem, planè ignoraverit, an verba consecrationis super panem debitè protulerit, etiamsi probè meminerit, se hostiam jamjam elevasse & monstrasse Populo adorandam. In tantis igitur angustiis constitutus, ut omnem scrupulum, quem de integritate sacrificii conceperat, evitaret manibus tenendo calicem, & sese inclinando, priùs protulit verba consecrationis super hostiam in corporali adjacentem, & posteà primùm perrexit consecrare calicem. Quæritur jam, an rectè, & licitè.

41 R. Non rectè egit Sempronius. Ratio est: quia verba consecrationis non sunt repetenda, nisi in casu, ubi occurrit prudens dubium de valore peractæ consecrationis: immò verò temerariè eadem repetens, peccat mortaliter secundùm omnes: atqui Sempronius non habuit prudens & fundatum dubium, quin potiùs prudenter debuit præsumere, se jam consecrasse hostiam; tum quia ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio: communiter autem nullus Sacerdos solet (certè nec Sempronius assueverit) elevare hostiam, nisi priùs ritè consecratam; tum etiam quia Sempronius supponitur alias actiones & ceremonias observasse: quidni ergo & hanc? tum denique, quia distractio non obstat valori consecrationis, quippe qua stante possumus habere intentionem virtualem sufficientissimam consecrandi. Unde etiam Rubricæ Missalis *tit. 5. de defect. formæ. nu. 2.* expressè ordinant, ut, *si celebrans non recordetur, se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debeat propterea turbari*: ergo multò minùs debet aliquid repetere, ex eo præcisè, quòd non recordetur se dixisse verba consecrationis. Et pejus adhuc fecisse videtur, eò quòd verba consecrationis super illam hostiam protulerit absolutè, & sine conditione; nam per hoc se exposuit manifesto periculo irrogandi Sacramento irreverentiam gravem.

Dices: Sed quid, si Sempronius verè habuisset rationes positivas dubitandi de consecratione facta, vel non?

42 R. Hoc supposito debuisset iterare formam consecrationis, sed sub conditione duntaxat, prout expressè præscribunt Rubricæ Missalis *loc. proximè cit.* sequentibus omnino verbis: (*si tamen certè ei*) (Sacerdoti scilicet consecranti) *constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem: si verò valdè probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulteriùs.* Hactenus Rubricæ. Quocirca rectè monent omnes cum Aversa *qu. 11. Sect. 16.* apud La Croix *lib. 6. p. 2. nu. 534.* non esse facilè admittenda ejusmodi dubia; cùm ordinariè sint meri scrupuli.

CASUS TERTIUS.

Cajus multùm anxius circa debitam pronunciationem verborum consecrationis; assuevit ea alta & elata voce proferre: & ne ab aliis audiretur clamare, rogavit aliquoties Organistam (dum scilicet Missam cantavit) quatenus is sub actuali consecratione pleniori organo faceret majorem strepitum. Nuper etiam consecrando panem videbatur sibi dixisse: oc est corpus meu, prima scilicet, & ultima Sillaba non satis expressis: unde finita hac forma sub actuali elevatione aliquoties submissa voce dixit: hoc meum: hoc meum &c. *Quid jam judicit de Cajo & ipsius facto? Et quid de valore hujus consecrationis?*

43 R. Ad primum. Ex specie hujus facti satis apparet, Cajum non esse mediocriter scrupulis subjectum, immò verò scrupulosum usque ad insaniam: ad quid enim tanta elevatio vocis? quasi verò sine hac verba consecrationis non possent satis pronunciari, cùm tamen Ecclesia in Rubricis *de Rit. celebr. Missam sub tit. de Canone.* expressè præscribat, ut verba consecrationis distinctè, reverenter, ac *secretè* proferantur. Et ad quid rursus illud: *hoc meum*;

hoc meum? Profectò hæc duo verba, quemadmodum non reddunt sensum perfectum; ita etiam nihil ampliùs conferre possunt ad valorem consecrationis. Unde

44 R. Jam ad secundùm. Consecratio valida quidem fuit, nihilominus venialiter saltem mala. Ratio prioris est: quia vix dubitare licet prudenter de debita pronunciatione formulæ quoad substantiam; eò præsertim, quòd vix ullus sentiat aliquam difficultatem circa pronunciationem præfatarum illarum syllabarum; tum etiam quia si demus eum dixisse: *oc est corpus meu*, nihilominus cùm hæc verba apud audientes adhuc ingerant, & faciant eundem sensum substantialiter invariatum, utì rectè notant Gobat, Sporer *cit. n.* 201. *in fine*. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 4. aliique plures; hinc de valore hujus consecrationis nullatenus cuipiam ambigendum videtur. Ratio autem posterioris inde colligitur: quia tam altè clamando agit contra præscriptum Ecclesiæ, non sine magna absurditate, admiratione in populo, & aliis inconvenientiis. Quin immò Gobat *tr.* 3. *n.* 69. Sacerdotem consecrando ita clamantem, ut ad quadraginta passus percipi possit, peccati mortalis condemnat; eò quòd valdè notabiliter agat contra ritum communissimum, in actione omnium gravissima, detque occasionem obmurmurationum, scandalorum & offensionum. Verùm Illsung. *tr.* 6. *disp.* 4. *nu.* 82. talem à mortali excusat; tum quia non agit contra legem graviter obligantem; tum etiam, quia per talem clamorem nihil ad essentiam aut integritatem Sacramenti spectans immutatur: scandalum autem fortè datum aliis non erit perniciosum, nec murmuratio inde consequens gravem malitiam refundet in suum auctorem. Ita Illsung. omnino probabiliter.

Dices, At quid, si Cajus ultimum duntaxat verbulum, *meum* scilicet repetiisset?

45 R. Etiam unum duntaxat verbum, immò & unam syllabam formæ sacramentalis sine causa repetere, non vacat culpa veniali; cùm hoc repugnet usui Ecclesiæ, & institutioni Christi &c. uti cum *communi* DD. tenet la Croix. *l.* 6. *n.* 29. quare cùm Cajus non habuerit sufficietem causam repetendi etiam ultimum solùm verbum, sed potiùs debuisset supponere, se omnia verba consecrationis modò debito jamjam pronunciasse; hinc per se loquendo saltem venialiter videtur deliquisse per hanc repetitionem. Cæterùm quo modo practicè deliquerit, colligendum erit ex dictamine conscientiæ, quod tempore consecrationis habuit; sæpe enim ea, quæ de se etiam gravi culpa non vacant, à scrupulosis sine omni, vel saltem sine gravi culpa fiunt; eò quòd ad hujusmodi ineptias plerumque impellantur potiùs ex timore ne Deum offendant, quàm ex motivo offendendi Deum, utì rectè notarunt Gobat. *tr.* 7. *nu.* 173. Sporer, La Croix *cit. n.* 130. Vide etiam dicta *p.* 1. *Conf.* 1. *n.* 14.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

46 Colliges primò, validè consecrari vinum in calice cooperto, vel hostias in ciborio clauso, aut latentes in cumulo sub aliis etiam in fundo; aut aliter tectas v. g. corporali complicato &c. Item validè consecrarentur hostiæ præsentes à sacerdote cæco, vel alio in tenebris. Ratio horum est: quia ad validam consecrationem aut præsentiam vel sensibilitatem necessum non est, ut à sacerdote consecrante materia videatur, vel tangatur, multò minùs ut habitu aut verborum sono quodamodo quasi feriatur, prout nonnulli ineptè faciunt, praxi haud quaquam laudabili; sed sufficit, ut materia sit consecranti moraliter præsens, ita, ut videri aut sentiri possit sive in se, sive in alio v. g. in suo toto, vel continente, vel vase ad illam continendam destinato; utì cùm aliis tenent Layman., Boncin. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 5.

47 Colliges secundò, invalidè consecrari materiam positam post parietem, vel à tergo sacerdotis, vel reclusam in tabernaculo. Ratio est: quia cùm non possit demonstrari per ly. *hoc*, vel *hic* censetur moraliter abesse. Ob eandem rationem DD. communiter censent, consecrari non posse materiam valde procul, v. g. centum passibus distantem, quippe quæ non censetur esse moraliter præsens: quænam autem moralis præsentia, vel quanta propinquitas sufficiat ad va-

valorem consecrationis, controvertunt Henriquez *l. 8. c. 34.* putat censeri satis præsentem, quando non distat ultra 20. aut 30. passus; quod tamen Bonacina *l. cit.* & alii putant, non esse satis certum, sed prudentum judicio esse relinqnendum: suadet igitur prudentia, ut in tali, tamque notabili puncto, Sacramentum non exponamus periculo, ideoque nunquam consecremus materiam ita distitam, ut dubitari posset, an sit nobis moraliter præsens, vel non?

48 Colliges tertiò, non consecrari hostias, inscio Sacerdote sive in corporali, sive etiam infra illud positas. Ratio est: quia tales hostiæ non sunt materia determinata in mente sacerdotis, quippe cujus voluntas non fertur, nec ferri potest in incognitum: aliter dicendum foret, si vel ipse Sacerdos hostias ad altare secum portasset, vel rationabili modo advertisset, eas fuisse allatas ab alio in hunc finem ut à se consecrarentur, vel etiam si ante sacrificium fuisset admonitus de consecrandis in altari jam positis loco decenti, ita, ut licitè consecrari potuerint; tunc enim omnes consecrarentur, & pro consecratis essent habendæ. Ratio est: quia intentio illa præcedens virtualiter perseverat, etsi Sacerdos in actu consecrationis earum non meminerit. Ita Reginaldus, Bonacina, Layman *cit.* Busembaum ubi suprà *dub. 5. R. 1. num. 3.* dicens, hanc sententiam esse tutam in praxi. Vide etiam dicta superiùs *Conf. 2. n. 40.*

49 Colliges quartò, illicitè agere sacerdotem qui vas, in quo hostiæ consecrandæ continentur, non aperit: item 2. qui consecrat materiam positam extra corporale, vel in alio loco indecenti, etsi adhuc super altare, utputa in vase ligneo, vel pyxide non consecrata &c. Quia agit contra præscriptum & ordinationem Ecclesiæ non sine irreverentia Sacramenti. Busembaum, Sporer ubi suprà *num. 173.* aliique *communiter.*

50 Colliges quintò, validam, etsi illicitam fore consecrationem, si consecrans diceret: *Hic cibus: hic potus; hæc res contenta sub his speciebus est corpus meum.* 4. si diceret: *hic calix est novum testamentum in meo sanguine*, utì habet S. Lucas *c. 22.* 3. Si dicat: *Hoc est corpus meum de virgine assumptum*; vel: *Hic est sanguis meus infiniti valoris*; vel denique 4. si diceret: *Hoc est meum corpus: hic est meus sanguis &c.* Ratio est: quia in his omnibus servatur idem sensus substantialis, etsi accidentaliter variatus, quo fit, ut consecratio quidem reddatur illicita, non tamen invalida. Secus dicendum foret, si Sacerdos consecrando diceret: *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum*: vel 2. si diceret: *Hoc corpus est meum*; *hic sanguis est meus*: item 3. si diceret: *Hoc fit*, *aut hoc fiat meum corpus*: vel, si 4. diceret: *illud est corpus meum; ille est sanguis meus*: vel denique 5. *Hæc est substantia mea: Hoc est corpus Christi &c.* Ita Bonacina *q. 3. punct. 3. & alii* plures. Ratio autem horum est: quia in his fit mutatio substantialis formæ, prout benè ponderanti facilè constabit: mutatio autem substantialis obstat valori: ergo &c.

51 Colliges denique sextò, Tò, *hoc*, & Tò *hic* explicari posse dupliciter, primò sic, ut pronomina illa referantur ad prædicatum, ita, ut faciant hunc sensum: *Hoc corpus est corpus meum*: *hic calix est calix saguinis mei*; sicut si quis dicat: *Hæc est mater mea*, sensus est: *Hæc mater est mater mea*; & ita intelligunt Vasquez, Dicastillo & alii non pauci. 2. Possunt dicta prænomina intelligi sic, ut faciant hunc sensum: *Hæc res*, *vel hæc substantia*, *hoc edulium*, *est corpus meum*: *hic potus est sanguis meus*: atque in hac posteriori acceptione ea intelligunt Scotus *4. dist. 8. q. 2. n. 17.* Henno, Bosco, Herincx *disp. 2. nu. 79.* aliique Doctores communiùs: & certè sine incommodo ita intelligi & explicari possunt. Absolutè tamen per Tò *hoc* intelligi non debet *hic panis*; falsum quippe est, quòd panis sit Corpus Christi, aut quod maneat cum corpore Christi: similiter per Tò *hic* intelligi non debet *hoc loco*; uti jam diximus. Vide La Croix *l. 6. n. 463.*

CON-

CONFERENTIA

DECIMATERTIA.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Ministro Eucharistiæ.

QUæres primò, quisnam sit legitimus Minister Eucharistiæ conficiendæ?
52 R. Est solus Sacerdos ritè ordinatus. Ita tenet fides Catholica contra nonnullos Hæreticos: estque hæc veritas in multis Conciliis definita, uti in Nicæno I. *Can.* 14. Lateran. *cap. firmiter de summa Trinit.* Florent. & Trident. *Sess.* 22. *cap.* 1. *& Can.* 2. Ratio autem est: quia potestas consecran-
di,

di, utpotè à voluntate Christi dependens, nulli alteri competit, præterquam illis, quibus eam delegare voluit Christus ceu summus Sacerdos: at, is nullibi legitur eam dedisse aliis, præterquam sacerdotibus, quibus solis *Luc. 22.* dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo soli sacerdotes sunt legitimi Ministri Eucharistiæ.

Quæres secundò, utrùm omnis sacerdos, etiam Hæreticus, Schismaticus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliò impedimento Canonico irretitus, possit validè conficere Eucharistiam?

53 R. Affirmativè. Ratio est: quia potestas celebrandi validè residet fundamentaliter in solo charactere sacerdotali: ergo tamdiu manet, quamdiu perseverat character: atqui character utpote signum indelebile perseverat semper: ergo. Quivis sacerdos potest validè conficere Eucharistiam, etsi per se loquendo graviter peccet, qui in statu disgratiæ constitutus, aut alio Canonico impedimento irretitus, consecrare præsumit, veluti constabit ex dicendis. *Communis DD.*

Quæres tertiò, quisnam sit Minister legitimus Eucharistiæ dispensandæ?

54 R. Ordinaria potestas & auctoritas dispensandi convenit solis sacerdotibus, non verò aliis Ministris inferioribus. Ita *communiter DD.* Ratio est: quia Christus Dominus *Luc. 22.* potestatem dispensandi iisdem concessit, quibus dedit potestatem consecrandi, quando consecrans ac distribuens Eucharistiam Apostolis, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Atqui potestatem ordinariam consecrandi concessit solis Apostolis, ceu sacerdotibus neo-ordinatis: ergo his solis competit potestas ordinaria dispensandi. Unde Ecclesia piè admodum canit in hymno suo: *Sic* (Christus) *sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris.*

55 Dixi: *Jure Ordinario*; Etenim hæc potestas dispensandi Eucharistiam jure divino non est ita connexa sacerdotio, quin possit delegari aliis non sacerdotibus, scilicet Diaconis. Patet hoc ex antiquissima praxi Ecclesiæ, vi cujus olim Diaconi, non quidem propria auctoritate, sed ex commissione Episcoporum aut Presbyterorum despensabant Eucharistiam, veluti habetur ex Clemente Romano *lib. 8. constitut. c. 28.* Et luculenter colligitur ex verbis S. Laurentii Martyris ad S. Xystum Pontificem dicentis: *Experire, utrùm idoneum Ministrum elegeris; cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.* Attamen aliis Clericis Diacono inferioribus nullo modo debet committi hæc dispensatio: multò minùs Laicis, uti docent omnes Theologi, & constat ex communi usu ac sensu Ecclesiæ: id, quod etiam pridem statuit Concilium Rhemense, uti refertur *cap. Pervenit. de consecrat. D. 2.*

Quæres quartò, An hæc potestas & auctoritas dispensandi Eucharistiam competat omni sacerdoti?

56 R. Negativè. Nam ad hoc, ut sacerdos licitè eam dispenset, necessum est, ut habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, aut saltem rationabiliter præsumptam, vel privilegium. Ita *communiter DD.* Ratio autem est: quia hoc munus propriè pertinet ad Pastores, quorum munus est oves sibi concreditas tum verbi divini, tum etiam Sacramentorum, & præcipuè SS. Eucharistiæ pabulo reficere: ergo his duntaxat competit ex officio suis respectivè subditis administrare Eucharistiam. Unde Bonacin. *disp. 4. q. 5. pu. 2.* aliisque DD. communiter peccati mortalis condemnant sacerdotem, qui sine omni jurisdictione etiam præsumpta hoc Sacramentum administraret; quia violaret jurisdictionem Pastoris in materia gravi: Secus dicendum foret, casu quo infirmus sacro Viatico esset muniendus, simulque proprius Pastor abesset, vel præsens quidem, non posset hoc Sacramentum administrare propter infirmitatem, aliudvè impedimentum; tunc enim quivis sacerdos, sive sæcularis, sive etiam regularis, & in horum defectu etiam Diaconus licitè deferret sacrum Viaticum ad moribundum; quia rationabiliter præsumitur id velle proprius Pastor, vel Episcopus, vel Papa aut Ecclesia, quippe quæ nullum vult demigrare ex hac vita, nisi sacro Viatico refectum Bonacin. *cit. n. 10.* Suarez. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 7. n. 3.*

Dices: Ergonè Religiosis non est licitum administrare hoc Sacramentum?

57 R. Religiosis Mendicantibus, & qui horum privilegiis communicant, licitum, & specialibus privilegiis diversorum SS. Pontificum, nominatim Pauli III. & IV. Bulla. *cùm ficut 3. in Bullario Rodriquez* indultum & concessum est, ut in suis Ecclesiis vel per se, vel per alios sacerdotes illic celebrantes communicare possint quoscunque Christi fideles, præterquam in mortis articulo, & in communione Paschali, Lugo *disp.* 18. *Sect.* 2. *n.* 38. & 49. Herincx *disp.* 5. *à n.* 16. Barbosa *de offic. & potest. Paroch. part.* 2. *c.* 20. *n.* 8. Per mortis articulum autem intelligitur tempus, quo vel mors proximè instat, & hæc moraliter certa atque inevitabilis est; vel quo est mortis periculum, id est, probabile dubium de conservatione seu prorogatione vitæ, eò quòd in tali casu valdè frequenter mors soleat accidere. Ita Suarez. *t.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 3.

Quæres quintò, utrùm sacerdoti aliquando liceat, etiam extra missam seipsum communicare?

58 R. Licet in necessitatis casu, ubi non adest alius Sacerdos, à quo sacram communionem posset percipere. Ita cum *communi* DD. Herincx *de Euchar. disp.* 5. *n.* 10. Ratio est: quia Sacerdos est Minister ordinarius hujus Sacramenti, quod nec ex sua natura, neque ex institutione Christi requirit Ministrum distinctum à communicante seu sumente, præsertim pro casu necessitatis. Quin immò plurimi DD. censent, id fieri posse ex sola devotione, vel etiam in magno aliquo festo, ubi sacerdos est infirmus, ita, ut commodè celebrare nequeat, nec habere copiam alterius sacerdotis, à quo communionem sacram recipiat.

Quæres sextò, sitnè aliquando licitum sacerdoti, partem hostiæ suæ, majoris scilicet, dare Laico desideranti S. Communionem?

59 R. Juxta superiùs *n.* 37. dicta id esse licitum ex multùm rationabili causa, qualis censeretur esse, si moribundus esset communicandus, vel si urgeat præceptum communionis, aut certè magna devotio petentis, simulque alia parva hostia commodè haberi nequeat. Ita Antoninus, Sylvester, Bonacin. Herincx *cit. n.* 12. Ratio autem hujus est: quia hoc minimè obstat integritati sacrificii; quandoquidem in qualibet parte specierum tantundem contineatur. Nihilominus sine causa nefas foret recedere à moderno ritu Ecclesiæ, vi cujus sacerdos pro Laicis communicandis distinctas hostias consecrare debet: etsi multi DD. probabile putent, non esse mortale huic consuetudini contravenire, modò absit scandalum & contemptus &c.

Quæres septimò, quænam ex parte Ministri requirantur ad hoc, ut sacram Eucharistiam licitè distribuat, alios communicando?

60 R. Præter jurisdictionem, de qua jam superiùs *n.* 56. insuper requiritur, 1. ut sit ipse in statu gratiæ. 2. ut eam non administret alicui scienter indigno. Ratio est: quia sacerdoti incumbit nedum dignè, sed etiam fideliter administrare Sacramenta, veluti dictum fuit *Confer.* 2. *à n.* 25. at, nisi sit in statu gratiæ, non ministraret eam dignè; & si alicui scienter indigno ministret, non erit minister fidelis: ergo per se loquendo peccabit graviter. Videantur dicta conferent: mox citata.

Quæres octavò, Utrùm vel quando Parochus teneatur hoc Sacramentum administrare suis subditis?

61 R. Tenetur ad hoc (sive dein per se, sive per alium saltem) non solùm, quando Parochiani seu subditi tenentur ad S. Communionem percipiendam, sed etiam quoties hanc rationabiliter postulant. Ita *Communissimè DD.* utì videre est apud Barbosam *proximè cit. n.* 15. Ratio est: quia Pastori incumbit oves suas pascere nedum per ea, quæ sunt simpliciter necessaria, sed etiam quæ sunt valdè utilia ad salutem, saltem quando hoc postulatur, idque non solùm in extrema necessitate, quippe pro qua sola non sunt conducti stipendio.

62 Diximus tamen: *quoties rationabiliter postulant*: Secus enim dicendum foret, si consideratis circumstantiis status, temporis &c. vel nimiùm frequenter, vel saltem nimis importunè postularent; vel si Parochus ob infirmitatem, aliasvè occupationes necessarias impeditus sit: tunc enim communionem merè voluntariè facien-

ciendam licitè denegaret, aut differret in aliud tempus commodius: est tamen & in hoc cautè agendum, quia ex hujusmodi denegatione facilè possent scandalizari homines, amissa confidentia debita in Pastorem, prout sæpiùs, quàm par est, contigisse, exempla satis tragica exstant & probant.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro Eucharistiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos postulatus, ut Moribundo porrigeret S. Viaticum, voluit illico satisfacere justæ petitioni, sed quia Ædituus nimis longam videbatur trahere moram; hinc ne moribundus decederet sine consuetis Ecclesiæ Sacramentis, Titius assumpta sacra hostia sine stola, superpelliceo, immò etiam sine lumine cucurrit ad infirmum, eundemque sacro Viatico refecit. Quæritur an benè?

63 R. Non est culpandus, sed potiùs laudandus, & commendandus Titii Zelus: esto enim per se loquendo graviter sit illicitum SS. Eucharistiæ Sacramentum administrare sine stola, S. vestibus, & sine lumine, nihilominus cùm Sacramenta sint specialiter instituta ad animarum salutem; hinc omnino rationabiliter præsumitur, nec Christum, neque Ecclesiam ceu piam Matrem, quæ vult, ut omnes fideles SS. Sacramentis ceu firmissimo quodam præsidio muniti decedant, voluisse obligare ad observantiam dictarum Cœremoniarum pro tali casu, ubi urget gravissima necessitas, & rationabiliter timetur periculum animæ. Vid. Gobat *tr. 4. n. 417.* La Croix *l. 6. n. 614.*

Dices: At quid in hoc casu: quidam R. D. Parochus in quadam civitate merè Catholica libenter quidem videt, immò vult, ut Religiosi ibidem degentes suis Parochianis deferant augustissimum hoc Sacramentum, non solùm, quando illud postulant per modum Viatici, sed etiam, quando illud exigunt ad solatium animæ tempore diutinæ infirmitatis, qua nequeunt accedere Ecclesiam; ne tamen dicti Religiosi viderentur mittere falcem in alienam messem, aut juribus Parochialibus aliquatenus derogare, hinc jubet, ut hoc Sacramentum deferant sine lumine ad ægrotos, & sine campanula vel superpelliceo, merum scilicet occultè, etsi non sit contrarius, ut in domo infirmi luminaria accendantur, & Religiosus superpelliceo ac stola induatur: an licitè hoc fiet?

64 R. Licitè. Quamvis enim diversi Pontifices mox suprà *n. 57.* relati nobis indulserint potestatem ministrandi Eucharistiam sæcularibus etiam extra conventum, non ideò tamen censentur concessisse, ut illam deferamus cum pompa per plateas, tum quia hoc esset contra consuetudinem & usum respectu Religiosorum; tum etiam quia communis usus & consuetudo receptissima satis declarat, hunc modum (cum pompa scilicet per plateas deferendi venerabile) esse solis Parochis proprium, quibus quoad hoc præjudicare noluerunt SS. Pontifices. Quapropter cum modus iste deferendi in occulto, hactenus à Religiosis observatus, nemini præjudicet, simulque animarum saluti sit valde proficuus, nec Sacramenti reverentiæ positivè indecens, non videtur ullatenus culpandus aut improbandus. Certè legitur in vita Sancti Francisci Salesii, quòd assueverit per urbes hæreticas deferre Sacram hostiam sub vestes abditam, sine ulla alia exteriore ceremonia, nisi quòd cum majore quàm aliàs gravitate ac modestia incesserit. Et utique laudandi sunt illi Parochi (ait Gobat *cit. n. 418.*) quos scio è pagis catholicis in urbes prorsus hæreticas detulisse ad periculosè ægrotantes mercatores aut famulos divinissimam hostiam cum summa dissimulatione & silentio. Vide etiam Suarez *tom. 4. de Relig. l. 9. c. 3. §. dices ergo.* Portel. *respons. moral. tom. 2. cas. 12. n. 10.*

Dices contra hanc resolutionem. *Cap. sanè de celebr. Miss.* præcipitur Sacerdotibus, ut Sacramentum Eucharistiæ ad infirmos ferant manifestè & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, & transgressores hujus mandati jubentur graviter puniri à Prælatis: ergo non est licita, sed potiùs graviter peccaminosa talis delatio occulta sine lumine &c.

F 2 65. R.

65 R. Citatum capitulum commodè intelligi posse, ac debere de illis Sacerdotibus, quibus administratio hujus Sacramenti ex officio incumbit, qui, cùm possint solemniter illud deferre, negligendo hujusmodi ceremonias, utique graviter delinquunt, veluti rectè advertunt Engel *in manuali Paroch. part.* 3. *c.* 3. *nu.* 4. Barbosa *de offic. & potest. Paroch. p.* 2. *c.* 20. *n.* 32. At non est intelligendum de Religiosis, quibus hæc potestas indulta ex privilegiis competit sine præjudicio Parochorum, utì jam dictum fuit; nam isti censentur moraliter non posse adhibere ceremonias illas, & pompam exteriorem.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sub suo Sacrificio plures communicaturus, assumpsit pro singulis communicandis singulas hostias, quas etiam in hunc finem consecravit. At verò ubi ad communionem perventum est, contigit, ut inter distribuendum de patena una illarum decideret in terram, quam communicandus ille laicus illicò apprehensam digitis, elevavit, & sublevatam Sacerdoti restituit sibi porrigendam. Stetit propterea Sempronius totus quantus perturbatus & deliberans, quidnam in his circumstantiis agendum sibi foret. Quid respondendum?

66 R. Sempronius potuit ac debuit hostiam hanc tribuere laico, cùm nihil omnino obstiterit in contrarium. Digiti tamen ejusdem laici, quibus supponitur apprehendisse sacram hostiam, erant abluendi, & ablutio mittenda in piscinam. Insuper & locus, in quem incidit sacra hostia, mox strophiolo vel alio cooperto mundo erat notandus atque tegendus, si fortè erat periculum, ne ab aliis tangeretur, aut pollueretur, & postea aut radendus, aut abluendus, rasura vel ablutione pariter missis in piscinam. Gobat, Tambur. Pellizarius, Lohner apud La Croix *lib.* 6. *n.* 494. Ubi is etiam notat, quòdsi contingat hostiam decidere in vestem aut barbam &c. ordinariè non sit præcipienda ablutio eorum, eò quòd sit melius vitari turbationem vel offensam populi, quàm rubricam illam servari.

Dices: At quid agendum, casu quo hostia decidit in sinum, vel intra vestes mulieris, utì non semel contigit, minùs, quàm oportuisset, honestè tectis aut vestitis?

67 R. Cum Lohner *part.* 2. *tr.* 26. *n.* 7. Pasqualiquo, La Croix *mox cit. n.* 495. in hoc casu permittendum & præcipiendum esse, ut vel ipsamet, vel alia mulier manu sua sacram hostiam extrahat, & sumat, aut reponat in ciborium; indecens quippe foret, & plerùmque scandalosum, si Sacerdos ipse eximeret: Quòdsi in loco communionis administratæ, utputa in Ecclesia publica, nequeat commodè eximi, jubeatur mulier seorsim secedere, v. g. in aliquam Capellam, vel in thurrim campanariam, vel etiam ad aliam domum vicinam, ibique eximere, ac referre hostiam, aut exemptam sumere: digiti verò abluantur, & ablutio mittatur in piscinam. Videantur *DD. citt.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos inter communicandum aliquoties notaverat aliquam personam, quæ post S. communionem perceptam assueverat subitò sese inclinare usque in terram, libro suo precario ori semper admoto: & quia aliunde noverat, hujusmodi personas sacris hostiis ori denuo ereptis ad alios nefandos fines fuisse abusas; hinc dictam personam proximè redeuntem, & more solito communicantem, publicè redarguit, jubens ut se erigeret, & aliorum more se haberet. Quæritur an bene?

68 R. Non bene. Ratio est: quia talis reprehensio publica sine offensa & infamia personæ fieri nunquam potest: tum etiam, quia talis inclinatio fortè facta est, immò (nisi de contrario aliunde constet) præsumi debet facta fuisse ex mera humilitate, devotione, aut alio bono fine. Unde hic Zelus Caji revera indiscretus fuit, & non juxta normam justitiæ. Quin immò, Burghaber *Cent.* 1. *cas.* 35. eumque secutus La Croix *cit. n.* 504. dicunt, Sacerdotem non teneri publicè arguere, vel statim reprehendere personam communicatam, esto etiam videret, quòd hostiam deponat in strophio-

phiolum; tum quia per hoc persona communiter infamaretur, foretque etiam Sacerdoti nimis incommodum & periculosum; tum etiam, quia fortè ideò tantùm exemit sacratas species, quia præsensit vomitum, vel quia recordatur alicujus peccati, proptereaque putat, melius esse sic ex ore deponere, quàm deglutire sacras species. Debebit tamen Sacerdos observare, quænam persona sit, & quò recedat, & postea ab illa sacram hostiam repetere, si scilicet fieri id possit moraliter.

Dices: At quid agendum, si pœnitens fateatur, se unam vel plures etiam hostias consecratas ad aliquem finem malum, utputa superstitiosum aut magicum &c. sibi reservasse, aut in tali vel tali loco abscondisse &c. &c?

69 R. Si hujusmodi hostias absconsas Sacerdos ipse possit inde tollere sine scandalo, diffamatione Rei, aut fractione sigilli &c. tollat eas reverenter: & si hoc fieri nequeat; jubeat ut pœnitens easdem sibi restituat, quippe qui ad hoc sub gravissima culpa obligatur, velut de se clarum est: quod si facere recuset, tanquam indispositus repelli debet. Attamen hostias ita recuperatas non tenetur Sacerdos sumere, multo minùs reponere in ciborium, aliis communicaturis postea distribuendas, tum quia non satis certò constat, eas esse consecratas; tum quia posset subesse alia fraus, utputa quòd pœnitens solùm intenderit Confessarium decipere, veluti jam sæpiùs contigit; vel etiam quòd easdem infecerit veneno &c. Idcirco cum hujuscemodi hostiis idemmet observandum esse arbitror, quod præscribitur in Missali *tit. 10. de defectibus in ministerio ipso occurrentibus n.* 7. de hostiis post consecrationem veneno infectis, vel alia ratione nauseam provocantibus, scilicet eas esse reponendas in tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur: corruptæ deinde mittantur in sacrarium.

70 Idipsum pariter practicandum, & observandum censeo; si pœnitens fateatur, se hostiam aliquam consecratam portare carnem inter & cutem quasi insutam & quodammodo sibi incorporatam; nam si talis hostia adhuc possit eximi cutis incisione, eximenda est per se loquendo: exempta autem reponenda in tabernaculum, vel alium locum decentem, donec corrumpatur: quia verò talis excisio dedecet Sacerdotem, præsertim si hostia portetur in aliqua parte corporis minus honesta (uti fieri amat a Sagis, & Magis) hinc relinquenda est ipsi pœnitenti, qui, si novit carnem suam aut cutem incidere in ordine ad incorporandam, pariter noverit eandem incidere ad eximendam hostiam consecratam: judico tamen hujusmodi hostiam diu portari non posse, quin corrumpatur; tum per calorem naturalem; tum etiam per abundantiam humorum, & aliorum accidentium, seu qualitatum contrariarum in corpore humano repertarum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

71 Colliges ex dictis primò, non peccare Sacerdotem (qualiscunque demum sit) qui de voluntate Pastoris rationabiliter præsumpta Eucharistiam administrat, ita scilicet, ut prudenter credere possit, Pastorem hoc factum suum approbaturum. Ita DD. *communissimè*. Et ratio est: quia ad evitandum peccatum, sufficit, hoc Sacramentum administrari cum tali subordinatione, ut non fiat, aut certè prudenter credatur hìc & nunc non fieri invito Pastore ordinario. Quandonam autem vel quantum de voluntate Pastoris ordinarii rationabiliter præsumi possit, colligendum erit vel maximè ex circumstantiis Personæ, loci, temporis, vel etiam necessitatis &c. etenim quantò major ex parte petentis occurrit necessitas, vel ex parte administrantis dignitas &c. tanto rationabiliùs licet præsumere de consensu boni Pastoris. Censet etiam Herincx noster *Disp. 5. de Euchar. n.* 15. Pastorem dare licentiam communicandi aliquem vel aliquos illi Sacerdoti, quem communiter admittit ad celebrandum in sua Ecclesia. Faciliùs adhuc præsumitur licentia ad communicandum aliquem ex mera devotione postulantem communicari sub Missa privata, veluti passim practicari videmus, nemine (quantùm scio) contradicente aut improbante.

72 Colliges secundò, à Religiosis licitè dispensari hoc Sacramentum etiam in articulo mortis, vel in paschate, sequentibus Personis 1. Domesticis suis, famulis scilicet, aliisque contubernalibus; quia ad hoc habent privilegium 2. Peregrinis & Advenis, juxta opinionem Lugo, Dianæ; Fagundez, Sanchez *de Matrim. l. 3. d. 37.* & aliorum multorum 3. Item aliis personis in sequentibus duntaxat casibus 1. in Casu extremæ, vel etiam gravis necessitatis, ubi est probabile periculum mortis, & Parochus non vult, aut non potest dare Viaticum. 2. Quando pœnitens in Paschate nequit communicare in sua Parochia, neque à Parocho ob loci distantiam, aut aliam infirmitatem potest petere veniam. 3. Quando communionem paschalem in sua Parochia jamjam suscepit, aut postea currente adhuc tempore Paschali suscepturus creditur. 4. Si Parochus ipse consentiat & velit, ut sui parochiani apud alios v. g. Religiosos communicent, sibique deferant schedam, seu testimonium perceptæ communionis paschalis, prout hodie in multis locis fieri videmus. Quintò denique, quando ægrotus de manibus proprii sui Pastoris Viaticum jam sumpsit, cum intentione huic præcepto & obligationi suæ satisfaciendi; quia Regularibus administratio Eucharistiæ solùm prohibetur, quando fideles eam tenentur suscipere de manibus Pastoris proprii: atque hinc etiam sextò Religiosi licitè eam (servatis tamen servandis jam suprà *n. 64.* insinuatis) administrarent ægroto, quando is nondum pervenit ad eum statum, in quo ex præcepto Ecclesiæ tenetur ad communionem. Videatur Herincx *cit. disp. 5. q. 3. n. 14. & seqq.* Busembaum *hic c. 2. a. 1.*

73 Colliges tertiò, in absentia omnis Sacerdotis etiam Diaconum posse viaticum præbere moribundo. Ratio est: quia in tali casu prudenter præsumitur id voluisse Pastor proprius, aut certè Episcopus & Ecclesia. Quin etiam in absentia omnis Sacerdotis & Ministri pro mortis articulo etiam Laicum posse accipere, & deferre ciborium, sibique vel alteri ministrare Eucharistiam, probabile censent Filiuc. Castropal. Lessius, la Croix ubi suprà *n. 482.* Herincx *disp. 5. n. 11.* Bosco & alii (contra Lugo, Dicastillo, Saa & alios nonnullos) tum quia præceptum humanum *cap. pervenit. 29. de consecrat. dist. 2.* prohibens à Laico deferri Eucharistiam, non loquitur de casu extremæ necessitatis, utpote in quo præceptum humanum cedere debet divino de summendo viatico, præsertim cùm Eucharistia per acccidens conferre valeat gratiam primam; tum etiam, quia in agone quivis multùm indiget spirituali robore, cujus conferendi gratia Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum.

74 Colliges quartò, non esse contra reverentiam huic Sacramento debitam, illud ad infirmos longiùs distantes deferre in equo mansueto. Ita Gobat *tr. 4. n. 415.* ubi ait, quòd quidem per se loquendo esset deferendum à Sacerdote pedite, si tamen ratio tempestatis, vel distantiæ, vel periculum in mora aliud suadeat, Sacerdotem tutò uti posse beneficio Caballi, idque permitti vi constitutionum synodalium Diœcesis Constantiensis. Quocirca etiam sapienter monent Possevin. & Barbosa ubi suprà, non esse licitum pyxidem, in qua Venerabile deportari solet, dare laico ad portandum, quantumvis Pastor sit fatigatus, sed potiùs è collo Sacerdotis suspendendam esse bursam. Et quando hoc Sacramentum pietatis defertur per urbem, semper assumendæ sunt duæ particulæ, ne redeunte Sacerdote obvii adorent continens pro contento. Secus fieri potest, si foras egrediendum sit, vel quando hoc Venerabile merè in occulto sine advertentia aliorum deportatur à Ministro. Videatur Barbosa *de offic. & potest. Paroch. p. 2. c. 20. à n. 27.*

75 Colliges quintò, peccare Ministrum, qui non administrat Eucharistiam ritu Ecclesiæ consueto. Ratio est: quia legitimus Ecclesiæ Ordo, præsertim in hoc ministerio, concernente mysterium omnium divinissimum, obligat sub peccato. Atque hinc graviter delinquit 1. qui Eucharistiam sub utraque specie dat personis, quibus id non est concessum à Summo Pontifice. Item 2. qui extra casum necessitatis dat laico hostiam majorem, vel species vini &c. vel 3. qui sine lumine aut sacris vestibus (extra casum summæ necessitatis) eandem defert per plateas &c. 4. item, qui.

qui ſcienter indigno eandem adminiſtrat. Ita cum communi DD. Bonacin. Diana *part. 8. tr. 1. Reſol. 24.*

76 Colliges ſextò, ad officium Sacerdotis pertinere, ut diviniſſimum hoc Sacramentum ſemper aſſervet in loco honeſto (qualis communiter, & ordinariè eſt tabernaculum Eccleſiæ) idque cum lumine ſemper ardente. Inſuper attinet Sacerdotem, illud cuſtodire diligenter, clave tabernaculi non Edituo, alterivè laico data, ſed ſibi ſoli reſervata. Porro ad eandem curam Sacerdotis ſpectat, aliquoties ſaltem per annum renovare ciborium, ne ſcilicet ſpecies conſecratæ corrumpantur, aut ex iiſdem vermes naſcantur; quod utique graviſſimè injurioſum eſſet, & contrarium foret reverentiæ tanto Sacramento debitæ. *Communis* DD.

Aſt, inquies, quo modo renovandum eſt Ciborium?

77 R. Renovatio ciborii facienda eſt ſub Sacrificio Miſſæ, in quo Sacerdos antiquas hoſtias, etſi fortè ſint numero plures, v. g. 20. vel 30. &c. poſt ſumptum SS. Sanguinem poteſt ac debet ſumere: particulas autem minutiores in ciborio repertas, vel conjiciat in calicem ſacrum, eaſque ſuperinfuſo vino ſumat; vel eaſdem colligat ſuper patenam, aut in fundum ciborii, ſicque collectas digito paululùm humectato attrahat ac ſumat, uti ſuadent Lohner *part. 2. tit. 25.* & La Croix cit. *n.* 502. ubi is etiam ait, quòd ſi Sacerdos ex inadvertentia ſumpſiſſet priùs ablutionem, adhuc poſſet poſt eam purificare ciborium, & ſumere reliquias; eò quòd pro moraliter una conſumptione ſacrificii reputetur. Ita etiam Fagundez, & Tamburinus *de Communione c. 2. n.* 34.

Dices adhuc. Sed quid agendum, caſu quo beſtia v. g. mus, aut aliud animal ſacras ſpecies abſumpſit?

78 R. Si beſtia talis ſit exiguum & vile animal, oportet illud occidere & comburere: ſi autem ſupponatur eſſe animal magnum, quod tam facilè non poſſit comburi aut occidi, puto ego cum La Croix *cit. n.* 505. permitti poſſe, ut ſpecies in ſtomacho beſtiæ conſumantur; quia non videtur major irreverentia ſive per ignem abſumantur, ſive per calorem ſtomachi animalis.

CONFERENTIA

DECIMAQUARTA.

De ſubjecto Euchariſtiæ, ejuſdemque diſpoſitione.

SUMMARIUM.

79 *Subjectum capax Euchariſtiæ eſt omnis homo baptizatus, rationis compos;*

80 *Non item perpetuò amentes, neque infantes nunquam adhuc adepti uſum rationis.*

81 *Semifatuis ſaltem in mortis articulo, aut etiam in Paſchate hoc Sacramentum poteſt adminiſtrari.*

82 *Ad debitam diſpoſitionem corporis requiritur jejunium naturale:*

83 *Quod inchoandum eſt à media nocte.*

84 *Ad debitam verò diſpoſitionem animæ neceſſarius eſt ſtatus gratiæ; unde*

85 *Quiſquis ſibi conſcius eſt peccati mortalis, tenetur priùs quàm communicet, confiteri;*

86 *Idque probabiliùs ex præcepto divino.*

87 *Inſuper ad congruam ſuſceptionem hujus Sacramenti, requiritur aliqua devotio interna animi &c.*

88 *Reſolvitur Caſus I. de quodam Religioſo ordinando, qui pridie ante Ordinationem præcone duodecimam noctis proclamante adhuc commederat & biberat.*

89 *An talis fracto etiam jejunio licitè acceſſiſſet ad ſacram Ordinationem & communionem.*

90 *Reſolvitur Caſus II. de quodam ſeniculo infirmario, qui communicaturus nunquam poterat jejunus accedere Eccleſiam; tum ob naturæ debilitatem; tum etiam ob loci diſtantiam.*

91 *Fumigatio Tabachi non frangit jejunium, nec impedit S. Communionem;*

92 *Immò nec ſumptio Tabachi pulverizati, facta per nares &c.*

93 *Reſolvitur Caſus III. de quodam Confeſſario, qui peccato mortali inquinatus*

accessit aram sine Confessione, eò quòd institerit hora celebrandi.

94 *Huic non licuit accedere, nisi supponatur fuisse compulsus vera necessitate, simulque destitutus copia Confessarii.*

95 *Quandonam censeatur adesse vera necessitas celebrandi;*

96 *Et quando abesse copia Confessarii.*

97 *Dubius de statu gratiæ, an sine Confessione prævia licitè accedat mensam Domini?*

98 *Energumeni, & Epileptici, an, vel quando sint communicandi?*

99 *Sanguis aut alius humor ex capite vel gingiva defluens, & in stomachum trajectus, non obstat sacræ Communioni.*

100 *Bene verò obstat id, quod per modum cibi vel potus ab extra sumitur, quantumvis minimum.*

101 *Dubitans, an non fregerit jejunium naturale, probabiliùs licitè communicat.*

102 *Qui præter casum reservatum non habet alìud mortale, non tenetur S. Communioni præmittere Confessionem, nisi habeat copiam Confessarii potentis absolvere à reservato.*

103 *In statu disgratiæ communicans, peccat gravissimè, non item qui cum meris venialibus accumbit &c.*

104 *Qui in statu disgratiæ, & simul non jejunus communicat, unum duntaxat sacrilegium, committit, etsi gravius.*

105 *Præceptum Tridentini obligans ad quamprimùm confitendum, quomodo sit intelligendum.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Subjecto Eucharistiæ, ejusdemque dispositione.

QUæres primò, quinam sint Subjectum capax Eucharistiæ recipiendæ?

79 R. Subjectum capax Eucharistiæ recipiendæ est omnis homo baptizatus & rationis compos. Ita cum Communi Henno *disp. 8. quæst. 1. Concluf. 1.* Ratio est: quia Eucharistia fuit instituta ad conferendum gratiæ augmentum: ergo omnis homo baptizatus, utpote capax gratiæ sibi augmentandæ, modò velit, etiam est subjectum capax Eucharistiæ. Secus discurrendum est de non baptizatis, quippe qui per baptismum non ingressi Ecclesiam, eo ipso manent exclusi à participatione aliorum Sacramentorum.

80 Dictum etiam fuit: *Homo rationis compos*; etsi enim pueri & amentes baptizati, nunquam tamen adepti usum rationis, absolutè loquendo capaces sint augmenti gratiæ, proptereaque possent utiliter frui hoc Sacramento; nihilominus communi Ecclesiæ consuetudine vim legis obtinente introductum jam fuit, ut talibus nunquam administretur Eucharistia. Qua ratione Catechismus Romanus docet, pueros (ante usum rationis scilicet) non esse Eucharistiæ recipiendæ idoneos: & certè non videtur conveniens, hoc augustissimum, & omnium prorsus dignissimum Sacramentum talibus utpote omni prorsus devotione destitutis, conferre; quia recta ratio dictat, reverentiam huic Sacramento debitam præferendam esse utilitati, quæ hujuscemodi hominibus inde provenire posset.

Dices: Sed quid de semifatuis, seu debilem rationis usum habentibus, tenendum & observandum in administratione?

81 R. Talibus potest, ac debet Eucharistia porrigi in articulo mortis, si nullum aliud inconveniens (utputa irreverentia positiva) inde sit timenda: immò & in Paschate iisdem administrari potest, modò aliquo saltem pietatis ac reverentiæ sensu erga illud afficiantur. Ratio est: quia, licèt non habeant actualem devotionem, aut certè non tantam, quantam requirit hujus Sacramenti majestas, propterea que non sint frequenter communicandi; non tamen sunt actualiter indispositi, præsertim cùm illa devotio non sit absolutè necessaria, utì proximè dicetur.

Quæres secundò, quænam dispositio corporis sit necessaria ad licitè sumendam Eucharistiam?

82 R. Dispositio corporis ex dispositione Ecclesiæ requisita, consistit in jejunio naturali: aliæ autem dispositiones corporis non sunt absolutè necessariæ. Ita com-

communissimè DD. Herincx, Henno, Diana, La Croix. Illsung. *tr. 6. disp. 4. nu. 116.* Ratio prioris desumitur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ verosimiliter ab ipsis Apostolis traxit originem. Unde Concilium Constantiense *Sess. 13.* ait: *Sacrorum Canonum auctoritas, & Ecclesiæ consuetudo servavit, quòd hujusmodi Sacramentum nec post cœnam conficiatur, nec sumatur à non jejuno.* Ratio autem secundæ partis inde colligitur: quia nullo jure ostendi potest, præter & ultrà jejunium alias corporis dispositiones necessarias esse, uti rectè advertit Herincx *disp. 6. n. 67.* Esto etiam (juxta opinionem Vasquez) olim præceptum fuisset, ut polluti, & fœminæ tempore menstruorum, & qui habuissent copulam conjugalem, abstinerent certo tempore à S. Communione, hoc tamen præceptum de facto non ampliùs vigere, communiter observant DD. etsi omnes fateantur, valde consonum esse rectæ rationi, ut ob reverentiam tanti Sacramenti conjuges abstineant à commercio carnali eo die, quo sacram Communionem perceperunt, vel percipere intendunt.

Dices. In quo ergo consistit jejunium naturale?

83 R. Consistit in eo, quòd à media nocte usque ad S. Communionem nihil sit sumptum, quod aliqua ratione censeatur se habere & sumi per modum cibi, aut potus, vel etiam per modum medicinæ. Ita *communissimè DD.* Filiuc. Laym. Sporer, Herincx *cit. disp. 6. num. 52.* Dicitur autem: *à media nocte*: quia, etsi pro diversitate nationum, vel etiam negotiorum dies variè censeatur inchoari, communi tamen Ecclesiæ sensu in hac materia censetur inchoari à media nocte. Unde, si paulò ante mediam noctem aliquid sumpsisti, poteris statim post mediam noctem communicare, ita, ut non sit opus te priùs dormiisse, aut cibum digessisse: etsi reverentia huic Sacramento debita, exigat, ut sacer ille cibus profano non misceatur, propereaque aliquantisper, utpota ad quadrantem aut medium horæ ab aliis quibusvis escis abstinendum sit, nisi urgeat aliqua necessitas, aut certè multùm rationabilis causa. Herincx *loc. cit.* Gobat. La Croix *num. 559.* Laym. *l. 5. tract. 4. cap. 6. num. 23.*

Quæres tertiò, qualis dispositio requiratur ex parte animæ?

84 R. Ad licitam sumptionem hujus augustissimi Sacramenti requiritur status gratiæ. Ita contra Lutheranos tradunt omnes Catholici, & clarissimè Concilium Tridentinum *Sess. 13. cap. 7. & Can. 11.* Idque probat ex illo Apostoli *1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: & de calice bibat &c.* Ratio fundamentalis & ultimata hujus responsionis est: quia Eucharistia est Sacramentum vivorum: ergo supponit hominem spiritualiter viventem, ideoque constitutum in gratia sanctificante, quæ est vita spiritualis animæ. Vide quæ diximus suprà *Confer. 1. nu. 22. & Confer. 3. n. 61.*

Dices: quid ergo agendum illi, qui sibi conscius peccati mortalis communicare desiderat, aut debet?

85 R. Tenetur præmittere confessionem sacramentalem, si habeat copiam Confessarii, ita, ut non satisfaceret præcisè eliciendo contritionem etiam perfectam. Ita rursus unanimiter DD. & constat ex Trident. *Sess. 13. de Euchar. c. 13.* ubi ait: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum; probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*; quocirca bene notandum est, Concilium non loqui tantùm de sacerdotibus: sed universaliter de quibusvis fidelibus; ait enim: *Nullus sibi conscius peccati mortalis --- accedere debet &c.* consequenter declarat, omnes esse obligatos ad præmittendam Confessionem mortalium &c.

86 Cæterùm, utrùm ad hoc teneantur fideles præcepto divino, an verò Ecclesiastico tantùm, vel potiùs Apostolico, controvertitur inter Doctores. Major pars DD. (quibuscum etiam Scotus) existimat esse divinum, illudque ab Ecclesia tantùm declarari: quamob causam etiam nunquam legitur dispensasse in hoc præcepto de præmittenda scilicet Confessione, in illis saltem cir-

circumstantiis, in buibus obligabat hoc præceptum. Et certè Apostolus *l. cit.* non tam præceptum statuisse, quàm à Christo statutum declarasse videtur: Siquidem universaliter præmiserat dicens: *Egò enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Nihilominus Lessius *qu. 80. art. 4. dub. 1.* Navarrus *de pœnit. dist. 5. in princip.* Medina & alii multi probabile censent, hoc præceptum esse duntaxat Apostolicum, sicut & præceptum de Eucharistia à jejunis sumenda. Verùm ad praxim parum, vel nihil omnino facit quidquid dicatur; quandoquidem certum est, eum, qui conscius peccati mortalis, non confitetur ante S. Communionem, etsi moraliter loquendo posset, peccare mortaliter. Vide quæ dicta sunt *Confer. 2. n. 49.*

Quæres quartò, utrùm præter statum gratiæ nulla alia dispositio animæ requiratur?

87 R. Insuper requiri aliquam devotionem internam, etsi hæc non sit simpliciter necessaria ad recipiendum augmentum gratiæ sanctificantis. Ita Herincx *cit. num. 82.* Babenstuber *tr. 8. par. 3. disp. 6. a. 2. nu. 2.* Ratio prioris desumitur tum ex communi consensu Patrum, qui nunquam non desiderarunt devotionem animi in communicantibus, & tepidè communicantes redarguerunt; tum etiam ex communi sensu fidelium, & vel ex ipso remorsu conscientiæ, quem quilibet sentit ex tepida & distracta communione. Profectò ipsa dignitas, & admiranda dignatio, qua Deus ipse dignatur sese nobis communicare, quemlibet prudentum animare debet ad internam devotionem, quæ, si requiritur ad quamlibet orationem, multò magis ad familiarissimam hanc conjunctionem & communicationem cum Deo, convenientissimè & meritò desideratur. Quòd autem non sit simpliciter necessaria, suadetur ex eo: quia in aliis Sacramentis ad percipiendum augmentum gratiæ non est necessaria devotio actualis: ergo neque in hoc est simpliciter necessaria: Secus enim qui sine actuali devotione, etsi in statu gratiæ accederet ad mensam Domini, peccaret mortaliter, utpotè voluntariè ponens obicem gratiæ Sacramentali: hoc autem est contra communiorem opinionem & persuasionem omnium: ergo interna hæc devotio non est simpliciter necessaria.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Eucharistiæ, & Dispositionibus ad hujus susceptionem requisitis.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus à Reverendissimo suo missus fuerat ad ordinem Presbyteratus suscipiendum, sed cùm pridie, ante diem ordinationis scilicet, familiari colloquio cum aliis sibi similibus cænam solitò diutiùs protraxisset, contra omnem suam exspectationem audivit vigilem more suo horam noctis duodecimam præconizantem; quare illicò soluta cæna noctem reliquam egit insomnem, summo autem mane circuivit, quærens quem consuleret, an scilicet adhuc licitè posset accedere ad ordinem Presbyteratus, & consequenter ad sacram Communionem, non obstante, quòd adhuc actu aliquid deglutierit, dum vocem præfati Præconis seu vigilis audivit. Quid respondendum?

88 R. Ad hunc casum, in primis certum esse, quòd, si in illo loco seu civitate plura exstitere horologia regulata, quorum unum alterumvè nondum indicasset, seu etiam sonasset duodecimam noctis, etsi hæc jam fuisset audita ex horologio principali, nihilominus Titius tuta conscientia potuerit accedere ad sacram Communionem. Ratio est: quia hujusmodi horologia regulata (uti supponimus) habent se velut plurium Doctorum opiniones probabiles, è quibus quælibet sit probabilis, esto nulla sit omnino certa: ergo quemadmodum inter duas, vel plures opiniones verè probabiles quamlibet licet amplecti, ubi non agitur de valore, sed de sola honestate actionis; ita & in proposito ex hac suppositione, Titio licuisset quodlibet horologium sequi, modò supponantur esse horologia regulata, quæ communiter saltem regulatè ambulant; Secus enim dicendum foret, si

de

de aliquo certò constaret, quòd hîc & nunc fallat &c. Ita Sporer, Illsung. *ubi suprà n.* 122. Gobat *tr.* 4. *num.* 274. & alii communiter.

89 R. secundò. Esto etiam certò constaret, Titium non ampliùs esse jejunum naturaliter; ideoque per se loquendo illicitè accederet ad sacram Communionem; nihilominus si supponatur non posse ampliùs declinare susceptionem Ordinis & S. Communionis, sine scandalo gravi, id est (ut intelligit Gobat *tr.* 4. *num.* 330.) sine gravi indignatione, oblocutione, dicteriis, lædentibus famam atque honorem, fortè etiam redundantibus in totum Ordinem vel Monasterium &c. judicio probabile, eum tuta conscientia potuisse accedere etiam non jejunum ad sacram Synaxin. Et certè, si absque hujuscemodi gravamine sacerdos gravi peccato obnoxius simulque copia Confessarii destitutus declinare nequeat celebrationem Missæ, licitè celebraret, etiam non præmissa Confessione, etsi juxta probabiliorem DD. opinionem ex præcepto divino teneretur (saltem per se loquendo) præmittere Confessionem Sacramentalem: ergo cùm ad jejunium naturale solùm teneatur lege humana, à fortiori licitè communicat non jejunus, ad evitanda hujusmodi mala & gravamina, utputa gravissimam Prælati sui, aliorumque Confratrum indignationem, oblocutiones, offensas, scandala, fortè etiam diuturnam suspensionem à susceptione ejusdem Ordinis, vel malæ tractationis, quæ meritò timere debet Religiosus, casu quo non ordinatus revertetur ad suum Monasterium: ergo non obstante defectu jam memorato licitè accederet ad S. Ordinem Presbyteratus, & etiam ad sacram Communionem, nisi hanc bello modo declinare valeat. Videatur Gobat *loc. prox. citat.* La Croix *lib.* 6. *num.* 588.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius ob senium adversa semper valetudine molestatus, tum ob stomachi debilitatem, tum etiam ob distantiam loci nunquam potuit Ecclesiam adire jejunus, quin deficeret in via: quam ob causam semper assueverat parum quid confortativum stomachi per modum medicinæ sumere; id quod etiam in die Communionis fecerat: unde post Confessionem jamjam peractam nonnihil dubius, quæsivit ex Confessario, an ad sacram Communionem sibi liceat accedere, non obstante confortativo illo, quod per modum medicinæ sumpserat. Quid respondebit Confessarius?

90 R. Dicendum, quòd his stantibus Sempronio liceat accedere sacram Synaxin. Ratio est: quia non est verosimile, quòd Ecclesia ceu pia Mater, hoc suo præcepto (scilicet de Communione cum jejunio naturali sumenda) voluerit comprehendere tales infirmos, qui vel nunquam, vel certè rarò admodum, possent communicare non jejuni, veluti rectè observant & tenent Bonacina, Diana, Busembaum *de Eucharist. dub.* 2. *a.* 2. & alii. Atqui Sempronius noster vel nunquam ampliùs, vel certè non nisi rarissimè, & post longum temporis intervallum communicare posset jejunus, uti fert species facti: ergo licitè accedit non jejunus ad sacram Communionem.

Dices rursus: Sed quid tenendum de Rusticis, aliisque tabacho fumigando ita assuetis, ut ne quidem ante Communionem abstineant?

91 R. Monendi equidem sunt, ut ob reverentiam Sacramenti abstineant à tali fumigatione ante S. Communionem; dato autem quòd post factum primùm petant Consilium à Confessario, non debent propterea arceri à sacra Communione. Ratio est: quia sumptio tabachi non frangit jejunium naturale, quippe ad quod frangendum necessariò debent concurrere hæc tria. 1. ut id, quod sumitur, habeat rationem cibi aut potus. 2. Ut sumatur per modum comestionis vel potationis, & 3. ut sumatur ab extrinseco: At, fumus tabachi non est aliquid comestibile, aut potabile, sed potiùs respirabile: ergo non obstat jejunio naturali, tametsi fumus descendisset in stomachum: Secus enim pariter admittendum foret, etiam illum non ampliùs esse jejunum, & per consequens arcendum à sacra Communione, qui alium fumum aut nebulam de-

deglutiisset. Castropalao, Lugo, Dicastillo & alii apud La Croix *n.* 561.

Dices adhuc. At quid, si de foliis tabachi pulverizati per nares sumpti aliquid trajiciatur in stomachum, oberitnè S. Communioni?

92 R. Multi quidem Doctores censent per hoc lædi jejunium naturale, & hoc ipso poni impedimentum Eucharistiæ sumendæ; nihilominus negativa opinio(quam tenent Diana *in summa* verſ. *Communionis dispositio. nu.* 33. Fagundez *part.* 3. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 14. & alii plures) mihi videtur verosimilior, idque hac ratione: quia jejunium naturale non frangitur, nisi cibus aut potus sumatur per os, & transmittatur in stomachum vitali actione comestiva vel potativa: Atqui Tabachus supponitur hic sumptus per nares, per quas, ait Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *disp.* 68. *Sect.* 4. *§. quæres rursus*. Qui aliquantulum aquæ reciperet, non frangeret jejunium: ergo &c. Unde Tannerus, Gobat *n.* 260. La Croix *cit. n.* 564. rectè dicunt, tunc aliquid sumi per modum comestionis vel potationis, si hoc, quod trajicitur, & modus trajiciendi sufficiat in morali æstimatione seu opinione hominum, ut quis censeatur comedisse, aut bibisse: ergo cùm id non censeatur facere, qui reliquias tabachi per nares sumpti in stomachum trajicit, probabiliùs potest adhuc licitè communionem sacram percipere.

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos in confessionali expositus, cujusdam gravis peccati reatum incurrit; & quia tempus recurrendi ad confessionem non suppetebat (hora enim ad celebrandum præfixa institit) hinc è confessionali surgens, illicò sacris vestibus sese induit, sicque perrexit, non sine gravi remorsu conscientiæ ad celebrandum hoc tremendum Sacrificium. Quæritur jam 1. *an ex eo præcisè, quòd hora celebrandi jamjam institerit, fuerit deobligatus ab onere præmittendi confessionem?* 2. *quid Cajo ante, vel etiam in Sacrificio Missæ fuerit agendum?*

93 R. Ad primùm membrum hujus casûs, ex eo præcisè, quòd hora celebrandi jamjam institerit, Cajum non fuisse deobligatum ab onere præmittendi confessionem sacramentalem. Ratio est: quia ad hanc secundùm dicta *n.* 86. probabilius tenebatur præcepto divino, aut certè ecclesiastico: atqui præceptum Dei & Ecclesiæ præferendum est præcepto Superioris; quia inter duo vel plura præcepta semper prævalet, id, quod est majus: ergo Cajus tenebatur, dilato nonnihil Sacrificio Missæ, mediante confessione sacramentali priùs sese reconciliare cum Deo, modò id potuerit sine scandalo, vel alio periculo diffamiæ gravis; quæ ob hanc præcisè causam, quòd ante sacrum confiteatur, tam facilè timenda non est, cùm plures alii soleant confiteri, de quibus nemo prudentum suspicabitur, quòd sint magni peccatores &c. Idcirco bene notandum venit, ad licitè celebrandum absque confessione præmissa, non sufficere quemcunque prætextum, aut quamcunque rationem, sed necessum omnino esse, ut interveniant hæc duo simul, scilicet 1. vera aliqua necessitas celebrandi seu communicandi, & 2. simul moralis impossibilitas priùs confitendi, prout facilè colligetur ex Tridentino mox suprà *num.* 85. relato. Vide etiam Babenstuber *tr.* 8. *p.* 3. *d.* 6. *a.* 2. *n.* 11. item *n.* 19.

94 R. Ad secundum. Cajus quantumcunque angustiis temporis compulsus tenebatur ante Sacrificium, vel saltem ante consecrationem & sumptionem elicere contritionem perfectam; secus enim indignè celebrando, utpotè constitutus in statu disgratiæ, graviter peccasset. Quin etiam ille, qui antea legitimè confessus & absolutus, sub actuali Sacrificio ante sumptionem recordatur alicujus peccati mortalis inculpabiliter obliti, tenetur desuper conteri, priùs quàm sumat S. Eucharistiam; & si v. g. laicus antequam communicet, recordaretur talis peccati, teneretur per se loquendo reverti ad confessarium, & mediante confessione sacramentali illud expiare. Ratio est: quia non solùm exstat præceptum divinum, confitendi peccata mortalia ante communionem, sed etiam præceptum confitendi omnia mortalia: uti fert praxis & sensus omnium fidelium, teste La Croix *lib.* 6. *n.* 539. & oppositum

non

non est satis tutum. Secus tamen dicendum foret, si talis pœnitens jamjam esset accinctus ad communionem ut sine scandalo non ampliùs posset retrocedere; ut si jam flectat in scamno communicantium, vel si Sacerdos vestibus, sacris, etiam ipsa casula jamjam indutus, nequeat ampliùs confiteri sine nota gravis infamiæ. Ita Scotus 4. *disp.* 9. Herincx *disp. 6. nu.* 75. Gobat. *tract.* 4. *n.*246.

Dices: At quandonam censetur intervenire necessitas vera, & simul impossibilitas præmittendi confessionem?

95 R. Ad primum. Vera necessitas celebrandi reputatur adesse 1. quando quis alioquin esset moriturus sine S. Viatico. 2. quando Sacerdos tenetur celebrare ex officio, nec potest hoc facere per alium. 3. item quando laicus ex præscripto suæ Regulæ vel Ordinis tenetur communicare. 4. quando alioquin interrumpendum esset Sacrificium, 5. denique si Sacrificium aut communio Sacra intermitti nequeant sine scandalo, vel gravi infamia: Ultra hos casus necessitatis procul dubio alii adhuc emergere possunt, quorum gravitas prudentis judicio determinari debet.

96 R. Jam ad secundum. Impossibilitas confitendi ob defectum confessarii censetur adesse in sequentibus casibus 1. quando absolutè deest, qui posset excipere confessionem. 2. quando nullus adest, cui pœnitens sine interprete confiteri queat. 3. quando adest quidem Confessarius, sed huic confessio fieri non valet vel ob defectum jurisdictionis, vel ob periculum gravis damni, infamiæ, pertractionis ad peccatum, revelationis peccati confessi. Ita cum communi Herincx *Disp. 6. n.* 78. La Croix *l. 6. à n.* 535. Babenstuber. *cit. disp.* 6. *a.* 2.

Dices adhuc. Quidsi autem Sacerdos vel Laicus solùm dubitet, an peccaverit graviter vel non, ideoque sitne in statu gratiæ, nec ne? poteritne tuta conscientia accedere S. communionem, etiam neglecta confessione prævia?

97 R. Juxta communiorem DD. opinionem (quæ citra omnem controversiam tutior, ab auctoritate probabilior, & reverentiæ tanti Sacramenti magis est conformis) tenetur priùs confiteri, quisquis dubitat, sitnè in statu gratiæ vel non? quia de hoc debet esse moraliter certus, ne forsitan reipsa indignè accedens, judicium sibi manducet & bibat, & velut invisus hospes sine nuptiali veste comparens, ejiciatur in tenebras exteriores. Nihilominus Henriquez *lib. 8. c.* 45. *n.* 2. *litt. P.* Emmanuel Saà *V. Eucharistia num.* 23. Tannerus *hic n.* 30. Caramuel *in Theolog. fundam. num.* 1321. Marchinus, & alii apud Gobat. *tr.* 4. *nu.* 223. probabile existimant, talem non necessariò adstringi ad præviam confessionem. Rationem dant hanc: quia Concilium Tridentinum, ubi declarat hanc obligationem præmittendi confessionem, solùm loquitur de illis, qui sibi *conscii sunt* peccati mortalis, utì videre licet ex verbis ejusdem Concilii suprà mox *n.* 85. relatis: at, qui solùm dubitat, an commiserit peccatum mortale, non est sibi *conscius*: profectò, qui solùm dubitat, an non quempiam occiderit, non rectè sese accusaret apud Confessarium dicendo: sum mihi *conscius*, me patrasse homicidium: idque fateri, & huic opinioni subscribere coguntur meo judicio, quicunque admittunt, peccata dubia non esse materiam necessariam confessionis, de quo diximus *part.* 2. *Confer.* 7. *a. nu.* 164. Placet circa hoc judicium sapientissimi P. Gobat. *cit. n.* 225. ubi ait, hanc opinionem de non necessariò præmittenda confessione peccati merè dubii consulendam esse scrupulosis, oppositam verò aliis non scrupulosis: etsi probabile censeam, nihil obstare, quo minus aliquis ex jam dictis practicè dubium deponere, & se resolvere possit, quòd non sit obligatio certa confitendi peccata merè dubia ante communionem sacram. Et certè rationes pro opposita opinione adductæ pariter probarent, quòd pœnitens teneatur ante communionem, confiteri peccata etiam positivè dubia, ne scilicet fortè indignus accedendo judicium sibi manducet.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

98 Colliges ex dictis primò, SS. Eucharistiæ Sacramento privandos non esse Energumenos: tum quia insessio dæmonis per se loquendo non impedit S. communionem; tum etiam, quia per hanc obsessi multùm juvantur & sublevantur; quandoquidem ea mediante recipiunt novas gratias, & dæmon coercetur. Cavendum nihilominus est, ne in administratione huic Sacramento irreverentia irrogetur à maligno dæmone: quod ipsum pariter observandum venit in communicandis Epilepticis, quibus propterea, quamdiu in actuali paroxysmo versantur, hoc Sacramentum neutiquam debet administrari. Castropal. Gobat *num.* 157. Babenstuber *cit. num.* 13. & 14. Laym. *ubi suprà c.* 4. *num.* 6.

99 Colliges secundò, non violari jejunium naturale per hoc quòd sanguis, vel alius humor ex cerebro aut gingiva attractus deglutiatur, & trajiciatur in stomachum. Ratio est: quia hoc modo nihil ab extrinseco per modum cibi aut potus sumitur. Idipsum ob eandem rationem dicendum de reliquiis ex præterita comestione intra dentes retentis, etsi condecentiùs fit eas exspuere, quàm dejicere in stomachum. Similiter si ex lotione oris, aut gustatione jusculi aliquid modicissimum salivæ comixtum trajiciatur in stomachum, non impedit Sacram communionem. Ratio est: quia hoc modicum non censetur in hominum existimatione sumi per modum cibi vel potus, sed potiùs per modum salivæ, cui inseparabiliter adhæret & conjungitur: atqui per sumptionem salivæ non violatur jejunium naturale: ergo &c. Henno *disp.* 8. *qu.* 2. *conclus.* 2. *Resol.* 3. & 4. La Croix *num.* 566. Herincx, Babenstub. cum *communi*.

100 Colliges tertiò, è contrario jejunium naturale solvi, quotiescunque aliquid, quantumvis modicum per modum cibi aut potus, vel etiam per modum medicinæ ab extrinseco sumitur; ut si quis potaret propriam f. v. urinam, aut mulier lactem è suis uberibus; item si Saccharum ori insertum & successivè liquatum deglutiatur; item si quis in aquam delapsus contra suam voluntatem & intentionem aquam deglutiat. Ratio est: quia talis in morali hominum æstimatione revera censetur & dicitur potasse, aquam scilicet: ergo non ampliùs est jejunus jejunio naturali. Videantur *DD. citt.*

Dices: sed quid consulendum aut respondendum, quando pœnitens dubitat, an non eluendo os, aliquid deglutierit, vel etiam quandoquidem scit, se tempore nocturno aliquid sumpsisse, dubitat tamen, utrùm hoc ante, vel post medium noctis contigerit, an permittendus est accedere mensam Domini?

101 R. Etsi multi DD. hoc negent, longè tamen probabilior mihi videtur sententia affirmativa, quam tenent Sporer, Herincx *disp.* 6. *n.* 59. Laym. Cardenas *in* 1. *crisi diss.* 26. *n.* 87. & alii plures apud La Croix *lib.* 6. *num.* 577. Illsung. ubi suprà *num.* 122. Gobat. *n.* 280. Ratio fundamentalis hæc est: quia quamvis præceptum jejunii certum sit ex una parte, ex altera verò dubium, an hoc sit observatum, ideoque præceptum videatur in possessione; nihilominus cùm hoc præceptum sit negativum, scilicet *de non comedendo aut bibendo ante communionem*, & aliunde cuivis sit liberum accedere, vel non, ad mensam domini; hinc communicaturus manet in possessione suæ libertatis, scilicet *accedendi &c.* quamdiu eidem non potest ostendi certum obstaculum, quo retardetur; ferè quemadmodum dubius an incurrerit vel non incurrerit irregularitatem, potest accedere ad ordinem, & in suscepto ministrare, quamdiu ipsi non demonstratur contraxisse hujuscemodi obstaculum &c. Accedit, quòd, ut rectè observant Gobat, & Illsung. *ll. citt.* hoc præceptum scilicet *non, nisi jejunè communicandi*, non sit impositum dubitanti, sed certò scienti, se non esse jejunum: at, qui dubitat in nostro casu, non certò scit: ergo tuta conscientia potest permitti accedere.

102 Colliges quartò, eum, qui præter peccatum mortale reservatum nullum aliud habet, simulque urgetur necessitate celebrandi aut communicandi, non teneri ad præmittendam Confessionem, nisi supponatur

tur habere copiam Confessarii, potentis absolvere à reservato. Ratio jam fuit insinuata: quia sacerdos præsens quidem, sed jurisdictione destitutus, reputatur pro non præsente in ordine ad absolvendum, & in tali casu pœnitens censetur destitutus Copia Confessarii. At verò, si pœnitens sit obstrictus aliis peccatis mortalibus non reservatis, à quibus hic & nunc absolvi potest, mihi probabiliùs videtur esse obligatus ad Confessionem horum saltem, scilicet non reservatorum: quia juxta declarationem Concilii Tridentini jam superiùs allegati, quisquis peccati mortalis sibi conscius est, tenetur S. Communioni præmittere Confessionem, modò non ei desit Copia Confessarii: Atqui talis pœnitens supponitur esse sibi conscius peccati mortalis non reservati, nec eidem deficit copia Confessarii potentis absolvere à peccato non reservato: ergo hoc saltem tenetur confiteri, esto non obligetur confiteri aliud reservatum. Ita Lugo, Reding, Castropalao apud Babenstuber *cit. disp. 6. a. 2. n. 21.*

103 Colliges quintò, committere sacrilegium oppidò grave, qui in statu disgratiæ hoc augustissimum Sacramentum accipit. Ita *omnes*. Ratio est: quia gravissimam irreverentiam huic Sacramento irrogat, ponendo obstaculum hujus effectui primario, scilicet gratiæ Sacramentali: & tantò quidem majus erit sacrilegium, quantò graviora & plura sunt peccata, quibus communicans est actualiter obstrictus; quia tanto gravior est irreverentia Sacramento illata. Quin etiam accedens cum peccato veniali inter actualem Communionem admisso, utpote particulariter opposito hujus Sacramenti reverentiæ, & repugnante fini hujus Sacramenti, probabiliùs committit novum peccatum veniale, esto tale non committat, qui cum peccato veniali duntaxat habituali accedit. Filliuc. *tr. 4. c. 8. num. 206.* Suarez *disp. 66. sent. 1.* Gobat *tr. 4. num. 217.* Babenstuber *cit. a. 2. num. 6. & seqq.* Vide etiam dicta superiùs *Confer. 3. num. 71. & 72.*

104 Colliges sextò, non committere duo distincta, sed unum duntaxat sacrilegium, etsi gravius, qui præsumit accedere mensam Domini in peccato mortali, & simul non jejunus. Ita Vasquez *disp. 207. c. 11. n. 6.* Gobat *nu. 212.* Lugo, Babenstuber aliique plures. Ratio est: quia peccans contra duo vel plura præcepta, sed ex eodem motivo ac fine data, non committit plura peccata; nam hujusmodi præcepta non sunt formaliter, sed materialiter duntaxat distincta: Atqui utriusque præcepti de sumenda scilicet Eucharistia in statu gratiæ, & jejunè simul, idem est finis ac motivum, puta, cultus & reverentia Sacramento debita: ergo talis non committit plura peccata: proindeque satisfaciet in confessionali sese accusando & dicendo: *Communicavi semel sacrilegè.*

Dices adhuc: At quid, si Laicus necessitate compulsus sine Confessione prævia communicavit; tenebiturnè quamprimùm confiteri?

105 R. Negativè. Ita *communiter DD.* Castropal. *hic punct. 12. num. 9.* Mezger *a. 3. §. 1. num. 2.* Babenstuber *cit. disp. 6. art. 2. num. 22.* Illsung. *cit. tract. 6. d. 4. num. 15.* Ratio est, quia hoc præceptum cùm sit odiosum, non debet extendi ultrà, quàm verba sonant: atqui verba Tridentini sonant, & expresse comprehendunt solos Sacerdotes, ita enim sonant: *Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Quocirca tamen rectè observat Illsung *loc. cit.* hæc verba Tridentini non comprehendere merum Consilium; nam oppositum constat ex propositione sequenti: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est Consilium, non præceptum;* quam Alexander VII. damnavit. Tenetur itaque sub gravi culpa talis Sacerdos quamprimùm confiteri, id est, *tertio saltem die*, uti declaravit S. Congregatio, teste La Croix *num. 545.* quem vide, si placet.

CON-

CONFERENTIA

DECIMAQUINTA.

De necessitate & obligatione sumendi SS. Eucharistiam, & Viaticum.

SUMMARIUM.

106 *Sumptio Eucharistiæ ad salutem obtinendam est necessaria, non necessitate medii, sed præcepti;*

107 *Idque probabiliùs nedum in articulo mortis, sed etiam sæpiùs per vitam.*

108 *Vi præcepti Ecclesiastici omnes fideles usum rationis adepti tenentur saltem semel in anno, tempore scilicet paschali eam sumere, & quidem à proprio Pastore, per se loquendo.*

109 *Quinam censeantur esse adepti usum rationis, & quid per tempus paschale intelligatur.*

110 *Quibus pœnis afficiantur negligentes Communionem Paschalem &c.*

111 *Laici fideles non tenentur ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie.*

112 *Nec permittitur, ut quis eadem die sæpiùs communicet &c.*

113 *An expediat Laicis permittere quotidianam communionem.*

114 *Omnes fideles usum rationis adepti tenentur præcepto Ecclesiastico ad sumendum S. Viaticum in mortis articulo.*

115 *Quidnam per mortis articulum hìc intelligatur.*

116 *Resolvitur Casus I. de quodam Nobili ægrotante, qui admonitionem boni Pastoris de sumendo S. Viatico ægrè tulit.*

117 *An talis peccaverit recusando S. Eucharistiam.*

118 *Et quid, si Medici judicassent, non subesse periculum proximum mortis.*

119 *Quando infirmus non adeò pridem sumpsit SS. Eucharistiam, non tenetur ad sumendum S. Viaticum.*

120 *Resolvitur Casus II. de quodam plenè ebrio, qui tametsi fatali lapsu pervenerit ad portas mortis, non potuit in tali statu absolvi;*

121 *Quo non obstante potuit, immò probabiliùs debuit eidem administrari sacrum Viaticum, vel saltem extrema Unctio.*

122 *Idque etiam in dubio, an illa ebrietas fuerit mortaliter culpabilis.*

123 *Resolvitur Casus III. de quadam muliere graviter infirma, & quasi continuo vomitui obnoxia.*

124 *In dubio, an æger sit revomiturus sacras species, inclinandum potiùs est in favorem infirmi, & porrigendum sacrum Viaticum.*

125 *Et quid agendum, casu, quo infirmus sacras species revomuit.*

126 *Fideles non satisfaciunt præcepto de sumenda Sacram Communionem in paschate, nisi eandem sumant de manibus proprii sacerdotis, vel ab hoc licentiam habeant alibi communicandi.*

127 *An teneatur supplere Sacram Communionem, qui toto anno eam neglexit, vel aliam ob causam non sumpsit.*

128 *Præcepto de sumenda Communione Paschali & S. Viatico non satisfit per Communionem sacrilegam.*

129 *Infirmus sacro Viatico jam munitus, non tenetur ampliùs illud sumere, tametsi bene & laudabiliter faciat illud sæpiùs sumendo, si eadem infirmitas diutiùs protrahatur.*

130 *Parochus, & quivis Pastor animarum diligenter curare debet, ut maturè suis ovibus infirmis provideat de consuetis Ecclesiæ Sacramentis.*

131 *Recensentur breviter illi, quibus sacrum Viaticum, administrari debet.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria de obligatione sumendi sacram Communionem, & S. Viaticum.

QUæres primò, an, vel quomodo sumptio Eucharistiæ sit necessaria ad salutem?

106 R. Sumptio Eucharistiæ est fidelibus adultis, & usum rationis adeptis ad salutem necessaria, non quidem necessitate medii, sed necessitate præcepti divini, obligantis nedum in articulo mortis, sed etiam sæpiùs in vita. Ita post S. Thomam Layman *tr. 4. c. 5. n. 1.* Reinffestuel, & alii *DD. communiter*. Et de præcepto quidem divino satis constat ex illo *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Quòd autem non sit necessaria simpliciter, seu, ut alii loquuntur, necessitate medii, ex eo convincitur: quia sumptio hujus Sacramenti non est medium simpliciter & absolutè necessarium ad justificationem, quippe quæ sine illa potest obtineri mediante Sacramento baptismi, & pœnitentiæ: ergo nec est simpliciter necessaria ad salutem. Quin immò, eo ipso, quod velut Sacramentum vivorum supponat gratiam primam, supponit etiam jus ad gloriam: ergo nequit ampliùs esse medium simpliciter necessarium ad salutem.

107 Cæterùm, quòd nedum in mortis articulo, sed etiam in vita aliquoties saltem teneamur sumere sacram Synaxin, suadetur ex eo quia Eucharistia à Christo fuit instituta, ut hominem spiritualiter nutriat, roboret, & augeat gratiam: unde cùm homo nedum in mortis articulo, sed etiam extra illum sæpiùs indigeat tali robore, omnino congruenter arguitur, Deum voluisse nos obligare ad hanc sumendam, nedum in mortis articulo, sed etiam sæpiùs per vitæ cursum; sicut sæpius obligamur aliis præceptis affirmativis v. g. ad eliciendum actum fidei, spei, & charitatis &c. Adde etiam hunc esse communem sensum fidelium & Doctorum, qui in re morali multum habet ponderis, uti rectè advertunt La Croix, Herincx *disp. 6. n. 18.* & alii plures.

Quæres secundò, utrùm etiam vi præcepti Ecclesiastici teneamur ad S. Communionem?

108 R. Omnes fideles, postea quam ad annos discretionis pervenerunt, vi præcepti Ecclesiastici per se tenentur ad sumendam S. Communionem, & quidem à proprio suo Pastore, idque ad minùs semel in anno, scilicet tempore Paschali. Ita habetur ex *Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. Omnis utriusque sexus. de pænit. & remiss.* Idipsum confirmavit Concilium Tridentinum *ss. 13. de Euchar. can. 9.* Quocirca tamen breviter

109 Notandum primò, hoc præcepto fideles primùm obligari, posteaquam ad annos discretionis pervenerunt: quinam autem usum rationis adepti, & per consequens capaces, vel etiam obligati sint ad hoc Sacramentum, discernendum relinquitur prudenti judicio D. Parochi, aut Confessarii &c. quorum est pueros aut puellas post discretum examen vel admittere, vel etiam excludere à mensa Domini. 2. Notandum, per tempus Paschale illud intelligi, quod currit à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, veluti habet praxis Ecclesiæ, licèt hoc tempus in quibusdam locis & Ecclesiis diutiùs, immò in aliis per totam quadragesimam extendatur, juxta exigentiam subditorum.

Quæres tertiò, quasnam pœnas incurrant, qui negligunt S. Communionem in paschate?

110 R. Viventes adhuc arcendi sunt ab ingressu Ecclesiæ, mortui verò sunt privandi sepultura Ecclesiastica. Ita statuitur *cit. cap. Omnis utriusque sexus.* Quocirca tamen notandum, has pœnas non esse latæ, sed ferendæ primùm sententiæ. Quapropter Parochi, cùm jurisdictione in foro externo careant, non facilè eam pœnam alicui inferre debent (inquit Lay. *l. 5. tr. 4. c. 5. n. 10.*) nisi priùs monito, atque jubente Ordinario; præsertim si intermissio sacræ Confessionis, aut Communionis aliqua causa excusari posse videatur. Inspiciendæ etiam in hac re sunt speciales Diœcesium constitutiones,

& consuetudines. Ita Laym. *cit.* Suarez *disp.* 70. *sect.* 3.

Quæres quartò, utrùm etiam Laici jure divino teneantur ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie?

111 R. Negativè. Ita habetur expressum in Concilio Tridentino *Sess.* 21. *cap.* 1. & *can.* 1. & in Constantiensi *Sess.* 13. Idipsum jam ante utrumque Concilium docuerant Alexander Alensis, Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonavent. Scotus, & alii, hæresibus nondum exortis: & deinceps, teste Herincx *cit. num.* 26. Docuere omnes Theologi. Ratio autem hujus veritatis, & doctrinæ Catholicæ inde desumitur: quia Ecclesia (à qua ceu columna veritatis verus S. Scripturæ sensus, & divinorum præceptorum declaratio petenda est,) nunquam intellexit, tale præceptum fuisse in sacra Scriptura expressum, aut fidelibus traditum, quin potiùs oppositum declaravit. Deinde in primitiva Ecclesia fideles frequenter communicabant sub una duntaxat specie, scilicet panis, quam secum ad domos proprias asportabant: ergo satis liquet, Ecclesiam & Apostolos nunquam existimasse aut credidisse, sumptionem utriusque speciei jure divino esse necessariam. Argumenta hæreticorum in contrarium, qui nosse cupit, consulat nostrum P. Herincx *cit. num.* 31. & *seqq.* Henno *disp.* 9. *quæst.* 4. *concl.* 1. vel P. Layman. *cit. num.* 11. §. *ad primum*, ubi eadem dissoluta inveniet.

Quæres quintò, an licitum sit sæpius eadem die communicare?

112 R. Quòd non. Hoc quippe jure ecclesiastico saltem consuetudinario est prohibitum, veluti constat tum ex communi sensu Doctorum, immò & fidelium; tum etiam ex generali usu Ecclesiæ, quæ extra casum necessitatis & diem nativitatis, nequidem Sacerdotibus permittit sæpiùs in eadem die celebrare vel communicare: ergo à fortiori Laico interdicta censeri debet communio eadem die repetenda. Excipitur tamen casus, quo alioquin Sacramentum Eucharistiæ veniret in manus hæreticorum vel infidelium, indignè tractandum ab iisdem; quia tunc posset sumi à quovis fideli, etiam eodem die, quo jam communicasset de mensa Domini; posset etiam sumi à non jejuno, immò etiam à non constituto in statu gratiæ; quia cùm in tali casu solùm sumatur ad præcavendam majorem irreverentiam ab hæreticis aliàs inferendam, nequaquam censendum est, irrogari huic Augustissimo Sacramento irreverentiam: conandum nihilominus foret in hoc casu ad contritionem perfectam, vel saltem ad actualem aversionem ab omni peccato mortali concipiendam, uti rectè advertunt La Croix *lib.* 6. *n.* 673. & alii DD.

Quæres sextò, Utrùm expediat etiam Laicis permittere quotidianam communionem?

113 R. Cum S. Bonaventura 4. *dist.* 12. *p.* 2. *art.* 2. *quæst.* 2. *in corpore*, etiam laico sumptionem hujus Sacramenti semper esse utilem, & ad animæ salutem proficuam, modò cum debita cordis munditia & devotione recipiatur; nihilominus cùm familiaritas nimia contemptum quandoque parere soleat, simulque quotidianæ hujus vitæ occupationes & distractiones plerisque, præsertim in sæculo degentibus, non permittant præparationem, seu dispositionem huic Sacramento condignam; hinc plerisque non videtur permittendum, ut quotidie communicent. Quoties autem sacrum hoc ferculum permittendum & administrandum sit sæcularibus personis, universaliter determinari nequit, sed relinquitur prudentiæ Confessarii, qui ex puritate conscientiæ, vel devotione erga hoc augustissimum Sacramentum deprehensa in suo Cliente, tum etiam ex dispositione corporis ac animæ, nec non ex conditione status, vel occupationum temporalium, haud difficulter discernat, an expediat permittere communionem frequentiorem, vel omnino quotidianam; quæ hisce temporibus rara est respectu sæcularium personarum. Quocirca tamen idem Doctor Seraphicus *cit.* 4. *d.* 12. *quæst.* 3. *art.* 1. sapienter monet, melius esse, ex devotione Sacram Eucharistiam sumere, quàm ob humilitatem & reverentiam abstinere; quia prior actus amoris est, alter timoris: amor autem timori prævalet. Ita San-

ctus

ctus sanctè; haud dubiè propria experientia confirmatus, & ad hoc scribendum impulsus, quippe, qui dum ob humilitatem & reverentiam sese indignum reputans, abstinuit à S. Communione, Sacro reverenter atque humiliter assistens, meruit angelicis manibus de hostia ab alio oblata refici; ut legitur in ipsius vita.

Quæres septimò, quo jure fideles stringantur ad sumendum sacrum Viaticum?

114 R. Certum est, quòd ad hoc in mortis articulo teneantur jure saltem ecclesiastico (quidquid sit de jure divino, de quo diximus *num.* 106.) Ita enim statutum fuit in antiquissimis Conciliis, Nicæno *Can.* 3. Carthagin. IV. *Can.* 77. ubi præcipitur animarum Pastoribus, ut summopere caveant, ne morientes discedant sine Viatico: idipsum (sacrum scilicet Viaticum) in Ecclesiis conservari, & morem omnino salutarem ac necessarium, illud ad infirmos deportandi, retinendum, statuit Concilium Tridentinum *de Euchar. Sess.* 7. *cap.* 6. Inde hæc consuetudo, Viaticum infirmis administrandi, eousque invaluit, ut sine gravi scandalo nequeat violari: at, hoc ipsum est signum gravis obligationis: ergo &c.

115 Notandum etiam occurrit, per mortis articulum hic non intelligi præcisè extremam vitæ periodum, quasi verò sacrum hoc Viaticum non deberet sumi, nisi paulò, vel immediatè ante mortem; sic enim executio hujus præcepti sæpissimè foret impossibilis: Sed intelligitur etiam gravis morbus, in quo de morte instante rationabiliter timetur, eò quòd in his circumstantiis quasi communiter sequatur. Unde si infirmus in tali morbo Eucharistiam sumat, etsi pluribus diebus ante mortem, quantumvis ex mera devotione, etiam nihil cogitans de morte, aut de intentione sumendi Sacrum Viaticum, nihilominus satisfecisse censetur huic præcepto. Herincx *cit. num.* 48.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de sumenda S. Communione & Viatico.

Casus Primus.

Titius nobilis incidit gravem morbum, ad quem curandum Medici oleum & operam perdidisse videbantur: hunc propterea D. Parochus de salute infirmi sollicitus inviserat; unde etiam à Domina, seu uxore ad ægrotum admissus fuit, etsi ægrè admodum, & cum expressa protestatione, ne ullam faceret mentionem de morte apud infirmum, ne eum magis affligeret, aut quocunque demùm modo contristaret. Quo non obstantè bonus ille animarum Pastor studuit infirmum disponere ad sacramentalem confessionem, quam felicissimo eventu ac fine deposuit ægrotus: at verò cùm ulteriùs de sumendo Sacro Viatico monuisset infirmum, nedum hunc, sed etiam uxorem ipsius graviter offendit, propterea que velut invisus hospes illicò domum redire jussus fuit. Unde contigit, ut idem nobilis eadem nocte sine Viatico decederet? Quid jam de hoc facto censendum?

116 R. Probandum minimè est. Ratio in promptu est: quia cùm corpus propter animam sit à Deo creatum, & non vicissim anima propter corpus; hinc oportet semper majorem gerere curam pro salute animæ, quàm corporis; quod tamen in hoc casu factum minimè est, nec ab illo Nobili, neque ab Uxore illius. Et sanè non minùs admirandum, quàm dolendum est, etiam inter Catholicos hodie reperiri multos, qui (sine dubio diabolica fraude circumventi) dum graviter decumbunt, de mortis periculo nihil prorsus audire volunt, ne fortè in majorem tristitiam, vel melancholiam incidant, & interim, proh dolor! sæpiùs, quàm par est, neglectis omnibus salutis remediis, utpote confessione sacramentali, Eucharistia, aliisque Sacramentis, *sine crux & sine lux*, utì dicere solemus, hinc demigrant, non sine scandalo aliorum fidelium; qui, qua ratione excusari valeant,

leant, non video. Mihi omnino persuasum teneo, nullum ex his omnibus inventum iri, qui, si sciret, quo medio corporis salutem recuperare valeret, illud, etiam non rogatus, quantocyùs amplecteretur: & nihilominus salutis æternæ remedia, scilicet SS. Ecclesiæ Sacramenta etiam rogati negligunt, nec volunt admittere. Quanta cœcitas in homine rationis usu prædito, præsertim lumine veræ fidei illustrato!

Dices: Ergonè peccati gravis condemnabimus Titium nostrum, ipsiusque Uxorem?

117 R. Si prævisso etiam periculo propinquo mortis, nihilominus obstitisset Communioni Sacræ, seu S. Viatico sumendo, minimè dubitandum, quin graviter deliquisset; quandoquidem certum est, juxta communissimam Doctorum, omnes fideles ad sumendum S. Viaticum obligari sub gravi culpa. At verò, quia paucos reperimus, qui dum prævident, & agnoscunt se versari in periculo mortis, non velint muniri Sacro Viatico, ad feliciùs aggrediendum iter æternitatis; hinc pariter credo, paucos esse, qui ex neglectu Viatici Sacri mortaliter peccent. Eapropter Titius noster, ipsiusque Conjux à gravi peccato excusari forsitan possunt; quia si periculum prævidissent, simulque obligationem sumendi S. Viaticum agnovissent, procul dubio nunquam id recusassent.

Dices: At quid, si Medici ipsimet judicassent, non subesse ex parte Titii periculum mortis, saltem propinquum?

118 R. Ex hac suppositione & judicio Medicorum, non tenebatur Titius noster, ad illud sumendum S. Viaticum, proptereaque potuisset D. Parochus dissimulare admonitionem de illo sumendo, præsertim si prævidit, se admonendo incursurum offensam. Ratio est, quia ubi nondum est periculum propinquum mortis, adhuc restat ægroto tempus & mora satisfaciendi suæ obligationi: quemadmodum ergo Clericus non tenetur absolutè ad dicendum suum breviarium, quamdiu prævidet sibi suppetiturum tempus commodum illud dicendi; ita etiam ægrotus non adstringitur ad S. Viaticum, quamdiu prævidet tempus commodum illud adhuc sumendi. Cavendum nihilominus est nedum ægrotis, sed ipsis etiam Dominis Medicis, ne vano timore, vel alio respectu humano ducti, rem dissimulent, & dicant, nondum subesse periculum, ubi revera illud advertunt, sicque non moneant nec inducant ægrotos, quatenus advocare velint Medicos animarum; vel (quod adhuc pejus foret) omnino resistant, aut dissuadeant, ne etiam sponte accurrentes animarum Curatores admittantur ad infirmum; quos propterea Innocentius III. *Cap. cùm Infirmus de pœnit. & remiss.* redarguit, & tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceri jubet, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerint competenter.

At quid (ais) ubi constat infirmum non adeò pridem sumpsisse SS. Eucharistiam?

119 R. Si constet, eam sumpsisse primùm ante paucos dies v. g. 6. vel 8. immò etiam (juxta alios) ante decem vel quindecim dies, faciliùs dissimulari potest sumptio Sacri Viatici. Ratio est: quia talis infirmus probabiliter non ampliùs obligatur ad sumendum S. Viaticum; etsi oppositum sit tutius & probabilius. Idipsum à fortiori dicendum de illo, qui manè ex devotione communicavit, & postea eadem die incidit in periculum mortis: etsi enim talis probabiliter possit, immò verò (secundùm aliquorum opinionem) adhuc debeat sumere Sacrum Viaticum, quippe quod nondum sumpsit; nihilominus juxta probabilissimam, & quasi communem opinionem, non ampliùs tenetur ad illud sumendum. Ratio est: quia talis infirmus moraliter loquendo censetur verè communicasse in articulo, seu propinquitate mortis, etsi ignoraverit, se morti tam esse propinquum; hæc enim ignorantia non obstat impletioni præcepti, veluti patet in eo, qui ignorans esse diem festum, sacrum audit, & certò satisfacit suæ obligationi, non obstante ignorantia. Adde etiam, quòd talis infirmus jam satisfecerit fini hujus præcepti, qui est; per Communionem se disponere ad mortem vicinam Herincx *disp. num.* 94. Laym. *tr.* 4. *c.* 5. *num.* 4. Lugo *disp.* 16. *à num.* 36. Illsung *ubi suprà à num.* 129.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius mendicus per aliquot septimanas mendicando collegerat quindecim circiter crucigeros, quibus intendit sibi adornare diem aureum (utì dicere solemus) & (veluti is antecedenter sæpiùs dixisse audiebatur) bibere usque ad satietatem. Contigit proin, ut non solùm usque ad satietatem, sed planè usque ad plenam ebrietatem biberit vinum adustum: in tali verò statu per scalas decidendo caput gravissimè illiserat, jamque usque ad portas mortis appropinquasse videbatur. Vocatur propterea D. Parochus, & rogatur, ut infirmo velit administrare SS. Ecclesiæ Sacramenta. Quæritur jam, an vel quænam Sacramenta eidem potuerit, vel etiam debuerit ministrare?

120 R. primò. Sempronius in statu plenæ ebrietatis nec potuit, nec debuit absolvi, etsi supponatur fuisse constitutus in evidenti periculo mortis. Ratio est: quia ad validam absolutionem ex parte pœnitentis essentialiter præsupponitur aliquis actus humanus, scilicet Confessio dolorosa, seu etiam dolor supernaturalis: at, Sempronius in statu plenæ ebrietatis non fuit capax alicujus actus humani, ut de se clarum est: neque præsumi potest, quòd ante ebrietatem sese disposuerit ad Confessionem, quippe de qua nihil prorsus cogitavit: multò minùs præsumere licet, eundem miraculoso modo, & contra communem naturæ ordinem hìc & nunc, in statu scilicet plenæ ebrietatis, adjuvari à Deo, & disponi ad perfectam contritionem; quia sine certo fundamento non debemus recurrere ad miracula: ergo pro hoc statu neque est capax absolutionis.

121 R. secundò. Esto Sempronius supponatur esse plenè ebrius, quia tamen non constat, eum ex mera voluptate bibendo, sese voluntariè inebriasse cum peccato mortali (quo supposito utique foret indignus omnibus Sacramentis) hinc eidem probabiliter potest, immò verò debet administrari Sacramentum Eucharistiæ, vel si hoc sumere non possit amplius, saltem Sacramentum extremæ unctionis. Ratio est: quia ad validam, immò & fructuosam perceptionem istorum Sacramentorum ex parte subjecti (præter voluntatem saltem habitualem) nulla alia dispositio præsupponitur, neque alius aliquis actus humanus. Neque etiam obstat, quòd Sempronius noster supponatur non esse jejunus; quia in tali discrimine nulla habetur ratio jejunii, velut patet in aliis moribundis. Nec refert aut obstat, quòd sit plenè ebrius; partim quia ebrius comparatur furioso per *cap. Venter. dist.* 35. furioso autem in tali discrimine possunt ministrari hæc Sacramenta; partim etiam quia, ut supponitur, hæc ebrietas, vel erat penitus inculpabilis, vel saltem non graviter culpabilis; etenim quantùm constat ex specie facti, Sempronius non intenderat bibere usque ad *ebrietatem*, sed tantùm usque ad *satietatem*: ergo.

Dices. At quid, si dubitetur, an talis infirmus se voluntariè, & cùm peccato mortali inebriaverit, vel non?

122 R. Cum distinctione. Vel enim assuevit talis infirmus in sua vita se sæpius inebriare; vel rarò admodum, vel vix unquam, aut prorsus nunquam? Si prius; præsumendum foret, etiam hac vice voluntariè sese ingurgitasse: nam ex vita præterita præsumitur de præsente. *c. mandata. & c. cùm in juventute, de præsumpt.* Si posterius; præsumitur ebrietas fuisse involuntaria. Ratio est: quia de nullo debemus facilè præsumere delictum. *ex L. meritò ff. prò Socio*. Ita Babenstuber ubi supra *n.* 14. Gobat *tr.* 4. *n.* 195. ubi etiam addit, in alio dubio, utrùm talis moribundus incurrerit perfectam ebrietatem, vel imperfectam seu crapulam tantùm? judicandum esse id, quod est mitius, scilicet pro crapula duntaxat. Denique an in plena ebrietate extinctus, sepeliendus sit sepultura asini? Est alia quæstio: quocirca observanda cujuslibet Diæceseos consuetudo: & in dubio de consuetudine sequenda sunt mitiora; nam in his in quibus non invenitur jus expressum, declinandum est in humaniorem partem, *cap. fin. de Trans.* & vel maximè in hoc casu, quippe in quo ex contrario subinde magnæ agnatorum offensæ meritò possunt timeri. Vide DD. *citt.* quibus adde la Croix *l.* 6. *n.* 609.

CASUS TERTIUS.

Cajus deportavit S. Viaticum ad aliquam personam periculosissimè decumbentem, quæ ex eo tempore, quo primò conceperat, semper quasi erat obnoxia vomitui, unde etiam Cajus dubitavit, an expediret eidem S. Viaticum administrare, an verò potiùs illud denuo secum reportare ad Ecclesiam. Quid censendum?

123 R. Advertendum, & præprimis Cajo interrogandum fuit, an infirma quemlibet cibum statim, seu absque mora, & semper quidem soleat revomere; quo supposito sacrum Viaticum eidem neutiquam fuisset exporrigendum: quemadmodum nec illis præbendum est, qui per secessum illicò emittunt omnem cibum prorsus immutatum; quia in tali casu Sacramentum certò exponeretur gravissimæ irreverentiæ. At verò si infirma non assuevit immediatè revomere id quod sumit vel per modum cibi, vel per modum medicinæ, sed primùm post unam circiter, vel etiam mediam horam, debet eidem administrari sacrum Viaticum: quia intra unius horæ spatium certò consumuntur species Sacramentales, & fortè etiam intra spacium mediæ horæ, vel adhuc citiùs, juxta diversas affectiones & constitutiones stomachorum recipientium, etsi de hoc regula universalis dari nequeat, ut ipsimet Medici fatentur. Tannerus *de Euchar. q. 8. n. 67.* Joannes Sanchez *disp. 38. n. 2.* Pax Jordanus *l. 4. tit. 2. n. 53.* & alii plures.

Dices. At quid, si omnibus perpensis maneat dubium, sitnè persona ægrota post S. Viaticum illico passura vomitum, vel non?

124 R. Si omnibus consideratis meritò dubitetur, sitnè intra horam rejectura hostiam, vel non, oportebit illud probare, præbendo interim hostiam non consecratam, quam, si per horam servet, porrigi potest & consecrata; nam in dubio hoc, præstat Sacramentum hoc exponere incerto periculo irreverentiæ merè materialis, quàm certo fructu privare ægrotantes, ad quorum saltem æternam Christus hoc Sacramentum per modum Viatici dandum deservire voluit. Ita Tannerus, Diana, Reiffsquos citat & sequitur Gobat *tr. 4. n. 163. & 164.* Ubi similiter notat cum Suarezio *disp. 71. sect. 3.* in similibus circumstantiis nequaquam opus esse, ut infirmo præbeatur integra hostia, sed sufficit præberi minimam particulam hostiæ consecratæ, & quidem in liquore, si absque hoc deglutire nequeat, esto sit moraliter certum, liquorem priùs esse descensurum; quandoquidem in tali casu necessitatis nulla sit habenda ratio jejunii, utì mox supra dictum fuit.

Dices adhuc. Quid denique agendum, casu quo talis ægrotus præter, vel etiam contra omnem exspectationem revomuit species consecratas?

125 R. Si contingat species consecratas, vel hostiam integram revomi, nec sacerdoti tantum sit animi aut reverentiæ erga Sacramentum hoc, ut eam sumat (esto ad hoc neutiquam sit obligatus) deferenda erit in sacrarium, ac purgata poterit ab alio sumi tempore sacrificii, aut, si nemo vincere possit horrorem, relinquenda erit in sacrario, donec consumatur, sicut in simili jam superiùs dictum fuit de hostia veneno infecta. Comburere autem nunquam liceret; quia hoc foret immane sacrilegium, inquit Silvester, loquens de sacro sanguine. *V. Eucharistia q. 9. §. 2.* apud Gobat. *l. cit. n. 166.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

126 Colliges primò, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui in paschate sine consensu proprii Pastoris extra propriam Ecclesiam, vel ab alio sumit S. Communionem. Ita Navarrus, Azorius, & alii *communiter*. Ratio est: quia Ecclesia non solùm præcipit Communionem, sed etiam vult eam sumi à proprio Pastore, quatenus is suis ovibus possit magis invigilare, & observare, an, vel quomodo servent præcepta Ecclesiæ &c. Nihilominus extra Ecclesiam suam, vel ab alio sumentes Communionem Paschalem satisfaciunt, si id faciant cum consensu summi Pontificis, vel Episcopi seu Ordinarii, aut ejus Vicarii Generalis,

lis, vel proprii Parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine proprii Pastoris) nam hoc innuit clarè præceptum Ecclesiæ, idque confirmat recepta praxis, & communis DD. consensus; qui etiam satis communiter fatentur, sufficere consensum interpretativum Pastoris, qualem censetur dare, si talem morem approbet, vel aliunde constet, eum libenter videre, suos subditos ab aliis petere S. Communionem Paschalem. Vid. Busembaum *a.* 2. *R.* 2. *n.* 4. Tambur. *de expe. Commun. c.* 4. *§.* 4. Diana *p.* 2. *tract.* 14. *Ref.* 73.

Dices. Si quis autem toto anni tempore non communicavit, tenebiturnè postea quamprimùm potest commodo tempore communicare?

127 R. Affirmativè. Ita Henno *disp.* 9. *quæst.* 2. *concl.* 1. *Resol.* Kazenberger *In Supplemento 1. Conferent.* P. Sargar *Confer.* 153. & alii satis *communiter*. Ratio est: quia terminus annuus scilicet non est præscriptus ad finiendam, sed potiùs ad sollicitandam obligationem: ergo quemadmodum in contractibus, ubi terminus solùm fuit præfixus ad sollicitandam solutionem, eo elapso non extinguitur obligatio satisfaciendi, sed magis urget; ita & in proposito. Ex quo rectè infert Henno *l. cit.* peccatum tantò augeri, quanto diutiùs ex culpabili negligentia executio hujus obligationis differtur. Unde etiam is, qui prævidet initio temporis Paschalis, se non habiturum deinceps tempus, vel occasionem sumendi S. Communionem, tenetur illam statim sumere, sicut is, qui manè prævidet impedimentum audiendi postea Missam, tenetur illam audire manè. Vide *DD. citt.*

128 Colliges secundò, Præcepto Ecclesiæ de sumenda Communione Paschali, aut de sumendo S. Viatico, neutiquam satisfieri per Communionem sacrilegam. Ita hodie *communiter DD.* & satis liquet ex decreto Innocentii XI. damnantis sequentem propositionem *num.* 55. velut scandalosam, & in praxi perniciosam: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Ratio autem ultimata est: quia præceptum Ecclesiæ non est novum quoad substantiam, sed est duntaxat determinativum præcepti divini, quod nullum certum tempus determinaverat: Atqui certum est, per Communionem sacrilegam non satisfieri præcepto divino: ergo nec satisfit præcepto Ecclesiastico, quippe quod est idem quoad substantiam cum divino. Et certè tam jure Ecclesiastico, quàm naturali & divino jubetur SS. Eucharistiam reverenter sumere: at, qui suscipit in statu disgratiæ & indignus, eo ipso non suscipit reverenter: ergo &c. Henno *disp.* 9. *q.* 3. *Concl.* 2. La Croix *l.* 6. *num.* 621. & 682.

129 Colliges tertiò, quòd, licèt infirmus sacro Viatico jam semel refectus, non ampliùs obligetur ad illud sumendum, cùm jam satisfecerit suæ obligationi: Nihilominus si diutiùs decumbat, illudque ad animæ suæ salutem ac solatium postulet, debet illud sæpius administrari: idque verum est, tametsi nequeat illud sumere ut jejunus. Ita *Communis DD.* quod & praxis Ecclesiæ confirmat. Ratio hujus est: quia hoc Sacramentum infirmis non eo præcisè ex fine datur, ut satisfaciant præcepto, sed etiam ut inde recipiant præsidium contra tentationes, & in spiritu magis ac magis roborentur: quare cùm infirmi tali robore sæpiùs egeant, planè debebit ipsis hoc Sacramentum sæpiùs administrari, modò rationabiliter id postulent. Quantum autem temporis spatium seu intervallum sit servandum ab una Communione ad aliam, non conveniunt DD. neque universaliter determinari potest, sed potiùs relinquendum videtur & zelo Pastoris, & devotioni decumbentium. Layman. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 20. existimat, ex justa causa, ut si quis assuetus ex devotione sæpiùs communicare, difficulter abstineat, posse statim altero die communicare non jejunum, dummodo mortis periculum instare videatur; id quod etiam cum uno ex nostris practicatum scio, qui cùm ampliùs celebrare non potuisset ob gravissimam infirmitatem, per octo continuos dies quotidie sacro hoc pabulo refici, & ad extremam luctam muniri postulavit, donec tandem ipso Sabbato sancto eodem sacratissimo Viatico præmunitus, placidissimè

simul & sanctissimè hinc demigravit ad meliorem vitam. Vid. *summam Dianæ V. Communionis dispositio n.41.*

130 Colliges quartò, Parochis, aliisque animarum curatoribus incumbere, ut suis subditis administrent sacram Eucharistiam quoties (considerato eorum statu, conditione, aliisque circumstantiis,) rationabiliter eam postulant. Ratio est clara: quia Parochis incumbit onus pascendi oves suas; quod maximè fit verbo & Sacramentis: nec par est, ut parvuli petant panem, & non sit, qui eum illis frangat. Unde etiam Laymann *cit. cap. 5. num. 6.* docet, Parochis incumbere obligationem, ut intelligere curent, an sint aliqui infirmi, constituti in periculo mortis, quos invisere, & spiritualiter pascere oporteat, prout colligitur *ex cap. 1. de Celebr. Miss.* Videri de hoc potest Laym. *l. cit.* Navarrus *in cap. placuit de pœnit. dist. 6. num. 152.* Barbosa *de Officio & potest. Parochi part. 2. cap. 20. n. 15.*

131 Colliges tandem quintò, ad sumendam sacram Communionem teneri sequentes. 1. Milites, inituri periculosum conflictum (nisi desit occasio, item, 2. Inituri periculosam navigationem. 3. Idipsum dicendum de fæminis primò parturientibus, vel aliàs difficiles partus communiter expertis. Item 4. lethaliter vulnerati, nec non 5. damnati ad mortem; quibus propterea Judex tenetur indulgere tempus disponendi se ad S. Communionem, uti statuit Pius V. *in suo Motu proprio*, & colligitur ex -- c. &c. *c. super eo de Hæreticis in 6.* item. *c. Quæsitum 13. quæst. 2.* Ratio autem horum omnium facilè colligitur ex dictis: quia nimirum omnes enumerati censentur moraliter expositi periculo mortis: at, in periculo & articulo mortis obligat præceptum de sumenda Communione, secundùm dicta *n. 107.* ergo &c.

CONFERENTIA

DECIMASEXTA.

De sacrificio Missæ: & quinam illud offerre, vel pro quibus offerri possit ac debeat.

SUMMARIUM.

132 *Sacrificium in communi est oblatio externa, legitimè instituta &c.*

133 *Missa quid sit.*

134 *Missa est verum & propriè dictum N. L. sacrificium.*

135. & 136. *Solvuntur duæ objectiones in contrarium.*

137 *Sacrificium Missæ, quomodo sit unum, & quomodo multiplex.*

138 *Probabiliùs in sola consecratione essentialiter consistit.*

139 *Consecratio tamen utriusque speciei est de essentia sacrificii completi.*

140 *Offerens principalis est Christus: minùs principalis Sacerdos: & secundariò etiam fideles dici possunt offerentes in certo sensu.*

141 *Missæ sacrificium per se loquendo offerri potest tam pro vivis, quàm pro defunctis.*

142 *Pro Infidelibus tamen, & pro Excommunicatis non toleratis illud directè offerre, nefas foret;*

143 *Esto pro his offerri possit indirectè.*

144 *Pro damnatis illud offerre non licet: & quomodo pro Beatis offerri valeat?*

145 *Resolvitur Casus I. de quodam D. Parocho, qui passus deliquium sub ipsum SS. Missæ sacrificium graviter infirmari cœpit.*

146 *Si post peractam jam consecrationem dubitetur, an ob hujusmodi debilitatem prosequi valeat sacrificium, conari debet modo humanitùs possibili ad illud complendum.*

147 *Si verò Sacerdos infirmetur ante consecrationem, Missa intermittitur.*

148 *Resolvitur Casus II. cujusdam Sacerdotis,*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Ministro sacrificante &c.

Quæres primò, quid sit sacrificium in communi, seu in genere?

132 R. Sacrificium est oblatio externa legitimè instituta, qua res aliqua sensibilis immutatur per Ministrum legitimum in protestationem supremi Dei dominii. Ita cum *communissima* DD. Sporer *Theol. Sacram. part. 2. c. 2. num. 43.* Explico brevissimè. Dicitur 1. Oblatio externa legitimè instituta; quia, cùm sit signum publicum, quo tota communitas vult demonstrare cultum Deo debitum, hinc debet esse legitimè instituta: & quia hunc cultum nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus demonstrare intendit; hinc 2. res illa quæ offertur, debet esse sensibilis, & quidem 3. cum immutatione hostiæ; quia per sacrificium contestamur, Deum habere supremum dominium in vitam & mortem, sic, ut pro libitu possit omnia immutare, quemadmodum Sacerdos hostiam immutat. Dicitur 4. per Ministrum legitimum; nam sicut quælibet actio naturalis exigit suam proportionatam causam; ita & actio moralis, qualis est sacrificatio, quæ, hoc ipso, quòd nomine totius communitatis fiat, convenienter fieri nequit, nisi per Ministrum legitimum, seu publicè ad hoc institutum ac deputatum. Additur tandem 5. in protestationem supremi dominii Dei; quia si talis oblatio fieret ex alio fine & motivo formali, deficeret finis intrinsecus, & ratio specifica sacrificii. Unde etiam evidenter liquet, sacrificium esse actum religionis, & quidem supremum, scilicet cultus latriæ, qui est soli Deo debitus, ut alibi docetur.

Quæres secundò, quid sit Missa?

133 R. Missa est verum, & unicum novæ Legis sacrificium, quo à Sacerdote ritè ordinato Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sub speciebus panis & vini ex ejus institutione certo ritu pro salute vivorum & mortuorum Deo offertur, immolatur, & su-

& sumitur. Ita rursus cum *communissima* DD. Sporer *cit. num.* 62. Ratio autem & intellectus hujus descriptionis facilè colligetur ex proximè dictis, & amplius patebit ex dicendis hac conferentia.

Dices: ergonè in Missa fit verum sacrificium?

134 R. Fit verissimum. Unde Concilium Trident. *sess.* 22. *can.* 1. definit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri verum, & proprium sacrificium, aut, quòd offerri non sit aliud, quàm, Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.* Ratio etiam est: quia in Missa fit oblatio externa rei sensibilis, per ministrum legitimum, in contestationem supremi dominii Deo competentis supra omnes creaturas: ergo fit verissimum sacrificium. Verùm contra

Dices. In omni sacrificio vero debet fieri vera immutatio hostiæ, & quidem sensibilis: At, non apparet, quo modo in Missa fiat vera & sensibilis immutatio hostiæ: ergo &c.

135 R. Neg. min. Nam in sacrificio Missæ dici potest, fieri destructionem triplicem hostiæ, scilicet 1. mysticam. 2. moralem, & 3. suo modo realem. 1. Mystica contingit: quia vi consecrationis, vel potiùs vi verborum per se sub speciebus panis ponitur solùm corpus, quasi sequestratum à sanguine, & sub speciebus vini vi verborum per se solùm ponitur sanguis, quasi à corpore sequestratus, (etsi propter conjunctionem, quam de facto habet sanguis cum corpore, quasi concomitanter & per accidens sub speciebus panis contineatur sanguis, & sub speciebus vini Corpus Christi) separato autem totaliter sanguine à corpore, necessum est sequi mortem naturaliter, seu destrui hominem: ergo hoc modo mysticè significatur destructio Christi, qui est hostia &c: 2. item moralis destructio hostiæ ibi fit: quia Christus Dominus vi consecrationis ponitur modo quasi mortuo quoad esse usuale, & in statu omnino inepto ad operationes, & functiones naturales vitæ humanæ, ita, ut non sit positus ad alium usum, quàm ad cibari & potari. 3. denique suo suo modo realis immutatio hostiæ ibi fit, quantum ad esse sacramentale, quatenus vi consecrationis accipit novum esse sacramentale, vi cujus ponitur in proximo statu, & via destructionis, quia scilicet destructis speciebus mox & ipse Christus destruetur, ita quidem, ut si per impossibile non haberet aliud esse, præter illud sacramentale, destructis speciebus illis omnino destrueretur & ipse Christus quoad esse simpliciter, ut non ampliùs existeret: hoc autem sufficit ad rationem sacrificii: sicut in veteri Testamento ad verum Sacrificium sufficiebat substantiam thuris, aliorumvè thymiamatum poni in proximo statu corruptionis, ut inde fumus odoriferus consurgeret.

Dices iterum. Juxta superiùs mox dicta Sacrificium Missæ debet deferri in protestationem supremi dominii, quod Deus habet in nos: atqui sæpe sæpiùs non fit in hunc, sed in alios fines, v. g. ad impetrandam sanitatem &c. item sæpe offerri solet in honorem B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quem in finem ab Ecclesia speciales Missæ votivæ sunt præscriptæ in Missali: ergo &c.

136 R. Neg. iterum min. Esto enim Sacrificium Missæ etiam ex mente Ecclesiæ sæpesæpius offeratur in honorem Sanctorum &c. vel ad impetrandam sanitatem, aliavè beneficia &c. non tamen offertur propterea ipsis sanctis, sed Deo, veluti perspicuè, docet Concilium Tridentinum. *Sess.* 22. *cap.* 3. *bisce verbis: quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed soli Deo, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Plura argumenta Hæreticorum soluta videri possunt apud nostrum Herincx *disp.* 8. *num.* 22. *& seqq.* Babenstuber *tract.* 8. *pag.* 4. *disp.* 1. *art.* 5. la Croix, Henno, & alios passim.

Quæres tertiò, quotuplex sit Sacrificium?

137 R. Sacrificium secundùm diversos respectus dici potest unum & multiplex; nam

nam 1. unum est ratione rei oblatæ. 2. ratione modi quo offertur, est duplex. 3. ratione finis in quem offertur, est quadruplex, & 4. similiter quadruplex dici potest ratione effectus. Explico singula breviter 1. Unum est ratione rei oblatæ; quia res oblata est ipse Christus, qui est ubique unus & idem. 2. duplex est ratione modi quo offertur; nam in Cruce Christus fuit oblatus modo cruento, cum reali effusione sanguinis &c. in Sacrificio autem Missæ defacto offertur modò incruento. 3. quadruplex est ratione finis in quem offertur; vel enim offertur ad Deum colendum & contestandum summum Ejusdem in nos dominium, & tunc appellatur *latreuticum*; vel offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & dicitur *Eucharisticum*; vel offertur in satisfactionem pro peccatis, diciturque *satisfactorium*; vel denique offertur pro impetrandis novis beneficiis & gratiis, & appellatur *impetratorium*. 4. Rursus quadruplex est ratione fructus, seu effectus; etenim 1. conducit suo modo ad impetrandam remissionem peccatorum mortalium, in quantùm virtute ejus Deus movetur ad deponendam justam suam indignationem, vi cujus nobis poterat negare auxilia gratiæ in ordine ad resipiscendum, & redeundum in gratiam efficacia: & propterea appellatur *Propitiatorium*. 2. Conducit ad delenda peccata venialia, & dicitur *Expiatorium*. 3. Remittit etiam pœnas pro peccatis jam dimissis debitas tum in hac, tum in altera vita luendas, idque ex opere operato; quam ob causam vocatur *satisfactorium*, 4. Tandem vi hujus impetramus nova beneficia à Deo, ad animæ salutem conducentia, unde etiam dicitur *Impetratorium*. Ita communissimè DD. Sporer *l. cit. n.* 72. & 73. Reinffestuel *dist.* 5. *n.*42. & *seqq.* Idipsum satis clarè colligitur ex Concilio Trident. *sess.* 22. *Can.* 3. ubi difinit sic: *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Quæres quartò, in quanam actione sacrificium Missæ essentialiter consistat an scilicet in oblatione, vel in consecratione, vel demum in sumptione?

138 R. Probabiliùs essentialiter consistit in sola consecratione, etsi 2. sumptio dici possit ac debeat pars integralis. Ita hodie *communiter DD.* Sporer, Reinffest. Henno, Herincx *disp.* 8. *nu.* 42. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *nu.* 13. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 4. *d.* 2. *a.* 2. *n.* 2. & 7. Ratio prioris est: quia sacrificium conficitur in persona Christi, ceu principalis offerentis, uti statim videbitur: atqui consecratio, eaque sola in persona Christi conficitur à Sacerdote, veluti patebit perpendenti verba ac modum consecrandi: ergo probabiliùs in sola consecratione consistit essentia sacrificii: unde etiam Sacerdotium per se primò respicit, & confertur in ordine ad consecrationem. Ratio autem posterioris est: quia sacrificium Missæ est simul convivium spirituale: atqui ad consumandum convivium pertinet sumptio ciborum &c. qua ratione *Cap. Relatum de Consecr. dist.* 2. dicitur: *quale erit illud sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse noscitur?*

Dices: ergonè consecratio utriusque speciei est de essentia sacrificii Missæ?

139 R. Est de essentia sacrificii completi. Ratio est: quia Christus Dominus voluit, in sacrificio Missæ offerri Corpus & Sanguinem suum, & quidem sub distinctis speciebus, panis scilicet & vini, veluti docet Concilium Trid. *sess.* 22. *c.* 1. ergo de essentia sacrificii completi est consecratio utriusque speciei; tametsi videatur, haudquaquam negari posse, etiam in consecratione unius duntaxat speciei v. g. panis salvari & reperiri essentiam sacrificii saltem incompleti; quandoquidem vi hujus solius consecrationis fiat vera oblatio rei externæ sensibilis, & quidem à legitimo Ministro, in contestationem supremi in nos dominii: ergo salvatur vera ratio sacrificii, etsi adhuc incompleti & non totalis. Ita *communissimè SS.* Mastrius, Sporer, Reinffest. Henno, Herincx *dist.* 8. *num.* 45.

Quæres quintò, quinam sint offerentes respectu hujus sacrificii?

140 R. 1. Principalis offerens est Christus.

ſtus. 2. minùs principalis, etſi adhuc propriè & per ſe offerens, eſt Sacerdos legitimè ordinatus 3. denique minùs principaliter & impropriè offerentes dici poſſunt etiam reliqui fideles, præſertim ſacrificio aſſiſtentes. Ita *communiſſimè* omnes Catholici. Ratio primi deſumitur ex Concilio Florent. ac Trid. quod *ſeſſ. 22. c. 2.* ait: *Una eſt, eademque hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa &c.* Quod quidem vel ex ipſo modo conſecrandi haud obſcurè colligere licèt, quando ſacerdos non in propria, ſed in perſona Chriſti loquens ait: *Hoc eſt corpus meum &c.* Quare multi DD. nominatim La Croix *cit. l. 6. p. 2. nu. 17.* Babenſtuber *tr. 8. p. 4. d. 3. a. 1. n. 5.* exiſtimant, Chriſtum etiam immediatè & propriè per actum quendam elicitum offerre ſingula ſacrificia, dum fiunt actu à ſacerdotibus. Ratio ſecundi colligitur ex eo: quia ſacerdos eſt publicus Miniſter Eccleſiæ, ad hoc miniſterium conficiendum ſpecialiter conſecratus, juxta illud Chriſti Domini apud S. Lucam 22. *cap. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem &c.* Idipſum liquet ex forma ordinationis, in qua Epiſcopus Neo-Myſtæ dicit. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, Miſſaſquè celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini &c.* Ratio autem tertii inde colligi poteſt: nam ante conſecrationem poſt *Memento* dicit ſacerdos: *Et omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* Et rurſus poſt conſecrationem idem ſacerdos ait, *hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ &c.* Fatendum tamen eſt, quòd fideles non, niſi impropriè & mediatè offerant, vel quia curant aut petunt, illud pro ſe offerri, vel quia ad ejuſdem oblationem alio modo concurrunt, utpota vel miniſtrando, vel eidem aſſiſtendo, vel ſaltem affectu ſeſe conjungendo ſacerdoti offerenti, ceu miniſtro per ſe ordinato ad hoc miniſterium, uti explicat Reinffeſtuel *Theol. moral. tract. 14. diſt. 5. num. 32.* Herincx ubi ſuprà *diſtinct. 8. num. 50.*

Quæres tandem ſextò, pro quibus hoc ſacrificium offerri valeat?

141 R. Sacrificium Miſſæ per ſe loquendo, & niſi aliud obſtet, poteſt offerri tam pro vivis, quàm etiam pro defunctis. Ita rurſus omnes Catholici. Ratio patet ex ipſis verbis in ordinatione ſacerdotis ab Epiſcopo prolatis, & mox relatis, quibus clarè conceditur poteſtas offerendi ſacrificium tam pro vivis, quàm pro defunctis. Accedit ratio: nam per alia ſuffragia juvare poſſumus tum vivos, tum etiam defunctos: ergo vel maximè idemmet poterimus per illud Deo tam acceptabile ſarificium Miſſæ.

142 Dixi tamen: *Per ſe loquendo, & niſi aliud obſtet &c.* Nam reſpectu vivorum obſtare poteſt. 1. Excommunicatio, & 2. infidelitas, ſeu defectus baptiſmi: etenim pro exeommunicatis non toleratis (de toleratis patebit ex proximè dicendis in caſu tertio:) ſacrificium Miſſæ haudquam licitè offerretur. Ratio eſt: quia hoc nedum in perſona Chriſti, ſed etiam nomine Eccleſiæ offertur: Atqui Eccleſia prohibet, ne ſuo nomine & publico miniſterio Eccleſiæ oretur pro excommunicatis, ſaltem non toleratis, aut pro iiſdem ſacrificium Miſſæ offeratur; uti habetur *cap. à nobis. 28. & cap. Sacris. 38. de ſent. excomm.* ergo &c. Similiter infideles nondum baptizati non ſunt membra Chriſti: Atqui ſacrificium Miſſæ non poteſt directè applicari niſi pro membris Chriſti; quia, ut inquit D. Auguſtinus *lib. 1. de anima & ejus orig. c. 9. quis offerat corpus Chriſti, niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti?* Idem confirmat uſus & praxis S. Matris Eccleſiæ, quæ, quantumvis velut pia Mater, omnium etiam paganorum converſionem & ſalutem ſummopere affectet, nullam tamen pro ipſis Miſſam ordinavit, neque preces aliquas pro iiſdem inſtituit niſi in ſola die Paraſceves, quapropter ſpeciale myſterium, & ad imitandum Chriſti ſponſi ſui exemplum; qui in cruce pro ſuis etiam inimicis oravit, ſimiliter pro Hæreticis, Schiſmaticis, Judæis atque paganis precatur.

143 Dictum etiam fuit: *Directè applicari nequit* &c. Nullibi enim prohibetur ſacerdos in ſua Miſſa privata ſub *Memento* pro excommunicatis etiam non toleratis, itemque pro Paganis & aliis infide-

li-

illos orare, quatenus Deus ipsis velit elargiri veræ fidei lumen. Quin immò, hoc ipso, quòd Ecclesia sancta velit sacrificium Deo offerri pro sua exaltatione, & veræ fidei dilatatione, item pro tollendo Schismate, vel etiam pro extirpatione hæresum, censetur velle, ut offeratur saltem indirectè pro paganis &c. quippe quorum conversione veræ fidei dilatatio solùm obtineri valet.

144 Porro, quod attinet defunctos, respectu horum obstare potest vel beatitudo jamjam adepta ab ipsis, vel damnatio jamjam incursa. Ratio est: quia damnatorum redemptio jam est penitus desperata, & hoc ipso etiam, quòd damnati sint, sunt & manent perpetuo exclusi ab Ecclesiæ suffragiis: ergo inutiliter sacrificium Missæ offerretur pro ipsis. Beati autem, hoc ipso, quòd tales sint, orationibus nostris non ampliùs egent: qua ratione *cap. cùm Marthæ. §. tertio loco. de Celebrat. Miss.* dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: ergo nec pro his sacrificium Missæ debet offerri; esto laudabilissimè offeratur Deo in honorem Sanctorum, tum pro gratiis ac beneficiis ipsis à Deo collatis, tum etiam pro illis, quæ Deus pro sua infinita clementia per Sanctorum suorum merita & intercessionem nobis contulit &c. Reinffestuel. *citat. dist. 5. art. nu. 61.* Herincx, Sporer ubi suprà *cit. 4. num. 272.* & alii DD. *communiter*.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de sacrificio Missæ offerendo &c.

CASUS PRIMUS.

Titius Parochus plenus dierum & meritorum sub SS. Missæ sacrificium post peractam jam utriusque speciei consecrationem passus erat deliquium: concurrere propterea adstantes, & inter illos etiam D. Cooperator, qui certos quosdam liquores spirituosos partim ori ipsius infundendo, partim etiam exteriùs capiti & temporibus illiniendo, tandem bonum illum seniculum restaurarunt, & quasi resuscitarunt ad vitam: at verò viribus vixdum recuperatis utcunque, illicò cœptum est dubitare, an Dominus Parochus, etsi non ampliùs jejunus naturaliter, an verò potiùs Cooperator, utpote jejunus adhuc, deberet prosequi sacrificium. Quid huic dubio respondendum?

145 R. Tenebatur ipse Dominus Parochus prosequi suum sacrificium. Ratio est: quia quisquis hoc tremendum sacrificium incipit (præsertim ubi jam ultra consecrationem pervenit) tenetur illud complere, & quidem ex præcepto divino: unde non obstat, quòd supponatur non ampliùs esse jejunus; quia hoc præceptum de jejunio naturali servando à celebrante vel communicante, duntaxat humanum est; Atqui præceptum humanum debet cedere divino, ceu fortiori, casu quo utrumque servari impossibile est, veluti evenit in hoc casu: ergo &c. Gobat *Theol. exper. tract. 3. num 806.* Clericatus *de sacrificio Missæ. decisione. 33. num. 40.*

Dices. Quid si autem sacerdos celebrans ita infirmetur, ut meritò dubitetur, an reliquum sacrificii complere valeat, vel non?

146 R. Adhuc tentandum & conandum est ad complementum sacrificii. Et ratio est: quia cùm hoc præceptum divinum sit de re gravissimi momenti, tam facilè præteriri non debet: & certè negotia humana gravioris momenti homines communiter non tam facilè relinquunt incompleta, ut non omni conatu moraliter possibili nitantur ea complere & in effectum deducere: ergo similiter, & quidem à fortiori, sacerdos conari debet omni modo moraliter possibili, ad divinissimum hoc mysterium complendum. Secus dicendum foret, casu quo sacerdos inopinato infirmatus, sine gravissimo salutis dispendio, vel periculo gravioris infirmitatis, non ampliùs posset illud prosequi: vel etiam, si non posset, illud prosequi nisi post notabilem temporis lapsum, utputa primùm post prandium, vel altera, aut tertia primùm die; quia interveniente tanto temporis tractu non ampliùs censeretur compleri idem moraliter sacrificium cum

priori. Quam ob rem in tali casu deberet alius sacerdos, etiam non jejunus, complere sarificium veluti expresse præscribit Missale *in Rubricis. tit. de defectibus, in celebrat. Miss.* §. 10. *num.* 4. Ubi etiam præcipitur, ut, si talis sacerdos infirmatus adhuc communicari valeat, eidem ab alio sacerdote supplente defectum, vel alia hostia minor, vel, ubi talis deficit, pars aliqua de hostia majori consecrata administretur. Videantur de hoc Rubricæ allegatæ, quas in gratiam tyronum Missalibus destitutorum inferius *n.* 287. in terminis formalibus referemus.

Dices adhuc: At, quid agendum, si contingat, sacerdotem graviter infirmari jam ante consecrationem, vel etiam post consecrationem corporis, nondum inchoata, vel, inchoata quidem, sed nondum completa substantialiter forma calicis?

147 R. Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen incidat, aut omnino moriatur, prætermittitur Missa: idemque faciendum, si post semiprolatam formam corporis obeat; quia cùm consecratio nondum sit facta, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. At verò, si consecrata jam una specie corporis scilicet, primùm infirmetur, aut moriatur ante consecrationem alterius speciei forma calicis vel omnino non, vel semiplenè tantùm prolata, tunc alius, etiam non jejunus debet Missam prosequi, & super eundem calicem repetere integram formam. Vide Rubricas *l. cit. in fine.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sacerdos dum sumit calicem, videtur sibi bibere aquam: quærit proin ex ministro, an non erraverit in porrigendo debito urceolo? aspicit hic urceolum, negatque, se errasse. At Sempronius rursus admovens ori calicem, judicat, non esse in eo vinum, sed frigidam; idcircò mandat ministro, ut ex urceolo fundat aliquid in volam manus, exploretque quid in eo contineatur; quo facto deprehendit, non esse, nisi meram aquam. Quid jam aget Sempronius?

148 R. Practicè procedat in hunc modum. 1. Si id, quod ore jamjam exceperat, nondum deglutivit, deglutiat: inconveniens quippe foret illud denuo revomere, præsertim si jamjam hauserat particulam consecratam hostiæ (de qua oportet sacerdotem esse vel maximè sollicitum & circumspectum in hoc casu) Neque obstat, quòd hoc modo fracturus sit jejunium naturale, quandoquidem in istis circumstantiis servatu moraliter impossibile sit. 2. At verò si particula consecrata hostiæ adhuc innatet aquæ, tunc effundat aquam in pelvim tersam, aut aliud vasculum mundum, si quod habeat ad manus (retenta tamen particula hostiæ consecratæ in calice, aut inde extracta, & mox reverenter sumpta) aquam verò ita effusam vel sumat post ablutionem, vel postea mittat in piscinam. 3. Quod si pauxillum aquæ duntaxat in calice remansisset, sive cum, sive etiam sine particula hostiæ consecratæ, huic superinfundat vinum, illudque sine formatione crucis aut aliarum Ceremoniarum, præmissa tamen oblatione saltem mentali, (quæ fieri solet per illa verba: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris &c.*) proferat verba consecrationis super eundem calicem, incipiendo ab illis verbis; *Simili modo &c.* veluti præscribunt Rubricæ, omissaque elevatione, ac cæteris omnibus, ebibat, id quod consecravit. Scotus 4. *dist.* 8. *quæst.* 3. Gavant. *pag.* 3. *tit.* 4. *num.* 9. Laym. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. Gobat. *tract.* 3. *num.* 769. la Croix. *lib.* 6. *pag.* 2. *num.* 544.

At, nunquid necessum erit, ut etiam consecret novam hostiam?

149 R. Necessarium existimat S. Thomas: multi tamen insignes DD. & viri timorati (ait Gobat *num.* 771.) sequuntur opinionem Scoti, absolutè negantis, esse repetendam consecrationem alterius hostiæ; quippe per quam non videtur compleri illud prius sacrificium, sed potiùs inchoari novum. Verùm in praxi standum & insistendum est Rubricis, quæ *de defect. Miss. tit.* 4. *num.* 5. præscribunt, ut, siquidem sine scandalo fieri possit, consecretur etiam nova hostia, si verò Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsunt, sufficit consecrare solum-

ni-

vinum modo jam prædicto. Vide etiam la Croix *cit. num.* 545.

Dices: At quid, si Sempronius noster primùm in sacristia indagando, deprehendisset, se loco vini aquam consecrasse?

150 R. Si supponatur in sacristia constructum altare ceu locus competens consecrationi, adhucdum supplendus foret defectus; quia juxta *communem DD.* apud Tannerum *q.* 10. *nu.* 110. quando defectus substantiales corrigi possunt tempore moraliter contiguo, debent necessariò corrigi: at, tempus, quo Sacerdos ab altari revertitur ad sacristiam, censetur moraliter continuum cum sacrificio, simulque supponitur in sacristia haberi locus competens: ergo probabiliùs debet hìc defectus suppleri, modò id fieri possit absque scandalo. Equidem haud ignoro, Suarezium, Conink, Tambur. *l.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 5. Gobat *cit. n.* 773. aliosque, non paucos negare, quòd talis defectus in sacristia adhuc sit supplendus, eò quòd talis actio videatur omnino distincta à priori; nihilominus censeo, priorem opinionem Rubricis, mentique Ecclesiæ esse magis conformem, ideoque & in praxi sequendam, modò supponatur abesse scandalùm, & in sacristia dari locum competentem consecrationi.

Dices adhuc. At quid, si Sacerdos jam in ipso altari omnibus pensatis maneat dubius, sitnè materia quam consecravit, vinum, vel potiùs aqua, tenebiturnè in tali dubio aliud vinum consecrare, vel non?

151 R. Si prudenter dubitet, ita ut omnibus tentatis & pensatis non possit dubium vincere, probabiliùs tenetur consecrare aliud vinum certum, modò hoc fieri queat sine scandalo. Ita cum Aversa, & Pasqual. *q.* 301. la Croix. *l.* 6. *p.* 2. *n.* 535. Contra Tambur. Gobat, & alios nonnullos. Ratio est: quia aliàs Sacerdos sese exponet certo periculo relinquendi sacrificium mutilum & mancum: at, hoc nunquam est faciendum, ubi certa integritas de facili procurari potest: ergo. Et certè major irreverentia videtur irrogari Sacramento ex eo, quòd relinquatur mutilum, aut certo periculo mutilationis expositum, quàm ex eo, quòd eadem species sanguinis bis consecretur.

CASUS TERTIUS.

Caja fœmina Lutherana rem quandam non minus sibi charam, quàm pretiosam perdidit: & quia audierat, S. Antonium Paduanum rerum deperditarum singularem Patronum haberi, & coli à Catholicis; hinc volens fortunæ suæ tentare aleam, postulavit ab aliquo Sacerdote Catholico, ut in honorem ejusdem Sancti Antonii celebraret Missam, pro recuperanda re deperdita. Quæritur proin, an Sacerdos tuta conscientia id facere, & pro sacro oblatum sibi stipendium à Caja Lutherana acceptare potuerit?

152 R. Potuit utrumque tuta conscientia saltem in hisce partibus nostris, ubi Lutherani sunt tolerati. Ita Navarrus, Dicastillo, Sanchez, Lugo *disp.* 19. *n.* 187. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 34. Ratio est: quia in Extravag. Concilii Constant. *Ad evitanda*. Martinus V. concessit fidelibus potestatem communicandi etiam in sacris & divinis cum excommunicatis toleratis: atqui Lutherani, esto sint excommunicati, sunt tamen tolerati in hisce partibus nostris septentrionalibus, qua ratione etiam licitè admittuntur ad Missam publicam, ad funeralia, & alia officia divina: ergo non est, cur Sacerdos Catholicus deberet recusare stipendium, vel non satisfacere tam piæ intentioni fœminæ Lutheranæ.

Dices tamen: illa facultas communicandi cum excommunicatis ab Ecclesia solùm permittitur ob bonum fidelium, scilicet ad evitanda scandala, & alios animarum remorsus, minimè verò in bonum, aut favorem Lutheranorum, aliorumque excommunicatorum: atqui talis communicatio per applicationem sacrificii in ordine ad recuperandam rem deperditam, præcisè fieret in favorem Cajæ Lutheranæ: ergo illicitè.

153 R. Neg. min. Etenim per tale sacrificium honoratur Deus, colitur Sanctus, fides Catholica magnificatur, Sacerdos fructum specialissimum participat, simulque congruum stipendium promeretur: ergo hæc communicatio non fit præcisè in favorem & relevationem personæ excommunicatæ. Et licèt ipsis Excommunicatis etiam toleratis pro-

prohibitum sit communicare cum fidelibus, propterea que nec deberent petere Missam, aut communia suffragia Ecclesiæ; supposito tamen quòd petant, Sacerdos licitè ipsis condescendit, & acceptat congruum stipendium; quia huic licitum est cum ipsis communicare. La Croix *l. c.* Razenberger *de Censuris cap. 3. nu.* 73. Kresslinger *in addit. ad tr. 14. dist. 5. post num. 65. theol. moral. P. Reinffest.*

At verò, inquies, veniunt subinde Rustici & alii simpliciores è fidelibus, petentes sacrum fieri pro suis pecoribus, v. g. vaccis, Equis, Ovibus &c. an ad talem intentionem licitè applicatur & offertur?

154 R. Ne dubites illud offerre Deo ad hanc intentionem; Etenim licèt sacrificium sit per se institutum ad colendum Deum, simul tamen est impetratorium (& quidem immediatè ex opere operato) plurium bonorum, nedum, spiritualium, sed etiam, saltem secundariò, temporalium, veluti expressè definit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* ubi ait: *quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Et ratio ultimata hæc est: quia similia beneficia impetrari possunt per orationem: atqui sacrificium est præstantissimum genus orationis, quippe habens suam efficaciam ex meritis Christi, qui simul est principalis offerens, & res oblata: ergo &c. Idipsum confirmatur ex quotidiano usu & praxi Ecclesiæ, quæ pro pluribus fidelium necessitatibus singulares Missas ordinavit, utputa pro impetranda serenitate aeris, vel pro pluvia &c. item pro felici fine, pro infirmo &c. &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

155 Colliges ex hactenus dictis primò quæ sit differentia inter Sacramentum & sacrificium; nam Sacramentum per se primò ordinatur ad hominem sanctificandum mediante gratia, quam per se loquendo confert immediatè: econtra sacrificium per se primò ordinatur ad Deum colendum, & ad contestandum ipsius supremum in nos dominium. Quare sacrificium qua tale non causat gratiam sanctificantem, neque augmentum gratiæ immediatè confert; quia hæc non acquiritur, nisi vel per proprium meritum, vel per dignam susceptionem Sacramenti. Rursus 2. differunt in eo, quòd sacramenti essentia salvetur perfectè etiam in consecratione unius duntaxat speciei v. g. panis: è contra essentia sacrificii, saltem completi, non salvatur, nisi in consecratione utriusque speciei, veluti constat ex dictis *n.* 139. Vid. Reiffenst. *cit. n.* 44. vel la Croix *l. 6. n.* 63.

156 Colliges secundò, in sacrificio Missæ tria esse distinguenda, scilicet 1. ratio Sacramenti. 2. ratio Sacrificii, & 3. ratio Missæ. Ratio Sacramenti consistit in eo, quòd Eucharistia sit signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi realiter contenti sub speciebus consecratis. Ratio Sacrificii in eo sita est, quòd Christus in Missa modo incruento immoletur, Patrique suo Cœlesti offeratur. 3. Ratio tandem Missæ complectitur tum confectionem Eucharistiæ, seu consecrationem, tum reliqua omnia, sive antecedentia, sive consequentia; ac proinde consistit in collectione eorum omnium, quæ à principio ipsius, usque ad finem peraguntur, etsi alia (substantialia scilicet) à Christo; alia verò accidentalia (utputa certæ ceremoniæ, orationes & collectæ &c.) ab Ecclesia sint instituta. Vid. Reinffestuel. proximè *cit. n.* 16.

157 Colliges tertiò, reliquas actiones, excepta consecratione, non esse essentiales, tametsi plures concurrere debeant ad integritatem Missæ, scilicet 1. oblatio panis & vini, quæ fit sub offertorio. 2. oblatio Corporis Christi post consecrationem, quando Sacerdos dicit: *unde & memores Domine* &c. 3. Fractio specierum, earumque mixtio in calice. 4. sumptio, & 5. non raro etiam distributio respectu aliorum sacro interessentium. Ratio autem facilè colligitur ex dictis *num.* 138. quia scilicet omnes actiones mox enumeratæ non sunt immutativæ hostiæ, sed sola consecratio. Unde Christus D. etsi confecerit sacrificium in ultima Cœna, non tamen usus fuit omnibus illis actionibus, sicut nec legitur elevasse

vasse Corpus & Sanguinem consecratum; uti nos defacto assuevimus facere in sacrificio. Fatendum tamen est, Sacerdotem graviter peccaturum, qui hujuscemodi actiones sine causa gravi omitteret; quia cùm ab Ecclesia sint præscriptæ, tum ad repræsentanda mysteria dominicæ passionis, tum etiam ad sacrificium debita cum reverentia celebrandum, hinc sine gravi irreverentia omitti non possunt, saltem per se loquendo. Vide Henno *disp.* 11. *q.* 3. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 12. *& seqq.*

158 Colliges quartò, hostiam principalem hujus sacrificii esse Corpus, & Sanguinem Christi, seu ipsum Christum, ut existentem sub speciebus panis & vini vi consecrationis. Ita Concilium Trident. *ss.* 22. *can.* 2. ubi definit, Christum per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem* &c. instituisse Apostolos Sacerdotes, & ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent *Corpus & Sanguinem suum*; oppositumque asserentes anathemate ferit. Et ratio est clara: quia defacto idem offerimus in sacrificio, etsi modo incruento, quod Christus Dominus obtulit pro nobis in cruce: at, in cruce obtulit semetipsum Patri: ergo idemmet dici debet hostia nostri sacrificii, non quidem secundùm se præcisè spectatus, (sic enim defacto non esset sensibilis hostia) sed ut positus sub speciebus vi consecrationis.

159 Dixi: *hostia principalis* &c. fatendum quippe est, etiam substantiam panis ac vini, utpote destruendam vi consecrationis, esse hostiam minùs principalem. Ratio est: quia etiam ipsa substantia panis & vini immutantur reali destructione, facta à legitimo ministro, in honorem Dei, & protestationem supremi ejus dominii, etsi non tam eorum destructione intendamus honorare Deum, quàm novæ, & sanctioris hostiæ productione: ergo rectè dici possunt res oblata per modum hostiæ saltem minùs principalis in eodem sacrificio.

160 Colliges quintò, per se loquendo semper esse illicitum, & graviter peccaminosum, unam duntaxat speciem consecrare, utputa solum panem, aut solum vinum. Ratio est, quia præceptum divinum est saltem virtualiter negativum, ut scilicet nunquam fiat sacrificium in una specie tantùm, ait Suarez in 3. *p. tom.* 3. *disp.* 43. *sect.* 4. *&* Reginaldus *l.* 29. *n.* 15. Unde nunquam liceret, nequidem ad communicandum moribundum unam solam speciem, panis scilicet, consecrare; etsi subinde possit contingere, ut una tantùm consecretur sine peccato, utputa in casu, quo inchoato jam sacrificio, & consecrata una specie, primùm advertitur defectus, quòd scilicet altera ob defectum materiæ consecrari non valeat, veluti ex hactenus dictis facilè colligetur. Vide etiam Clericatum *de Sacrificio Missæ decis.* 32. *n.* 30. *& seqq.*

161 Colliges sextò, sacrificium offerri posse pro quibusvis fidelibus non excommunicatis, utputa 1. pro infantibus. 2. pro Energumenis. 3. item pro existentibus in peccato mortali &c. Et licèt peccatori non prosit quoad effectum satisfactorium, potest tamen eidem etiam prodesse, quatenus est propitiatorium, seu quatenus habet virtutem movendi Deum ad deponendam justissimam iram suam, & ad dandam gratiam reconciliationis. Item potest sacrificium peccatori prodesse, quatenus est impetratorium diversorum beneficiorum, & gratiarum actualium, in ordine ad veram pœnitentiam agendam, & ad resipiscendum efficaciter. Ita communiter DD. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 4. *d.* 3. *a.* 2. *n.* 6. Reinffestuel *ubi suprà dist.* 5. *n.* 63.

162 Colliges septimò, graviter peccaturum sacerdotem, qui aliquem fidelium à fructu generali sui sacrificii vellet excludere. Ratio est: quia licet ex præcepto charitatis non teneamur pro singulis orare, eos tamen à communibus orationibus licitè non possumus excludere vel sine scandalo gravi, si publicè fiat, vel saltem sine odio formali aut virtuali, etsi privatè tantùm fieret. Adde, quòd talis sacerdos ageret contra institutionem, & intentionem Ecclesiæ, cujus est Minister, & Legatus, uti notat S. Thomas 2.2. *q.* 25. *a.* 8. *ad* 9. quem refert, & sequitur Babenstuber mox *cit. n.* 4.

163 Colliges tandem octavò, etiam illum graviter peccaturum qui offerret sacrificium Missæ pro aliquo damnato. Ratio est: quia talis excederet terminos sui officii, age-

ageretque nedum contra institutionem Christi, sed etiam contra gravem prohibitionem Ecclesiæ *c. pro obeuntibus* 13. *q.* 2. Idemque censent Dicastillo & la Croix *cit. n.*37. si offeratur pro infante defuncto sine baptismata, quippe qui nec est, nec ampliùs esse potest membrum Christi. Rectè tamen Reiffenstuel *tr.* 14. *dist.* 5. *n.*61. advertit, hoc esse intelligendum de casu, quo moraliter evidens est, aliquem decessisse in peccato mortali, utputa dum quis se ipsum ex desperatione suspendit, præcipitavit ab alto, vel alio modo occidit. *arg. c. placuit.* 23. *q.* 5. Nam secus est dicendum, si de hoc sit dubium; quia tunc oportet meliora de proximo sperare.

CONFERENTIA

DECIMASEPTIMA.

De Valore Sacrificii, ejusdemque fructibus, & applicatione.

SUMMARIUM.

164 *Valor Sacrificii quid sit, & quid fructus illius.*

165 *Fructus sacrificii tripliciter dividuntur, & quidem* 1. *ex parte causalitatis in fructum* ex opere operato, & ex opere operantis.

166 *Ex parte rei dividitur in* meritorium, satisfactorium, & impetratorium, *qui sub se etiam comprehendit* propitiatorium, & expiatorium.

167 *Ex parte participantium dividitur* in generalem, specialem, & specialissimum.

168 *Valor sacrificii est infinitus extensivè, saltem in actu primo; & quoad sufficientiam, etsi in actu secundo mode finito tantùm nobis applicetur.*

169 *Sacrificium Missæ ex opere operato est propitiatorium, sed mediatè duntaxat; vi cujus.*

170 *Auxilia gratiæ in ordine ad pœnitendum & resurgendum probabiliùs conferuntur infallibiliter.*

171 *Et insuper ex opere operato satisfactorium, tam pro vivis, quàm pro defunctis.*

172 *Sacrificium Missæ porro est ex opere operato impetratorium diversorum bonorum &c.*

173 *Quænam in hunc finem dispositio sit necessaria ex parte participantium.*

174 *Ex parte sacrificantis necessaria est intentio applicandi fructum ministerialem illi, pro quo sacrificat.*

175 *Sufficit tamen intentio habitualis;*

176 *Immo ad hoc ut fructus generalis Ecclesiæ, & specialissimus sacerdoti, vel etiam specialis assistentibus adveniat, nulla applicatione speciali opus est.*

177 *Intentio applicandi fructum ministerialem à sacerdote fieri debet ante sacrificium, vel saltem ante consecrationem.*

178 *Resolvitur Casus I. de quodam Religioso, qui in Altari S. Antonii Missam celebravit* ad intentionem sui Superioris, *ignorans, quòd interea idem Superior suam intentionem mutaverit.*

179 *Et quid, si idem Religiosus celebrando voluisset legere* ad intentionem illam, ad quam à suo Superiore hìc & nunc, durante scilicet sacrificio *positus erat?*

180 *Religiosus subditus contra voluntatem sui Superioris validè applicat sacrificium, etsi illicitè.*

181 *Resolvitur Casus II. cujusdam sacerdotis, qui ex sinistra persuasione decem sacra petita* pro defuncto, *applicavit* pro defuncta.

182 *Et quid, si talis sacerdos primò noluisset legere ad intentionem postulantis, postea tamen contra, vel præter intentionem illius sacra legisset.*

183 *Resolvitur Casus III. de alio quodam Religioso, qui semel jussus legere in altari sancti Joannis Nepomuceni in gratiarum actionem, fructus sui sacrificii divisit &c.*

184 *Quod quidem non bene factum, si Missam celebrare debuit titulo justitiæ.*

185 *Rür-*

185 *Rursus alia vice jussus legere pro defunctis, intentionem applicandi fecit primùm post consecrationem, & idcirco non satisfecit suæ obligationi.*

186 *Satisfecisset tamen, si ante consecrationem habuisset intentionem saltem implicitam legendi pro defunctis.*

187 *Sacrificium qua tale non est immediatè collativum gratiæ sanctificantis.*

188 *Casu quo Sacerdos nullam prorsus facit intentionem applicandi, fructus ministerialis cadit in thesaurum Ecclesiæ;*

189 *Hoc tamen defectu applicationis videtur rarò contingere.*

190 *Applicatio sub conditione de futuro contingenti est nulla.*

191 *Applicatio verò hoc modo facta*, ut sacrificium prosit illi, quem Deus videt primò daturum stipendium, *etsi valida, meritò tamen reprobatur à DD.*

192 *Ut fructus tui sacrificii alicui v. g. Petro obtingat, satis est, te semel habuisse intentionem hoc sacrificium offerendi pro Petro, eandemque nunquam revocasse.*

193 *Unde non est necessum, ut in tuo sacrificio de illo cogites, multò minùs ut illum explicitè nomines.*

194 *An, vel quando expediat, ut Sacerdos celebrans primariæ suæ intentioni adjungat aliam quasi sub conditione.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de fructibus, & applicatione fructuum sacrificii.

Quæres primò, quid sit valor? & quid fructus sacrificii?

164 R. 1. Valor sacrificii est moralis dignitas & æstimabilitas, vel potiùs efficacia illa, quam sacrificium habet ex dignitate tum offerentis, tum etiam ipsius rei oblatæ in ordine ad conferenda bona aliqua offerenti, & iis, pro quibus offertur. 2. Fructus autem sacrificii sunt illa ipsa bona, quæ sacrificium oblatum, vel potiùs ipse Deus confert intuitu sacrificii oblati. Ex quibus patet, valorem à fructu sacrificii differre veluti causam à suo effectu. Vide Sporer *à num.* 222.

Quæres secundò, quotuplex sit fructus sacrificii?

165 R. Est multiplex: Majoris tamen claritatis gratia haud incongruè dividitur ex triplici capite. 1. *Ex parte causalitatis*. 2. *Ex parte rei*, & 3. *ex parte participantium*. Explico brevissimè. Primò itaque ex parte causalitatis dividitur in fructum *ex opere operato, & ex opere operantis*. Fructus ex opere operato est ille, quem sacrificium confert, quatenus est opus operatum, & institutum à Christo, quemque confert intuitu meritorum, & satisfactionis Christi, in cujus persona offertur. Fructus verò ex opere operantis appellatur ille, quem sacrificium confert intuitu meriti & devotionis repertæ in illo, qui offert sacrificium, scilicet in sacerdote. Et quoniam non omnes sacerdotes sunt æqualis meriti & sanctitatis apud Deum; hinc fit, ut sacrificium Missæ ex opere operantis sit tantò majoris valoris apud Deum, quantò dignior & sanctior est persona sacerdotis offerentis, ut proin non omnia sacrificia sint æqualia quoad valorem & fructum *ex opere operantis*, licèt omnia sint æqualia quantùm ad valorem & fructum *ex opere operato*, veluti post S. Thomam & Bonaventuram alii DD. communissimè tradunt.

166 Secundò. Fructus ex parte rei dividitur in *meritorium, satisfactorium*, & *impetratorium*. Meritorius est augmentum gratiæ & gloriæ, corrispondens merito offerentis. Satisfactorius est remissio pœnæ temporalis, quæ pro peccatis jam remissis est debita. Impetratorius est impetratio beneficiorum tum spiritualium, tum etiam temporalium, quæ intuitu sacrificii secundariò, & in quantùm conducunt ad salutem animarum, conferuntur. Quocirca tamen advertendum, quòd fructus meritorius sit totus ex opere operantis: econtra fructus impetratorius & satisfactorius tam ex opere operato, quàm ex opere operantis esse possunt. Insuper advertendum, quòd fructus impetratorius sub se comprehendat *propitiatorium*, & *expiatorium*;

torium; quo nomine remissio peccatorum intelligitur, veluti constabit ampliùs ex proximè dicendis.

167 Tertiò. Fructus ex parte participantium rursus est triplex, scilicet 1. *Generalis*, qui obtingit toti Ecclesiæ. 2. *Specialis*, quem illi participant, qui sacrificio Missæ assistunt, vel ad illud specialiter concurrunt, utputa ministrando paramenta, luminaria præbendo &c. Item fructum specialem nonnulli appellant illum, qui participatur ab eo, pro quo sacrificium offertur. Scotus tamen, & alii multi hunc fructum vocant *medium* (scilicet inter generalem & specialissimum) ab aliis verò, præsertim Recentioribus appellatur *ministerialis*: eò quòd à solo sacerdote, & hujus ministerio conferri possit. Denique *specialissimus* meritò dicitur ille, qui soli sacerdoti est proprius. Ratio autem hujus divisionis inde desumitur; quia hoc sacrificium debet prodesse tum iis, qui offerunt, tum aliis etiam, pro quibus offertur: atqui sacerdos est (post Christum) offerens principalis: ergo debet pro se participare fructum specialissimum: & quoniam non præcisè suo nomine illud offert, velut persona privata, sed potiùs velut Minister publicus nomine totius Ecclesiæ; hinc etiam toti Ecclesiæ debet correspondere fructus generalis. Denique quia illud regulariter loquendo semper solemus applicare pro aliquo vel aliquibus in particulari, idcirco etiam his debet obtingere fructus, quem alii medium, alii ministerialem appellant, ut visum est. Videatur Sporer *n.* 245. vel Babenstuber *tr.* 8. *p.* 4. *d.* 4. *a.* 2.

Quæres tertiò, sitnè valor sacrificii Missæ finitus, vel verò infinitus?

168 R. 1. Valor in quantum provenit ex opere operantis, id est, ipsius sacerdotis, vel Ecclesiæ, vel aliorum assistentium seu etiam cooperantium, est duntaxat finitus & limitatus; quia horum omnium sanctitas & dignitas tantùm est finita & limitata. At verò 2. Valor ex opere operato est infinitus extensivè, saltem in actu primo, & quoad sufficientiam; quia in eo offertur Christus, qui fuit infinitæ dignitatis, repræsentaturque passio & merita Christi, quæ pro infinitis hominum peccatis delendis erant abundanter sufficientia. Nihilominus 3. idem valor sacrificii in actu secundo, seu quoad actualem applicationem fructuum est duntaxat finitus, & limitatus. Ratio hujus est: quia talis fuit dispositio divinæ sapientiæ, qua Christus, utpote desiderans hoc sacrificium sæpiùs offerri à suis Ministris, voluit, ut sua merita & satisfactiones infinitæ huic sacrificio incruento annexæ, non nisi modo finito & limitato nobis obtingerent, veluti ex mente D. Bonaventuræ & Scoti docet Mastrius *Theolog. moralis disp.* 19. *à n.* 55. S. Thomas, Bellarminus, Reginaldus, Layman & alii, quos refert & sequitur Clericatus *de sacrificio Missæ decis.* 33. *nu.* 36. Et licèt fructus per respectum ad offerentes sive primarios, ut Sacerdotes, sive secundarios, ut assistentes possit dici syncategorimaticè infinitus, id est, major semper & tanto major, quanto plures fuerint offerentes, quia hic fructus specialis proportionatur offerentium concursui, & per consequens sicut multiplicato concursu offerentium seu assistentium multiplicantur oblationes, ita & fructus iste; nihilominus fructus medius seu ministerialis per respectum ad eos, pro quibus offertur, nec categorematicè nec syncategorematicè est infinitus, sed simpliciter finitus & determinatus, ita, ut tantò magis minuatur in singulis, quantò sunt plures, pro quibus offertur, idque ob voluntatem Christi, de qua nobis per praxin Ecclesiæ satis constat. Scot. *quodl.* 20. *n.* 20. Durandus, Bellarminus, Bonacin. Suarez, Lugo, Herincx *disp.* 8. *nu.* 88. Henno *disp.* 11. *q.* 7. *concl.* 1. & 2.

Quæres quartò, quomodo sacrificium Missæ sit propitiatorium, seu quomodo conferat ad delenda peccata?

169 R. 1. Est propitiatorium ex opere operato, seu confert ad remissionem peccatorum tum mortalium, tum etiam venialium, sed 2. mediatè tantùm, quatenus scilicet Deus hujus intuitu illis, pro quibus offertur, clementissimè impertitur auxilia gratiæ; mediantibus quibus peccata sua efficaciter retractare, & amissam gratiam recuperare valeant. Ratio prioris desumitur ex communi sensu Patrum, item ex variis liturgiis, nec non ex Concilio Trident. *sess.* 22. *de sacrific. Miss. c.* 2. ubi ait: *hujus quippe oblatione placatus Dominus*, *gratiam*

tiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit. Ratio autem posterioris inde colligitur: quia si sacrificium Missæ immediatè deleret mortalia, tunc ad justificationem obtinendam sufficeret attritio cum sacrificio: deinde attritus, pro quo celebraretur Missa, aut ipse etiam Sacerdos per consecrationem solam justificaretur: utrumque autem est contra sanam Theologiam, & contra communem persuasionem: ergo &c.

At nunquid hæc auxilia gratiæ in ordine ad pœnitendum &c. intuitu sacrificii à Deo nobis infallibiliter conferuntur?

170 R. Probabiliùs conferuntur infallibiliter. Ita Herincx *cit. n. 67*. Sporer *n. 241*. contra Suarezium & nonnullos alios. Ratio est: quia Christus huic Sacrificio absolutè tribuit virtutem remissivam peccatorum, veluti satis clarè innuit Tridentinum *loc. cit.* ubi ait: *docet Sacra Synodus, Sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut — ad Deum accedamus, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno*, &c. Unde quamvis experentia attestante non semper hujus intuitu conferantur gratiæ efficaces, dicendum tamen est, quòd saltem conferantur novæ gratiæ prævenientes, & sufficienter excitantes &c. Quòd autem eædem gratiæ non semper sentiantur, procul dubio contingit vel ideo, quia dantur tempore Deo placito, propterea que vocantur à Tridentino *l. cit. auxilium oportunum*; vel etiam ideò, quia peccator illis ponit obicem.

Quæres quintò, quomodo Sacrificium Missæ sit satisfatorium?

171 R. Est pariter ex opere operato satisfactorium, tam pro vivis, quàm pro defunctis in purgatorio existentibus, in quantùm virtute ipsius aliqua pœna, peccatis quoad culpam jam deletis correspondens, remittitur illis, pro quibus hoc Sacrificium applicatur. Id, quod clarè docet Tridentinum *loc. prox. cit.* inquiens: *quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolicam traditionem offertur*. Rursus *ss. 25. in decreto de purgatorio* docet, *animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio juvari*. Porrò hunc effectum infallibiliter conferri, modò is, pro quo Missa offertur, sit capax ejusdem, & indigeat aliqua satisfactione, constans est Doctorum opinio, Vide Reinffestuel *theol. mor. d. 5. n. 45*.

Quæres sextò, quo modo Sacrificium sit impetratorium?

172 R. Est impetratorium, in quantùm habet vim impetrandi à Deo diversa bona tum spiritualia, tum etiam temporalia, quatenus hæc ad spiritualia conducunt. Ita *omnes Catholici*. Ratio desumitur rursus tum ex Tridentino mox relato, tum etiam ex perpetuo sensu & traditione Ecclesiæ, quæ in hunc finem assuevit sacrificium nunquam non offerre. Cæterùm, quòd bona temporalia secundariò tantùm, quatenus scilicet ad spiritualia conducunt, conferat, inde arguitur: quia effectus & tota vis sacrificii nostri incruenti innititur meritis sacrificii cruenti à Christo in cruce pro nobis oblati: atqui Christus in cruce nobis non promeruit bona temporalia, nisi quatenus ad salutem æternam conducunt; nam secundùm se præcisè spectata, non sunt bona, quin potiùs sæpe sæpiùs nostræ saluti (quam Salvator noster unice intendit) nociva. Inde etiam oritur, quòd (teste experientia) hæc bona temporalia non semper & infallibiliter à Deo conferantur, etsi credibilissimum sit, nunquam offerri hoc sacrificium, quin Deus vel eadem, vel alia saltem bona temporalia nobis magis expedientia ad salutem, misericorditer concedat. Sed

Quæres septimò, qualis dispositio, vel conditiones ex parte nostra sint necessariæ ad hoc, ut præfata bona nobis vi sacrificii conferantur?

173 R. Breviter cum P. Kresslinger *in addit. post num. 47. ad theol. mor. tr 14. diss. 5. P. Reinffestuel*, requiri sequentes. Primò, ut celebrans intendat applicare, seu etiam impetrare hos effectus. Secundò. Ad participandum effectum propitiatorium non est necessarius status gratiæ ex parte illius, pro quo offertur; quia gratiæ prævenientes & excitantes dari solent etiam gravibus peccatoribus. Similiter tertiò, ob eandem rationem non est necessarius status gratiæ ad

ad obtinendum fructum impetratorium, etsi procul dubio faciliùs exaudiantur à Deo illi, qui in statu amicitiæ conversantur, proptereàque majores gratias impetrare possint intuitu hujus sacrificii. Quartò denique ad obtinendum fructum satisfactorium necessarius est status gratiæ ex parte illius, pro quo offertur sacrificium; quia secundùm dicta virtute hujus solùm remittuntur pœnæ pro peccatis quoad culpam jam condonatis debitæ: ergo necessariò præsupponi debet status gratiæ, & condonatio culparum mortalium.

Quæres octavò, qualis intentio, seu applicatio ex parte Sacerdotis necessaria sit ad hoc, ut fructus sacrificii obveniat illi, qui Missam postulavit, aut pro se offerri curavit?

174 R. Non sufficit præcisè intentio sacrificandi, sed insuper necessaria est intentio applicandi fructum illum medium seu ministerialem illi, pro quo celebrat, etsi 2. hæc intentio non debeat necessariò esse actualis, sed sufficiat etiam habitualis. Ita *communissimè DD.* Sporer Reinffestuel, la Croix, Babenstuber *ubi suprà disp.* 4. *a.* 4. *n.* 2. & 16. Clericatus *decis.* 36. *n.* Ratio prioris datur hæc: quia Sacerdos vi suæ ordinationis constitutus est Minister, & dispensator mysteriorum, ac donorum Dei, inque eadem ordinatione accepit potestatem offerendi sacrificium, & consequenter applicandi ejus fructum: ergo ut hic alicui obveniat, necessum est, ut Sacerdos velit hunc eidem applicare. Ratio verò posterioris hæc est: quia voluntas, quatenus applicativa fructus, non est simul causativa ejusdem; proin non est necessum, ut respectu hujus se activè habeat &c. sed sufficit, ut habeat se per modum donantis, ita scilicet, ut revera velit alteri jus quoddam morale advenire respectu hujus fructus: atqui ad validam donationem, & ad transferendum hoc jus sufficit voluntas habitualis, veluti constat ex contractu matrimonii, vel aliis donationibus: ergo etiam ad applicandum hunc fructum.

176 Dictum tamen fuit, *necessariam esse hanc intentionem habitualem applicandi fructum medium seu ministerialem* &c. Ad hoc enim, ut fructus generalis Ecclesiæ proveniat, atque in fideles derivetur, non est necessum, ut Sacerdos pro his specialiter intendat sacrificium suum applicare; nam hoc ipso, quòd sacrificet, operatur ut publicus Minister Ecclesiæ, adeòque ex intentione Ejusdem: ergo cùm Ecclesia velit, ut fructus generalis redundet in omnes fideles, dicendum, quòd ad hoc non sit necessaria specialis intentio. Adde, quòd idem Minister ex præscripto Ecclesiæ in Offertorio satis superque *hostiam immaculatam Deo Patri offerat tum pro se, tum pro circumstantibus, tum etiam pro omnibus fidelibus Christianis, vivis, atque defunctis*: ergo etiam ad participandum pro se fructum specialissimum non est opus alia intentione, vel applicatione singulari. Suarez, Conink, Oberascher, Babenstuber *cit. n.* 3. & 4.

177 At quo tempore, vel quando facienda est intentio illa applicandi fructum ministerialem.

R. Necessariò facienda est applicatio vel ante, vel saltem in ipsa consecratione. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 12. Suarez *disp.* 57. *sect.* 5. *§. Dices* Herincx *n.* 83. Babenstuber, Castropalao, & *alii communissimè*. Ratio est: quia fructus sacrificii jam dispensatur tunc, quando sacerdos in persona Christi substantialiter conficit & offert sacrificium: At, hoc facit in actuali consecratione secundùm dicta superiùs *n.* 138. ergo tunc jam dispensatur fructus; consequenter necessum est, ut sacerdos seu Minister legitimus tunc habeat intentionem, cuinam potiùs hunc fructum applicatum velit. Scio equidem Clericatum *decis.* 36. *n.* 9. cum aliis nonnullis existimasse, quòd in Missis defunctorum sufficiat, intentionem applicandi fructum fieri post consecrationem, ad *Memento mortuorum*; verùm hæc opinio ob nimiam incertitudinem, immò probabilissimam falsitatem, & inde consequens certum periculum defraudandi fideles sacrificium postulantes, meritò pro praxi reprobatur à P. Herincx: & aliis DD. communiter; nam verissimè perficitur essentia intrinseca sacrificii in sola consecratione, qua peracta non apparet, cur effectus illius suspendatur usque ad *Memento mortuorum*, vel omnino usque ad sumptionem. *Memento* etiam defunctorum solùm habet vim Orationis cujusdam, quam ha-

habent etiam aliæ Orationes à sacerdote factæ pro se, aliisque fidelibus, tum ante, tum post sumptionem etiam, & tamen certum est, intentionem applicandi, primùm post peractam sumptionem factam, non sufficere ad applicandum fructum ministerialem: ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de modo applicandi fructus sacrificii.

CASUS PRIMUS.

Titius *Religiosus in tabula missali (quam nos appellamus illam, in qua designatur ordo, & intentio sacrorum à singulis celebrandorum) positus fuit, ut altera die Missam diceret* ad intentionem in altari sancti Antonii: *interea tamen ad instantiam alterius petentis sacrum, ab eodem superiore intentio mutata, & Titius positus fuit*, pro defuncto in altari privilegiato, *quale non erat illud sancti Antonii. Altera die bonus Titius hujus mutationis prorsus ignarus optima fide processit ad Altare sancti Antonii, ibique celebravit* ad intentionem sui Superioris?

Quæritur jam, quid de tali applicatione censendum, aut cuinam ex petentibus satisfactum fuisse, præsumendum sit?

178 R. Haudquaquam dubitandum videtur, quin fuerit satisfactum intentioni illius, qui sacrum pro se in Altari sancti Antonii legendum postulaverat, ideoque non hæc, sed alia illa Missa in Altari privilegiato pro defuncto fuit supplenda. Ratio hujus responsionis est: quia Missa (saltem per se loquendo) prodest illi, pro quo à sacerdote, seu Ministro legitimo offertur: at, Titius voluit suum sacrificium offerre pro eo, qui sacrum postulaverat in Altari sancti Antonii: in hunc enim finem fieri à Superiore suo se positum vidit, & etiamnum dum celebravit, positum se existimavit: in hunc finem Altare sancti Antonii accessit celebraturus: nec dubitandum, quin interrogatus, cur hoc Altare accedat, mox respondisset: ideo, quia vidi me positum ut in hoc Altari legam, & legendo satisfaciam piæ intentioni illius, qui in hoc Altari sacrum pro se fieri postulavit: ergo huic satisfactum fuisse, omnino præsumere licet. Neque obstat, quòd Superior interea intentionem mutasse supponatur; non enim est verosimile, quòd voluerit ita mutare, & revocare intentionem hesternam, ut si Titius hodie etiam bona fide in Altari sancti Antonii ad intentionem heri designatam celebraret, hanc applicationem voluerit esse nullam; quin potiùs præsumendum, quòd voluerit (saltem habitualiter) eam prodesse illi, cui hesterna die illud destinaverat, sicut & Titius hanc voluntatem habitualiter saltem habuit: atqui voluntas habitualis sufficit ad validam applicationem: ergo &c.

Dices: quidsi autem Titius in præfato Altari sancti Antonii celebrando intendisset suum sacrificium offerre *ad eam intentionem, ad quam de facto, durante scilicet sacrificio positus erat à Superiore?*

179 R. Ex hac suppositione fructus procul dubio obvenisset defuncto. Ratio est clara: quia supponitur voluisse celebrare ad eam intentionem, *ad quam hìc & nunc erat positus*; atqui erat positus *pro defuncto*: ergo huic profuisset sacrificium. Nec obstat, quòd Superior voluerit hanc Missam legi in Altari privilegiato; nam hæc intentio Superioris erat saltem virtualiter duplex, scilicet 1. ut Titius legeret *pro defuncto*. 2. ut legeret *in Altari privilegiato*: ergo licèt Titius in Altari S. Antonii, utpote non privilegiato, non satisfecerit huic posteriori intentioni Superioris, satisfecit tamen priori. Cæterùm an in hoc casu intentioni illius, qui Missam postulavit in Altari privilegiato, jam sit satisfactum vel quidnam insuper agendum, commodiùs dicemus conferentia proximè subsecutura *n.* 210.

Dices adhuc. At quid, si Subditus Religiosus scienter & ex proposito sacrificium suum applicet contra voluntatem sui Superioris ad alium finem v. g. pro felici partu &c. cujusnam intentio in hoc casu prævalebit, an Superioris, an verò Titii subditi?

180 R. Prævalebit intentio subditi celebrantis. Ita contra paucos alios hodie *communissimè* tenent DD. Babenstuber, La Croix, Gobat, Layman *ubi suprà tr. 5. c. 2. n. 11.*

n. 11. Herincx *cit. n.* 80. Reinffestuel *dist.* 5. *n.* 72. Clericatus *decis.* 36. *n.* 2. Mastrius *Theol. mor. disp.* 19. *n.* 71. Ratio est: quia applicatio Missæ est actus potestatis Ordinis: Atqui hæc non dependet ex potestate Superioris Regularis: ergo. Esto proin talis subditus peccet, agendo contra obedientiam suo Prælato debitam, ejus tamen applicatio irritari nequit per Superiorem, quemadmodum is nec potest irritare intentionem consecrandi, vel alia Sacramenta, è potestate Ordinis præcisè dependentia, conficiendi.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius scripto petiit à quodam sacerdote pro Ordinario stipendio decem sacra, legenda pro defuncto, *cui, ut sacerdos satisfaceret, optima fide legit decem sacra, sed* pro defuncta, *& quidem de Requiem, cum Ordinaria illa collecta*: quæsumus Domine, pro tua pietate miserere famulæ tuæ &c. *quibus persolutis scripsit Sempronius, se jam legisse decem sacra* pro defuncta, *proptereaque exspectare promissum stipendium; cui illico respondit Sempronius, se nunquam postulasse sacra* pro defuncta, *sed* pro defuncto *legenda, ideoque nunquam redditurum stipendium, nisi alia decem legeret* pro defuncto. *Stupefactus desuper sacerdos inspicit denuo litteras à Sempronio nuper obtentas, moxque reperit, sacra illa revera postulata fuisse* pro defuncto. *Dubitat proin ipsemet, an pro jam persolutis justè possit prætendere stipendium, an verò teneatur alia decem legere? Quid respondendum?*

181 R. Potest sacerdos justè prætendere stipendium pro decem sacris jam persolutis, & Sempronius tenetur hoc solvere in conscientia. Ratio est: quia sacerdos legendo illa decem sacra voluit satisfacere intentioni petentis: Atqui ad validam applicationem sufficit voluntas satisfaciendi intentioni petentis; ob hanc enim rationem DD. communissimè tenent, Religiosum subditum satisfacere applicando suum sacrificium ad intentionem petentis, vel (quod idem est) applicando ad intentionem sui Superioris, etsi ignoret, quænam sit illa intentio: immò verò etsi sinistrè sibi persuaserit, Superiorem habuisse hanc intentionem v. g. *pro defuncto*, quàm revera non habuit: ergo minimè dubitandum, quin hæc sacra re ipsa obvenerint defuncto; quod quidem à pari facilè suaderi posse videtur: nam si Sponsus habeat hanc mentem: *Contraho cum hac persona, quam puto esse Titiam, vel divitem, vel nobilem &c.* etsi revera talis non sit, nihilominus matrimonium valet; quia intervenit consensus in substantiam personæ, & error solùm versatur circa qualitatem non redundantem in substantiam: ergo similiter quando sacerdos facit hanc intentionem: *Applico hoc meum sacrificium pro anima defunctæ* (præsertim si addat: *juxta intentionem petentis*) error iste merè accidentalis censeri debet; nam mens sacerdotis regulariter loquendo fertur in animam, *quatenus supponitur indiga suffragiorum*, non autem, quatenus *anima est defunctæ*, seu personæ alterius sexus: ergo applicatio & fructus sacrificii indubitanter cessit ad salutem animæ illius defuncti, pro quo Sempronius postulavit decem sacra fieri.

Dices adhuc: At quid, si ego Sempronio ad primas suas litteras illicò rescripsissem, me non velle, aut non posse legere illa decem sacra, postea tamen mutando mentem meam, ignorante etiam Sempronio, legissem illa decem sacra pro *defuncto*, an mea hæc sacra profuissent illi animæ? aut possemnè propterea prætendere stipendium?

182 R. Ne dubites, quin hæc tua sacra profuissent defuncto: quia sacrificium prodest illi (saltem per se loquendo) cui applicatur: At, tu dicis, aut supponis te applicare pro defuncto: ergo &c. Unde nihil refert, quòd Sempronius, utpote ignarus tuæ mentis eadem sacra non applicarit; non enim illius, sed tuum est, applicare fructum tui sacrificii. Certum nihilominus est, Sempronium nihil tibi debere ex contractu, quippe quem recusasti, & illo inscio tu solus renovare non valuisti: nisi ex post facto factum tuum ratificasset, tanquam rem sibi utiliter gestam. Ita Pelizarius *Man. Regular. tr.* 5. *c.* 9. *sect.* 3. *nu.* 59. eumque secutus Sporer *Theolog. Sacram. p.* 2. *c.* 4. *n.* 286.

CA-

CASUS TERTIUS.

Cajus Religiosus à suo Superiore jussus fuit legere sacrum in Altari S. Joannis Nepomuceni in gratiarum actionem; *quod & fecit, ita tamen, ut fructum impetratorium sibi, satisfactorium verò suis parentibus defunctis voluerit applicatum. Rursus alia vice jussus legere sacrum* pro defunctis, *intentionem applicandi fructum primùm fecit post elevationem, ad Memento scilicet mortuorum. Jam quæritur, an benè?*

183 R. Ad primum. Si Missa illa ad intentionem Superioris fuit legenda titulo justitiæ, utpote conducta stipendio, Cajus non bene fecit separando fructus. Ratio est: quia offerentes stipendium sine dubio omnem effectum impetratorium, & satisfactorium ex opere operato, vel saltem ordinarium ex opere operantis provenientem, sibi, aut illis, pro quibus conducunt, volunt applicari, etsi de hoc nullam faciant mentionem, dum stipendium expendunt: profectò interrogati de hoc, an scilicet desiderent? Illicò responderent quòd sic, oppositumque fieri, ægerrimè ferrent: Atqui nedum fructus satisfactorius, sed etiam impetratorius applicari potest & vivis, & defunctis, utì benè explicant Gobat, Sporer, & alii DD. ergo in Missis titulo justitiæ debitis, seu stipendio conductis totus fructus, quantùm potest, applicari debet postulanti.

184 Dixi tamen: *Si Missa fuit legenda titulo justitiæ*. Secus enim resolvendum esset, ubi Missa fuisset solùm debita titulo Religionis, aut meræ fidelitatis, seu gratuitæ promissionis &c. Unde, si voto te obligasti, quòd velis litare Deo in honorem v. g. Sanctæ Apolloniæ, cujus patrocinio à dentium dolore liberatum te sentis, nihil prorsus obstat, quò minus idem tuum sacrificium offerre valeas v. g. pro defunctis tuis Parentibus quoad fructum satisfactorium &c. Item quando duobus seorsim sacrum liberaliter promisisti, poteris utrique satisfacere uno sacro, saltem si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, propter quem alteri; ut si v. g. uni ad obtinendum aliquod beneficium, alteri verò promisisti in gratiarum actionem pro jam obtento, aut pro salute uxoris defunctæ &c. poteris enim in hoc casu separare fructum impetratorium, Eucharisticum, & satisfactorium. Ratio est: quia liberalis promissio est ita interpretanda, ut sit promittenti quàm minimè onerosa. *l. quidquid adstringendæ. ff. de Verb. oblig.* Quocirca tamen caveas velim, ne alicui alteri, habenti plura sacrificia onerosa, titulo scilicet fundationis vel justitiæ legenda, tu liberaliter promittas tot vel tot in te suscipere, & postea ea legendo fructus modo jam præfato dividas: quia hoc modo fraudaretur is, cui sacra illa debentur. Immò verò, hoc ipso, quòd liberaliter hujuscemodi sacrificia in te susceperis, onus justitiæ in te transtulisse convinceris, cui proin non satisfaceres dividendo fructus, veluti jam constare potest ex dictis. Videatur de hoc Tamburinus *l. 3. c. 1. §. 3. num. 47.* Menochius *de præsumpt. l. 6. præsumpt. 9.* Gobat. *tr. 3. n. 154. & seqq.*

185 R. Jam ad secundum. Cajus neque in secundo casu satisfecit suæ obligationi, si ante actualem consecrationem supponatur nullam prorsus, ne quidem implicitam intentionem applicandi habuisse, simulque Sacrificium titulo justitiæ offerendum fuit: unde in tali suppositione Cajus tenetur supplere, & aliud sacrificium applicare pro defunctis. Ratio est: quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam: neque probabile est, quòd incerta applicatio Missæ extinguat obligationem certam: atqui applicatio primùm facta post consecrationem est nimis incerta, & probabilissimè omnino nulla, secundùm dicta superiùs *n. 177.* simulque obligatio applicandi ex parte Caji supponitur fuisse certa, utpote contracta titulo justitiæ: ergo per hanc suam solutionem dubiam, & satis incertam applicationem fructus non liberatur ab onere aliud sacrificium offerendi. Videatur Pasqualigo *q. 184.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 218.*

186 Dixi rursus: *Si Cajus ante actualem consecrationem supponatur nullam prorsus intentionem habuisse* &c. Etenim si accessit ad Altare cum intentione celebrandi, suæque obedientiæ, vel voluntati sui Superioris

satis-

satisfaciendi (& quot erunt Religiosi, qui hoc non intendunt, saltem in actu exercito, dum se ad Altare accingunt ?) eo ipso habuisset intentionem implicitam applicandi suum sacrificium pro defunctis, ut facilè patebit consideranti : atqui ad validam applicationem sufficit hæc intentio implicita, uti rectè docent Gavant., Diana, Gobat *n.* 162. la Croix *n.* 205. aliique *communiter*. Quin immò Laymin ubi suprà *c.* 2. *n.* 13. la Croix *n.* 206. & alii plures existimant, sufficere intentionem interpretativam, id est, talem, ad quam velles sacrificare, si de intentione facienda cogitares. Atque ob hanc causam firmiter mihi persuasum teneo, admodum rarò vel omnino nunquam contingere, ut Religiosus subditus defectu sufficientis intentionis non satisfaciat suæ obligationi.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

187 Colliges ex dictis primò, Sacrificium Missæ qua tale, non conferre immediatè augmentum gratiæ ex opere operato ; quia de tali collatione vel efficacia immediatè conferendi gratiam nihil nobis constat, neque ex revelatione, neque etiam ex traditione, vel aliunde : immò potiùs de opposito, nemo enim recipit augmentum gratiæ habitualis absque proprio merito, vel susceptione Sacramenti. Et certè ex hoc sequeretur, quòd dives justus etiam dormiens, aut de sua salute nihil cogitans, eò magis justificaretur, quo plura pro se offerri curaret, vel etiam ipso omnino ignorante ab alio offerrentur sacrificia ; quod tamen à communi doctrina Theologorum omnino alienum est : etsi negare non possimus, quin sacrificium Missæ mediatè conferat ad gratiæ augmentum, in quantum Deus hujus intuitu illi, pro quo offertur, confert gratias actuales, quibus ad majus meritum excitetur. Inimò verò Sacerdos celebrans, & ritè dispositus, immediatè acquirit augmentum gratiæ quatenus hostiam immolatam ceu verum Sacramentum suscipit. Herincx *disp.* 8. *n.* 68.

188 Colliges secundò, casu quo Sacerdos nullam prorsus haberet intentionem applicandi fructum sacrificii vel pro se, vel pro alio, fructum medium seu ministerialem ita remansurum in thesauro Ecclesiæ, ut ne quidem ipsi Sacerdoti sacrificanti obveniret. Ita *communiter DD.* Ratio hujus est : quia Christus ita tradidit Sacerdoti potestatem offerendi sacrificium, ut ejus fructum nemo consequatur, nisi dependenter à voluntate ipsius : atqui in posito casu deesset voluntas Sacerdotis in ordine ad applicandum fructum ministerialem : ergo hic totus cedet in Thesaurum Ecclesiæ.

189 Dictum fuit rursus : *casu quo nullam prorsus haberet intentionem &c.* quia, ut advertunt Lugo *disp.* 19. *Sect.* 10. & Babenstuber *d.* 4. *a.* 4. *n.* 12. Semper videtur habere intentionem generalem, ut prosit, quantùm potest, sacrificium ipsi, & aliis omnibus ; hanc quippe intentionem satis explicant illa verba : *offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis &c. & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis, atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem &c.* Ex quo colligitur, Sacerdotem velle, ut, dum Sacrificii fructum specialiter non applicat, is accrescat omnibus, pro quibus offert : itaque credibile est (inquit Babenstuber *l. c.*) fructum Sacrificii semper obtingere vel ipsimet Sacerdoti, vel aliis; adeoque non remanere in Thesauro Ecclesiæ.

190 Colliges tertiò, non posse validè applicari fructum Sacrificii sub conditione contingenti de futuro, vi cujus ad libitum Sacrificii fructus ille quodammodo suspendatur in futurum. Ita *communissimè DD.* Gavant., Tamburinus, Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 14. Sporer *cit. n.* 281. Babenstuber *num.* 13. Ratio est hæc : quia Sacerdos habet potestatem applicandi fructum Sacrificii tunc solùm, quando sacrificat, dum scilicet agit ut Minister Christi, in cujus persona fructum applicat : at, si sub conditione de futuro contingenti applicet, reverà non applicatum vult pro tunc, quando sacrificat : & certè ex hoc sequeretur, posse Sacerdotem sibi, vel alteri in peccato mortali existenti applicare fructum sub conditione de futuro, *si à pec-*

cato fuerit justificatus &c. quod tamen falsum est: dicendum proin, quòd, quemadmodum in potestate ipsius non est, suspendere effectum Sacramenti in futurum, ita nec suspendere effectum Sacrificii. Ex quo rectè infert Herincx noster ubi suprà *disp. 8. n. 84.* reprobandam esse praxin illorum, qui, cùm non habeant stipendium pro Sacro faciendo, celebrant sine applicatione, applicaturi ei, qui dato stipendio primò Sacrum ad suam intentionem fieri postulabit.

191 Colliges quartò, etiam illorum praxin esse reprobandam, qui dum non habent Missas pro stipendio legendas, quasi per modum anticipatæ solutionis applicant suum Sacrificium in hunc modum: *volo ut fructus Sacrificii mei illi obveniat, quem Deus scit proximè à me postulaturum, aut mihi daturum stipendium, vel ex hac vita discessurum &c. &c.* Tametsi enim talis applicatio probabiliter valeat, quippe absolutè & independenter à conditione de futuro facta (Deus enim jam actu & de præsenti infallibiliter scit, quisnam proximè sit daturus stipendium &c.) nihilominus in tali applicatione semper occurrit periculum, ne intentioni postea petentis Missam & stipendium præbentis nunquam satisfiat; vel quia pro hìc & nunc non habet debitum pœnæ solvendæ; vel quia est incapax fructus satisfactorii, utpote constitutus in statu disgratiæ; vel quia adhuc vivit ille, pro quo postea defuncto petetur Sacrum. Idcirco hæc praxis tanquam periculosa, scandalosa, & contraria vetustissimo Ecclesiæ mori jure merito reprobata fuit à S. Collegio Cardinalium Anno 1605. ut refert Barbosa *in remissione Concilii Trident. sess. 22. in principio.* Castropalao Herincx *l. cit.* Sporer, Babenstuber *disp. 4. art. 4. n. 14.* Reinffestuel *n. 76.*

192 Colliges tamen quintò, ad hoc, ut fructus tui Sacrificii alicui obtingat, satis esse, te aliquando habuisse intentionem, hoc tuum Sacrificium pro eo applicandi, & hanc intentionem nunquam revocasse. Unde, si v. g. Petro promisisti, te crastina pro illo celebraturum, vel etiam per integram septimanam aut mensem pro illo sacrificaturum, etsi dum actu sacrificas, nihil amplius de eo cogites, nihilominus fructus tui sacrificii Petro obtinget. Ratio petenda est ex dictis *n. 175.* quia ad validam applicationem sufficit te habere intentionem habitualem: atqui talem censeris habere eo ipso, quòd semel pro illo volueris offerre hoc tuum Sacrificium, & hanc tuam intentionem nunquam revocaveris; ergo. Ex quo patet, quàm bene faciant illi, qui se Sacerdoti in sua SS. Missæ Sacrificia recommendant, quamque bene & salubriter faciat ipse Sacerdos, qui Sacrificando intendit applicare (semper tamen, quantùm potest sine præjudicio illius, cui debetur fructus ministerialis) pro omnibus illis, qui se unquam suis recommendarunt precibus & SS. Missæ Sacrificiis: neque enim intentio hæc tam sancta, tamque charitativa, sua carebit mercede, quin potiùs à Deo Eucharistico innumeris gratiis ac beneficiis centuplum recompensabitur. Vide Babenstuber *cit. num. 18.*

193 Colliges sextò, ad validam applicationem Sacrificii non esse necessarium, ut persona, pro qua illud offertur, nominatim exprimatur v. g. dicendo: *offero tibi Domine hoc Sacrificium pro Petro &c.* Sed satis est, eam implicitè, vel generali quodam termino tangi, v. g. hoc modo, quem Doctor subtilis *quodl. 20. n. 19.* suggerit: *digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis* (vel pro illo) *pro quibus nosti me teneri specialiter offerre.* Ex quo similiter patet Superiores Regulares, aliosque Prælatos Ecclesiasticos, habentes plura Sacra, diversis titulis, etiam onerosis dicenda, satisfacere suæ obligationi, formando hanc, vel similem intentionem, *Digneris Domine Missas ad intentionem meam legendas acceptare, pro illis, quibus debentur, & eo ordine & modo, quo ipsis debentur.* Patet insuper, subditum Religiosum satisfacere suæ obligationi faciendo hanc intentionem: *Volo celebrare ad intentionem mei Superioris;* vel: *Volo celebrare ad intentionem petentis &c.* Patet ulteriùs, Dominos Parochos, aliosque Beneficiarios, qui per annum tenentur singulis mensibus, Septimanis, aut certis diebus celebrare certas Missas v. g. pro defunctis

Fun-

Fundatoribus &c. satisfacere, si celebrando intendat applicare Missam *pro ea anima, vel pro illis animabus, quibus ea die debetur*. Tambur. *lib.* 2. *c.* 2. *§.* 9. *n.* 17. apud Sporer *num.* 279. Herincx *cit. num.* 86.

194 Colliges tandem septimò, expedire vel maximè, ut sacerdos celebrans primariæ suæ intentioni adjungat aliam quasi sub conditione dicendo v. g. *Offero hoc sacrificium pro Petro: si verò is non sit capax, vel non indigeat, volo illud oblatum pro Paulo, aut si is non indigeat, pro meis Parentibus &c. pro Fratribus &c.* idque omnino prudenter facimus in Missis, quas liberè, non obligati aut conducti titulo justitiæ &c. Deo litamus. In Missis tamen obligatoriis secunda intentio conditionata non debet fieri pro nostro arbitrio, sed hoc, vel simili modo: *Domine Deus; offero hoc sacrificium debitum pro NN. si huic non possit prodesse, offero pro illis, quibus nosti ipsum deberi*. Et ratio est: quia omnium fundantium, aut stipendio soluto conducentium Missas videtur hæc esse intentio, *ut, si ipsis non profit, prosit aliis sibi conjunctis &c.* Nihil tamen obstat, quo minùs sacerdos in quibusvis suis sacrificiis possit facere hanc intentionem: *Domine; quantùm possum sine præjudicio illius, aut illorum, pro quibus sacrificare teneor, offero tibi hoc meum sacrificium pro me, deinde pro meis Parentibus, amicis &c. &c.* Vide Marchant. *Tribun. tr.* 2. *p.* 2. *tit.* 4. *q.* 2. *dub.* 2. Sporer *n.* 284.

CONFERENTIA

DECIMAOCTAVA.

De Obligatione celebrandi Missas, & de Missarum stipendio.

SUMMARIUM.

195 *Simplex sacerdos aliquoties saltem per annum tenetur celebrare vi sui Ordinis.*

196 *Beneficiatus toties, quoties fundator præscripsit.*

197 *Parochus autem vel per se ipsum, vel saltem per alium tenetur celebrare toties, quoties Parochiani sibi subjecti ex præcepto Ecclesiæ obligantur audire sacrum.*

198 *An verò idem sacrificium teneatur pro iisdem suis subditis offerre? disputant DD. & multi negant. At verò*

199 *Certum jam videtur, quòd diebus Dominicis & Festivis teneatur illud applicare pro suis Parochianis.*

200 *Sacerdos intuitu sui sacrificii licitè accipit stipendium: & quo titulo?*

201 *Quantitas stipendii universaliter determinari nequit.*

202 *Probabilius tamen videtur, pro Missa ordinaria, seu (ut vocant) non stata, prætendi non posse victum integri diei.*

203 *Non licet sacerdoti Missam alteri legendam committere, retenta sibi parte stipendii manualis.*

204 *Secus dicendum, si ille alter omnino liberè & sponte consentiat.*

205 *Resolvitur Casus I. cujusdam D. Parochi, dubitantis an sibi liceret Missas ex fundatione debitas alteri sacerdoti concredere, legendas pro minori stipendio, quàm ex fundatione percipit.*

206 *Parochus Missam annuatim legendam ex fundatione licitè legit, esto hæc incidat in diem Festivum aut Dominicum.*

207 *Paupertas sola non præbet sacerdoti jus detrahendi aliquid de stipendio manuali pro sacrificio accepti.*

208 *Et quid, quantùm ad hoc, nostratibus censeatur licitum.*

209 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote, qui sacrum* pro defuncto, *& alterum,* pro defunctis, in Altari privilegiato petitum, *legit in Altari non privilegiato, ne illa nimiùm differre cogeretur.*

210 *An propterea teneatur pro defuncto aliud sacrificium offerre in Altari privilegiato?*

211 *Resolvitur Casus III. de quodam Beneficiato, qui quidem obligationis*

suæ

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de obligatione sacrum celebrandi.

Quæres primò, an vel quoties sacerdos etiam simplex teneatur per annum celebrare?

195 R. Probabiliùs tenetur per se loquendo saltem aliquoties celebrare, utpute ter, aut quater in anno, in principalioribus scilicet festivitatibus v. g. Paschæ, Pentecostes &c. Ita Reinffestuel *tr.* 14. *d.* 15. *n.* 82. Gobat *Theol. exper. tr.* 3. *n.* 482. Scotus, & alii. Ratio hujus desumitur partim ex Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 4. *de reform.* ubi ait: *Curet Episcopus, ut sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus: si autem curam habeant animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; partim etiam ex eo, quod ita sentiant, si non omnes, saltem plerique DD. immò & plebei, qui (ut ait Gobat *l. cit.*) malè sentire solent de Sacerdotibus hoc tam pretiosum talentum defodientibus. Qua ratione Innocentius III. *cap. dolentes de Celebr. Missar.* graviter reprehendit eos, qui Missarum solemnia vix quater in anno celebrant. Certè Doctores satis communiter Sacerdotem per intergrum annum nunquam celebrantem, peccati mortalis condemnant, saltem per se loquendo, nisi ob justam causam, qualis esse posset major sui ipsius humiliatio, vel infirmitas, vel etiam nimia in celebrando perplexitas, seu etiam scrupulositas &c. à celebrando abstineret. Vid. Gobat *l. cit.* à *num.* 484.

Quæres secundò, an, vel quoties teneantur celebrare, qui possident Capellaniam, vel beneficium fundatum?

196 R. Capellanus seu Beneficiarius ex justitia sub mortali culpa tenetur ad illum Missarum numerum, quem exprimunt litteræ fundationis beneficii, ad cujus onera illud acceptando sese obligavit. Ità Layman. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 6. Gobat *num.* 488.

488. Reinffestuel *cit. num.* 87. & alii *communissimè*. Ratio est clara: quia hæc obligatio de se est gravis, & in æquitate naturali fundata, cui contraveniendo injustè reciperet stipendia Missarum: ergo &c.

Quæres tertiò, an, vel quoties Sacerdos curatus teneatur ad celebrandum?

197 R. Tenetur toties (sive per se, sive per alium) quoties plebs sibi subjecta ex præcepto Ecclesiæ obligatur ad audiendum sacrum. Ita *omnes*. Ratio desumitur ex verbis Trident. Concil. mox relatis: quia curatus tam frequenter debet celebrare, ut suo muneri satisfaciat: at: si non celebret illis diebus, quibus plebs sibi subjecta sacrum audire obligatur, non satisfacit suo muneri; quia tunc plebs non posset audire sacrum (ut supponimus) nec satisfacere præcepto Ecclesiæ: ergo tenetur ad celebrandum, sin minùs per se, saltem per alium.

Dices. At nunquid etiam hisce saltem diebus tenebitur suum sacrificium applicare pro suis Parochianis?

198 R. Multi DD. hoc negant, nominatim Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Herincx *disp.* 8. *nu.* 95. Engel *in Manual. Paroch. part.* 2. *c.* 6. *n.* 8. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 4. *d.* 5. *a.* 1. *nu.* 11. Suarez, Lugo, Sannig, & alii; hac ratione ducti, quòd pro tali & tanta obligatione non possit afferri solidum fundamentum, sive ex ratione, sive etiam ex auctoritate: sine solido autem fundamento nemini imponi debet obligatio, præsertim tam gravis, ergo &c. Hanc opinionem censet probabilem Gobat *tr.* 3. *n.* 492. La Croix verò *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 762. ut probabiliorem; quibus ego lubens subscriberem, nisi me absterrerent tot authenticæ declarationes Cardinalium, etiam auctoritate pontificia confirmatæ pro opinione contraria.

199 Unde R. jam ad quæsitum: defacto DD. Parochi tenentur diebus saltem Festivis & Dominicis sacrificium suum applicare pro suis Parochianis. Ita jam tenet communior Theologorum, ac Jurist. Barbosa *de Officio Parochi part.* 1. *c.* 11. *num.* 10. Reinffestuel *lib.* 3. *decret. tit.* 41. *n.* 22. Item *lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 209. *& seqq.* Schmalzgrueber *lib.* 3. *tit.* 41. *nu.* 106. Fagnanus *in cap. Fraternitatem à num.* 93. Clericat. *de Sacrific. Missæ. decis.* 35. *num.* 4. Illsung. *tr.* 6. *dist.* 5. *num.* 168. Henno *disp.* 11. *quæst.* 10. *Concl.* 1. Kazenberger *Supplem. decalog.* P. Sporer. *cap.* 2. *Sect.* 1. *n.* 61. Kresslinger. *addit. post n.* 85. *Theol. Mor.* P. Reinffest. *dist.* 5. *&* novissimè D. Nicollis *in praxi Canonica Tom.* 1. *lit. C.* §. 1. *de Celebrat. Miss. num.* 131. Ratio autem, & fundamentum, meo judicio, sufficiens hujus, quantumvis rigidæ opinionis, desumitur (ut dixi) ex declaratione Cardinalium sæpius emanata, & repetita ad præsens dubium, *utrùm scilicet Parochus Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis & Festivis, sive habeat congruam, sive non?* Ad quod sub *die* 10. *Maji* 1692. Sacra Congregatio juxta alias declarationes censuit, *teneri, nec posse iisdem diebus aliam eleemosynam recipere*. Hocque decretum postea, *die* 24. *April.* 1699. Innocent. XII. *Bulla. Nuper à Congregatione* auctoritate sua Apostolica approbavit, & confirmavit, voluitque infallibiliter servari. Testatur etiam Reinffestuel *cit. l.* 5. *decret. tit.* 3. *num.* 218. hoc idem decretum in plena forma authentica à sacra Congregatione transmissum, sicque Reverendissimo, & Illustrissimo Domino Vicario Generali Frisingensi debita cum reverentia exhibitum, & ab eodem ut authenticum recognitum fuisse. Quare opposita Sententia, esto multis Doctoribus olim probabilis fuerit visa, defacto tamen post tot declarationes authenticas, post confirmationem etiam & ratificationem Pontificiam, mihi (salvo tamen meliori judicio) non ampliùs videtur satis tuta & practicabilis, nisi forsan quis prætendere possit, hujusmodi declarationes non esse in sua Diœcesi promulgatas aut receptas; quod ipsum tamen asserere difficultate sua non caret; eò quòd declarationes toties circa hanc quæstionem emanatæ se fundent in æquitate naturali, & jure divino, quod procul dubio utique acceptandum est.

Quæres quartò, possitne Sacerdos absque labe Simoniæ pro suo sacrificio recipere stipendium?

200 R. Pro ipso fructu Sacrificii, vel pro labore intrinseco, id est, inseparabili

à Sa-

à Sacrificio, uti est consecrare, dicere collectas &c. nequit Sacerdos prætendere vel acceptare stipendium absque nota simoniæ; bene tamen 2. pro sua sustentatione, vel etiam pro labore extrinseco, id est, non necessariò connexo cum Sacrificio, utputa quòd debeat legere sacrum tali hora, tali die, in hoc vel illo templo, aut altari, fortè etiam longiùs distante &c. Ita *communissimè DD.* Sporer *ubi suprà nu.* 356. Henno *disp.* 11. *q.* 16. *Concl.* 1. & 2. Babenstuber *cit. disp.* 5. *a.* 1. *nu.* 7. Ratio prioris inde patet: quia simoniacum est, accipere pretium temporale (uti est stipendium) pro re spirituali: atqui fructus Sacrificii, sicut & labor intrinsecus sunt quid spirituale: ergo pro his non licet accipere, multò minùs, prætendere stipendium; sicut nec pro Eucharistia, vel pro alio Sacramento. Ratio autem posterioris est: quia juxta effatum Christi *Matth.* 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Et certè recta ratio postulat, ut qui pro alio occupatur ministrando eidem spiritualia, ab eo sustentetur, temporalia recipiendo, juxta illud Apost. 1. *Cor.* 9. *Qui altari deserviunt, cum altari participant.* Quemadmodum ergo sine omni labe simoniæ etiam ex justitia prætendi potest panis, & vinum, item cera, tamquam alimentum ignis in Sacrificio requisiti; ita pari ratione jure meritò exigi potest cibus necessarius ad alimentum Sacerdotis, quippe qui est summè, immò magis necessarius ad celebrandum, quàm ignis ille &c. Idque non solùm de Sacerdote paupere, sed etiam de divite, vel aliunde habente suam sustentationem &c. procedit; Cujus ratio est: quia uterque celebrando exercet suum ministerium in gratiam alterius (pro quo scilicet celebrat) ergo unus æquè ac alter potest ab illo prætendere necessaria ad celebrandum; inter quæ meritò veniunt media pro sustentatione Sacerdotis necessaria.

Quæres quintò, quodnam censeatur justum stipendium intuitu sacrificii administrandum Sacerdoti?

201 R. Quantitas stipendii justi universaliter determinari non potest, idque ob diversitatem locorum, & valoris tum monetarum, tum etiam alimentorum &c. Nihilominus DD. in eo satis conveniunt, illud scilicet existimandum esse justum stipendium, quod vel Episcopali lege, vel consuetudine loci taxatum est, vel etiam communi piorum ac prudentum virorum usu dari, aut recipi solet. Ita Henno *loc. cit. concl.* 4. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 126. Sporer *n.* 357. Babenstuber *cit. disp.* 2. *a.* 2.

At (inquies) nunquid justè pro uno sacrificio exigere licet tantum, quantum mihi ceu honesto viro pro communi & frugali mensa uniusdiei sufficit?

202 R. Ita censuere Cajetanus & Navarrus: idque verum esse existimat P. Sporer, loquendo de beneficiato, qui quotidie sacrificium suum offerre, & pro fundatore, vel certè ad hujus intentionem applicare tenetur; quia consuetudo, & recta ratio suadere videntur, ut Sacerdoti toto anno celebranti pro certa persona, ab eadem retribuatur sustentatio annua. At verò loquendo de stipendio manuali, seu pro Missis non statis, omnino dicendum, non posse propterea à Sacerdote justè exigi integrum victum unius diei pro uno sacro. Ita hodie communissimè tenent DD. Vasquez, Suarez, Castropalao, Illsung, la Croix, Babenstub. *cit. n.* 7. Lyman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. 13. Gobat *num.* 563. Ratio est: quia communis usus Ecclesiæ & fidelium persuasio huic repugnat. Neque etiam æquitati consonum videtur, ut pro labore unius horæ, vel Semihorulæ exigatur victus unius diei, præsertim cùm Sacerdos aliis actionibus tum sacris, tum etiam civilibus honestis possit reliqua sibi necessaria promereri. Itaque ubi tale stipendium lege, vel consuetudine taxatum non est, debet sufficere illud, quod à prudentibus ac Deum timentibus dari ac peti solet. Minus tamen dimidia parte sustentationis communiter non permittit consuetudo in Germania nostra. In Italia pro Missa privata ordinarium stipendium est unus Julius: in Hispania unus Regalis: apud Germanos autem, majori victu indigentes ordinariè solent dari 5. circiter baccii. Ita Gobat, Layman, Sporer *cit. n.* 357.

Quæres adhuc sextò, an Sacerdos, qui pinguius stipendium accepit pro Missa, v. g. dimidium florenum, salva conscientia possit eam alteri committere legendam,

dam, dato eidem minori ſtipendio v. g. quinque bacciis?

203 R. Non licet hoc, niſi alter omnino ſponte & liberè conſentiat, velitque eſſe contentus. Ita conſtat ex Bulla Urbani VIII. *cùm ſæpe contingat.* edita 1625. ubi hoc ſeverè fuit prohibitum. Idipſum docuit Alexander VII. damnando ſequentem, *n.* 9. propoſitionem: *poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Et certè ſi hoc eſſet licitum, poſſet aliquis etiam non celebrando diteſcere; quod ſine periculo turpis lucri, & infamis negotiationis haudquaquam practicari poteſt.

204 Dixi tamen: *niſi alter liberè & ſpontè conſentiat &c.* Nam quemadmodum ille alius omnino gratis poſſet in ſe ſuſcipere onus talium Miſſarum; ita etiam poteſt ſponte ac liberè relinquere partem ſtipendii, & eſſe contentus reliqua v. g. 5. bacciis, ſeu 20. crucigeris, veluti communiſſimè notant DD.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Obligatione Miſſarum dicendarum pro ſtipendio.

CASUS PRIMUS.

Titio Parocho vi fundationis incumbunt multa ſacra annuatim legenda, pro quibus ſolito pinguius ſtipendium, ſcilicet pro ſingulis unum florenum, percipit: verùm quia non rarò contingit, ut vel infirmitate, vel aliis etiam functionibus parochialibus, v. g. exequiis celebrandis præpeditus, non poſſit per ſe ipſum ſatisfacere hujuſcemodi anniverſariis, hinc eadem committere debet alteri Sacerdoti legenda, dubitat tamen, an illi alteri teneatur dare totum ſtipendium, integrum ſcilicet florenum, an verò ſatisfaciat ſuæ conſcientiæ dando minus v. g. quinque baccios? Item dubitat 2. an hujuſmodi anniverſaria poſſit legere pro ſtipendio, quando ea incidunt in diem Feſtivum, vel in diem Dominicam? Quid Titio reſpondendum?

205 R. Ad primùm. Titius Parochus non tenetur dare integrum florenum, ſed ſatisfacit dando partem congruam v. g. 20. Crucigeros. Ratio eſt: tum quia tale ſtipendium adhuc eſt juſtum; tum etiam quia prohibitio Alexandri VII. & Urbani VIII. mox relata, non venit intelligenda de Beneficiatis, veluti ſatis communiter tenent DD. & teſte Lugo *de Euchar. diſp.* 21. *n.* 30. Sacra Congregatio idemmet declaravit; tum denique, quia ſi Beneficiatus vel Parochus ſubſtituit alium (ubi Fundator non requiſivit ſpecialiter, ut per ſeipſum ſatisfaciat) talis ſubſtitutio non adverſatur menti fundatoris, neque etiam ſapit periculum turpis lucri; præſertim cùm id fiat neceſſitatis cauſa, & aliunde prudenter præſumere liceat, fundatorem tantum ſtipendium non legaſſe præcisè pro Sacrificio, ſed vel maximè etiam pro ipſo onere perpetuo Beneficio annexo &c. &c. Et ita tenent præter alios plures Sporer *nu.* 366. Illſung. *tract.* 6. *diſt.* 5. *num.* 169. Babenſtuber *tr.* 8. *p.* 4. *diſt.* 5. *art.* 2. *nu.* 11. La Croix *l.* 4. *num.* 820. Item *l.* 6. *pag.* 2. *num.* 131. Ubi ait, idipſum licitè fieri à Capellano amovibili, ſi ſcilicet habeat Miſſas perpetuò legendas, pro quibus recipit pinguius ſtipendium.

206 R. Jam ad ſecundum. Titium tuta conſcientia poſſe legere hujuſcemodi Miſſam annuam, ſi hæc incidat in diem Feſtum, vel in Dominicam. Ratio eſt: quia, tametſi S. Congregatio declaraverit, Porochos, qui redditus pingues habent, ſingulis diebus teneri ad applicandum Sacrificium pro ſuis Parochianis, hæc tamen declaratio (inquit P. Kreſslinger *in addit. poſt n.* 86 *ad diſt.* 5. *Theol. mor.* P. Reinffeſtuel) intelligenda eſt diſcretè cum grano ſalis, excipiendo ſcilicet anniverſaria, exequias, & ſimiles obligationes Parocho ex officio incumbentes; non enim eſt veroſimile, quòd eadem S. Congregatio vi declarationis mox allegatæ voluerit quidpiam præjudicare functionibus, & obligationibus jam aliunde vi Officii incumbentibus Parocho, quas inter utique recenſenda eſt perſolutio Miſſarum, annuatim ex fundatione legendarum.

Dices

Dices adhuc: Ego sum Sacerdos simplex & pauperculus, obtinuique nuper à bono quodam amico 200. Sacra legenda pro 100. Florenis: ergone illicitè agam deferendo medietatem illorum, 100. scilicet alteri legenda, & dando illi 30. duntaxat Florenos?

107 R. Quantumvis pauperem te dicas, neutiquam tamen licitè hoc practicabis, nisi hæc Sacra cum tanto stipendio ab eo qui stipendium præbuit, intuitu paupertatis tuæ sublevandæ tibi sint concredita, vel nisi alter sponte & voluntariè velit tibi relinquere reliquam partem stipendii. Ratio hujus est: quia regulariter loquendo (inquit Layman. *cit. n.* 14.) censetur esse voluntas stipendium dantis, ut vel ipse Sacerdos, cui præbet stipendium, sacrificet, vel si hoc alteri commendare velit, totum ei stipendium largiatur. Nec refert, si dicas, alterum libenter acceptare hoc onus pro 30. Florenis; nam si id faciat ex eo duntaxat, quia hìc & nunc non potest obtinere Sacra pro pinguiori stipendio, tuque eidem majus dare non vis, vel quia ignorat, te accepisse pinguius stipendium pro iisdem sacris, nequaquam tutus eris in conscientia, quemadmodum à vitio usuræ immunis non esses, si alius quispiam vi mutui tibi aliquid daret ideò tantùm, quia timet, ne alioquin mutuum à te non accipiat, nunquam daturus, si constaret, se à te, vel ab alio sine tali onere posse obtinere mutuum. Meritò proin Gobat Sporer, Babenstuber, & alii dicunt, rem hanc non vacare periculo gravis peccati.

At, inquies forsitan, novi idipsum practicatum fuisse à Religiosis, quòd scilicet unus Superior alteri alterius Conventus transmiserit Sacra legenda, retenta sibi parte stipendii.

208 R. De hoc mihi non constat; benè verò de eo, quòd etiam nostri Superiores locales, Guardiani scilicet, Sacra pro *defunctis nostris Confratribus legenda* (pro quibus utique nullum recipiunt stipendium) committant aliis, sibi verò & suo Conventui retineant Sacra à Benefactoribus stipendio conducta, in quo nullum prorsus inconveniens apparet. Dato tamen etiam casu tuo, Respondeo cum nostro P. *Elbel Theol.* P. I. Sporer *cit. n.* 371. id nulla alia ratione fieri, vel excusari posse, quàm tacito saltem Consensu Ministri, aut Capituli Provincialis, cujus est, de eleemosynis Conventuum transferendis vel non transferendis disponere, quod viderit magis expedire in Domino, partim etiam ob Consensum saltem tacitum dantium stipendium; qui vel ideò etiam faciliùs consentire meritò præsumuntur, quod ipsimet noverint, Fratrum bona debere esse communia, ait Sporer *l. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius competens stipendium accepit pro duobus sacris, quorum unum petebatur pro defuncto, *alterum verò* pro defunctis, *utrumque tamen* in altari privilegiato *celebrandum. Verùm quia altare illud non nisi semel per Septimanam gaudebat privilegio, hinc ne ob alia jam pridem in se suscepta hæc duo cogeretur Sempronius nimis diu differre, utrumque legit in altari non privilegiato. Nihilominus conscientiæ stimulis nonnihil agitatus jam dubitat, an suæ obligationi satisfecerit. Quid respondendum?*

209 R. Legendo Missam pro defunctis petitam, satisfecit quidem suæ obligationi, non item legendo Missam pro defuncto in altari non privilegiato. Ratio disparitatis est hæc: quia celebrando in altari privilegiato poterat animæ illius defuncti impetrare privilegium indulgentiæ plenariæ, quod non poterat, legendo pro pluribus defunctis; quia hoc privilegium duntaxat concedi solet pro uno vel una defuncta: ergo legendo in altari non privilegiato pro defuncto, defraudavit animam hujus indulgentia illa, cujus intuitu fideles plerumque solent petere Missas in Altaribus privilegiatis legendas, consequenter huic intentioni & obligationi in se susceptæ non satisfecit, esto satisfecerit alteri intentioni, scilicet pro defunctis, ob rationem jam datam.

Dices. Si Sempronius in alio altari non privilegiato celebrando non satisfecit suæ obligationi, tunc teneretur vel restituere stipendium, vel certè aliud Sacrificium pro eodem defuncto in altari privilegiato cele-

celebrare: utrumque autem videtur non minùs difficile, quàm absurdum; quandoquidem fructum ministerialem sui Sacrificii jam applicaverit pro illo defuncto: ergo &c.

210 R. Multis Doctoribus id nequaquam videri absurdum; unde Gobat *tr.* 3. *n.* 576. cum Castropal. & Azorio censet, talem Sacerdotem obligari ad aliud Sacrificium pro defuncto offerendum. Fateor tamen, ob rationem jamjam allatam, & mihi difficile videri condemnare illum ad aliud Sacrificium offerendum; quemadmodum enim dans stipendium non petit duo Sacrificia, neque duplicis Sacrificii fructum; ita nec Sacerdos acceptando illud præsumi debet, se voluisse ad hoc obligare: quare, cùm præter Sacrificium jamjam oblatum pro defuncto nihil aliud prætendi valeat, quàm privilegium Altaris, seu indulgentiæ plenariæ, hinc ego cum nostro P. Kazenberger *in Supplem. Theol. Sacram.* P. Sporer *in c.* 3. *n.* 137. & Kresslinger *in addit. post n.* 49. *dist.* 5. P. Reinsfestuel judico probabile, quòd Sempronius noster ad nihil ampliùs teneatur, quàm, ut in complementum suæ obligationis conetur devotè lucrifacere indulgentias plenarias, concessas intuitu communionis generalis, vel etiam obeuntibus viam Crucis, easdemque pro eodem defuncto applicare. Vide etiam de hoc, si placet, P. Babenstuber *cit. disp.* 5. *a.* 3. *n.* 16. & 17. vel Sporer *num.* 355.

CASUS TERTIUS.

Ajus simplex Beneficiatus pèrcipit è suo beneficio valdè pingues redditus, sed ob amissas fundationis litteras, jam ignorat obligationem suam claram, etsi sciat confusam, dicendi scilicet Missam perpetuam; unde quærit & scire cupit, an ad quotidianam, vel ad quot in hebdomada, mense, aut anno Missas obligetur? 2. an teneatur facere compensationem sacrorum hactenus neglectorum? Casum hunc vix non iisdem terminis proponit P. Gobat *tr.* 3. *num.* 473. & quia hic est valde practicus, magnique momenti; hinc placuit eundem referre. Jam verò cum eodem Doctore *l. cit.*

211 R. Esse gnaviter indagandum, unde constet Cajo, quòd sit obligatus ad Missam perpetuam, utrùm scilicet exemplo suorum Antecessorum, vel ex relatione antiquorum, vel ex aliqua Scriptura, vel denique ex consuetudine locorum? Et si quidem Antecessores semper existimarunt, se obligatos ad quotidianum Sacrum, vel si hoc asserant Antiquiores, aut ex Scriptura aliqua, vel consuetudine loci constaret de hoc, eo scilicet, quòd alii Beneficiati habentes consimiles pingues redditus ad hoc sint obligati, etiam Cajus se obligatum credere debet, veluti bene probat Gobat, *l. cit. n.* 476. & 477. nam factum præsumitur ab eo, qui erat obligatus facere. Maschard. *de Probat. Conclus.* 734. & juxta *l. semper* 34. *ff. de R. I. id sequamur* (oportet) *quod in regione, in qua aliquid actum est, frequentatur*. Secus dicendum si aliunde de contrario constaret.

At quid, si omnibus pensatis maneat dubium, an Cajus sit obligatus ad quotidianum Sacrum vel non?

212 R. Cum eodem Doctore, in eo dubio esse obligandum; tum quia inspicimus in obscuris, quod plerumque fieri solet, *cap. in obscuris de R. I. in* 6. Et omnes sumunt argumentum à consuetis, juxta Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 18. *num.* 5. atqui plerumque in particularibus Ecclesiis totius Orbis fieri solet, ut pingues Capellaniæ habeant annexum hujusmodi onus: ergo &c. tum etiam quia per Missam *perpetuam*, non possumus intelligere illam, quæ fiat singulis annis, vel etiam singulis septimanis semel duntaxat; foret enim nimia inæqualitas inter datum & acceptum, quam tamen maximè aversatur justitia, ait Gobat *l. cit. num.* 479. ubi etiam citat pro hac opinione S. Thomam 2. 2. *q.* 62. *a.* 11. Vide etiam Kresslinger *cit. addit.* 1. & 2. *post n.* 103.

213 R. Jam ad secundam quæsiti partem. Cajus per se loquendo tenetur facere aliquam compensationem ob Sacra neglecta, & quidem per alia Sacra. Ratio est: quia acceptum ob causam, causa non secuta, obnoxium est restitutioni. Quare si mala fide omisit, tenetur tot sacra, sive per se, sive per alium legenda, supplere, quot omisit; quia nemo de sua negligentia commodum

modum reportare debet, *cap. intelleximus de judic.* at verò si bona fide omisit, utpote inculpabiliter ignorans obligationem suam, tunc non tenetur ad compensanda quotidiana sacrificia, sed duntaxat ad restituendum tantum, quantùm per illas decimas vel redditus factus est ditior, juxta communissimam doctrinam & Regulam restituendi, tradi solitam de possessore bonæ fidei: adeoque pro illo quanto tenebitur vel ipse legere sacrificia, vel curare ut ab alio legantur. Ita in re Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de orat. c. 39. n. 11.* Tamburinus *lib. 3. de sacrif. c. 1. §. 3 n. 21. & seqq.* Navarrus, Bonacin. & alii plures, quos citat, & sequitur Gobat *cit. n. 480.* *Ubi n. 481. in fine* mox subdit, in ejusmodi dubiis pro majori securitate consulendum esse Ordinarium.

Dices: At quid, si talis Beneficiatus per annum infirmetur, tenebiturnè quotidianum sacrificium per alium supplere?

214 R. Probabiliter non tenetur, si ad breve tempus duntaxat v. g. ad unam vel alteram septimanam, immò (juxta opinionem Lugonis & Laymanni) ad unum etiam mensem infirmetur. Ratio colligitur à pari; nam etiam temporalis Herus, tametsi jure detrahere posset à mercede famuli propter ejus ægritudinem, ut multi deducunt ex *l. si uno. §. item, cùm ff. locati*; si tamen pius & benignus est, non facilè detrahere solet, quando ægritudo brevi tempore duravit; ergo idem meritò præsumere licet de voluntate pii fundatoris respectu beneficiati ad breve tempus ægrotantis. Reinffestuel *cit. dist. 5. n. 88.* Layman *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 7.*

Dices iterum. Quid si autem talis Beneficiatus una duntaxat vel altera vice sacrum sponte intermittat seu negligat? Et quid si illud in alio altari, vel pro alio quodam offerat?

215 R. primò. Beneficiatus obligatus ad quotidianum sacrum, potest aliquoties pro se vel etiam pro suis propinquis & Benefactoribus defunctis illud applicare. Quoties autem id liceat, non ita concordant Doctores. Gobat, eumque secutus la Croix *l. 4. n. 830.* tenent, posse id fieri per annum quinquies aut sexies, vel omnino sæpiùs. Quin etiam, ubi hæc obligatio non est imposita à fundatore specialiter ratione alicujus loci sacri, vel ob commoditatem populi, sed potiùs intuitu Personæ, seu Beneficiati, putant Navarrus, Diana *p. 2. tr. 14. Resolut. 28.* Reinffestuel *cit. nu. 89.* posse Beneficiarium quandoque etiam semel in septimana abstinere à celebratione. Rationem hujus desumunt, tum ex mente fundatoris, qui rationabiliter creditur, non voluisse tam strictè obligare, ut Beneficiario nunquam prorsus voluerit esse liberum, vel abstinere à sacro, vel illud pro se aut suis offerre &c. tum etiam ex *cap. significatum de præbend.* ubi de obligato ad quotidie celebrandum dicitur, *eum teneri quotidie extra casum infirmitatis celebrare, salva honestate sua & debita devotione;* quæ cùm ob mundanos casus nonnunquam impediri soleat, videtur præbere causam justam abstinendi à sacrificio. Rectè tamen inferunt DD. hujusmodi Beneficiatum (supposito quòd celebret) non posse suum sacrificium pro stipendio ab alio acceptato applicare; prudenter enim præsumere non licet, hanc fuisse mentem fundatoris. Reinffestuel *cit. num. 90.* Gobat. *tract. 3. num. 584.* Pasqual. *de sacrific. q. 1194.*

216 R. Jam secundo. Is, qui titulo fundationis, vel ex alia conventione, ratione scilicet recepti stipendii tenetur in certa aliqua Ecclesia, vel in certo altari celebrare, per se loquendo peccat ad minùs venialiter, alibi celebrando. Ratio est: quia rationabilis, piaque voluntas fundatoris, vel dantis eleemosynam pro celebratione Missæ est adimplenda: hoc autem non facit, qui alibi celebrat &c. Nihilominus si ex gravi & rationabili causa id fiat, utputa quia Ecclesia vel altare, in quo sacrificandum esset, est profanatum, vel quia d sacristia egressus invenit altare jam ab alio præoccupatum &c. in tali casu nullum omnino committet peccatum alibi celebrando. Faciliùs etiam excusari potest à gravi peccato Beneficiatus, si admodum raro, utputa bis vel ter in anno, vel semel aut bis in mense mutet Ecclesiam; & adhuc faciliùs, si in Ecclesia præscripta celebrando, solum mutet altare, etsi illud alterum, in quo debuisset celebrare, fuisset privilegiatum. Lugo *de Euchar. disp. 21. num. 36.*

Herincx *d. 8. nu.* 185. Babenstuber *part.* 4. *disp.* 5. *art.* 3. *a n.* 11.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

217 Colliges ex dictis primò, Sacerdotem, qui Sacrum alteri titulo justitiæ debitum negligit celebrare, per se loquendo peccare mortaliter. Ita omnes, teste Layman *cit. tr.* 5. *c.* 3. *n.* 6. & Sporer *n.* 353. Ratio est: quia negligit satisfacere obligationi justitiæ in materia gravi: at hoc fieri nequit sine gravi delicto: ergo &c. Quo tamen non obstante existimat idem Sporer cum Gobat, Fagundez & Dicastillo, eum, qui pro sacro parvum duntaxat stipendium accepit v. g. tres baccios &c. non delinquere, nisi venialiter; quia gravitas culpæ in hoc casu dimetienda venit à gravitate stipendii: idque facilè credo, si is, qui præbuit stipendium, fuit saltem mediocriter dives. Nihilominus certum esse debet, quòd talis Sacerdos tuta conscientia non possit sibi retinere stipendium acceptum, sed teneatur illud vel Domino restituere, vel certè sacrum pro eo legere: secus enim nunquam satisfieret justitiæ.

Dixi etiam: *qui sacrum titulo justitiæ debitum negligi &c.*

218 Nam qui sacrum alteri ex sola fidelitate debitum & promissum negligit, venialiter duntaxat peccat, nisi expresssè intendisset se graviter obligare. Et ratio est: quia promissio liberalis, etsi de re gravi, non parit obligationem gravem per se loquendo. Nec refert, quòd sacrificium Missæ à parte rei sit res magni momenti; quia à fidelibus non solet adeò magni fieri, ait Sanchez apud Sporer *l. cit.* maximè quando ipsis nihili constat. Vide tamen & observa, quæ diximus mox suprà *confer.* 17. *n.* 184.

219 Colliges secundò, etiam illum Sacerdotem graviter posse delinquere, qui sacrificium ex justitia debitum nimius diu differt. Ita cum *communi* Bonacin. Henno, Gobat, la Croix & Herincx *n.* 181. Ratio est: quia potest contingere, ut is, qui stipendium dedit, omnino fraudetur fructu sacrificii, ut si illam petiit pro impetranda sanitate, vel pro felici partu, aut pro evadendo præsenti periculo &c. Missa autem primùm legatur, posteaquam æger, vel etiam mulier in partu jam occubuit &c. Quin etiam in tali casu tenetur Sacerdos ad restitutionem; quandoquidem suæ obligationi non satisfecerit. Ex quo liquet, Urbanum VIII. in suo decreto de Celebratione Missarum §. 8. Sapienter resolvisse, quòd *eleemosynas manuales & quotidianas ita demum Sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis.* Ita Urbanus *l. cit.* Secus tamen dicendum foret, si tribuens eleemosynam pro celebratione Missarum sciat & consentiat, ut illæ tunc primùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, veluti declaravit Congregatio Cardinalium, videnda apud Reinffestuel, Gobat, La Croix & alios.

Dices. At quanta dilatio nimia censeri debet?

220 R. Non conveniunt DD. in hoc; aliqui enim putant dilationem unius; alii verò duorum mensium dilationem non esse nimiam existimant. Verumtamen cum P. Gobat, Sporer, Dicastillo aliisque multis puto, in hac re spectandam potissimùm esse voluntatem rationabilem illius, qui stipendium obtulit. Etenim ratio sana dictat, sacrum pro instanti necessitate v. g. pro felici partu, aut pro felici fine, vel etiam pro impetranda sanitate &c. tamdiu differri nec posse, nec debere, quamdiu differri potest sacrum petitum in honorem alicujus sancti v. g. Antonii pro gratiarum actione. Ratio facilè colligetur ex mox dictis: quia præbens stipendium in priori casu tam facilè non ferret dilationem, quàm facilè in posteriori; quandoquidem in priori urgeat necessitas, non item in posteriori. De quo videri possunt Gobat *tract.* 3. *nu.* 597. Sporer *nu.* 354. Babenstuber *art.* 3. *nu.* 21.

221 Colliges tertiò, haudquaquam licitum esse, pro uno eodemque Sacrificio plura acceptare stipendia. Ita hodie communissima, & certa sententia DD. Ratio funda-

damentalis hæc est: quia cùm valor Sacrificii sit finitus duntaxat & limitatus, sequitur necessariò, quòd in plures divisus nequeat esse tantus, quantus est, si uni soli applicetur: ergo cùm quivis ex offerentibus stipendium velit obtinere totum fructum, unum, idemque Sacrificium pro pluribus stipendium integrum præbentibus nunquam satisfaciet singulis, sed alteruter, immò uterque necessariò fructu optato, vel certè quantitate fructus desiderati defraudabitur. Ex quo rursus liquet, quàm justè S. Pontifex Alexander VII. a. 1665. sequentem n. 10. propositionem damnaverit: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Sporer n. 361.

222 Neque etiam excusaberis ex eo, quòd intendas alteri fructum tuum specialissimum applicare; etenim ille alter præbendo tibi stipendium non postulavit fructum specialissimum, sed ministerialem, seu medium, & quidem totum. Et certè multi DD. meritò dubitant, an Sacerdos fructum suum specialissimum, hoc ipso, quòd talis sit (Sacerdoti scilicet proprius) alteri valeat applicare: ergo vi hujus intentionis te non liberabis ab onere suscepto. Hac de causa idem Alexander VII. damnando rejecit sequentem inter alias n. 8. propositionem: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet Sacerdoti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII. Vide* de hoc Clericatum *de Sacrificio. decis.* 35. n. 33.

Dices forsitan: At sum aliunde pauperculus, & habeo multa sacra ex fundatione annuatim legenda, pro quibus recipio valde exiguum stipendium (utputa 12. aut 15. crucigeros) hisce temporibus in nostra Patria inusitatum: ergone non satisfaciam legendo & applicando unum Sacrificium pro duobus tam exiguis stipendiis?

223 R. Non satisfacies, aut certè nunquam eris securus in tua conscientia hoc practicando, prout facilè colliges ex sequenti Decreto Cardinalium, emanato 1652. & ab Urbano VIII. confirmato: *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua, exigua, sive ab uno, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum, sacerdotibus, Ecclesiis &c. sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita, ut alioquin, ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant, quinimmò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur &c.* Quia tamen negari non potest, quin tale onus sæpe sæpiùs pauperculis sacerdotibus (sive Sæcularibus, sive etiam Regularibus) nedum grave accidere, sed etiam in laqueum animarum vergere natum sit; hinc modernus sanctiss. Pontifex Benedictus XIII. *in Concilio Romano a. 1725. celebrato tit. 15. cap. 8.* Clementer concessit Episcopis, qui vel per se, seu personaliter, vel legitimè impediti per alium Procuratorem eidem Concilio interfuere; ut hujusmodi Sacra possent reducere ad numerum correspondentem eleemosynæ, seu etiam stipendio in tali Provincia dari consueto. Idcirco tibi consulo, ut pro majori animæ tuæ quiete ad Reverendissimum tuum Ordinarium causam hanc deferas, qui pro sua pastorali sollicitudine hujuscemodi reductionem procul dubio faciet, aut, si fortè hac facultate non gaudeat, eam de facili Roma impetrabit, prout ego factum fuisse certò novi. Vide de hoc *Concil. Rom. l. cit.* cui, si placet, adjunge P. Kressliinger *in addit. Theol. Moral.* P. Reinffestuel *post num. 91. tract. 14. dist. 5.* Gobat *tract. 3. num. 567. & seqq.* Sporer *num. 362.*

Colliges ex hactenus dictis quartò, à fortiori Edituis, aliisvè Sæcularibus illicitum esse, retenta parte stipendii alteram tantùm dare Sacerdoti pro Sacrificio celebrando. Nefas itidem est, si hæres de stipendio à defuncto pro sacris relicto partem sibi retineat. Ratio est clara: quia hoc nimium adversatur voluntati eorum, qui præbuere stipendium: & quoad hæredem obstat illa clarissima decisio juris *c. ultima*

ma 13. *q.* 2. ultima defuncti voluntas omnibus modis servari debet. Ita Sporer *Theolog. Sacram. p.* 2. *c.* 5. *Sect*: 4. *n.* 371. *fin.* ubi etiam citat Tambur. *Opusculo de Sacrif. lib.* 3. & Gobat *Alphabet. Sacrificant. Cas.* 16. & 17.

CONFERENTIA

DECIMANONA,

De Tempore, & loco Sacrificandi.

SUMMARIUM.

225 *Tempus Ordinarium celebrandi incipit ab aurora, & finitur in meridie.*
226 *Nomine Auroræ intelligitur prima irradiatio lucis;*
227 *Quæ non Mathematicè, sed moraliter sumenda est.*
228 *Cuilibet Sacerdoti ritè disposito permissum est quotidie celebrare: & quid de triduo ultimo hebdomadæ sanctæ.*
229 *Defacto tamen nemini licet pluries eadem die sacrificare, nisi in Natali Domini, & in casu veræ necessitatis.*
230 *Prohibitum etiam est, omnes tres Missas media nocte natalitia dicere, aut in eis communicare alios.*
231 *Sacrificium de jure Ordinario offerendum est in templo vel alioloco sacro.*
232 *Excipitur tamen ab hac regula Casus necessitatis.*
233 *Item Casus, quo Sacerdos, quantùm ad hoc, dispensatur ab Episcopo.*
234 *Idem Privilegium super Altare portatili in loco non sacro celebrandi olim à diversis Pontificibus fuit concessum diversis Religiosis:*
235 *Huic tamen Privilegio hodie per Concilium Tridentinum, & Clementem XI. probabiliùs derogatum fuit.*
236 *In Ecclesia polluta celebrare, nefas est.*
237 *Ecclesia quinque modis pollui potest: & quid ad hoc requiratur.*
238 *Celebrans ante dictum Matutinum & Laudes, probabiliùs peccat venialiter: si tamen rationabili de causa hoc faciat, non peccat.*
239 *Resolvitur Casus I. cujusdam Capellani aulici, qui ordinariè cogitur celebrare hora 12. & frequenter etiam hora prima, vel medio secundæ.*
240 *Hoc secundum per se loquendo non est licitum, nisi in quibusdam casibus jure exceptis.*
241 *Resolvitur Casus II. de quodam Religioso, qui, ne die Festivo integra Communitas destitueretur Sacrificio Missæ, ad instantiam Domini Parochi binavit, etsi non ampliùs jejunus.*
242 *Recensentur breviter nonnulli Casus, in quibus Ecclesia permittit, duas vel adhuc plures Missas ab uno Sacerdote celebrari.*
243 *Utrùm etiam diebus ferialibus licitum sit binare, id est, bis ad aram litare.*
244 *Resolvitur Casu III. de quodam Juvene, qui, quòd in Ecclesia procuraverit pollutionem, ab alio viro honesto graviter percussus fuit, non sine multa sanguinis effusione.*
245 *Si pollutio illa occultè duntaxat fuisset procurata, propterea Ecclesia non fuisset polluta.*
246 *Et quid Sacerdoti agendum, si inter celebrandum audiat, Ecclesiam fuisse pollutam per actionem injuriosam.*
247 *Polluta Ecclesia simul censetur pollutum cœmeterium eidem contiguum*
248 *Quo modo talis Ecclesia sit reconcilianda.*
249 *Neutiquam tutum, aut consulendum est, ut Religiosus vi privilegiorum hodie præsumat celebrare in loco non sacro &c. nisi Episcopus id expressè concedat.*
250 *Nihilominus si Religiosus infirmitate detentus nequeat egredi cellam, licitè in eadem celebraret &c.*
251 *A fortiori possunt Religiosi in suis infirmariis extruere altare portatile in ordine ad celebrandum, vel communicandum &c.*
252 *Quin etiam in aliis locis sibi propriis eri-*

erigi posse à Religiosis oratoria, multi probabiliter tenent.

253 *Neutiquam tamen id possunt in locis sibi non subjectis.*

254 *An, vel quomodo Romæ impetrari possit privilegium, seu licentia pro Sæcularibus, in domibus illorum erigendi Oratorium.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Tempore, & loco Sacrificandi.

QUæres primò, quo tempore SS. Missæ Sacrificium offerre liceat?

225 R. Tempus ordinarium celebrandi Missam incipit ab Aurora, & terminatur in meridie, id est, hora diei (juxta computationem horologii nostri germanici) duodecima. Ita communissimè DD. & patet ex Rubricis Missalis, *tit. de Defectibus in Ministerio ipso concurrentibus*, ubi *num.* 1. dicitur, quòd *Tempus debitum celebrandi sit ab aurora usque ad meridiem communiter.* Quocirca tamen

226 Notandum venit 1. nomine *Auroræ* non intelligi ipsum ortum solis, sed primam solis irradiationem, quando scilicet aliquid lucis apparet. Esto autem hoc crepusculum non sit æquale in omnibus locis, ordinariè tamen solet incipere vel hora integra, vel quadrante, vel omnino sesqui hora ante ortum solis.

227 Notandum secundò hoc tempus *auroræ* non mathematicè, sed potiùs moraliter considerandum, & computandum esse, proptereaque Doctores satis communiter inferunt, posse Missam inchoari duabus horis ante ortum solis, ita, ut circa initium auroræ finiatur. Quin immò tempore hyberno recepta consuetudo in partibus nostris septentrionalibus obtinuit, quòd Missa tribus, aut omnino quatuor horis ante solis ortum celebretur; eò præsertim, quòd valde conveniens videatur, ut homines, priùs, quàm laboribus suis manualibus sese dedant, Sacrosancto Missę Sacrificio assistant, à Deo Eucharistico petituri & impetraturi, ut is benedicat operibus manuum suarum. Layman *l.* 5. *t.* 4 *n.* 3. Reinffestuel *dist.* 5. *n.* 106.

Quæres secundò, sitnè cuilibet Sacerdoti permissum quotidie ad aram Deo litare?

228 R. Cuilibet ritè disposito permissum est, exceptis duntaxat tribus diebus postremis hebdomadæ Sanctæ. Ita rursus *DD. satis communiter*. Et prior quidem pars hujus responsionis est certa, atque decisa *cap. consuluisti de celebrat. Missar.* confirmaturque receptissima praxi universalis Ecclesiæ. Posterior verò pars desumitur, ac probatur ex recepta Ecclesiæ consuetudine, inquit Reinffestuel. Et quòd in in die Parasceves non sit licitum celebrare, fatentur omnes. Major tamen controversia movetur de feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto: quocirca Layman, Suarez, Barbosa, eosque secutus Gobat. *tr.* 13. *n.* 219. *& seqq.* censent, non esse prohibitum etiam hisce duobus diebus privatim celebrare, modò id feria quinta fiat ante, & Sabbato S. post officium solemne: idipsum tenet la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 231. & mordicùs defendit Babenstuber. *tr.* 8. *p.* 4. *d.* 8. *a.* 1. *n.* 6. At verò P. Kresslinger *in suo supplemento*, *addit. post. n.* 310. *ad tr.* 14. *d.* 5. P. Reinffestuel existimat, huic opinioni moderno tempore non ampliùs esse locum in praxi, eò quòd à S. R. C. & à Clemente XI. 23. *Martii* 1701. item 20. *Aprilis* 1707. interdictum fuerit, die Jovis, aut Sabbato Sancto, in una, eademque Ecclesia, præter Missam solemnem dicere aliam privatam: id ipsum de Sabbato Sancto jam ante declaraverat S Congregatio *die* 12. *Febru.* & iterum *die* 11. *Martii* 1690. etiam non obstante contraria consuetudine. Quare, si Festum S. Josephi, vel Annuntiationis incideret in illum diem jovis hebdomadæ sacræ, possunt celebrari aliquæ Missæ privatæ ante solemnem, ut populus adimplere valeat commodiùs præceptum audiendi Missam. Quando autem simile festum, occurreret Sabbato Sancto, vel die Parasceves, transfertur etiam in foro, & quoad præceptum audiendi Missam, post pascha usque, ex decreto congregat. 11. *Martii* 1690. ita vix non in terminis P. Kresslinger, Censeo tamen quoad hoc attendendas esse locorum

consuetudines; quia memorata decreta non ubivis satis promulgata, vel certè non uniformiter sunt recepta, veluti praxis nos docet.

Quæres tertiò, sitnè aliquando licitum ab uno Sacerdote plures Missas eadem die celebrari?

229 R. Defacto id non ampliùs, licet, præterquam in die Nativitatis Domini, & in casu veræ necessitatis. Ita statutum legitur *c. consuluisti, & c. te referente. de celebrat. Missar. juncto c. sufficit. de consecrat. dist.* 1. ubi redditur hæc ratio: *non modica res est, unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest.* Quòd autem in die Nativitatis Domini cuivis Sacerdoti liceat tres Missas dicere, patet, tum ex ordinatione Missalis, tum etiam ex praxi Ecclesiæ; etsi nullus per se loquendo sit obligatus tres missas dicere, sed cuilibet liberum est ex tribus dicere unam, quam maluerit: melius tamen facit, qui volens unam duntaxat Missam celebrare, legit tertiam, utpote cujus oratio concordat cum officio diei.

230 Id solùm hìc breviter annotare placuit; scilicet, defacto non ampliùs esse licitum, dicere omnes tres Missas media nocte, aut in eis communicare alios, veluti liquet ex decreto S. R. Congregationis, emanato 8. *decembris* 1702. sequentibus omninò verbis: *non licet in media nocte Nativitatis dominicæ celebrare successivè alias duas missas, & in eis communionem Sacram exhibere, sed utrumque omnino prohibitum &c.* Et hoc decretum in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi ubique promulgari & observari voluit Celsissimus, noster LEOPOLDUS ANTONIUS &c. &c. Cæterùm, quandonam censeatur urgere necessitas ad binandum seu duas, vel plures omnino Missas eadem die dicendas, patebit ex dicendis *n.* 242.

Quæres quartò, quo loco SS. Missæ Sacrificium sit offerendum?

231 R. De jure ordinario offerendum est in templo, ab Episcopo consecrato aut benedicto, vel saltem in Oratorio ad Dei cultum consecrato, & per Episcopum ad hoc designato. Reinffestuel *cit.* Herincx *disp.* 8. *n.* 109. *& seqq.* Et ita statuitur *c. Nullus. de consecr. dist.* 1. item in Concil. *Trident. sess. 22. cap. de observand. in celebrat. Missar.* Idque meritò; quia Ecclesiæ visum fuit id expedire, tum ad debitam reverentiam hujus Sacrificii & Sacramenti; tum etiam ad majorem devotionem fidelium. Ex quo Doctores communiter inferunt, transgressores hujus saluberrimi statuti, peccare mortaliter, eò quòd in re gravi violent præceptum Ecclesiæ.

232 Dictum tamen fuit: de jure ordinario offerendum esse in Ecclesia &c. &c. Ab hac enim regula excipiendus est primò Casus necessitatis, qualis censetur intervenire. 1. si Sacerdos longa peregrinatione in partibus infidelium vel hæreticorum constitutus, non habeat copiam loci sacri, in quo Deo litare valeat. 2. si Ecclesiæ sint dirutæ 3. si locus sacer sit ita parvus & exiguus, ut propterea multi fidelium die festo non possent interesse Sacro. 4. Si Milites in castris constituti, vel in mari navigantes diebus festivis deberent carere Sacro &c. in his ac similibus casibus licitè sacrificaretur in loco non Sacro, de se tamen honesto atque decenti, modò id fiat supra altari portatili. Ita communissimè tenent DD. Suarez, Layman, Castropalao, Gobat, Reinffestuel & Babenstuber *cit. disp.* 9. *a.* 1. *n.* 3. *& seqq.*

233 Excipiendus est secundò Casus, quo Episcopus dispensat; etenim quod ex diversis juribus *c. Missarum. de consecrat. dist.* 1. item *c. ult. de privileg. in* 6. (non obstante etiam decreto Concilii Trid. *de observand. & evitand. in celebrat. Missæ*) Episcopi ex rationabili causa possint concedere facultatem super altare portatile in loco etiam non Sacro celebrandi, meritò tenent Babenstuber, Illsung. *tr.* 6. *disp.* 5. *n.* 151. aliique multi: id quod etiam confirmatur ex praxi, vi cujus novimus, Episcopos Germaniæ hanc facultatem concedere; & efficacissimè confirmatur ex decreto à moderno Summo Pontifice Benedicto XIII. anno 1725. in Concilio Lateranensi facto, ubi confirmavit constitutionem Innocentii XIII. *Apostolici Ministerii* &c. in qua declaratur, quòd *probibitio facta Episcopis de non erigendis altaribus in domibus laicis. &c. intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi*

Epis-

Episcopi fortè - - - excipiuntur &c. Videatur de hoc Concil. *cit. in Appendice §. 16. n.22.* vel P. Hresslinger *addit. 6. post n.146. dist. 5.* P. Reinffestuel.

Dices: Sed quid hodie tenendum de privilegio Fratribus Prædicatoribus & Minoribus olim concesso *cap. in his 30. de privileg.* Vi cujus ipsis permittebatur, ut super altare portatile etiam extra Ecclesiam, vel oratoria, in loco tamen honesto, litare possent &c?

234 R. Juxta opinionem P. Babenstuber *l. cit. n. 10.* neque huic privilegio vi Tridentinæ constitutionis derogatum est; tum quia privilegio inserto corpori juris communis (quale est hoc) non censetur derogatum, nisi clarè constet de revocatione ejusdem, uti hic non constat; tum etiam, quia juxta Regulam traditam ab Alexandro VI. 1501. *quando oritur dubium in intellectu privilegiorum Regularium semper per Jurisperitos, & alios Judices in favorem Regularium facienda est interpretatio.* Ita Babenstuber.

235 Nihilominus quoad hoc adstipulor P. Reinffestuel in suo jure can. *lib. 3. tit. 41. de celebrat. Miss. n. 5. & seqq.* ubi is ostendit per decretum Clementis XI. *Quoniam Sancta editum.* 1703. 15. *Decembr.* huic privilegio fuisse derogatum, ut nobis extra Casus veræ necessitatis jam specificatos, & sine speciali licentia Episcopi, jam non ampliùs liceat celebrare in domibus sæcularium, vel in loco non sacro; quandoquidem Pontifex in suo decreto mox allegato satis clarè & expressè id prohibeat omnibus Religiosis, & expressè annullet licentias seu privilegia concessa nonnullis Regularibus *cap. in his de privileg.* Vid. Doct. *l. cit.*

Dices iterum. At quid, si Ecclesia polluatur?

236 R. In Ecclesia polluta celebrare, nefas est. Ita DD. *communissimè.* Et constat *ex toto tit. de consecr. Eccles.* Ratio etiam patet: quia juxta Suarezium, pollutio Ecclesiæ nihil est aliud, quàm censura quædam; seu prohibitio ecclesiastica, vi cujus interdicitur, ne in tali Ecclesia, quamdiu polluta manet, sacrum, aliavè officia divina celebrentur. Sed hic ulterius

237 R. Ecclesia quinque modis violari seu pollui potest 1. per homicidium injuriosum ac notorium in Ecclesia factum, sive justo, sive etiam injusto modo, cum, vel sine effusione Sanguinis. Unde pollueretur Ecclesia, si quis à Judice justè condemnatus in ea suspenderetur, vel etiam ex desperatione se ipsum suspenderet &c. 2. polluitur per mortaliter peccaminosam, & notoriam (sive notorietate juris, sive facti) humani Sanguinis effusionem in ipsa Ecclesia factam. 3. Polluitur per mortaliter peccaminosam & notoriam effusionem humani Seminis, sive extra concubitum, sive etiam intra concubitum fornicarium, immò etiam (probabiliter) conjugalem, sine necessitate factum in Ecclesia, non tamen in campanali aut cæmeterio, vel etiam sub tecto Ecclesiæ. 4. Polluitur Ecclesia, si in illa sepeliatur aliquis excommunicatus non toleratus. Item 5. si in ea sepeliatur aliquis paganus seu infidelis, veluti deciditur *c. infidelis de Consecrat. dist. 2.* De his omnibus fusiùs tractant Reinffestuel *Theolog. mor. 14. dist. 5. à nu. 122.* Babenstuber *cit. disp. 9. n. 13. & seqq.* La Croix *ubi suprà n. 256.*

Quæres denique sextò, an Sacerdos peccet, celebrando priùs, quàm dixerit matutinum & Laudes?

238 R. Probabiliter peccat venialiter. Ratio desumitur *ex Rubricis §. 10. ubi hoc* numeratur inter defectus peccaminosos. Nihilominus si hoc fiat ex causa rationabili, esto non omnino ponderante & gravi, utputa quia Sacerdos propterea commodiùs prosequetur sua studia, suum iter, aliosve labores, aut post sacrum majori cum devotione solet orare, omni omnino culpa vacabit, veluti rectè docent Sanchez, Fagundez, Lessius, Castropal. Illsung. *tr. 5. disp. 1. n. 36.* La Croix *cit. n. 230.* Neque audiendi sunt nonnulli Rigoristæ antiquiores, qui peccati mortalis condemnarunt sacerdotem, sine causa celebrantem ante dictum matutinum; quia nemo condemnandus est ad pœnas æternas, neque ad obligationem gravem, nisi constet de certa lege obligante: At, nullibi constat in hoc casu de certa lege graviter obligante, nec aliunde videtur specialis connexio, aut dependentia Missæ ab illis precibus: ergo &c.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Tempore, & loco Sacrificandi.

CASUS PRIMUS.

Titius Capellanus aulicus regulariter loquendo cogitur suum Sacrificium inchoare hora duodecima, scilicet in meridie, illudque quadrante post dexterrimè absolvit: aliquoties verò, & forsitan sæpiùs, quàm par est, jubetur exspectare, usque dum Princeps è venatione redeat, quod subinde hora prima, subinde etiam hora secunda, vel medio secundæ primùm fit: postulat proin scire, an tuta conscientia in hoc Principi suo deferre possit. Quid judicii?

239 R. Ad hunc Casum, illud priùs licitè fieri, non item hoc posterius. Ratio prioris est: quia non est illicitum ante aurororam inchoare Sacrificium, ita, ut in aurora absolvatur: ergo neque videtur illicitum illud inchoare in meridie, ita, ut post meridiem absolvatur. Et certè, juxta communissimam DD. paulò post meridiem celebrare, reputatur parvitas materiæ respectu hujus præcepti, ita, ut si fiat ex rationabili causa, omni prorsus culpa vacare credatur: At, Titius id facit ex rationabili causa, scilicet obsequendi suo Principi: ergo. Ratio autem posterioris inde facilè colligetur: quia secundùm dicta, tempus ab Ecclesia ad celebrandum præscriptum est illud, quod currit ab aurora usque ad meridiem, & non ultra. Tum etiam, quia Pius V. *Bulla Sanctissimus in Christo Pater*. Prohibuit sub pœna suspensionis ferendæ, Missam inchoari post meridiem. Profectò etiam sola prolongatio venationis non videtur sufficiens causa differendi Sacrificium usque ad horam primam vel medium secundæ; cumque aliunde Princeps diebus illis ferialibus non sit obligatus ad audiendum Sacrum; hinc fortè meliùs omnino faceret illud omittendo, quàm contra Ecclesiæ prohibitiones & sanctiones nimiùm differendo.

At verò si Titius noster sine gravi offensa, fortè etiam sine majori fortunæ suæ periculo nequeat recusare obsequium, non ausim illum gravis peccati condemnare, cùm id faciat necessitate compulsus. Suaderem tamen, ut pro majori securitate ab Episcopo petat dispensationem, quam intuitu sui Principis haud difficulter impetrabit.

240 Dixi etiam, *hoc secundum non licitè fieri, saltem per se loquendo*; per accidens enim, in quibusdam veræ necessitatis casibus, licet celebrare post meridiem hora prima, vel secunda, vel etiam tertia. Casus autem à Salmanticensibus annotantur sequentes 1. Si ob solemnitatem alicujus Festi Officium aut Concio sit nimis protracta; 2. Si Sacerdos in itinere constitutus, die festivo præsertim, ante meridiem celebrare non potuit. 3. Si urgeat necessitas communicandi moribundum, ne is sine S. Viatico decedat. 4. Si curandum sit funus alicujus Principis. 5. Si Episcopus ob justam causam dispensavit, aut Privilegium id practicandi à summo Pontifice sit obtentum; quale post Concilium Tridentinum Gregorius XIII. concessit Congregationi S. Justinæ de Padua, teste Clericato *de Sacrificio Missæ decis.* 39. *n.* 40. Vide etiam Babenstuber *de sacrif. Miss. disp.* 8. *a.* 2. *n.* 8.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religiosus in itinere constitutus die Dominica circa nonam Matutinam divertit apud aliquem D. Parochum, qui, cùm ab insperatò graviter fuisset infirmatus, rogavit Sempronium, ut suo nomine pro populo litaret ad Aram. At, quia Religiosus illo die jam semel stetit ad aram, hinc humiliter se excusare nitebatur. denique tamen ad iteratam instantiam D. Parochi, ne tota communitas sacro audiendo destitueretur, denuo, etsi non amplius naturaliter jejunus accinxit se ad aram, Deoque litavit altera vice. Quæritur, an licitè?

241 R. Sempronius probabiliùs illicitè egit: licèt enim in casu necessitatis permittatur, ut unus idemque Sacerdos possit binare, id tamen duntaxat permittitur sacerdoti naturaliter adhuc jejunio, prout vel inde colligere fas est, quòd Ecclesia in Natali Domini sumenti primam ablutio-

tionem, non ampliùs permittat legere secundùm, vel tertium Sacrum: Atqui Sempronius supponitur non ampliùs fuisse jejunus: ergo illicitè egit, altera vice litando ad aram. Secus dicendum foret, casu quo in populo grave scandalum fuisset timendum, ex eo, quòd illa die nullus celebrasset; tunc enim per Epikejam, & rationabiliter præsumptam voluntatem Ecclesiæ, etiam non jejunus licitè celebraret; præsertim cùm præceptum de non præbendo scandalo, utpote fundatum in jure naturali, fortiùs obliget, quàm illud merè Ecclesiasticum, de jejunè celebranda Missa. Credo tamen in hoc nostro casu scandalum de facili evitari potuisse, erudiendo scilicet populum, eidemque intimando, quòd Parochus ob infirmitatem derepentè supervenientem celebrare nequeat, alius verò Sacerdos naturaliter jejunus non adsit de facto, proindeque in tali casu Populus ob moralem impotentiam deobligatus sit ab audiendo sacro illo die. Vide La Croix *l. 6. p. 2. n. 235. & seqq.* vel Babenstuber *ubi suprà a. 2. n. 6.*

Dices. Quibusnam ergo in Casibus Ecclesia eidem Sacerdoti permittit binare, seu duas, aut plures Missas offerre eadem die?

242 R. Casus à Doctoribus mox *citt.* referuntur sequentes. 1. Si infirmus aliàs deberet mori sine Viatico; quod tamen de rarò contingere notum est. 2. Si aliàs populus die festivo aut Dominica deberet carere Sacrificio Missæ defectu sacerdotis, uti sæpe contingit in partibus infidelium, præsertim in Anglia. 3. Conceditur Parocho habenti duas Parochias vel Beneficia dissita, ut in utroque loco possit eadem die celebrare, nisi habeat cooperatorem, qui in alterutra celebret. 4. Si in die Festo superveniat inopinatò magna multitudo peregrinorum; vel Episcopus, aut magnus Princeps; quod ultimum tamen Henno & alii multi negant; eò quòd hic non videatur urgere vera necessitas; idque omnino verum existimo, si Sacerdos non ampliùs sit jejunus: universaliter enim quisquis eadem die vult legere Missam alteram, debet in prima abstinere à sumptione ablutionis. Rectè etiam monet Reinffestuel, hodie circa hoc punctum standum esse consuetudini locorum; cùm ob multiplicationem sacerdotum aliqui ex recensitis casibus rarò ampliùs locum habere videantur. Vide La Croix *mox cit. n. 236.*

Dices adhuc: At, quid, si idem Sacerdos habeat duo beneficia, licebitnè eidem etiam diebus ferialibus in utroque celebrare?

R. Si in utroque loco sit sufficiens multitudo fidelium, quotidie Missam audientium, licitum est tali Beneficiato aut Parocho in utroque celebrare, etiam, diebus ferialibus. Ita Suarez, Castraplao, Salmanticenses, quos refert, & sequitur Babenstuber *cit. art. 2. n. 6.* Ratio est: quia hæc videtur verè gravis, & satis urgens causa binandi, ne scilicet populus privetur suo Sacrificio, & opportunitate audiendi Missam. Optimè tamen faciet, si in hoc se accomodet receptæ consuetudini, quippe quæ in his rebus magnam habet vim.

CASUS TERTIUS.

Cajus juvenis procurandis pollutionibus proprii corporis usque adeò assueverat, ut nequidem in Ecclesia ab illo scelere continere se posset, aut certè non vellet: unde contigit, ut dum semel turpissimo huic operi vacaret, alius quidam vir gravis & honestus id animadvertens, eidem gravissimam alapam infligeret in Ecclesia, non sine copiosa sanguinis effusione e naribus; quo facto ingens in Ecclesia subortus est tumultus, & Sacerdos inter sacrificandum non modicè perturbatus, proptereaque dubitare cœpit, essetnè Ecclesia polluta, nec ne? Quid respondendum?

243 R. Si perditus ille juvenis vi procurationis verè effudit semen, Ecclesia procul dubio fuisset polluta; quia secundùm dicta *n. 237.* hæc polluitur per voluntariam, mortaliter malam, & notoriam humani Seminis effusionem *c. ult. de consecrat. Eccles. & c. Ecclesiis dist. 1. de Consecrat.* Atqui in nostro casu hæc omnia intervenissent: ergo &c. At verò si supponatur nondum pervenisse ad effusionem seminis, tametsi intenderit & tentaverit illam, vi hujus Ecclesia nequaquam censeri debet polluta: quia (universim) *crimen non intelligitur,*

nisi

nisi sit consummatum c. hæc autem juncta glossa dist. 1. de pœnit. At, neque polluta fuit propter illam sanguinis effusionem: quippe quæ non fuit mortaliter peccaminosa, neque facta suadente diabolo, sed potiùs impellente zelo honoris divini: hanc ob causam DD. communissimè tenent, Ecclesiam non pollui, si pueri se invicem ex veniali colera fortè percutiant in Ecclesia, etsi non sine effusione Sanguinis è naribus. Vid. Reinffestuel *cit. dist. 5. n. 122.* Layman *lib. 6. tr. 5. c. 5. n. 7. & seqq.*

Dices: At qui, si juvenis ille se polluisset in Ecclesia, nemine præter illum virum honestum, animadvertente?

245 R. Propterea non fuisset polluta Ecclesia, idque defectu notoreitatis facti & juris: quia secundùm superiùs dicta, quamdiu de tali delicto publicè (notoreitate scilicet facti, vel juris) non constat, ita ut nemo, aut non, nisi pauci illud sciant, Ecclesia judicio hominum permanet in suo honore & bona fama, ideoque non polluitur, juxta Glossam communiter receptam *c. 1. vers. pollui. de Consecr. Eccles. in sexto.* Censebitur tamen Ecclesia polluta, si ex post facto innotescat delictum, & palam fiat; quia tunc apud homines bonam famam atque existimationem quodam modo deperdit, ait Reinffestuel *cit. n. 130.* Herincx *disp. 8. n. 121.* Suarez *disp. 81. sect. 4.*

Dices iterum: quid igitur agendum fuisset Sacerdoti in nostro casu, si is ad aram actu litando intellexisset, Ecclesiam fuisse verè pollutam effusione Seminis, aut Sanguinis humani?

246 R. breviter cum Suarezio, Laymanno *c. 5. n. 13.* Babenstuber *cit. disp. 9. a. 1. n. 14.* quòd si talis violatio fiat, vel saltem à sacerdote intelligatur facta primùm post Canonem incœptum, is debeat absolvere & complere Missam: si autem id contingat ante canonem inchoatum, debet à sacrificio cessare. Ratio disparitatis hæc est: quia in priori casu SS. Missæ sacrificium censetur jam quasi substantialiter inchoatum, ideòque & prosequendum; non item in posteriori casu. Videatur de hoc Clericatus *de Sacrific. decis. 46. per totam.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

247 Colliges ex dictis primò, polluta Ecclesia simul cœmiterium eidem contiguum habendum esse pro polluto: non tamen econtra polluto cœmiterio censetur polluta Ecclesia. Ratio est: quia accessorium sequitur principale: Atqui cœmiterium est quid accessorium Ecclesiæ,& non econtra: ergo &c. si tamen cœmiterium sit ab Ecclesia remotum, ea polluta non polluitur, veluti expressè deciditur *c. un. de Consecr. Eccles. in 6.* V. Herincx *disp. 8. n. 121.*

Dices. Quo igitur modo Cœmiterium, aut Ecclesia polluta sunt reconcilianda?

248 R. cum distinctione. Nam si Ecclesia fuit duntaxat benedicta & non consecrata, potest per Sacerdotem cum aqua ab ipso benedicta reconciliari, veluti DD. satis communiter tenent, & deducunt *ex cap. si Ecclesia, de Consecr. Ecclesiæ.* Idem est de reconciliatione cœmiterii, quando hoc vulgari modo solitariè, non autem cum Ecclesia consecrata fuit benedictum. Si verò Ecclesia fuit aliquando consecrata, debet per Episcopum reconciliari aqua per aliquem Episcopum benedicta, cum vino & cinere. Prælati tamen Regulares ex Privilegio à Leone X. concesso *Bulla sexta in Bullario Rodriquez* possunt suas Ecclesias consecratas, quando pollutæ sunt, reconciliare; sed aqua ab Episcopo benedicta cum cinere & vino: Quin etiam, si Episcopus distet ultra duas dietas, id est, ultra 14. Leucas, possunt ipsimet aquam benedicere, & ea mediante Ecclesiam reconciliare. Vide Rodriquez *Tom. 1. qq. Regul. q. 19. a. 6.* Portel *vers. Ecclesia in addit. n. 10.* Herincx *cit. num. 122.* Laym. *l. cit. c. 5. n. 12.* ubi etiam addunt, vi ejusdem Privilegii iisdem Prælatis Regularibus concessum fuisse, ut possint solemniter benedicere suas Ecclesias & Cœmiteria, si Episcopi nolint, aut negligant.

249 Colliges secundò, Nequaquam consultum esse, ut hodie Religiosi vi Privilegiorum suorum (extra Casus veræ necessitatis) præsumant celebrare in locis profanis

sanis seu non sacris, seu etiam in domibus Laicorum. Ratio desumenda est ex dictis *n.* 235. quia Clemens XI. id severè prohibuit, revocatis etiam quibuscunque Privilegiis antehac concessis. Unde nullatenus dubitandum, quin Ordinarii contrariam praxin audientes gravissimè offenderentur, & fortè etiam pœnis Canonicis in hujuscemodi transgressores animadverterent. Secus tamen dicendum foret, si id cum approbatione vel etiam dispensatione Episcopi fiat v. g. ob infirmitatem cujuspiam, vel etiam ob mortem nobilium, prout aliquoties factum esse novimus experientia. Vide Kresslinger *cit. ad dist.* 5. *Appendice I. addit.* 2.

250 Colliges tamen tertiò, non obstante Constitutione Clementis XI. à Religiosis privilegiatis in suis Cameris seu Cellis privatis, dum eas gravi infirmitate detenti egredi nequeunt, erigi posse altare portatile in ordine ad celebrandum & Communicandum. Ita Salmanticenses aliique plures ab ipsis relati. Ratio est: quia Clemens XI. in sua Constitutione se refert ad Concilium Trid. *ss.* 22. per Concilium verò Tridentinum solùm injungitur Episcopis, ne permittant celebrari Missas in domibus privatis, quæ non sunt dicatæ cultui divino, atque adeò extra Ecclesiam omnino: Atqui Cellæ & cubicula privata Religiosorum non veniunt nomine domus privatæ, nec sunt omnino extra Ecclesiam; quia sunt partes Monasterii, quod totum venit nomine Ecclesiæ. Accedit, quòd Pius IV. an. 1565. ideoque post Concilium Trident. hoc Privilegium concesserit Canonicis Regularibus Lateranens. quo privilegio via communicationis etiam alii Religiosi participant, ergo vi hujus Constitutionis Tridentinæ nihil potest esse derogatum memorato privilegio. Videatur Babenstuber *n.* 11. Sporer *part.* 2. *n.* 44. *fin.* Kresslinger *addit.* 6 *post n.* 146. *Theol. Mor. tr.* 14. *dist.* 5. P. Reinffestuel, Lezana *tom.* 3. *Summæ V. Altare.*

251 Colliges à fortiori quartò, à Religiosis in propriis infirmariis ad inserviendum infirmis erigi posse Capellas, seu etiam Oratoria. Ita enim diversi Pontifices indulserunt, veluti videre licet apud DD. *mox citt.* Neque etiam à Tridentino hæc privilegia sunt revocata: quippe quod solùm mandavit, ne Episcopi patiantur etiam à Regularibus Missas celebrari in domibus privatis, aut extra Ecclesiam &c. Ex quo P. Babenstuber rectè infert, etiam Sæculares Sacerdotes in tali Capella celebrare posse; eò quòd in privilegiis concessis nulla fiat restrictio: idque totum confirmatur ex recepta praxi.

252 Quin etiam in aliis locis extra septa Monasterii, sibi tamen, Religiosis scilicet propriis erigi posse Oratoria aut Capellas in ordine ad celebrandum, docet idem Babenstuber ob rationem mox datam: quia possunt erigere in quocunque loco proprio Religionis; at supponitur talis locus esse proprius Religioni: ergo &c.

253 Dixi tamen: in loco Religioni proprio; etenim quòd in aliis locis profanis vi privilegiorum suorum ampliùs celebrare nequeant, multò minùs erigere Capellas vel Oratoria, hodie videtur certum, & satis colligi potest ex jam dictis; quia vel illa Privilegia nunquam se extenderunt ad illa loca aliena, jurisdictioni Religiosorum non subjecta, vel si quocunque demum modo se extenderunt, per Clementem XI. jamjam fuerunt restricta.

Petes adhuc, an vel quomodo pro Sæcularibus Romæ impetrari possit facultas erigendi Oratorium, missamque celebrandi vel audiendi in propriis ipsorum domibus?

254 R. breviter, hanc facultatem quadrupliciter concedi, & Romæ impetrari posse, scilicet 1. Pro Rure tantùm. 2. Pro Civitate. 3. Pro infirmis Nobilibus, & 4. pro itinerantibus. Et quidem primò, pro Rure tantùm (id est, pro locis seu habitationibus extra Urbem aut oppidum sitis) datur hoc privilegium pro personis etiam non nobilibus, & nulla jurisdictione temporali aut dominio præditis. 2. Pro Civitate verò, & omnibus omnino locis, sive ea sint oppida, sive Villæ, sive dominia, conceditur tantùm personis nobilibus, exercentibus jurisdictionem altam, vel bassam in aliquo loco, qui in supplica exprimi debet. 3. Pro infirmis nobilibus hæc licentia impetrari potest, tametsi nullam exerceant jurisdictionem. 4. Denique pro itinerantibus conceditur eadem licentia, at cum sequentibus Clausulis 1. ut persona sit nobilis,

sive

sive jurisdictionem exerceat, sive non. 2. Ut hæc licentia valeat, & se extendat ad certum duntaxat districtum, v.g. per Germaniam, vel per Italiam &c. 3. Ut valeat tantùm in actuali itinere, & quidem, ubi Missarum commoditas deest. Taxa verò pro hujusmodi licentia ad 12. circiter scuta ascendet. Videantur de hoc P. La Croix *lib. 6. part. 3. n. 391. §. de Oratoriis*. Vel P. Kresslinger *in sua Appendice I. addit. 7. & seq. ad tr. 14. dist. 5. Theol. Mor.* P. Reinffestuel.

CONFERENTIA

VIGESIMA,

De Altari, Paramentis, aliisque ad ritè Sacrificandum necessariis.

SUMMARIUM.

255 *Quid intelligatur nomine altaris?*
256 *Quomodo debeat esse instructum, ut in illo licitè celebretur?*
257 *Quot modis altare semel consecratum suam deperdat consecrationem.*
258 *Quid sit Sigillum, & quid sepulchrum Altaris.*
259 *Ob fractionem sigilli, aut sepulchri præcisè, probabiliùs non execratur altare.*
260 *Quibus vestimentis Sacerdos celebrans debeat esse indutus.*
261 *Vestes sacerdotales debent esse benedictæ ab Episcopo, vel alio privilegiato.*
262 *Calix cum patena debet esse deauratus saltem.*
263 *Insuper debet esse consecratus; & quomodo instructus?*
264 *Minister altaris debet esse mas, & callens suum ministerium ac preces.*
265 *Ordinariè legenda est Missa, officio seu Breviario diei correspondens.*
266 *Quandonam Ecclesia permittat Missas votivas, vel etiam de Requiem privatim legendas.*
267 *Et quando permittat Missas votivas vel de Requiem publicas, seu publicè legendas.*
268 *Rubricæ Missalis aliæ sunt directivæ tantùm, aliæ etiam præceptivæ.*
269 *Qui voluntariè non observat Rubricas præceptivas circa valorem, aut integritatem, vel etiam circa partes accidentales ordinarias, per se loquendo graviter delinquit;*
270 *Non item is qui negligit Rubricas circa aliquid accidentarium non ordinarium.*
271 *Resolvitur Casus I. de Sacerdote, cui Sacrificaturo Angeli Sancti mirabiliter asportarunt crucem.*
272 *Ad licitè celebrandum probabiliter sufficit crux sola, sine imagine crucifixi.*
273 *Quid agendum, casu quo ventorum impetu sub sacrificio luminaria extinguuntur.*
274 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote qui inculpabiliter oblitus stolæ, ab alio fuit sub sacrificium correctus; sed non bene.*
275 *Est tamen corrigendus ille Sacerdos, qui deprehenditur errare circa aliquid substantiale sacrificii; uti est consecratio &c.*
276 *Non tenebatur præfatus Sacerdos acceptare stolam sibi sub sacrificium ab alio missam, multò minus eam postulare, si propterea debuisset incurrere infamiam &c.*
277 *Resolvitur Casus III. de alio quodam, qui ex respectu humano multas Rubricas non observavit celebrando; ideoque bonus politicus, non tamen bonus Sacerdos meritò arguitur.*
278 *Tametsi tales Rubricæ non fuerint, nisi de accidentalibus, potuit tamen peccare mortaliter saltem per accidens.*
279 *Qui advertit, se accidentaliter errasse, v. g. omittendo* Credo &c. *non tenetur talem defectum supplere, si jam aliquantulum sit progressus in suo Sacrificio.*
280 *Qui in altari, vel etiam calice non consecrato celebrare præsumit, graviter peccat.*

281

281 *Calix noviter deauratus probabiliter non indiget nova consecratione.*
282 *Vestes, aliaque paramenta ecclesiastica, quandonam suam consecrationem perdere censeantur.*
283 *Qui scienter omittit totam Epistolam cum graduali &c. graviter delinquit;*
284 *Non item is, qui duntaxat omittit* Gloria, *vel* lauda Sion &c.
285 *Et quid Sacerdoti agendum, casu quo prævidet, se in sacrificio celebrando unam alteramvè ceremoniam aut actionem non posse observare.*
286 *Qui ob infirmitatem nequit elevare hostiam licitè celebrat, saltem privatim.*
287 *Recensentur Rubricæ Missalis* de defectibus corrigendis.

§. I.

Præmittunrur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Altaribus, Paramentis, aliisque ad ritè celebrandum necessariis.

QUæres primò, quidnam intelligatur nomine Altaris?

255 R. Intelligitur illa mensa, suprà quam peragitur incruentum Missæ Sacrificium. Porro aliud est altare fixum, aliud portatile. Fixum vocatur, quod alicui basi immobiliter est affixum, utì communiter sunt altaria in Ecclesiis erecta. Portatile verò appellatur, quod de facilè amoveri, & de loco in locum portari potest; unde & portatile nuncupari solet.

Quæres secundò, quomodo altare debeat esse instructum, ut in eo ritè ac licitè res divina peragatur?

256 R. Altare, sive fixum sive portatile sit, debet inprimis esse lapideum; quia repræsentat Christi sepulchrum, quod fuit in Petra excisum, vel etiam ipsum Christum, qui in Scriptura dicitur Petra, lapis &c. 2. Debet esse consecratum *argum. can.* 30. *&* 31. *de consecrat.* 3. Debet insuper esse coopertum tribus tobaliis benedictis, aut certè juxta receptam aliquorum consuetudinem duabus, quarum una sit duplicata, aut cooperta corporali. 4. Debet altare esse ornatum antipendio; quod etiam potest confici ex asseribus, aut marmore polito. 5. Debet insuper supra altare stare candela accensa ex cera, eaque duplex: etsi in casu necessitatis etiam sufficeret una, etiam ex sebo, vel alia lucerna, aut lampas. 6. Denique debet in altari esse exposita imago crucifixi, aut saltem crux, uti patebit ex dicendis *in resolutione Casus* I. *n.* 271. *&* 272.

Quæres tertiò, quot modis altare semel consecratum deperdat suam consecrationem?

257 R. Duobus modis potest illam deperdere. I. ex eo, quòd in altari fixo pars superior seu mensa consecrata removeatur ab altera parte inferiori & fixa, cui erat compaginata ut habetur *c.* 1. *de consecrat. Eccles.* II. Eam deperdit, si ita enormiter frangatur illa mensa, ut ob fractionem vel potiùs separationem illam (sola enim scissio lapidis nihil officit) lapidis non ampliùs remaneat tantum, quantum sufficeret ad decenter in eo collocandum calicem cum patena, & hostia consecrata; veluti subinde contingit cum altaribus portatilibus.

Dices At quid, si frangatur solum sigillum Altaris, & sepulchrum illius cum Reliquiis auferatur?

258 Ante Responsionem suppono, nomine sepulchri intelligi loculum illum, seu capsulam, in qua sacræ Reliquiæ reconduntur: nomine verò sigilli intelligi parvulum illum lapidem, quo sepulcrum clauditur, & tegitur; quo supposito.

259 R. Per talem fractionem probabiliùs non execrari Altare. Ita Reiffenstuel *l.* 3. *decret. tit.* 40. *n.* 39. *&* 40. Ratio inde desumitur, quia nullo claro textu juris ostendi potest, reliquias sanctorum esse necessarias ad consecrationem altaris, esto in consecratione ob laudabilissimam praxin Ecclesiæ non debeant prætermitti. Idipsum efficaciter confirmari potest ex eo, quòd tempore belli Suecici ab hæreticis in sola Diœcesi Augustana aliquot millia altarium fuerint spoliata sacris reliquiis, & Sacra Rituum Congregatio desuper consulta quid

ta quidnam scilicet de hujuscemodi altaribus tenendum aut agendum? teste P. Francisco Schmier *lib. 3. de Jurisprud. tr. 2. p. 2. Sect. 3. n. 146.* respondit, reliquias denuo esse recondendas in altaribus, sed absque nova altarium consecratione: ergo censuit, altaria illa mansisse consecrata, tametsi sepulchra fuerint fracta.

Quæres quartò, quibus vestimentis Sacerdos debeat esse indutus, ut licitè celebret?

260 R. Debet esse indutus sequentibus 1. humerali seu amicto. 2. Alba cum cingulo. 3. Manipulo, stola, & Casula, seu planeta. Color autem Casulæ, stolæ ac manipuli, sicut & velum calicis, debent correspondere tempori, præscriptoque Rubricarum. Ita *omnes*. Id unum hic adnotandum duxi, quòd juxta DD. *communiter*, Rubrica de servando colore sit duntaxat directiva, vel saltem non graviter præceptiva; econtra Rubrica de ipsis vestibus Sacerdotalibus graviter obligat; quia juxta *can. 42. dist. 1. de consecrat.* contrarium facientibus *gravis ultio imminet*: siquis tamen necessitate compulsus celebret sine stola vel manipulo, excusari potest à culpa, præsertim gravi, veluti docent Filliucius *tr. 5. c. 5. n. 15.* Layman *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 17.* Rodriquez & alii plures, quos citat & sequitur Sporer *n. 409.*

261 Porro vestes sacerdotales mox recensitæ, debent esse benedictæ ab Episcopo, vel alio, habente speciale privilegium; quale habent superiores Regulares in ordine ad benedicenda illa paramenta Ecclesiastica, vel etiam vasa, quæ non indigent unctione crismatis, veluti fusiùs demonstrat Reinffestuel *lib. 3. decret. tit. 40. n. 50. & seqq.* Suarez *tom. 4. de Relig. l. 2. c. 30.* Rodriquez *QQ. Regul. tom. 1. q. 19. a. 2.*

Quæres quintò, qualis calix ad ritè sacrificandum sit necessarius, & quomodo is debeat esse instructus?

262 R. Juxta præscriptum *can. 44. & 45. dist. 1. de consecrat.* Calix cum patena, si non ex auro, omnino ex argento debet esse confectus. Pauper Ecclesia saltem stanneum calicem habeat. De ære autem vel auri chalco non debet confici calix; quia ob vini virtutem æruginem causat, quæ vomitum provocat. Quin etiam juxta præscriptum Missalis, *de defectibus Missæ tit. 10.* sufficit, si cuppa calicis sit aurea, argentea, vel in Ecclesiis pauperculis stannea, etsi pes ejusdem de alia materia sit confectus. Nec videtur, quo minus in Ecclesiis pauperculis usurpari queat calix ex alio metallo, modo talis cuppa intus deauretur; quia tunc non ampliùs provocabit vomitum; quod unicè sacri canones voluere remotum.

263 R. Secundò. Calix, in quo Sacerdos vult celebrare debet esse instructus 1. purificatorio lineo. 2. palla linea, ac benedicta. 3. Corporali similiter benedicto & mundo. 4. Velo, atque bursa corporalis; quæ tamen ultima ubi de facili haberi nequeunt, sine culpa prætermittuntur in missa, etiam ex mera devotione celebranda; eò quòd hæc non ita proximè accedant ad ministerium hujus sacrificii, sicut illa prius recensita.

Quæres sextò, qualis Minister adhibendus sit ad hoc divinissimum ministerium?

264 R. Minister debet esse Mas, & insuper callere suum ministerium in tantùm, ut possit respondere Sacerdoti: Ita *communissimè DD.* Barbosa *de offic. & potest. Parochi part. 1. c. 11. n. 40.* Sporer *num. 390. & seqq.* Layman, Gobat aliique. Ratio est: quia Ecclesia sapienter voluit *fœminas ab altaris ministerio remotas c. inhibendum de cohabitat. Cleric. & Mulier.* idque ob periculum alicujus motus incontinentiæ in altaris ministerio, ait Sporer. Ex quo DD. communiter inferunt, ne quidem in Casu necessitatis ad hoc ministerium admittendam esse fœminam, nec monialem, sed præstare, ut deficiente alio ministro Sacerdos sibimet respondeat, & celebret sine omni alio ministro potiùs, quàm cum fœmina.

Quæres septimò, qualis Missa singulis diebus sit legenda?

265 R. Legenda est Missa conformis Officio, seu Breviario illius diei; ita enim præscribunt Rubricæ. Excipiendus tamen ab hac regula est Casus, quo quis legit in aliena Ecclesia, ubi celebratur solemnitas, vel Festum duplex; tunc enim omnino oportet nos conformare tali Ecclesiæ, præsertim in colore, tametsi aliud Officium recitaverimus illo die, veluti decidit Sacra

R. Con-

R. Congregatio 1668. 9. *Junii*. Excipiendum itidem est: nisi quis rationabili de causa velit dicere *Missam votivam*, aut *de Requiem*, illis diebus, quibus ab Ecclesia permittitur.

Dices: quandonam ergo Ecclesia permittit, legi Missam votivam, vel de Requiem?

266 R. Missam *votivam privatam*, sicut & Missam *privatam de Requiem* legi permittit, quandocunque non est Festum duplex, aut Dominica, aut talis dies, in quo prohibetur fieri Festum de duplici. Specialiter tamen prohibentur fieri hujusmodi Missæ infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, Corporis Christi, & Nativitatis Domini; item in Vigiliis Nativitatis, Epiphaniæ, Pentecostes, nec non Feria quarta Cinerum, atque in tota hebdomada majori. Totum hoc assertum est commune inter DD. & continetur *in Rubricis Missalis*, *part. 1. Titul.* 4. *n.* 3. *& seqq.*

267 Dixi tamen: *Missam votivam privatam*; etenim Missas votivas solennes pro publica necessitate, v. g. avertenda peste, fame, aut bello &c. itemque Missam solennem de Requiem, præsente tamen corpore defuncti, permittit Ecclesia in omnibus duplicibus, quæ non sunt primæ Classis, itemque in Dominicis non æquivalentibus Festis primæ Classis, uti æquivalent Dominica I. Adventus, Quadragesimæ, Palmarum, aliæque plures. Verùm ad hæc pleniùs addiscenda remittimus Lectorem ad Rubricas Missalis, nec non ad alios Rubricistas, quorum est similia docere ex professo. Si quis tamen desuper velit consulere Moralistas, adeat P. La Croix *l. 6. p.* 2. *à n.* 407. item *à n.* 497. Matthencci *in offícial. curiæ Ecclesiast. c.* 10. §. 2. *n.* 67. Kreslinger *cit. in Appendic.* 3. *add.* 6. *& seqq.*

Quæres denique octavò, an, vel quomodo Sacerdos peccet, qui deliberatè non observat Rubricas Missalis?

268 Ante Responsionem rursus supponendum, cum *communi DD.* alias esse Rubricas directivas tantùm, alias etiam esse præceptivas. Directivæ tantùm dicuntur, quæ solùm consulunt, quid agendum ad celebrandum cum majori decentia vel devotione &c. veluti consuluntur quædam preces ante, & post Missam à Sacerdote dicendæ: & istæ Rubricæ non obligant sub peccato, eo ipso, quòd sint duntaxat consultivæ. Præceptivæ autem appellantur, quæ vel expressè aliquid mandant sub peccato, vel saltem præscribunt & designant talem materiam, quæ aliunde, ex jure scilicet, vel consuetudine observanda est; idque vel circa partes essentiales Missæ, uti est consecratio; vel circa integrales, uti est sumptio; vel denique circa partes duntaxat accidentales; è quibus rursus aliæ dicuntur accidentales Ordinariæ, eo quòd ordinariè, ad omne Sacrificium concurrere soleant ac debeant, veluti sunt *Introitus*, *Oratio primaria*, *Epistola*, *Evangelium*, *Canon &c.* aliæ extraordinariæ appellantur, uti *Gloria*, *Credo*, *Orationes secundariæ*, *Præfatio extraordinaria*, *vel communicantes speciale*, quæ utique ordinariè non concurrunt in omni sacrificio Missæ. h. n.

269 R. 1. Qui voluntariè non observat Rubricas præceptivas circa ea, vel aliquid eorum, quæ concernunt valorem, vel saltem integritatem sacrificii, graviter peccat: idem tenendum est de eo, qui non observat Rubricas circa partes accidentales ordinarias, nisi parvitas materiæ, vel inadvertentia excuset. Et ratio est: quia talis agit contra præceptum Ecclesiæ in re gravi; omnes enim istæ partes continentur absolutè sub rubricis præceptivis, quæ per Bullam *Quo primùm Tempore* à Pio V. editam, & præfixam Missali Romano, jubentur observari *in virtute sanctæ obedientiæ*, uti observant La Croix *cit. n.* 417. *&* 418. Gobat *n.* 746.

270 R. secundò. Qui non observat Rubricam circa aliquid accidentale extraordinarium, per se loquendo venialiter duntaxat delinquit. Ratio est: quia *communi DD.* judicio (cui in his moralibus multùm per omnem modum tribuendum, immò acquiescendum est) partes accidentales extraordinariæ non censentur materia adeò notabilis, ut Legislator sub gravi culpa voluerit adstringere ad earum observantiam. Ita etiam tenent La Croix *cit. num.* 420. Gobat, Filliucius, Quarti, Sporer *n.* 426. Pasqualig. *q.* 200.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Altaria, Paramenta, & alia in sacrificio Missæ observanda.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos à Kazizio Agarenorum Rege interrogatus, quam ipse artem calleret, respondit, se esse sacerdotem, & omnes artes, Regumque potentiam quamcunque superari suo ministerio. Rex, se intueri velle hujusmodi ministerium, & ut illud in suo conspectu celebraret, mandavit. Sacerdos è contra respondit, destitui se rebus necessariis ad Sacram rem peragendam. Quare Rex continuò jubet, ut è proximo Christianorum oppido peterentur, quæ ad hoc Mysterium celebrandum opportuna esse videbantur. Afferuntur ea: orsurus tamen Missam Sacerdos constitit. Causam cunctationis Regi sciscitanti, crucem deesse dixit, quæ consuesset his ritibus, & præsertim illo die (erat festum inventionis S. crucis) adhiberi. Vix hæc erat effatus, cum fornice, qui altari imminebat, dehiscente magnus splendor effulsit, & per illum hiatum duo Angeli de cœlo illapsi, crucem ligneam bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis Aulicis, tanto miraculo conspecto; fidem cum iisdem amplectitur, & sacello intra arcem constructo, angelicam illam crucem intra arcam pretiosam reponit. Ita factum hoc mirabile narrat P. Gobat *tract.* 3. *num* 286. ex Ciaccono & Gretsero; cujus occasione hìc meritò moveri posset dubium, an Titius licitè Regi obtemperasset celebrando sine cruce?

271 R. Si id fecisset ad instantiam Regis, & quidem sine contemptu aut scandalo, haud quamquam peccasset Titius. Ratio est: quia tametsi ex præscripto Rubricarum Sacerdos celebraturus debeat habere crucem super altari positam, idque etiam juxta novissimum decretum S. R. Congregationis, editum 14. Maji 1707. tunc, quando supra altare expositum prostat Venerabile; nihilominus qui præciso omni contemptu ac scandalo absque cruce exposita celebrat, non nisi venialiter delinquit, immò ne venialiter quidem, ubi de facili crux haberi nequit; tunc enim, inquit Gobat *cit. n.* 295. satiùs est, facere sacrum etiam ex sola devotione, quàm illud omittere ob defectum crucis: atqui Titius de facili non potuisset habere, propereaque forsitan Angelorum ministerio illam obtinuit: ergo ad instantiam Regis omnino licitè celebrasset, præsertim si inde effectum tam felicem sperare licuit. Videatur de hoc Vasquez *disp.* 233. *num.* 26. Fagundez *de præcept. Eccles. præcept.* 1. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 31.

At, inquies, sufficitnè habere solam crucem, an verò præterea debet esse expositus crucifixus supra altare?

272 R. Debet exponi imago crucifixi, ubi potest de facili haberi; ita enim præscribit ceremoniale Episcoporum, & ita docent Gavant, Layman, aliique: quod & usus hodiernus, praxisque Ecclesiæ confirmat. Nihilominus cum Missale loquatur duntaxat de cruce, & Angeli Sancti in nostro casu solam crucem, non item imaginem crucifixi asportarint Sacerdoti; ideò faciliùs permitti potest, cum sola cruce depicta in tabernaculo aut cartha aliqua papyracea, quàm sine omni cruce celebrari. Immò verò Tamburinus *l.* 1. *c.* 6. putat, sufficere crucem vel crucifixi imaginem depictam in pariete vel tabula ad latus; consentiunt & Sporer *num.* 385. & Gobat *cit. num.* 199.

Dices adhuc: quid si autem sub Sacrificium Missæ ventorum impetu luminaria extinguantur?

273 R. Cum Lugone, Sporer *n.* 381. la Croix *n.* 393. & 394. Kreslinger *cit. append.* 2. *addit.* 3. quòd, si Missa cum luminaribus inchoata, jam sit producta usque ad Canonem, vel etiam usque ad offertorium, ea possit continuari etiam sine lumine: si tamen sit spes reaccensionis, debet tantisper exspectari v. g. per medium quadrantem horæ: post consecrationem autem jamjam peractam, non est opus, ut tamdiu exspectetur; quia tunc spectatis omnibus circumstantiis censetur talis reaccensio moraliter impossibilis.

CA-

CASUS SECUNDUS.

Sempronius in aliena Ecclesia rem divinam facturus, sese induit Sacris vestibus, oblitus tamen stolæ: incheat proin Sacrum, nec memor, nec observans defectum stolæ: observavit tamen Parochus loci, proptereaque sub tempus Evangelii eidem per suum sacristam submisit stolam. Mirabatur primùm Sempronius, deinde dubitabat, an vel quomodo illam deberet inducere. Demum eam collo circumduxit, non sine notabili difficultate, mirantibus, qui aderant, factum, ejusque causam non satis assequentibus. Quæritur jam, utrùm Parochus prudenter egerit corrigendo Sempronium, eidemque stolam submittendo?

274 R. Quòd non. Ratio est: quia generatim loquendo imprudenter agimus, quando, inculpabiliter errantem in re nulli prorsus nociva corrigimus, cum non levi ejusdem, fortè & aliorum incommodo: atqui illa correctio seu admonitio fuit in primis admodum gravis Sempronio; tum propter publicam confusionem, tum etiam propter devotionem, haud dubiè non parùm inde impeditam: immò & ipsis assistentibus non parum incommoda fuit, ob admirationem, distractionem, fortè etiam risum &c. uti sapienter advertit Gobat *cit. n.* 344. ergo &c.

275 Dixi tamen: *quando inculpabiliter errantem in re, nulli prorsus noxia corrigimus* &c. Secus enim resolvendum existimo, ubi talis error redundaret in notabile damnum tertii, vel detrimentum honoris divini &c. præsertim si talis error fieret cum invaliditate alicujus Sacramenti; tunc enim amor Dei vel proximi jubent nos præferre honorem Dei nostræ confusioni, præsertim non adeò gravi. Hac de causa arbitror, prudenter ac laudabiliter egisse illum Clericum, qui animadvertens alium quendam Sacerdotem ad aram litando super panem protulisse verba calicis: *hic est enim calix*: &c. illico eum desuper admonuit, etsi non sine aliqua confusione, quæ utique valori, honori ac reverentiæ augustissimi hujus Sacramenti postponenda fuit.

Dices: At, fuitnè Sempronius in nostro Casu obligatus acceptare stolam sibi à Parocho subministratam, vel illam è sacristia petere, si sub sacrum animadvertisset hunc defectum?

276 R. Si Sempronius multos habuit observatores, fortè etiam obmurmuratores, nequaquam fuit obligatus; idque ob præsens periculum gravis perturbationis, oblocutionum, vel etiam illusionum statui sacerdotali minimè convenientium. At verò, si non aderant, nisi pauci, qui illud notassent, aut certè non multùm apprehendissent, ut proin non, nisi levis perturbatio aut obmurmuratio fuerit timenda, tenebatur eam acceptare, immo proprio motu postulare; tum quia juxta effatum S. Thomæ 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad secundum*, *ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo*; tum etiam, quia ordinariè loquendo defectus sive in agendo, sive in orando seu recitando commissi, non sunt supplendi, nisi fuerint substantiales, aut, nisi commodè suppleri queant; secus enim committeretur major deordinatio in sacrificio, supplendo talem defectum v.g. *gloria vel credo* primùm dicendo ante, vel omnino post elevationem, quàm omnino omittendo. Videatur Gobat ubi suprà *n.* 345. Henno *disp.* 11. *q.* 15. *conclus.* 2.

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos fatetur se sæpiùs ad aram accessisse sine præparatione prævia, id est, sine accessu dicto, seu precibus ordinariè dici solitis ab aliis, propterea que non rarò minori, quàm par erat, cum devotione celebrasse, ita, ut aliquoties non sumpserit orationes debitas, vel certè sine ordine debito; aliquoties omiserit gloria *vel* credo; *aliquoties eorum oblitus, postea primùm inciderit, quòd debuisset sumere: subinde etiam omiserit* secreta, *id est, Secretas orationes de jure dicendas. Demum etiam subjungit, se assuevisse memento suum facere priùs quàm ad aram se confert, ne videretur adstantes nimiùm detinere, vel, veriùs loquendo, ut ab aliis haberetur velut homo dexter, & expeditus in omnibus suis actionibus. Quid jam*

de Cajo tenendum, vel quomodo peccasse judicandus est?

277 R. Cajus videtur bonus politicus, non tamen bonus sacerdos. Ratio est: quia bonus Sacerdos & fidelis Minister Christi debet potiùs attendere & curare Dei gloriam, quàm hominum benevolentiam, aut vanam gloriam inde captandam, juxta illud Apost. *Galat. 1. c. si hominibus placerem*, id est (ut exponitur ab aliis) cum detrimento divinæ gloriæ placere quærerem, *Servus Christi non essem:* at Cajus potiùs respexit homines, quàm Deum: ergo &c. Unde

278 R. Secundò. Tametsi omnes illæ negligentiæ in casu enarratæ per se loquendo (præsertim seorsim spectatæ) videantur non excedere culpam venialem; quia, ut ex dictis *n. 268. ac seqq.* facilè patebit consideranti, omnes illi defectus vel sunt contra rubricas directivas duntaxat, vel contra præceptivas quidem, sed non in materia gravi; consequenter per se loquendo non excedunt culpam venialem. Nihilominus, si Cajus vel ordinariè, vel saltem à potiori omittat *Gloria*, vel *credo*, vel *orationes secretas*, profectò satis manifestat, res divinas parùm sibi cordi esse. Et certe cùm id faciat sine rationabili causa, convincitur quodammodo contemnere ministerium hoc omnium divinorum divinissimum; quod haud dubiè non vacat gravi culpa. Mirandum sanè nequaquam esset, si ex tali tantaque luriditate se sentiret expositum periculo gravioris lapsus: arbitror proin, Cajum, sin minus reprehensione, certò tamen seriosa animadversione dignum, & adhortatione indigum esse. Vide Illsung. *tr. 6. disp. 5. a. 6. n. 171.* La Croix *n. 419.*

Dices: at quid, si Sacerdos ex oblivione duntaxat (utì subinde fit) omittat *credo*, vel *communicantes extraordinarium*, & posteà primùm hujus erroris commissi recordetur?

279 R. Si primùm recordetur, postequam in suo Sacrificio jam aliquantulùm processit, nihil amplius tenetur repetere, utì jam constare debet ex dictis paulò ante *n. 276.* (multò minus si primùm recordetur illius post Sacrificium jam absolutum) partim quia istiusmodi Defectus non sunt substantiales; partim etiam quia similes Orationes ex præscripto Ecclesiæ ita inter se ordinatæ atque connexæ sunt, ut, si quid postea repetatur, Ordo Missæ potiùs pervertatur, quàm procuretur, veluti post S. Thomam rectè notarunt Castrapalao *tr. 22. pu. 11. n. 6.* Quarti, aliique plures, quibus adstipulantur La Croix *l. 6. p. 2. n. 531.* Henno *de Eucharist. disp. 11. q. 15. concl. 2.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

280 Colliges ex hactenus dictis primò, sacerdotem peccare mortaliter, si celebret in Altari non consecrato, aut in calice non consecrato. Ratio est: quia agit contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi, veluti *ex communi* docet Sporer *n. 396.* Non tamen peccat, qui in Altari celebrat, quod probabiliter est consecratum, utputa quia is, qui consecravit, probabiliter habuit ex Privilegio potestatem consecrandi. Et ratio hujus est: quia in dubio semper præsumitur pro valore actus: ergo à fortiori idem præsumi debet, ubi probabile est actum valuisse: ergo & in præsenti casu præsumi debet pro valore consecrationis, de cujus invaliditate, quandiu non certò constabit, semper manebit Altare quodammodo in possessione suæ consecrationis. Rectè etiam La Croix *l. cit. n. 309.* cum aliis docet, sacerdotem non teneri indagare, sitnè Altare, vel calix, in quo celebrare intendit, consecratus vel non? prudenter enim præsumere licet, esse talem; secus non exponeretur pro usu ab illis, quorum interest gerere curam.

Dices. At quid, si patena vel calix semel consecratus postea de novo inauretur, indigebitnè nova consecratione?

281 R. Quod non. Ratio colligitur à pari: quia etiam Ecclesia non reputatur execrata, vel indigens nova consecratione ex eo, quod in parietibus de novo dealbetur, aut novo cœmento superinduatur. Suaderem tamen, ut, ubi facilè id fieri potest, fiat, vel petatur fieri nova consecratio; quia opposita Sententia suis non caret fundamentis, utì videre licet apud Reinffestuel

lib.

lib. 1. *Decret. tit.* 16. *à n.* 31. Certum tamen habetur ab omnibus, purificatoria, pallas, & corporalia vi lotionis non execrari. Oportet nihilominus ea, priusquàm Personis Laicis quibuscunque demum, etiam Monialibus, lavanda extradantur, ab aliquo in Ordinibus constituto lavari. Layman. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 7. Sporer *n.* 395. Busenbaum apud La Croix *n.* 255.

282 Colliges secundò, Vestes, & alia Paramenta Ecclesiastica suam deperdere benedictionem, quando ita immutantur, ut vel amittant pristinam formam, utpute si ex stola fiat manipulus, vel ex casula detrita stola &c. Vel si cingulum ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum sacerdotem. Secus dicendum, si altera pars sufficiat ad cingendum utcumque dicto modo, tunc enim non censetur amisisse benedictionem, poteritque huic pars minor rursus conjungi velut accessorium principali. Vide Kresslinger *cit. append.* 3. *addit.* 1. *R.* 3. Sporer *n.* 413. Layman *cit. c.* 6. Gavant. *in Rubric. p.* 2. *tit.* 1. *litt. R.* Quocirca DD. citt. advertunt, mortaliter peccare sacristas, qui vestes & Paramenta valde immunda, ita, ut dedeceant notabiliter majestatem tanti ministerii, non curant lavari priùs, quàm in iis denuo sacrificetur.

283 Colliges tertiò, Etiam illos graviter delinquere, qui scienter omittunt totam Epistolam cum graduali & aliis strophis accomodatis. Item, qui omittunt Evangelium cum Offertorio, aut quamlibet periodum in Canone (qui, juxta *communem DD.* apud Herincx *disp.* 8. *n.* 163. incipit ab illis verbis: *Te igitur Clementissime Pater*, & finit ad *Pater noster*) Ratio est: quia hæ partes, etsi accidentales, sunt tamen Ordinariæ, & quidem notabiles, juxta *DD. communiter*. Secus dicendum, si quis omitteret solùm *Kyrie eleison*, vel *Orationem ordinariam*, vel *unam aut alteram benedictionem super oblata &c.* vel *unum duntaxat verbulum in Canone, &c.* quia hujusmodi partes, etsi ordinariæ, non tamen reputantur materia gravis; uti tenent multi DD. Vide Sporer *n.* 425. vel Kresslinger *cit. Appendic.* 3. *addit.* 11.

284 Colliges quartò, probabiliter non peccare graviter sacerdotem, qui in Sacrificio Missæ omitteret *Gloria*, aut *Credo*, vel alium etiam Rhytmum extraordinarium e. gr. *Lauda Syon*, *victimæ Paschali*, vel *veni Creator* &c. Ita Henno *cit.* La Croix *n.* 420. aliique plures. Ratio est, quia hujusmodi partes sunt accidentariæ duntaxat, & quidem extraordinariæ, propterea que communi DD. judicio non reputantur materia gravis. Fatendum tamen est, per accidens saltem de facili posse in his etiam incurri gravem culpam, vel ratione scandali, vel ratione contemptus, qui quasi semper interveniet, ubi talis omissio præmeditatè contingit; cùm nulla prorsus causa rationabilis videatur, ob quàm omitti deberent.

Dices adhuc. Sed quid agendum, casu quo Sacerdos certò prævidet, fore, ut in Sacrificio unam, alteramvè Ceremoniam, aut actionem observare nequeat?

285 R. In eo casu attendendum atque ponderandum esse, ex una parte gravitatem Ceremoniarum intermittendarum, ex altera verò parte necessitatem celebrandi, quæ, si præponderet, consultiùs erit celebrare, quàm abstinere: Secus, si præponderet gravitas Ceremoniarum, & non adeo gravis urgeat necessitas: quia tunc nulla suppeteret causa sufficiens contraveniendi institutionibus Ecclesiasticis. Major itaque necessitas requiritur ad non observandas Rubricas præceptivas, quàm ad non observandas merè directivas, uti facilè patebit ponderanti hactenus dicta. Suarez, Tambur. Gobat *n.* 743. La Croix *ubi supra num.* 426. Kresslinger *addit.* 12. Ex his

286 Colliges tandem quintò, Infirmis, qui defectu virium nequeunt elevare hostiam, vel ob vertiginem nequeunt se ad populum vertere dicendo *Dominus vobiscum &c.* haudquaquam subtrahendum esse hoc solatium, sed potiùs permittendum tuta conscientia, ut saltem in loco privato v. g. in infirmaria, vel alia Capella, aut Oratorio celebrent. Ratio est: quia, ut sapienter advertit Gobat jam sæpiùs *cit. tr.* 3. *n.* 745. ex una parte modò specificati defectus non videntur tales tantique momenti, ut propter eos Sacerdos infirmus fructu sacrificii, animæ solatio (quo præ cæteris indigent infirmi) & jure sacrificandi jam aquisito, privari deberet. Ex altera tamen parte

obviandum est, quoad commodè possumus, scandalo & admirationi plebis, proptereaque in actibus tam publicis non debemus quasi jure nostro recedere à regulis communibus. Si tamen urgeat necessitas celebrandi v. gr. ob penuriam alterius vel aliorum sacerdotum, simulque plebs instruatur & doceatur, hujusmodi omissiones fieri ob solam infirmitatem, de facili credo, obviabitur scandalo. Vide etiam La Croix *lib. 6. part. 2. n.* 427. Verùm pro pleniori notitia & confirmatione hactenus dictorum operæ pretium duxi in fine hujus Tractationis de Sacrificio Missæ subnectere Rubricas Missalis *de Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus*, eo præsertim, quòd pauci Tyrones Missalia, aliumve librum, unde sequentes Regulas sanè notabilissimas commodè addiscere valeant, habere noscantur. Præfatæ igitur Rubricæ de verbo ad verbum ita sonant.

De Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus. I.

287 Sacerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & ordo sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii verò sunt Defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

De Defectibus materiæ. II.

Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim ut sit panis triticeus, & vinum de vite, & ut hujusmodi materia consecranda, in actu Consecrationis sit coram sacerdote.

De Defectu panis. III.

1 Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel si alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur.

3. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ latinæ; conficitur, sed conficiens graviter peccat.

4. Si celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

5. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem ut suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis; *qui pridie quam pateretur*, & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem corporis, & sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam quam consecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quàm quòd à jejuno sumatur.

6. Quòd si hoc contingat, post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis, & vinum cum aqua; & facta priùs oblatione ut suprà, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *qui pridie*, ac statim sumat utrumque, & prosequatur Missam: ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.

7. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *qui pridie quam pateretur*, facta ejus priùs oblatione ut suprà.

De

De Defectu vini. IV.

1 SI vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

3. Si celebrans ante consecrationem sanguinis, quamvis post consecrationem corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice; debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut suprà, consecrare incipiendo ab illis verbis, *simili modo &c.*

4. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis, *simili modo*.

5. Si hoc advertat post sumptionem corporis, vel hujusmodi aquæ: apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus, vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut suprà, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera.

6. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum, idem servetur quod suprà, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

7. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

8. Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini non posset ullo modo haberi; si id fit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet. Si post consecrationem corporis aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absolvenda; ita tamen ut prætermittantur verba & signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

De Defectibus formæ. V.

1 DEfectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim corpus meum*, &, *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissimè peccaret.

2. Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constat, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse; iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

De Defectibus Ministri. VI.

1 DEfectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: in primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio

corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere.

De Defectu intentionis. VII.

1 SI quis non intendit conficere, sed delusoriè aliquid agere. Item si aliquæ hostiæ ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cùm non intendat consecrare, nisi quas videt. Item si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit; in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans esse quidem decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

2. Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quòd si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si verò relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra Corporale decenter opertam, sumendam unà cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculum reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodò honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere.

4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cùm accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum; etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

De Defectibus dispositionis animæ. VIII.

1 SI quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs canonicè impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissimè peccat, tam propter communionem, quam indignè sumit, quàm propter executionem ordinum, quæ sibi erat interdicta.

2. Si quis habens copiam confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secùs si conteratur: debet tamen cùm primùm poterit, confiteri.

4. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supra dictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

De Defectibus dispositionis corporis. IX.

1 SI quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

4. Si

4 Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluit digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem.

5 Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione & celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare & celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

De Defectibus in ministerio ipso occurrentibus. X.

1 POssunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: Si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter: Si celebrans saltem Matutinum cum laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales & mappæ non sint ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si non adsit Clericus vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier: si non adsit calix cum patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea vel vitrea: si corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo vel alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superiùs dictum est: si celebret capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

2 Si sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: Si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

3 Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: Si post consecrationem corporis tantùm, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, dividat hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem calicem repetat integram formam, vel ab eo loco, *simili modo postquam cœnatum est*, vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi sacerdotis, & sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum.

4 Si quis extra hujusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumpserit, gravissimè peccat.

5 Si musca vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in calice, misceat parum aquæ, offerat ut supra, & prosequatur Missam: Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nausea sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Missa comburat, & combustio ac lotio hujusmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine.

6 Si aliquod venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum, denuò

nuò consecrandum: & finita Missa sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium projiciatur.

7 Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat modo quo dictum est, & illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in Sacrarium.

8 Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat.

9 Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur: Si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur: quod si illius hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quòd si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

10 Si propter frigus, vel negligentiam, Hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, & sumat pariter corpus & sanguinem, signans se cum calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini nostri &c.*

11 Si hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare; dumodo in calicem non intret, donec liquefiat.

12 Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, & locus iste radatur quantum satis est, & abrasio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, & locus benè abluatur, & ablutio in Sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium: linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito & aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solùm corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ciciderit, debet similiter ablui, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, ut suprà.

13 At si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo sanguine fiat ut dictum est. Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, facta priùs tamen calicis oblatione, ut suprà.

14 Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.

15 Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit, mundetur, & aliquantulum abradatur, & pulvis seu abrasio hujusmodi in Sacrarium mittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.

16 Possunt etiam Defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & cæremonias ipsas in eo servandas: de quibus omnibus in Superioribus Rubricis copiosè dictum est.

CONFERENTIA

VIGESIMAPRIMA.

De Sacramento Ordinis in genere, nec non de singulis Ordinibus in specie.

SUMMARIUM.

1 *Nomine Ordinis ut sic, intelligitur quidam gradus Clericorum.*
2 *Reipsa autem Ordo est verum Sacramentum N. Legis.*
3 *Ab ipsomet Christo in ultima Cœna institutum.*
4 *Septem dantur Ordines; è quibus*
5 *Tres dicuntur majores & sacri: quatuor autem appellantur minores, & non sacri.*
6 *Episcopatus est Ordo inadæquatè tantùm distinctus à Presbyteratu, quippe quem includit essentialiter.*
7 *Probabiliùs omnes & singuli Ordines, etiam minores sunt Sacramentum:*
8 *Quo non obstante Ordo ut sic dicitur unum è reliquis septem Sacramentis.*
9 *Generatim loquendo materia remota Ordinis dicitur illa res, per cujus traditionem confertur potestas spiritualis: proxima est ipsa traditio: forma verò consistit in certis verbis ab Episcopo prolatis, quibus significat potestatem illam &c.*
10 *& seqq. breviter recensentur materiæ, formæ, & officia singulorum Ordinum.*
18 *Ad validam Ordinationem probabiliùs requiritur contactus physicus materiæ, ita, ut non sufficiat moralis.*
19 *Prima Tonsura quid sit?*
20 *Et quinam sit hujus effectus.*
21 *Privilegium Canonis, quid importet.*
22 *Et quænam requirantur, ut tonsurati illo gaudeant.*
23 *Resolvitur Casus I. de quodam Clerico scrupulosissimo, qui sub actuali collatione Presbyteratus videbatur sibi revocasse intentionem suscipiendi;*
24 *Quo non obstante videtur probabilissimum, intentionem non defuisse ex parte ipsius. Unde*
25 *Esto in hoc casu Ordo Presbyteratus sub conditione fuerit iteratus, pro majori securitate; nihilominus*
26 *Titius potuisset se probabiliter practicè resolvere, & ministrare in ordine sucepto, etiam non repetita priùs ordinatione.*
27 *Resolvitur Casus II. cujusdam Episcopi, qui conferendo Ordines, alicui subdiaconando calicem cum vino, & alteri Presbyterando calicem sine vino per errorem porrexit.*
28 *Talis error fuit corrigendus, & saltem Presbyter sub conditione reordinandus.*
29 *Quo modo defectus in collatione Ordinum commissi sint emendandi, & supplendi.*
30 *Resolvitur Casus III. cujusdam Subdiaconi, dubitantis de valore Subdiaconatus, eò quòd hunc susceperit animo non se obligandi ad castitatem ex voto servandam; qui*
31 *Etsi stante tali dubio susceperit reliquos Ordines, propterea tamen nullam incurrit suspensionem, vel irregularitatem.*
32 *Quidnam teneatur facere Episcopus, qui post exercitos jam actus suo Ordini proprios, primùm incipit dubitare de valore sui Ordinis Episcopalis.*
33 *Et quid teneatur agere Presbyter in pari dubio fluctuans.*
34 *Datur inter Ordines quædam subordinatio, vi cujus inferior suscipi debet ante Superiorem.*
35 *Suscipiens Ordinem quemcumque tandem in statu disgratiæ, probabiliùs peccat mortaliter.*
36 *Quo modo Laici fungantur ministeriis Minoristarum.*
37 *Ordinatio Presbyteri, facta sine porrectione panis, probabiliùs est nulla.*
38 *Qui voluntariè negligit contactum physicum materiæ, peccat graviter.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos de validitate Ordinum.

QUæres primò, quid nomine Ordinis ut sic intelligatur?

1 R. Nomine Ordinis hìc intelligitur certus quidam gradus Clericorum, ad specialia officia Ecclesiastica consecratorum. Dupliciter autem sumi potest Ordo 1. activè, pro ipsa scilicet ordinatione, seu institutione alicujus personæ in certo quodam gradu præeminenti Ecclesiæ: & hoc modo sumptus Ordo, sortitur veram rationem Sacramenti, utì mox patebit. 2. Ordo sumi potest passivè, pro ipsa scilicet dignitate & potestate Ecclesiastica, vi Ordinationis alicui Personæ collata; quo sensu dicere solemus v. g. Petrum habere Ordinem Presbyteratus. Hoc autem posteriori modo sumptus Ordo non est Sacramentum; quia hoc consistit in aliqua actione transeunte: sed potiùs est effectus, ex præterita ordinatione relictus in eo, qui ordinem suscepit.

Quæres secundò, quid sit Ordo quoad rem ipsam?

2 R. Ordo re ipsa est Sacramentum N. Legis, quo confertur potestas spiritualis ad aliquod ministerium circa Eucharistiam dignè exhibendum. 2. Estque hoc Sacramentum à Christo Domino institutum in ultima Cœna. Ita *DD. communissimè*. Ratio prioris desumitur ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 1. *& can.* 3. ubi ait: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit*; Cujus ulterior ratio inde patet: quia Ordinatio est actio sensibilis, stabilis, ac permanens, & ex divina institutione causativa gratiæ juxta illud Apostoli 2. *ad Timoth.* 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum &c.* At, actio sensibilis &c. causativa gratiæ ex opere operato, est Sacramentum: ergo.

3 Ratio secundæ partis itidem habetur decisa in eodem Tridentino *cit.* 3. *sess.* 22. *cap.* 1. *& can.* 1. Idque propterea: quia Christus in ultima cœna consecravit suos Apostolos, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; quod est idem ac dicere: *Sicut ego conficio Eucharistiam, eamque offero, ita vobis impertior potestatem conficiendi eandem, & offerendi in Sacrificium Missæ*: sed hoc erat conferre Apostolis ordinem Presbyteratus: ergo &c. Ex quo DD. unanimiter inferunt, quòd Christus tunc utendo potestate excellentiæ, Apostolis contulerit simul omnes reliquos Ordines; quandoquidem omnes reliqui sub Presbyteratu ceu principali comprehendantur, & omnes suo modo participent potestatem aliquam circa Eucharistiam, prout ampliùs constabit ex dicendis de singulis in individuo. Vid. Filliucium *tract.* 9. *c.* 1. *num.* 3. Babenstuber *tract.*8. *part.* 5. *disp.*11. *art.* 1. *numer.* 3.

Quæres tertiò, Quot Ordines sint, seu dentur in Ecclesia?

4 R. Septem Ordines dantur in Ecclesia, scilicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita Concilium Trident. *sess.* 23. *can.* 2. ubi ait: Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & Majores, & Minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit. Eadem verò Sessione cap. 2. expressis verbis docet, hanc Ordinum pluralitatem contineri Sequentibus septem Gradibus, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Vid. Concilium loc. cit.

5 Illud tamen notatu dignum hìc occurrit, quòd posteriores tres Ordines scilicet Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus appellari consueverint *Majores & Sacri*; tum quia in majori & altiori dignitatis gradu collocant Ordinatum; tum etiam, quia habent sibi annexum votum castitatis, per quod ordinati Deo quodam modo consecrantur; tum etiam. quia propiùs accedunt ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem. Reliqui verò quatuor dicuntur Ordines *Minores*, & *non Sacri*, non ideo, quia non sunt Ceremonia

nia Sacra, ſed quia remotiùs ad Confectionem Euchariſtiæ concurrunt, nec habent annexum votum caſtitatis, ordinatumque in gradu longè inferiori conſtituunt, veluti communiſſimè advertunt DD. Sporer *Theol. Sacram. part. 1. c. 5. n. 8.* Layman *lib. 5. tr. 9. c. 3. n. 2.*

Dices: Ergone Epiſcopatus non eſt Ordo?

6 R. Eſt Ordo, & quidem cæteris dignior; tum quia Epiſcopum conſtituit in gradu digniori Eccleſiæ; tum etiam, quia per eum confertur ſpecialis poteſtas, conficiendi ſcilicet & adminiſtrandi Sacramenta confirmationis & Ordinis: quia tamen non continet poteſtatem ſpecialem circa Euchariſtiam, diſtinctam ab ea, quam habet Presbyter; nec poteſt valide conferri, niſi Sacerdoti; hinc non reputatur Ordo ſimpliciter & adæquatè diſtinctus à Presbyteratu, ſed ſolùm inadæquatè, velut totum à ſua parte, & velut includens ab incluſo, ſcilicet ſacerdotio. Videatur Cardinal. de Lauræa *diſp. 4. de Sacram. Ord. nu. 57.* vel Clericat. *de Sacram. Ordin. deciſ. 3. nu. 31.*

Quæres quartò, ſintnè prædicti ordines omnes, etiam minores Sacramentum?

7 R. Affirmativè. Ita ſatis *communiter DD.* Et quidem de Presbyteratu res velut de fide deciſa eſt: Quòd autem cæteri etiam ordines ſint verum Sacramentum, colligitur partim ex Concilio Florentino in decreto Unionis, nec non ex Tridentino *ſeſſ. 23. c. 2. & Can. 3.* ubi abſolutè & abſque ulla limitatione definitur, *ordinem, ſeu ſacram ordinationem eſſe Sacramentum, ſimulque dicitur &c. eſſe ſeptem Ordines in Eccleſia Dei*; partim etiam ex eo, quòd omnes & ſinguli Ordines habeant ſuam determinatam materiam & formam, propriamque ſignificationem. Inſuper ſinguli Ordines imprimunt ſpecialem ac diverſum characterem, diverſamque poteſtatem conferunt, quâ ratione etiam ſunt initerabiles: atqui character eſt effectus proprius Sacramenti: ergo ſinguli ſunt Sacramentum. Vid. D. Bonavent. *4. diſt. 24. p. 2. art. 1. qu. 2.* Reinffeſtuel *diſ. 12. n. 15.*

Dices: ſi omnes & ſinguli Ordines ſunt Sacramentum, neceſſariò admittenda erunt plura, quam ſeptem Sacramenta: hoc autem videtur repugnare orthodoxæ fidei: ergo.

8 R. Vel negando ſimpliciter, vel diſtinguendo majorem: admittenda erunt plura quam ſeptem, ſi numerentur ſinguli Ordines in ſpecie infima, conc. ſi Ordo ut ſic numeretur pro una duntaxat ſpecie ſubalterna, prout revera è reliquis Sacramentis eſt una ſpecies ſubalterna; id eſt, ſub ſe continens & complectens plures ordines, ſpecie infima inter ſe differentes, neg. maj. cum conſ. Omnes igitur ſeptem ordines dicuntur unum è reliquis Sacramentum; tum quòd omnes conveniant in eo, quòd ſint quædam ceremonia Sacra; tum etiam, quòd omnes tendant ad eundem finem, ſcilicet ad dignè adminiſtrandam, aut tractandam Euchariſtiam.

Quæres quintò, quænam ſit materia, & quænam forma Sacramenti Ordinis?

9 R. Generatim loquendo materia Ordinis cenſetur illa res, per cujus traditionem confertur poteſtas ſpiritualis, veluti docet Concil. Florentinum in decreto Unionis. Unde Theologi communiter diſtinguunt materiam cujuslibet Ordinis in *remotam*, & *proximam*. Remotam appellant illam rem, quæ ab Epiſcopo traditur Ordinando, ad ſignificandam certam poteſtatem, uti eſt v. g. calix cum vino in Presbyteratu. Proxima autem conſiſtit in ipſa traditione v. g. Calicis, quippe per quam ſignificatur, quòd ordinando talis poteſtas tradatur. Porro forma Ordinis cujuſcunque ſunt illa verba, quibus Epiſcopus ſeu ordinans una cum traditione materiæ ſignificat, quænam poteſtas ordinando tradatur; ut dum porrigendo calicem cum vino dicit ad Presbyterum: *accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, miſſasque celebrandi tam pro vivis, quàm defunctis in nomine Domini.*

Quæres ſextò, quænam ſit materia, forma, & officia ſingulorum Ordinum in ſpecie?

10 R. 1. Materia Oſtiariatûs eſt traditio clavium Eccleſiæ per manus Epiſcopi. Forma ſunt illa verba ab Epiſcopo prolata: *ſic agite, quaſi rationem reddituri Deo*

pro

pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur. Officium ostiarii est 1. claves templi custodire. 2. Ejus januam claudere. 3. Cymbalum & campanam pulsare. Ita Pontificale Romanum, & Catechismus Romanus.

11 R. 2. Materia Lectoratus est traditio libri Prophetiarum. Forma sunt hæc verba: *accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt*. Officium Lectoris est 1. prophetias vel alias Scripturas Sacras in Ecclesia legere vel etiam cantare. 2. Catechumenos docere Rudimenta fidei.

12 R. 3. Exorcistatus materia est, traditio libri Exorcismorum, forma sunt hæc verba: *accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos*. Officium Exorcistæ est 1. imponere manus super Energumenos (id est, obsessos à Dæmonibus) & 2. ad arcendos dæmones super eos invocare nomen Domini, legereque Exorcismos Ecclesiæ, 3. Eosdemque præparare ita, ut Sacris interesse possint.

13 R. 4. Materia Acolythatus est duplex: una traditio candelabri cum cereo extincto, cui correspondet hæc forma: *accipite candelabrum cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari*. Altera est traditio Urceoli vacui cum hac forma: *accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini*. Utraque hæc materia seorsim sumpta, dicitur materia inadæquata, simul autem sumptæ constituunt unam materiam adæquatam. Idipsum suo modo dicendum est de materiis Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Porro officia Acolythorum sunt sequentia 1. luminaria Ecclesiæ accendere, ac præparare ad Sacrificium. 2. portare cereum accensum ad altare, præsertim tunc, quando Evangelium sub Missa canitur. 3. Ampullas vini & aquæ ad Missæ sacrificium præparare & ministrare.

14 R. 5. Materia Subdiaconatas pariter duplex est. Una consistit in traditione calicis vacui cum patena vacua & hac forma: *videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. Altera consistit in traditione libri Epistolarum, cui correspondet sequens forma: *accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis &c.* Officia Subdiaconi sunt 1. Sacra vasa, calicem scilicet & patenam ad usum sacrificii præparare, & ad altare deferre. 2. Diacono in altaris ministerio inservire. 3. in Missa Epistolam solemniter (id est, cum insigni proprio Subdiaconatus, quod est Manipulus) cantare. 4. Pallas altaris, item corporalia, calices & patenas abluere, ipsamque lotionis aquam in Sacrarium fundere.

15 R. 6. Materia Diaconatus etiam duplex est; una impositio manus dexteræ Episcopi cum hac formula: *accipe Spiritum Sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*. Altera est traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *accipe* (si unus duntaxat ordinetur, vel si plures, uti fieri assolet) *accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini*. Officia Diaconi sunt sequentia. 1. Sacerdoti in Missæ Sacrificio immediatè assistere, ei ministrando panem & vinum ad conficiendam Eucharistiam. 2. Evangelium in Missa solemniter (hoc est, cum insigni suo ordini proprio, scilicet stola transversim ab humero sinistro ad latus dextrum ducta) cantare. 3. De Parochi licentia solemniter (id est cum debitis ceremoniis ab Ecclesia institutis) baptizare. 4. Ex facultate Episcopi verbum Dei populo prædicare.

16 R. septimò. Materia Presbyteratus itidem duplex est, prima, traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia superposita; cui correspondet hæc formula: *accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini*. Secunda, est impositio manuum Episcopi super caput ordinandi, cum hac forma: *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt*.

sunt. Officia Sacerdotis sunt sequentia 1. consecrare Corpus & Sanguinem Christi. 2. absolvere fideles à peccatis. 3. reliqua Sacramenta (exceptis confirmatione & Ordine) dignis administrare 4. Benedicere, baptizare, ac populum Dei opere, doctrina, & exemplo pascere, aliisque pietatis operibus vacare.

17 R. Tandem octavò. Materia Episcopatus est impositio manuum Episcopalium: forma verò sunt illa verba ex Pontificali: *accipe Spiritum Sanctum &c.* Officium autem Episcopi est 1. administrare Sacramenta, præsertim confirmationis, & ordinis. 2. Pascere gregem sibi concreditum tum verbo, tum etiam exemplo, juxta illud monitum Apostoli *Act.* 20. *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, Regere Ecclesiam Dei.*

Quæres septimò, quo modo Ordinandus debeat materiam sibi ab Episcopo porrectam tangere, an scilicet physicè, vel moraliter duntaxat v. g. extendendo manum versus illam?

18 R. Probabiliùs requiritur necessariò etiam necessitate Sacramenti contactus physicus (etsi speculativè loquendo aliqui putent sufficere contactum moralem.) Ratio autem nostræ responsionis est hæc: quia traditio & acceptatio sunt correlativa: ergo quemadmodum requiritur traditio physica ex parte Episcopi ordinantis; & physica acceptatio seu tactus ex parte ordinati, sine quo non videtur practicè satis verificari ly *accipe*, inquit Babenstuber *de Sacram. Ordin. disp.* 11. *a.* 3. *n.* 20. Quod vel ex eo etiam confirmari potest: quia in aliis Sacramentis in usu consistentibus necessaria est physica applicatio materiæ: ergo & in hoc. Videatur de hoc Castropalao *tr.* 27. *disp. un. pu.* 4. *num.* 22. Bonacin. *disp.* 8. *q. un. puncto* 2. *n.* 11.

Quæres adhuc octavò, quid sit prima tonsura, & quinam sint hujus effectus?

19 R. ad primum. Prima Tonsura, prout de facto ex instituto Ecclesiæ confertur, aptè describitur, quòd sit levis detonsio capillorum, ab Episcopo (vel alio Prælato) Ceremoniis Ecclesiasticis facta, qua masculus tyrocinio mysteriorum Dei initiatur. Ita Sporer ubi suprà *c.* 6. *n.* 158. *ex communi*. Hæc igitur prima Tonsura non est Sacramentum, neque est verus ordo, sed potiùs quædam dispositio ad Ordines. Ratio est: quia non habet materiam & formam propriè dictam, nec per eam confertur gratia sanctificans, aut character, vel potestas spiritualis, sed disponitur homo duntaxat, & initiatur, velut quidam Tyro, in ordine ad alios gradus Ecclesiasticos cum tempore obtinendos.

20 R. ad secundum. Effectus primæ tonsuræ sunt præcipuè quatuor. 1. Vi hujus homo deputatur ad canendum in Ecclesia, qua ratione in antiquis Conciliis tonsurati appellantur *Psalmistæ*. 2. Vi hujus homo è statu Laicali quodammodo extrahitur, elevatur, & redditur proximè capax ad suscipiendos Ordines. 3. Homo fit capax beneficii, & jurisdictionis Ecclesiasticæ. 4. Tonsurati incipiunt gaudere Privilegiis Clericalibus, præsertim duobus, scilicet Privilegio *Fori*, & *Canonis*.

21 Privilegium Canonis in eo consistit, quòd Tonsuratus fiat quodammodo immunis ab omni violentia externa, seu violenta manuum injectione, ita, ut is qui violentiam externam inferret (nisi in quibusdam Casibus jure expressis) ipso facto incurreret excommunicationem latæ sententiæ, veluti statuitur *can. si quis suadente*. 17. *q.* 4. Privilegium autem fori in eo situm est, quòd talis Clericus sit exemptus ab omni potestate, seu jurisdictione sæculari *can. si Imperator dist.* 96. propatereaque non ampliùs potest à Judice Sæculari in judicium trahi, incarcerari, vel puniri, sed debet tradi Judici Ecclesiastico.

22 Quocirca tamen P. Reiffenstuel *Tract.* 14. *dist.* 12. *nu.* 11. Clericatus *de Ordin. decis.* 3. *nu.* 14. aliique DD. communiter advertunt, ad hoc, ut Tonsuratus gaudere possit mox dictis privilegiis, desiderari sequentes conditiones. 1. Ut habeat beneficium Ecclesiasticum; vel. 2. Clericalem habitum & tonsuram portans, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; vel 3. in Seminario Clericorum, vel in aliqua Schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos majores Odines versetur,

tur, utì statuit Concilium Trident. *ss.* 23. *de Reform. c.* 6. Aliqui huic Privilegio adnumerant exemptionem à Gabellis & Tributis, Principibus Sæcularibus præstandis. Verùm huic Privilegio multùm hodie derogatum fuisse, docet quotidiana praxis. An bene? Viderint illi, quorum interest.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de Validitate vel Invaliditate Ordinum.

CASUS PRIMUS.

Titio homini scrupulosissimo, ad sacrum Presbyteratus Ordinem accedenti, sub actuali ordinatione, & ultima manuum Episcopalium impositione venit in mentem hæc cogitatio (procul dubio à dæmone suggesta, quia omnino falsa) tu non es in statu gratiæ, & tamen audes suscipere hoc Sacramentum? *Unde subitaneo timore velut quodam fulmine perculsus, videtur sibi revocasse intentionem suscipiendi Presbyteratum, ne scilicet committeret Sacrilegium. Nihilominus existimat, immò verò certò sibi persuadet, se mox renovasse priorem suam intentionem suscipiendi, & priùs quidem, quàm Episcopus compleverat illa verba formulæ*: accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt. *Dubitat jam vehementer* 1. *quid de Valore Ordinis sic suscepti sibi sit tenendum? &* 2. *an tuta conscientia posset quempiam absolvere (jam enim est approbatus pro cura) aut saltem celebrare Sacrum? Quid respondendum Titio interroganti?*

21 R. ad hunc Casum primò. Si certò constaret de revocatione intentionis, ordinatio probabiliùs fuisset nulla, idque defectu voluntatis, seu etiam intentionis ex parte suscipientis necessariò requisitæ pro eo instanti, pro quo ordinatio fit. Quo supposito dicendum foret, Titium ne validè quidem, multò minùs licitè posse quempiam absolvere. Ratio est clara: quia absolutio à peccatis essentialiter supponit potestatem Ordinis in Corpus Christi mysticum, quæ confertur in actuali manuum Episcopalium impositionem, cum illa formula: *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata &c.* Atqui hanc potestatem Titius non obtinuit, si supponatur revocasse suam intentionem, & voluntatem recipiendi: ergo &c. Unde ex hac suppositione ulteriùs dicendum foret, Titium equidem validè consecraturum; quia potestas in Corpus Christi verum eidem fuit validè collata: cumque hæc non dependeat ab illa altera in corpus Christi mysticum; hinc planè nihil omnino obstat, quin validè celebraret, & per consequens stipendium pro tali Sacrificio sibi oblatum tuta conscientia retinere posset. Nihilominus in his circumstantiis celebrando peccaret mortaliter toties, quoties; idque hac ratione: quia saltem ex jure humano, quoad hoc graviter obligante, *cap. Presbyter de Sacram. non iterand.* Item *cap. Pastoralis, eodem tit.* tenetur procurare suppletionem talis defectus, utpote versantis circa aliquid substantiale, veluti teste Gobat *Theolog. experim. tr.* 8. *n.* 226. unanimiter tenent Canonistæ & Theologi, nominatim Scotus 4. *dist.* 24. *q.* 1. Sylvester *V. Irregularitas, q.* 12. Sanchez *Consil. lib.* 7. *c.* 1. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 2201. & 2204. Clericatus *de Sacram. Ordin. decis.* 33. *n.* 23. ergo.

Dixi tamen notanter: *Si certò constaret de revocatione &c.* Unde

24 R. secundò, Mihi probabilissimum, & prope certum videri, Titium nunquam revocasse suam intentionem, ideoque & validè fuisse ordinatum; idque colligo ex eo, quòd voluntariè accesserit nedum examen, sed etiam Ordinationem, animo suscipiendi Presbyteratum: & licèt videatur sibi revocasse suam intentionem, non tamen est verosimile, quòd seriò, efficaciter & deliberatè eam revocaverit, prout vel inde conjecturare licet, quòd fateatur se statim iterum renovasse priorem intentionem. Unde quemadmodum verè scrupulosi sæpissimè quidem putant, se consensisse in peccatum, ubi tamen consensum nunquam præbuerunt; ita procul dubio Titius noster, utpote Scrupulosissimus mortalium, videbitur sibi revocasse intentionem, esto reipsa illam nunquam revoca-

cave-

caverit. Et certè talis revocatio parùm conduxisset ad evitandum Sacrilegium. Accedit, quòd certò asseveret, se pro illo instanti (extrinseco scilicet Sacramenti) quo potestas Spiritualis confertur, habuisse intentionem actualem suscipiendi. Et certè in scrupulosis rarò oriri solet prudens motivum de Valore suscepti Ordinis, utì sapienter notarunt Bardi, Gobat, & La Croix *cit. nu.* 2159. Qua de causa Navarr. *lib.* 1. *Consil. Tit. de Sacram. non iterand. Consil.* 5. & 6. apud Gobat *l. cit. n.* 252. in simili casu rectè scribit de hujuscemodi Scrupuloso, *eum propterea, quòd habuerit Scrupulum, nolendi & volendi Ordines, & quasdam Trepidationis scrupulosorum, non esse censendum, non accepisse Ordines, immò judicandum potiùs, quòd acceperit eos, calcatis Scrupulis injectis à dæmone, transformante se in Angelum lucis.*

Dices: ergonè Titius noster non bene ageret, petendo iteratam manuum impositionem ab Episcopo, saltem sub conditione faciendam *si prior non valuisset?*

25 R. Equidem propterea minimè laudandum arbitror; sed neque vituperandum: immo verò hanc ei gratiam fuisse præstitam, certò novi, idque partim propter pericula animarum, ex invaliditate Presbyteratus (sicut & Episcopatus) oriri nata; partim etiam ad eum liberandum à perpetuo illo tyranno conscientiæ, scilicet stimulo, identidem eidem sine intermissione ingeminante hanc cantilenam: *tu non es legitimè ordinatus, & tamen celebras; per consequens toties quoties committis Sacrilegium, hominibus causam idololatrandi præbes, irregularitatem, & excommunicationem incurris &c.* & alia hujusmodi sexcena, quibus scrupulosi etiam sine fundamento mirum in modum exagitari solent. Tametsi pariter haud ignorem, hanc repetitionem Sacræ Ordinationis Titio in hunc finem (ad eximendos scilicet scrupulos) minimè profuisse, quippe ex qua mox incidit in alios scrupulos sine fine; id, quod eidem ante prædixeram, probè gnarus, scrupulosos nequaquam corrigi ex eo, quòd dictamina sua sequantur & expleant, sed ex eo potiùs, quod eisdem directè sese opponant, & contraveniant.

Dices iterum. Ergonè Titius non petita ordinis iteratione licitè exercuisset præfatum Ordinem, consecrando, absolvendo &c.

26 R. Probabiliter potuisset se practicè resolvere, & consecrare tuta conscientia; nam quemadmodum is, qui post contractum matrimonium incipit dubitare de valore sui matrimonii, tuta conscientia se potest resolvere ad usum hujus, saltem in eo casu, quo non potest venire in certam notitiam invaliditatis, quippe in quo potiùs præsumitur pro valore, quàm pro nullitate actus, suffragante actuali possessione matrimonii; ita sanè in nostro proposito Titius se posset tuta conscientia resolvere, præsertim in casu, quo iterationem Ordinis tam facilè obtinere non posset. Idipsum docet Gobat *cit. tr.* 8. *nu.* 204. ubi de simili (sine sufficienti fundamento) scrupuloso dubitante ait: *unica ergo ratio* (quòd talis teneatur procurare repetitionem sui Ordinis) *est charitas debita proximo. Unde consequenter infero* (pergit idem) *fas esse tali Sacerdoti sacrificare, quamdiu per ipsum non stat, quo minùs iterum ordinetur sub conditione, privatim pro se*; Ita Gobat *l. cit.* vide etiam ea, quæ habet *n.* 197.

CASUS SECUNDUS.

Sempronio Episcopo (nescio quo fato, aut cujus incuria) contigit, ut cuidam Subdiaconando porrigeret calicem cum vino, & patena vacua: è contra alteri Presbyterando porrexit calicem vacuum cum patena, & hostia superposita. At verò nondum finita ordinatione sacra, Ceremoniarum Magister animadvertit errorem, moxque dubitatum fuit 1. *quid de valore præfatorum Ordinum esset tenendum, &* 2. *quid in his circumstantiis foret agendum? Quid respondendum huic Ceremoniarum Magistro?*

27 Ad primum. Ordo Subdiaconatus, non obstante præfato errore, probabiliter fuit validus, non item ordo Presbyteratus. Ratio disparitatis est hæc: quia per traditionem Calicis Episcopus sufficienter significavit & expressit potestatem Subdiacono conferendam: quòd autem in calice

simul fuerit vinum, in hunc finem merè per accidens se habuit, unde hoc loco rectè applicatur illa notissima Regula 37. *Jur. in 6. utile per inutile non vitiatur*: atqui calix fuit utilis ad collationem Subdiaconatus: ergo &c. E contra per solum calicem sine vino juxta plurimorum DD. opinionem non sufficienter exprimitur potestas consecrandi Sanguinem Christi, quæ tamen in collatione Presbyteratus necessariò significanda est, & exprimenda: ergo ordo Presbyteratus hoc modo collatus meritò vocatur in dubium. Et ita tenent Bosco *part. 4. disp. 10. nu. 111.* Babenstuber *disp. 9. a. 3. n. 15.* Tannerus *tom. 4. d. 7. q. 2. dub. 4. n. 98.* Gobat *n. 98.* ubi etiam mox subdit, talem Sacerdotem dubiè ordinatum (quoad potestatem hanc in Corpus Christi verum) peccaturum contra justitiam, si accepto stipendio sacrificaret pro aliquo; nam generatim loquendo iniquè decipit homines, qui non habens moralem certitudinem de validitate sui Ordinis Presbyteralis, petit, accipitve stipendium ab ignaris deficientis hujus certitudinis.

28 R. Ad secundum. Talis error quantocyùs fuit corrigendus, & Presbyter ille reordinandus per traditionem Calicis cum vino. Ratio petenda est ex communi Doctrina Theologorum, juxta quam, si constet vel ordinem aliquem fuisse nulliter collatum, vel certè omissam fuisse aliquam notabilem ceremoniam, debet, quamprimum est possibile, hujuscemodi defectus suppleri, & quidem ab eodem Episcopo, qui cæteros ritus adhibuit, idque, per se loquendo, eodem tempore, quo confertur talis ordo, nisi excuset ratio scandali, infamiæ, aut alterius extrinseci gravis incommodi: at, in nostro casu fuit intermissum aliquid notabile, scilicet vinum in calice, scandalum verò ex tali suppletione illicò facta vel nullum orietur, vel certè non adeò grave: ergo statim supplendus erat iste defectus. Videatur de hoc Clericatus *decis. 33. n. 6. 7.* item *n. 23.* Gobat *n. 432.* La Croix *n. 2200.* qui mox *n. 2204. & 2205.* rectè monet, in hoc casu etiam esse repetendam traditionem patenæ cum hostia, sicut & secundam manuum impositionem, quippe quæ essentialiter præsupponit illam potestatem priorem in Corpus Christi verum: ergo cùm de valore hujus potestatis in nostro casu dubitetur, immò verò multi negent, posse cuipiam conferri potestatem consecrandi Corpus, & non etiam Sanguinem Christi, hinc meritò concluditur, repetendam esse ordinationem ex integro.

Dices adhuc. Quo modo autem corrigendi sunt defectus in ordinatione commissi?

29 R. Breviter cum Doctoribus mox *citt.* 1. quòd si supplendus sit aliquis actus ordinationis, necessariò debeant iterari formæ & orationes illi actui correspondentes: & si pars formæ sit omissa, debet repeti tota forma. 2. si defectus fuit occultus, occultè est supplendus, ad vitandum scandalum & turbationem aliorum. 3. Si ob solum dubium sub conditione iteretur ordo vel ceremonia aliqua, potest iterari à quovis Episcopo, quovis die, in privato sacello, & quidem uno eodemque die omnes simul, tam majores, quàm minores ordines eidem conferri possunt, nec adhibendæ sunt solemnitates ordinariæ, præter illas, quæ sunt probabiliter necessariæ ad valorem. Vide de hoc la Croix *cit. l. 6. p. 2. n. 2200.*

CASUS TERTIUS.

Cajus fragilitatis suæ sibi conscius, intendit quidem suscipere Subdiaconatum, non tamen sese obligare voto castitatis, ne postea votifragus graviùs delinqueret: at, post exiguum tempus facti pœnitens, exercuit actum ordinis suscepti, solemniter ministrando. Postea ritè ordinatus fuit Diaconus & Presbyter. Modò autem dubius hæret, an debeat petere iterationem Subdiaconatus vel non. 2. an stante hoc dubio practico de validitate suscepti ordinis solemniter ministrando, non inciderit suspensionem, vel irregularitatem aliquam? Quid Cajo respondendum?

30 R. Ad primum quæsitum. Ordo Subdiaconatus certò valuit. Ratio est: quia cùm votum sit à valore Ordinis aliquid realiter distinctum & separabile; hinc potuit Cajus validissimè intendere unum, scilicet Ordinem, & non alterum, scili-

ſcilicet votum. Conſequenter nullatenus tenetur petere repetitionem hujus ordinis, licèt vi præcepti eccleſiaſtici maneat obligatus ad ſeſe obſtringendum voto perpetuæ caſtitatis, veluti communiter tenent Doctores, nominatim Hurtadus, Tamburinus *lib. 7. cap. 3. §. 3. n. 10.* & Sporer. *n. 182.* Quin immò, tametſi forſitan Subdiaconatum validè non ſuſcepiſſet (de quo tamen minimè dubitandum) illum nihilominus suppleret Ordo Presbyteratus, quippe in quo eminenter includitur. Cùmque aliunde ex invaliditate Subdiaconatus non ſint nata oriri alia animarum damna (ſicuti ſolent oriri ex invaliditate Presbyteratus & Epiſcopatus, ſecundùm dicta) hinc Cajus nequaquam tenetur ſibi providere de repetitione Subdiaconatus. Secus diſcurrendum foret, caſu quo certò conſtaret de invaliditate ſuſcepti Ordinis. Ita in re S. Thomas *3. p. q. 33. a. 5.* Bardi *de conſcient. diſcept. 6. c. 11. part. 6. §. 2.* Diana *part. 5. tr. 13. reſolut. 47.* Lugo, Oviedo, & alii plures, quos refert, & ſequitur Gobat *tr. 8. n. 191.*

31 R. Jam ad ſecundum quæſitum. Cajus nec ſuſpenſionem incurrit, nec irregularitatem, tametſi ſtante dubio practico ſolemniter miniſtraverit. Ratio eſt: quia hujuſmodi pœnæ in dubio non contrahuntur, neque præſumuntur contractæ (excepto duntaxat dubio de homicidio) veluti ex communi DD. latè probat Sanchez *in decal. lib. 1. c. 10.* atqui in noſtro caſu nulla habetur certitudo de invaliditate Ordinis, ſed potiùs de valore, de quo vix, aut ne vix quidem dubitare licet, & per conſequens an irregularitatem aliquam incurrerit: ergo dicendum, quòd nullam inciderit. Vide la Croix *cit. n. 2203. fin.*

Dices adhuc: at quid agendum, caſu quo Epiſcopus, vel etiam Sacerdos jam exercuit actus ſuo ordini proprios, utputa ordinando, conſecrando, vel abſolvendo &c. ex poſt facto autem fiunt certi de nullitate, vel ſaltem rationaliter dubii de valore ordinis à ſe ſuſcepti?

32 R. 1. Si Epiſcopus fiat certus de nullitate ſui ordinis, tenetur per ſe loquendo omnes à ſe ordinatos deſuper admonere, ut ſibi provideant de repetitione ordinis nulliter ſuſcepti. Et idem dicendum eſt, caſu quo Epiſcopus fit certus, quòd aliquos (præſertim Presbyteros) malè & invalidè ordinaverit, ad avertenda alia innumera mala; tenetur procurare, ut tales reordinentur. Si verò advertat, ſe erraſſe circa ſola accidentalia parvi momenti, diſſimulet; ſi circa ea, quæ ſunt majoris momenti, & nequeat ſine ſuo probro ſupplere publicè, ſuppleat privatim; etenim qui non poteſt facere aliquid eo modo, quo debet, debet ſaltem illud facere eo modo, quo poteſt. At verò, ſi ſolùm dubitet, an non erraverit in quibuſdam accidentalibus, non videtur mens Eccleſiæ, illum obligare ad ullam iterationem; quia cùm hæc nunquam fiat ſine plurium perturbatione, non eſt hoc certum incommodum ſuſcipiendum vel ſubeundum propter incertum, & nemini noxium defectum *c. ubi periculum, de elect. in ſexto.* Vide etiam Quintannadvennam *ſingul. tr. 6. ſingul. 3. n. 6.* Gobat *tr. 8. n. 236.*

33 R. ſecundò. Sacerdos veniens in notitiam de invaliditate Presbyteratus à ſe ſuſcepti, unde demum hæc proveniat, tenetur præ primis procurare ut reordinetur. Secundò. Quandoquidem hactenus defectu Ordinis Sacrificium verum Deo offerre non potuerit; hinc tenetur poſtea, ſive per ſe, ſive per alium, ſupplere omnia illa Sacra, ad quæ ex juſtitia hactenus fuit obligatus. 3. Similiter dicendum, quòd per ſe loquendo teneretur admonere pœnitentes invalidè abſolutos, quatenus ſua peccata gravia velint rurſus confiteri alteri, in ordine ad obtinendam abſolutionem directam ab illis, ſi eam hactenus nunquam obtinuiſſent, qui tamen id valde grave accideret tum Sacerdoti, tum etiam pœnitentibus, hinc plerumque ab hoc onere excuſandus eſt & abſolvendus. Cæterùm reliquos actus à charactere ſacerdotali non dependentes, uti eſt, v. g. aſſiſtere matrimonio &c. non tenetur ſupplere, ſi eos exercuit bona fide & cum Titulo colorato; quia hoc ſuppoſito fuerunt validi. Vide *DD. mox citatos.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

34 Colliges ex hactenus dictis primò, dari inter ordines aliquam subordinationem & connexionem, vi cujus Ordo inferior v. g. Subdiaconatus semper debet suscipi priùs, quàm suscipiatur Ordo Superior v. g. Diaconatus vel Presbyteratus, & sic loquendo de reliquis. Et licet talis validè adhuc susciperet Ordinem Superiorem ante susceptum inferiorem, certò tamen peccaret mortaliter, utpote transgrediens præceptum Ecclesiæ in materia gravi; & maneret suspensus, donec ab Episcopo dispensetur, ut Ordinem prætermissum suscipere, & in suscepto ministrare posset, veluti statuitur. *cap. un. de Cleric. per saltum promoto.* Ob eandem rationem Salmanticenses, Mezger, Babenstuber aliique plures inferunt, mortaliter peccaturum, qui ante omnes alios Ordines non susciperet primam tonsuram.

35 Colliges secundò, graviter peccare eos, qui quemcunque demum ordinem scienter suscipiunt in statu disgratiæ. Ita La Croix *nu.* 2224. contra Gobat & Sporer aliosque nonnullos, tenentes contrarium de suscipiente Ordines minores in statu disgratiæ. Ratio autem hujus nostræ opinionis est: quia tametsi non sit omnino certum, omnes Ordines, præsertim Minores, esse verum Sacramentum, certò tamen est probabilissimum, quòd sint, & hoc ipso fit certum, quòd talis se exponat certo periculo indignè recipiendi Sacramentum, ideoque ponendi obicem gratiæ Sacramentali: at, qui se exponit tali periculo, præsertim sine gravi & urgenti causa, graviter delinquit: ergo &c.

Dices. Ministeria Ordinum Minorum etiam à Laicis exhiberi possunt, & de facto communiter ita solet fieri: ergo hi Ordines de facto videntur omnino superflui, vel certè non tanti momenti, ut quis propterea damnari deberet æternaliter?

35 R. Distinguendo & explicando antecedens. Præfata Ministeria possunt exhiberi à Laicis, idque ex officio, id est, velut à Ministris ex institutione & Ordine Ecclesiastico ad hoc Officium deputatis, neg. non ex Officio, con. ant. & neg. cons. Nam à Ministris Ecclesiasticis longè decentiùs peraguntur hujuscemodi Ministeria: ergo non superfluunt prædicti Ordines: quòd autem indignè suscipiens peccet, ideo fit, quòd se exponat periculo ponendi obicem gratiæ Sacramentali: unde si propter hujuscemodi peccatum damnaretur, id non Ordinibus Minoribus, sed damnabili suæ incuriæ, & indispositioni imputare deberet.

36 Colliges tertiò, Tonsurandum non peccare, si primam Tonsuram suscipiat in statu disgratiæ. Ratio desumitur à contrario; quia cùm hæc secundum dicta superiùs *n.* 19. non sit Sacramentum, eo ipso non ponitur propterea obex gratiæ Sacramentali. Nihilominus, si talis velit simul communicari prout regulariter secundùm modernam Ecclesiæ praxin fieri solet, tenebitur necessariò præmittere Confessionem Sacræ communioni, nec satisfaceret præcisè contritionem eliciendo, vel ad eam conando, utì jam diximus superiùs *Confer.* 2. *n.* 49. & *Confer.* 3. *num.* 73.

37 Colliges quartò, probabiliùs nullam & invalidam, atque hoc ipso repetendam fore Ordinationem Presbyteri, si alicui sola patena sine pane seu hostia superposita porrigeretur. Ratio colligitur à pari; etenim si alicui porrigeretur solus calix sine vino, probabiliùs Ordinatio foret nulla, utì visum est mox supra *num.* 26. idque propterea, quòd calix solus non videatur sufficiens ad significandam potestatem consecrandi Sanguinem: ergo similiter, cùm patena sola non satis exprimat potestatem consecrandi Corpus Christi (saltem juxta modernum usum Ecclesiæ) concludendum meritò est, hujusmodi Ordinationem esse nullam aut certò dubiam, & hoc ipso repetendam. Et ita tenent Cardin. de Lugo *l.* 1. *Respons. moral. dub.* 3. Gobat, Diana, La Croix *n.* 2151 Babenstuber *disp.* 11. *a.* 3. *n.* 8.

38 Colliges denique quintò, Ordinandum graviter peccare, si voluntariè negligat immediatum patenæ vel calicis contactum. Ita ex communi DD. Castropalao *tr.* 27.

disp.

disp. un. pu. 4. *n.* 20. Ratio est: quia talis contactus præscribitur in Pontificali, jubeturque Episcopus illum diligenter observare: ergo signum est, per hujus neglectum Sacramentum exponi periculo nullitatis. Et certè multi Doctores existimant, talem contactum esse de substantia. Nihilominus, prudenter monent Doctores jam supra citati, & cum illis La Croix *n.* 2159. contemnendos esse nonnullorum scrupulos, qui, tametsi optima fide accesserint, ex post facto tamen timent, ne forte non bene, utpote vel nimis citò, vel etiam nimis serò attigerint Sacra vasa, eò quòd defacto non recordentur, nec possint se reflectere, aut sibi imaginari, an, quando, vel quo modo id fecerint &c. Enim verò hæc non sunt prudentia motiva dubitandi; quia nec tenemur, nec possumus recordari omnium quæ agimus, aut egimus, & hoc ipso, quòd simus solliciti pro hoc vel illo ritè faciendo, minùs reflexè cogitamus de reliquis. Et certò cùm plures semper soleant attendere, an, vel quomodo ordinandi Sacra vasa contingant, procul dubio illicò monuissent, si quem defectum notassent: ergo cùm non monuerint, signum est, omnia ritè fuisse peracta.

CONFERENTIA

VIGESIMASECUNDA.

De Ministro Sacrorum Ordinnm, eorumque Subjecto, & de Obligationibus inde resultantibus.

SUMMARIUM.

39 *Minister Ordinarius & legitimus Sacrorum Ordinum est solus Episcopus.*

40 *Extraordinarius tamen Minorum Ordinum potest esse simplex Sacerdos.*

41 *Abbates nequeunt conferre Ordines Minores aliis sibi non subjectis.*

42 *Quænam conditiones requirantur ex parte Episcopi, ut is licitè conferat Ordines.*

43 *Subjectum capax Ordinum est omnis, & solus mas baptizatus.*

44 *In infantia ordinato datur optio post adeptum usum rationis, an velit in Ordine sic suscepto ministrare &c.*

45 *Quæ, & quot conditiones requirantur ex parte Subjecti ad validam susceptionem Ordinis. Item*

46 *Quæ, & quot requirantur ad licitam.*

47 *Qui sint Effectus Sacrorum Ordinum.*

48 *Quænam denique obligationes Ordinatorum.*

49 *In Sacris constituti ex jure duntaxat Ecclesiastico adstringuntur ad servandam perpetuam continentiam.*

50 *Resolvitur Casus I. de quodam Clerico, qui cum fictis dimissorialibus suscepit Ordinem Subdiaconatus:*

51 *Propterea que graviter deliquit, & ipso facto incurrit suspensionem.*

52 *Cum dictis dimissorialibus suscipiendo Ordines etiam Minores tantùm, graviter peccasset.*

53 *Resolvitur Casus II. cujusdam studiosi, qui, quòd petierit Ordines non ab Episcopo Originis, sed domicilii paterni, repulsam passus fuit.*

54 *A quonam Episcopo ordinari possint vel debeant Religiosi, qui modò in hac, modò in alia Diœcesi commorantur.*

55 *Et an possint petere Ordines ab alio Episcopo, tametsi Ordinarius loci, ubi commorantur, Ordines velit conferre.*

56 *Resolvitur Casus III. de quibusdam Clericis Franciscanis, qui è Conventu Egrano Ratisbonam missi, pro Ordinibus decumbente tunc Reverendissimo Suffraganeo Ratisbonensi, petierunt Passavium.*

57 *An à Celsissimo Passaviensi plures Ordines dictis Fratribus rectè fuerint collati.*

58 *An iisdem uno, eodemque die plures Ordines potuissent conferri.*

59 *Tam in susceptione, quàm in collatione Ordinum sequendæ sunt Sententiæ tutiores.*

60 *Quænam Sententiæ circa hanc materiam*

- *riam de facto non sint practicè probabiles.*

61 *Ordinatio facta ab Episcopo innodato aliqua censura, valida quidem est, sed illicita.*

62 *Hæretici validè ordinarentur, sed illicitè.*

63 *Mulieres ne primæ quidem Tonsuræ sunt capaces.*

64 *Diaconissæ in primitiva Ecclesia non habuerunt verum Ordinem Diaconatus: & cur hoc nomine fuerint appellatæ.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria, ad debitè resolvendos Casus practicos de Ministro & Subjecto Ordinum.

QUæres primò, quisnam sit legitimus Minister Sacrorum Ordinum?

39 R. Solus Episcopus est Ordinarius & Legitimus Minister. Ita fides Catholica: ita Concilium Florentinum *post Sess. ult. §. sextum Sacramentum*: ita & Tridentinum *sess. 23. & can. 7.* Ratio congruentiæ est: quia Ministeria & Officia in populo distribuere, pertinet ad Principes, utì superiùs diximus ex S. Bonaventura: Atqui Episcopi sunt Principes Populi Christiani, sive Ecclesiæ: ergo ad hos pertinet distribuere Officia Ecclesiæ: hoc autem fit per Sacram Ordinationem: ergo &c.

40 Dixi: *Minister Ordinarius*; nam extraordinarius ex Commissione Papæ in Ordine ad conferendos Minores, potest esse quilibet Sacerdos, etsi non sit Episcopus. Hac ratione Abbates Presbyteri, usu Mitræ ac Baculi gaudentes, solent suis subditis conferre Ordines Minores, idque ex concessione S. Sedis Apostolicæ, prout liquet *ex c. quoniam videmus dist. 69. & c. cùm contingat. de Ætat. & Qualit. præficiend.*

Dices: Ergone Abbates Mitra fulgentes non possent conferre primam Tonsuram, & quatuor Minores aliis, v. g. Sæcularibus, sibi non subjectis?

41 R. Non possent. Ratio desumitur ex Tridentino, quod *sess. 23. c. 10. de Reformat.* expresse statuit hisce Formalibus: *Abbatibus ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, in posterum non liceat cuiquam, qui Regularis Subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre.* Quo non obstante plures DD. nominatim Salmaticenses *tr. 8. c. 4. pu. 2. num. 38.* Sporer *c. 5. n. 43.* & Babenstuber *disp. 11. a. 4. n. 5.* existimant, Abbates hodiedum id posse, modò Episcopus consentiat; eò præsertim, quòd consuetudo & praxis in Germania id ferat. Verùm an hæc praxis vigeat in nostra Patria, ego non scio: nec recordor me id unquam vidisse, vel etiam audivisse. Unde La Croix absolutè negat, hanc potestatem hodie competere Abbatibus, & in contrarium adducit aliquam decisionem Rotæ, confirmatam à Summo Pontifice 17. *Januarii* 1662. Vide *cit. Doct. num.* 2190.

Quæres secundò, quæ, & quot conditiones desiderentur ex parte Episcopi, ut is Ordines licitè conferat?

42 R. Breviter cum P. Babenstuber *cit. art. 4. n.* 10. desiderari sequentes. 1. ut sit in statu gratiæ. 2. ut sit jejunus, nullaque censura Ecclesiastica, vel irregularitate implicatus. 3. ut sit præditus omnibus ordinibus, etiam inferioribus. 4. Ut observet Ritus & Ceremonias ab Ecclesia præscriptas. 5. Ut Ordines Majores non conferat, nisi Sabbato quatuor temporum, & Sabbato ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis Domini: Mendicantibus tamen intuitu Privilegiorum suorum istos Ordines extra præfata tempora licitè impertiret. 6. Requiritur, ne ordinet extra suam Diœcesin. 7. Ut non ordinet, nisi Subditum, aut habentem veras Dimissoriales, si non sit Subditus. Item non, nisi legitimè natum, præditum debita ætate, probitate, scientia, dispositione, & Titulo mensæ.

Quæres tertiò, quinam sint Subjectum validæ Ordinationis, seu, quinam Ordines validè suscipere possint?

43 R. Est omnis & solus Mas baptizatus, tametsi nondum attigerit usum rationis. Ita Scotus *4. dist. 25. q. 2.* Omnesque Catholici. Quòd solus mas validè ordinetur, patet ex usu, praxi, & perpetua Traditione Ecclesiæ, quæ semper persuasum sibi habuit, Christum ita voluisse, & vel ex eo

haud

haud obscurè colligere fas est, quòd ne propriæ quidem Matri, etsi cæteroquin dignior atque excellentiori universis Apostolis, aliquem Ordinem conferre voluerit. Quò collimavit Apostolus 1. *Corinth.* 14. scribens: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit*: & mox infrà ait idem Apostolus: *Siquidem autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*. Et ratio congruentiæ est: quia Ordines à Christo instituti sunt pro iis, qui in Ecclesia aliquam dignitatem, potestatem & eminentiam obtinere possunt: Atqui mulieres ob sexus infirmitatem non sunt dignæ, ut ad talem eminentiam evehantur: ergo &c. Quòd verò infans ante usum rationis adeptum validè (esto illicitè secundùm omnes) ordinaretur, modò per baptismi januam supponatur esse ingressus Ecclesiam, constat ex *cap. unico de Cleric. per saltum promoto*. Et ratio fundamentalis hæc est: quia etiam infantes sunt capaces illorum Sacramentorum, quæ non exigunt conditionem aliquam illorum statui repugnantem, veluti patet de Sacramento Baptismi, & confirmationis: atqui Ordo non exigit talem conditionem. Neque opus est, ut infans habeat propriam intentionem, sed sufficit eam suppleri ab Ecclesia, veluti à pari constat de Baptismate: ergo saltem validè ordinaretur infans.

44 Nihilominus Ecclesia hujuscemodi infantem ordinatum non vult simpliciter obligatum ad statum Clericalem, vel ad perpetuam continentiam, sed relinquit in ejus arbitrio, ut post adeptum rationis usum vel transeat ad statum conjugalem, vel in ordine suscepto ministret; quem si liberè eligere voluerit, & in eo ministrare, tunc primùm tenebitur in eodem perseverare, & onera illa, omnibus aliis communia portare, uti cum communi DD. tenent Reinffestuel, Clericatus, Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disput.* 30. & Sporer *cap.* 5. *num.* 185.

Dices: quænam igitur conditiones ex parte Subjecti sunt necessariæ ad validam Ordinationem?

45 R. Tres Conditiones ad validam Ordinationem requiri, facilè deduci potest ex jam dictis. 1. Enim necessum est ut sit mas. 2. Ut sit baptizatus, & 3. ut habeat intentionem suscipiendi, si sit adultus. Ratio priorum conditionum mox *num. præcedenti* fuit data. Ratio autem tertiæ conditionis est ista: quia sicut Deus adultum non justificat sine aliqua cooperatione liberi arbitrii ipsius; ita nec per Sacramenta illum vult consecrari, nisi habeat aliquam positivam intentionem, & saltem habitualem voluntatem suscipiendi. Vide quæ diximus superiùs *Confer.* 3. *n.* 56.

Quæres quartò, quid præterea requiratur, ut aliquis licitè suscipiat Ordines?

46 R. Ad licitam susceptionem requiruntur sequentes sex Conditiones. 1. Ut sit in statu gratiæ. 2. Ut sit confirmatus. 3. Ut ordinatè, & non per saltum suscipiat Ordines. 4. Ut non sit irretitus aliquo impedimento, seu inhabilitate canonica. 5. Ut habeat reliqua de jure requisita, (uti sunt 1. ætas Canonica. 2. probitas morum. 3. Scientia competens. 4. Titulus mensæ & 5. Litteræ dimissoriales, si velit ab alio, non suo, ordinari. 6. Observatio interstitiorum, locus, & tempus debitum) Denique sextò. Debet Ordinandus esse ab Episcopo approbatus. Declaro breviter singulas conditiones mox recensitas.

I. Itaque Ordinandus debet esse in statu gratiæ; quia cùm Ordo sit Sacramentum vivorum, supponit hominem spiritualiter viventem, seu in gratia sanctificante constitutum, juxta dicta *Confer.* 1. *n.* 61.

II. Debet esse confirmatus; quia Trident. *Sess.* 23. *c.* 4. *de Reformat.* statuit, ut prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint. Quare qui secus facit, validè quidem ordinatur, peccat tamen, saltem venialiter, juxta dicta *Confer.* 8. *n.* 13.

III. Ordinatè debet suscipere, & non per saltum, id est, transiliendo quasi unum Ordinem, & suscipiendo priùs altiorem v. g. Diaconatum ante Subdiaconatum. Oppositum agens graviter peccat, & manet suspensus ab ordine sic suscepto in tantum, ut neque in illo ministrare, neque ad altiorem ascendere valeat, donec ab Episcopo (ordine omisso priùs suppleto) dispensetur, uti statuitur in Tridentino *cit. Sess.* 23. *cap.* 2.

cap. 2. & cap. un. de Clerico per saltum ordinato. Navarr. Castropal. Gobat, Sporer *cit. c. 5. n. 75.*

IV. Necessum est, ut non sit irretitus aliquo impedimento Canonico, utpote irregularitate vel censura Ecclesiastica, scilicet excommunicatione, suspensione, vel interdicto. Ratio est: quia irregularitas est quædam inhabilitas Canonica ad suscipiendos Ordines, & in susceptis ministrandum. Similiter censura Ecclesiastica privat usu quorundam bonorum spiritualium externorum Ecclesiæ, uti sunt Ordines Sacri, qua ratione is, qui censura irretitus præsumit solenniter exercere actum Ordinis Majoris, (nisi necessitate compulsus id faciat) incurrit novam irregularitatem ex delicto abusus Sacri Ordinis dictam, veluti habetur *toto Titulo de Cleric. excom. ministrante*. Ita Tambur. Laym. Sporer &. Gobat ubi suprà *num. 713. & 765.*

V. Debet habere ætatem Canonicam. Ita statuit Concilium Tridentinum *ss. 23. c. 12. de Reform.* sequentibus verbis: *Nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum: ad Diaconatus ante vigesimum tertium: ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Sufficit tamen, præfatos annos fuisse inchoatos, etiam unica hora, veluti cum *communi* docet Layman *lib. 5. tr. 9. c. 7. n. 1.* Et Glossa *in Clement. ult. de ætat. & qualit. Ordinand.* Pro prima verò Tonsura & Minoribus nulla ætas certa præscribitur, modò habeant usum rationis, qui hisce Ordinibus insigniri cupiunt. Pro Episcopatu de jure requiritur annus trigesimus completus *cap. cùm in cunctis*, *de elect.* Babenstuber *art. 5. n. 11. fin.*

VI. Probitas vitæ & morum desideratur in ordinando, quam is debet probare, vel Parochi, vel aliorum fide dignorum, v.g. Superiorum, Professorum &c. attestatione. Idque jure meritò desideratur, juxta illud Apostoli *1. Timoth. 5. Manus citò nemini imposueris.*

VII. Scientia competente ordinandus debet esse instructus, sed diversa, juxta diversitatem Ordinum, & munerum; nam prima Tonsura initiandus juxta Constitutionem Concilii Trident. *cit. c. 4.* Scire debet rudimenta fidei, item legere & scribere. Diaconandus & Subdiaconandus debent scire necessaria ad functiones sui ministerii. Presbyterandus debet pollere ea doctrina, ut possit Populum docere necessaria ad salutem, & ritè administrare Sacramenta; quod vel maximè desideratur in iis, qui cupiunt promoveri, & exponi ad curam animarum.

VIII. Titulum mensæ habere debet majoribus Ordinibus initiandus, id est, congruam sustentationem, seu media sese honestè sustentandi, veluti statuitur *cap. Neminem*, & *cap. Sanctorum*, *dist. 70.* & in Trident. *ss. 21. c. 2. de reform.* Etenim valde incongruum, & statui Sacro indecorum foret, si Clericus cogeretur mendicare, vel intuitu congruæ sustentationis, sordidum quendam quæstum exercere. Porro triplex datur, & ab Ecclesia agnoscitur titulus. Primus est Beneficii Ecclesiastici, pacificè possessi. Secundus est titulus Patrimonii, vel pensionis, de cujus sufficientia, & veritate oportet Episcopum dijudicare, juxta Tridet. *loc. cit.* Tertius est titulus paupertatis, seu professionis Religiosæ, cujus intuitu omnes Religiosi professi, utpote propter Christum omnia sua relinquentes, & nihil proprium possidentes, ordinari solent juxta Pontificale Romanum §. *de ordinatione Subdiaconi.* Videantur de hoc Engel *in suo jure can. lib. 1. tit. 14. n. 14. & seqq.* Clericat. *de ordin. decis. 28. à nu. 3.*

IX. Litteris dimissorialibus instructus esse debet, quisquis non à proprio, sed ab alieno Episcopo ordinari cupit. Ita rursus expressè statuit Concil. Trident. *sess. 23. c. 8. de reform.* Quinam verò hujusce modi litteras date valeant? quamvè ob causam? aut quamdiu semel datæ durent, & quousque se extendant? longioris foret tractationis; quæ, cùm à scopo nostro aliena sit, hinc in casu dubii emergentis lectorem remittimus ad Doctores mox citatos, vel ad P. Gobat *tr. 8. à n. 600.* La Croix *l. 6. p. 2. à n. 2268.* Sporer *c. 5. n. 104.* in quibus procul dubio abundanter inveniet ea, quæ desiderat.

X. Interstitia pariter debet servasse ordinandus, id est (loquendo de Ordinibus majo-

majoribus) exspectasse ab ordine suscepto per integrum annum Ecclesiasticum, priusquam alium ordinem altiorem suscipiat. Veluti habetur in Tridentino *citato ss. 23. c. 14. de reformat.* Locus autem pro solemni collatione Ordinum est Ecclesia Cathedralis. Tempus ordinarium pro conferendis Ordinibus majoribus currit sex Sabbatis sequentibus, scilicet quatuor temporum; item Sabbato ante dominicam Passionis, & ante diem paschæ, uti statuitur *cap. de ec. de temp. Ordinand.* Potest tamen Summus Pontifex quoad hoc dispensare, ut aliis quoque temporibus præfati Ordines conferantur, veluti experientia & praxis monstrat.

XI. Tandem in eodem Trident. *ss. 23. c. 12. de reform.* requiritur, ut Ordinandus ab Episcopo (vel alio Ejus nomine deputato) sit examinatus de sufficientia doctrinæ, aliisque de jure requisitis, & hactenus recensitis, & ab Eodem approbatus, ita, ut furtivè sese ingerens, & sine approbatione ordinandis se admiscens, incurrat irregularitatem, juxta communem Doctorum, teste Suarez *de censur. disp. 42. sect. 3.* veluti statuitur *c. 1. 2. & 3. de eo, qui furtivè.*

Quæres quartò, quinam sint effectus Sacrorum Ordinum?

47 R. Sunt sequentes duo. 1. Cùm sit Sacramentum vivorum, non primam (saltem per se loquendo) sed secundam gratiam, seu augmentum gratiæ confert, & quidem cum jure ad alia auxilia gratiarum actualium percipienda in ordine ad functiones cujusque Ordinis ritè, ac religiosè exercendas. Secundus effectus est character, ita ut singuli septem ordinibus correspondeant singuli characteres, quibus Ordinatus intrinsecè perficitur ad actus sui ordinis validè exercendos. Ita *ex communi* Babenstuber *tr. 7. p. 5. d. 9. a. 5. n. 22.*

Quæres sextò, quænam sint obligationes ordinatorum?

48 R. Sunt sequentes quatuor. Primò. Omnes Clerici, tam majores, quàm etiam minores, seu in minoribus constituti (si sint Beneficiati, & status clericalis privilegiis gaudere velint) tenentur portare habitum clericalem, & tonsuram, sine armis incedere, vitamque honestam, ac clericalem ducere; etsi oppositum facientes, non peccent graviter nisi propterea aliis darent scandalum grave. Secundò. Clerici in Majoribus constituti, incipiendo scilicet à Subdiaconatu, duas obligationes speciales contrahunt. 1. tenentur recitare breviarium, idque per se loquendo sub peccato mortali 2. tenentur servare castitatem perpetuam, & cœlibem vitam ducere, ita, ut nec validè ampliùs possint contrahere matrimonium, juxta constitutionem Concilii Tridentini *ss. 24. can. 9.* Unde transgressores Castitatis semper committunt peccatum qualificatum contra virtutem Religionis; juxta *omnes*. Tertiò obligantur Clerici ad dicendas preces, in actuali ordinatione ab Episcopo sibi impositas, etsi juxta probabiliorem sub culpa levi duntaxat ad hoc teneantur. Quartò denique tenentur omnes ad præstandam Episcopo reverentiam, & obedientiam in actuali ordinis susceptione promissam; de qua, quantæ sit obligationis, videri possunt P. Gobat *tr. 8. n. 773.* & Sporer *cit. c. 6. n. 171.*

Quæres septimò, quo jure Clerici in majoribus constituti teneantur ad servandam castitatem perpetuam?

49 R. Ex jure Ecclesiastico tantùm. Ita *communiter DD.* Ratio est: quia nullibi constat, quòd ad hanc teneantur ex jure naturali, aut divino; restat proin dicendum, eos solo jure ecclesiastico ad hoc adstringi; de quo quidem nullatenus ambigendum est, quandoquidem de hoc tum ex SS. Patrum testimoniis, tum etiam ex Summorum Pontificum constitutionibus, apud Bellarminum *de Clericis*, Laymannum *cit. c. 6. n. 3.* Clericatum *decis. 27. num. 14.* & alios passim videndis, abundè constet. Controvertitur tamen inter Doctores, utrùm hæc obligatio ex solo præcepto & jure ecclesiastico, an verò potiùs ex voto, saltem implicitè in susceptione Subdiaconatus emisso, proficiscatur? Scotus aliique multi graves Doctores existimant, eam proficisci ex solo jure ecclesiastico: econtra D. Thomas D. Bonaventura, & alii plures volunt, eam oriri immediatè ex voto. Utriusque sententiæ Patroni

troni afferunt pro se rationes minimè spernendas, quibus utraque sententia redditur verè probabilis, uti videre licet apud Clericatum *l. cit. n. 61. & seqq.* Sporer. *cap. 6. n. 178.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 27.* Herincx. *hic disp. 10. §. 2.* & alios passim.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Sacrorum Ordinum.

CASUS PRIMUS.

Titius multo tempore Reverendissimum suum Ordinarium sollicitaverat pro dimissorialibus obtinendis; Qui tamen nunquam voluit dare alias, quàm dimissorias in perpetuum. Quapropter ut Titius fine suo tandem aliquando potiretur, & ad statum Ecclesiasticum, ad quem se vocatum existimavit, pertingeret, imitatus fuit manum ac sigillum proprii sui Ordinarii, sibique confinxit litteras dimissoriales usque ad Sacerdotium inclusivè, quibus causam suam eò perduxit, ut ab alio Ordinario, velut provisus omnibus de jure requisitis, fuerit admissus ad Ordinem Subdiaconatus. Verùm paulò post fraude deprehensa cœptum est dubium 1. utrum ordo validè fuerit collatus Titio? Secundò, quomodo is peccaverit confingendo sibi falsas dimissoriales, & quas propterea pœnas incurrerit? Quid respondendum?

50 R. ad primùm. De valore ordinis collati vix dubitandum. Ratio est: quia si quid valori obstitisset, id potissimùm fuisset defectus intentionis ex parte Episcopi, qui solus videtur non intervenisse; quandoquidem Episcopi semper ante ordinationem protestari soleant, se nolle ordinare eos, qui vel sunt excommunicati, vel irregulares, vel alio requisito canonico (uti sunt litteræ dimissoriales) destituti: at, neque hoc obstat; quia per talem protestationem Episcopus censetur duntaxat velle deterrere hujuscemodi impedimentis irretitos, & significare, se nolle, id est, non optare, ut tales accedant ad ordinationem, sed potiùs ut emaneant vel recedant. De cætero Idem Episcopus semper præsumitur habere practicam, & absolutam intentionem ordinandi, hominem præsentem, idque propterea vel maximè: ne ob defectum Ordinis, præsertim sacerdotalis, contingat postea plures damnificari, aut plurium innocentium salutem periclitari: quod procul dubio contingere natum est, ubi Sacerdos (vel Episcopus) invalidè ordinatus, administrat Sacramenta. Vide Escobar *in Theol. Moral. lib. 23. Problem. 36. n. 199.* Navarr. *in Consil. l. 1. de Temp. Ordinat.* La Croix *n. 2231.*

51 R. Jam ad secundum. Titius confingendo sibi littteras dimissoriales, & cum iisdem accedendo ad Ordinem Subdiaconatus, peccavit mortaliter secundùm *omnes*. Ratio est: quia in materia gravi fuit transgressus sapientissimam Ecclesiæ constitutionem. Qua de causa in Pontificali Romano sub pœna excommunicationis præcipitur, ne ullus patiens defectum Canonicum, audeat suscipere Ordines. Porro Concilium Tridentinum *ss. 23. cap. 8. de Reformat.* statuit, ut taliter Ordinatus (scilicet sine licentia proprii Ordinarii) à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Similiter Pius II. *in suo Extravag. cùm ex Sacrorum*. Statuit, ut 1. qui extra legitima tempora, vel 2. ante legitimam ætatem, vel 3. sine litteris dimissoriis Sacrum aliquem Ordinem accipere præsumpserint, ab eodem suspensi maneant, donec ab Ordinario suo absolvantur: & si durante hac suspensione in Ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatem (ex abusu S. Ordinis dictam) incurrant. Hancquè suspensionem esse latæ sententiæ, post citatam Constitutionem Pii II. indubitanter tenendum existimat Layman *lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2.* Quo loco alios adhuc plures DD. allegat ejusdem opinionis.

Dices. At quid, si Titius noster cum suis litteris fictitiis Minores duntaxat Ordines suscepisset?

52 R. Nihilominus peccasset mortaliter. Et licèt propterea non incurrisset mox dictam suspensionem Pii II. quippe quæ solum

est

est lata in eos, qui aliquem Ordinem Sacrum, uno ex illis tribus mox dictis illegitimis modis accipiunt, & per consequens exercendo actum Ordinis Minoris sic suscepti irregularis non fieret; nihilominus interdicendum ipsi esset ministerium talis Ordinis, utì statuitur *cap. quod translatum de Temp. Ordinat.* Immò verò, etiam ante interdictum est inhabilis ad Ordinis ita suscepti exercitium, ita, ut ante obtentam dispensationem velut ex Officio ministrando peccet: quia, sicut Sententia lata à non Judice, irrita est; ita & Ordinatio facta ab Episcopo non suo, seu non habente jus ordinandi, irrita censetur in ordine ad legitimam executionem seu usum per *cap. si quis ausus dist. 71.* Ita Layman *loc. cit. §. secundum*, & apud hunc Suarez, Avila &c.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius natus in Diœcesi Ratisbonensi, ab alio quodam Reverendissimo Ordinario postulavit initiari Ordinibus Sacris, partim quod in hujus Diœcesi, immo Metropoli, per multos annos studiis vacaverit; partim etiam, quòd Parens suus in eodem loco & Diœcesi jam ante novennium fixerit domicilium, & quidem animo, perpetuò ibi habitandi; quibus non obstantibus bonus Sempronius repulsam fuit passus, eò quòd esset ex aliena Diœcesi oriundus. Quæritur, an justè?

53 R. Si Sempronius cæteris omnibus de jure requisitis fuit instructus, videtur injustè fuisse repulsam passus ex eo præcisè, quòd ex alia Diœcesi fuerit oriundus. Ratio hujus est: quia non solùm ratione originis, sed etiam ratione domicilii, beneficii, immò etiam ratione familiaritatis cum Episcopo potest aliquis fieri subditus Episcopi in tantum, ut ab eo justè possit prætendere Ordines, veluti habetur *ex cap. cùm nullus de Temp. Ordinand. in 6.* & cum communi DD. fusiùs tradit Layman *l. 5. tr. 9. c. 9. num. 10.* Atqui Sempronius noster in hac Diœcesi, ubi Ordines postulavit, sortitus est domicilium, non quidem ex eo præcisè, quòd per novennium studiorum causa in illa Metropoli fuerit commoratus, sed quia Parens ipsius in eodem loco & Diœcesi fixit domicilium, & quidem conformiter ad Constitutionem Innocentii XII. *Speculatores Domus Israel &c.* supponitur enim in eodem loco nedum partem, sed totam etiam substantiam bonorum suorum habere, sibique constituisse domum, animo perpetuò eam inhabitandi: jam verò Filius manens cum Patre, sortitur domicilium Patris, præsertim si adhuc sit impubes, utì habetur *l. placet ff. ad Municipalem*, & communissimè tradunt DD. nominatim Layman *cit. cap. 9. num. 10.* Sporer *c. 5. num. 53.* Gobat *num. 299.* & fusissimè Reinffestuel *lib. 1. decret. tit. 11. num. 78. & 94. ac seqq.* Subdit tamen Layman *loc. cit. in fine*, aliquarum Diœcesium consuetudinem esse, ut tales in loco domicilii paterni non ordinentur sine dimissoriis datis ab Episcopo Originis: & hac forsan de causa Sempronius noster repulsam fuit passus, etsi præscindendo à tali consuetudine haud quaquam repellendus fuisset.

Dices. A quonam igitur Episcopo ordinari debent Religiosi, qui modò in hac, modò in alia Diœcesi commorari solent, utì fieri amat apud nostros?

54 R. Cum P. Matthæucci *in offic. curiæ Ecclesiast. c. 35. n. 2.* eos ordinandos esse ab Episcopo, in cujus Diœcesi actu degunt; nam iste censetur, quoad hoc, proprius eorum Episcopus. Si tamen Ordinarius loci absit, vel tempore ordinationis infirmitate, aliovè impedimento præpeditus, non conferat Ordines, possunt ordinari à quocunque alio Episcopo, habente communionem cum Ecclesia, modò Superior regularis id exprimat in dimissorialibus, quòd scilicet Episcopus loci absit, vel aliam ob causam v. g. infirmitatem &c. Ordines non conferat. Ita habet Decretum Sacræ Congregationis hac super re specialiter emanatum, & à Clemente VIII. confirmatum 15. *Martii* 1596.

Dices iterùm. Ergo ubi Episcopus loci confert, aut vult conferre Ordines hujuscemodi Religiosis, Prælati Regulares non possunt suos Subditos mittere ad alium Episcopum, ut ab illo ordinentur?

55 R. Per se loquendo id non possunt, nisi id habeant ex speciali privilegio. Hoc

tamen

tamen Privilegium Mendicantibus, immò & aliis Religiosis exemptis fuisse concessum à diversis Pontificibus, satis communiter tenent DD. Piasecius *part. 1. prax. Episcop. c. 1. art. 2. nu. 5.* Barbosa *p. 2. de offc. & potest. Episcopi allegat. 4. num.* 60. Pirhing *lib. 1. decret. tit. 11. n. 61.* Reinffestuel *eod. tit. nu.* 136. Sporer *nu.* 123. Rodriquez *QQ. RR. tom. 1. q. 18. a. 4.* & rursus *tom. 3. q. 24. art. 1. & 2.* Layman *c. 9. num. 9.* Gobat *tract. 8. num.* 420. quo loco rectè resolvit, Superiores Regulares non peccare, etsi dedita opera mortem, vel absentiam sui Diœcesani exspectent in hunc finem, ut possint suos Subditos mittere ad alium Episcopum, fortè minùs rigidum, &c. eò quòd tales utantur suo jure, ideoque nihil prorsus agant in præjudicium constitutionis mox allegatæ, neque in præjudicium Ordinarii. Videantur *DD. citati.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Franciscanus SS. Theologiæ Studiosus cum aliis nonnullis suis Confratribus Egra à suo Superiore rigidissima hyeme missus fuit Ratisbonam, ibique Reverendissimo, ac Illustrissimo Suffraganeo legitimè præsentatus pro Ordinibus suscipiendis. Verùm, ubi primò Ratisbonam appulerunt prædicti Fratres, illicò audire cogebantur, Reverendissimum Suffraganeum graviter decumbere, proptereaque nullam fore Ordinationem. Idcirco, ne vacui sine Ordinibus Egram reverti cogerentur, communi consilio per nives & glacies bene tincti ac debilitati, pervexere usque Passavium, ibique à Superiore legitimo Celsissimo Principi fuere præsentati cum humillima supplica, quatenus pro sua Clementia dignaretur eisdem desideratos Ordines conferre. Quæri jam potest, 1. Utrùm ab Altefato Clementissimo Principe potuerint ordinari. 2. Utrùm intuitu tanti, tamque rigidi itineris non meruerint, ut iisdem plures Ordines conferrentur?

56 R. Ad primum affirmativè, quòd scilicet ordinari potuerint, modò supponantur fuisse à suo legitimo Superiore debitè præsentati, cum expressione Causæ, quòd scilicet Episcopus Diœcesanus ob infirmitatem non habuerit Ordinationem illo tempore. Ratio colligetur facilè ex mox dictis *num. præcedente:* quia ex constitutione, vel potiùs declaratione S. Congregationis, confirmatæ à Clemente VIII. & videndæ apud Reinffestuel *cit. tit. 11. n. 133.* Superiores Regulares possunt Subditos suos præsentare alteri Ordinario, Casu quo proprius ob infirmitatem (uti factum est in nostro Casu) vel aliam causam non confert Ordines Sacros: ergo ex hac suppositione legitimæ præsentationis &c. nihil prorsus obstitit, quò minùs à Celsissimo Episcopo Passaviensi potuerint Sacris Ordinibus insigniri. Vide etiam Clericatum *Erotemat. cap. 128. n. 36.*

57 R. Jam ad secundum. Videntur dicti Fratres sin minus de condigno, saltem de congruo promeruisse; partim quia quasi innumera viarum incommoda subiere intuitu prædictorum Ordinum, partim etiam, quia reliquos Ordines sine magnis difficultatibus, notabili absentia è Conventu &c. obtinere non potuissent. Ex altera verò parte poterat Celsissimus Passaviensis eisdem plures Ordines conferre, quia ab Alexandro VI. obtinuimus hoc Privilegium, ut etiam non servatis interstitiis annuis possimus ordinari tribus diebus Dominicis, vel Festis duplicibus successivè, veluti monstrat Rodriquez *QQ. RR. tom. 3. q. 23. a. 5.* ubi etiam cum multis aliis probat, huic Privilegio per Concilium Tridentinum nihil omnino fuisse derogatum; quippe quod de hoc Privilegio nullam prorsus facit mentionem: Lex autem generalis nihil derogat illis Privilegiis, quorum mentionem non facit: ergo &c. Tandem neque ex defectu sufficientis præsentationis eis negandi erant plures Ordines; quandoquidem de voluntate Superioris liquidò constiterit, quòd is Fratres suos tantò majori cum gaudio esset excepturus, quantò pluribus Ordinibus insigniti reverterentur ad propria. Atque his de causis Altefatus Clementissimus Princeps dictis Fratribus paucos intra dies plures contulit Ordines Sacros, prout mihi certò constat.

Dices. At nunquid iisdem Fratribus una eademque die plures potuissent conferri Ordines, ne ob viarum distantiam, & temporis inclementiam cogerentur

diu-

diutiùs, quàm par erat, abesse è conventu suo?

58 R. Nequaquam id licuisset. Ratio est: quia *c. litteras.* item *c. dilectus. de Temp. ordinand.* expressè & severè prohibetur, ne eidem uno die duo Sacri Ordines conferantur. Idipsum pariter statutum legitur in Concilio Tridentino. *sess.* 13. *c.* 23. *de Reformat.* ubi cassantur omnia Privilegia in contrarium concessa. Quia tamen Canones citati non loquuntur, nisi de Ordinibus Sacris, quatuor autem Minores non veniunt nomine Ordinum *Sacrorum*, juxta dicta *Confer. Super. num.* 5. ex altera autem parte prohibitio circa Ordines Sacros facta veluti in materia odiosa extendi non debet ad non Sacros; hinc sine scrupulo eodem die uni eidemque conferri possent Ordines Minores unà cum Subdiaconatu. Ita Gobat *tract.* 8. *num.* 460.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

59 Colliges ex dictis primò, in collatione & susceptione Sacrorum ordinum tam a Ministro conferente, quàm à Subjecto recipiente sequendas esse sententias tutiores. Ratio est: quia hac via magis consulitur reverentiæ & certitudini Sacramentorum, utì aliàs semper fieri debet; tum etiam quia hoc modo præcluduntur innumera animarum pericula, quæ ex praxi contraria præsertim in collatione Presbyteratus & Episcopatus emergere nata sunt, utì jam sæpiùs innuimus; tum denique quia etiam evitantur innumeri scrupuli, & conscientiarum remorsus, quibus mirandum in modum exagitari videmus eos, qui in hoc nimiùs tutè, minusvè, quàm par erat, accuratè vel deliberatè processerunt: Unde

60 Colliges secundò, practicè non esse probabiles sequentes opiniones. 1. Ad valorem Diaconatus non requiri Traditionem libri Evangeliorum. 2. Tactum Moralem duntaxat necessarium esse ad Ordinationis valorem. 3. Satis esse, materiam tangi tunc, quando Episcopus formam jam protulit, aut vicissim. 4. Non esse necessarium, ut ipse Episcopus ordinans tradat materiam &c. Ratio hujus facilè colligetur ex dictis: quia sententiæ oppositæ sunt tutiores & certiores, sin minùs omnino certæ: ergo praxis harum opinionum est certò illicita, & graviter peccaminosa. Aversa, Cardenas, La Croix *num.* 2148.

61 Colliges tertiò, Ordinationem factam ab Episcopo interdicto, suspenso, vel excommunicato, præsertim excommunicatione majore & notoria (ut si foret Hæreticus, aut Schismaticus, vel notoriè Simoniacus) esse quidem validam, modò adhibuerit debitam materiam, formam, & intentionem; quia vi characteris Episcopalis, utpote indelebilis potestatem validè ordinandi semper retinet; nihilominus talis ordinatio foret illicita, & irrita quoad executionem: quia Ordinatus à tali Episcopo manet tamdiu suspensus, donec à Sede Apostolica fuerit dispensatus, utì docet P. Thesaurus *part.* 2. *Verb. Ordo cap.* 24. Barbosa *de potest. Episcopi part.* 2. *allegat.* 3. *num.* 18. *& seqq.* Clericatus *decis.* 12. *num.* 26. nbi etiam notat, quòd ignorantia taliter ordinatum non liberet à prædicta suspensione, esto conducat ad faciliùs impetrandam dispensationem.

62 Colliges quartò, Hæreticos validè quidem ordinari posse (sicut & Hermaphroditum, in quo prævalet sexus masculinus validè ordinaretur) nihilominus tales illicitè Sacris Ordinibus initiarentur; quia ab Ecclesia habentur pro irregularibus. Ob eandem rationem servi propriè dicti, seu mancipia, quamdiu tales manent, illicitè ordinarentur, velut statuitur *in jure can. tit. de servis non ordinand.* esto Ordo ita collatus valeat, quippe ad quem concurrere possunt omnia essentialiter requisita, utì præter alios communiter rectè docent Castropal. *tract.* 27. *disp. un. punct.* 6. *numer.* 3. Bonacina, & Babenstuber. *tract.* 8. *pag.* 5. *dist.* 11. *art.* 5. *num.* 6. 7. & 8.

63 Colliges quintò, mulieres ne primæ quidem Tonsuræ capaces esse. Ratio est: quia prima Tonsura, tametsi Or-

Ordo non sit, est tamen quædam dispositio prævia ad Ordines suscipiendos, & ad jurisdictionem spiritualem, vel alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Unde, quemadmodum Personæ incapaces alicujus Ordinis Religiosi neque in Novitiatum admitti possunt, aut debent; ita neque ad primam Tonsuram admitti possunt aut debent mulieres, velut incapaces ad Ordines & jurisdictionem Ecclesiasticam. Vid. Layman *lib. 5. tr. 9. cap. 6. n. 2.* Castropal. *tr. 27. disp. un. punct. 6. n. 2.*

Dices. Olim in primitiva Ecclesia dabantur Diaconissæ, quæ ordinabantur per manuum impositionem, & invocationem Spiritus Sancti, quemadmodum hodiedum ordinari solent Diaconi: ergo mulieres non sunt incapaces Sacrorum Ordinum, multò minùs primæ Tonsuræ.

64 R. Cum Cardinali de Lauræa *de Sacram. Ordin. disp. 9. num. 12.* Equidem in primitiva Ecclesia fuisse Diaconissas: Falsum tamen est, eas fuisse vero quodam ordine insignitas, sed erant duntaxat consecratæ certis quibusdam Ceremoniis: & illa manuum impositio non erat consecrativa, sed tantùm deprecativa; idque in hunc præcipuè finem fiebat 1. ut Cathecumenas docerent Articulos fidei, & Orationem Dominicam. 2. Ut iisdem mulieribus Catechumenis jam adultis in actuali collatione baptismi assisterent, quo tempore cùm baptismus fuerit collatus non per affusionem aquæ, veluti temporibus nostris fieri amat sed per immersionem totius corporis in aquam, hæc assistentia & ministerium decentiùs utique ab aliis mulieribus, quàm à Viris præstari potuit. Videatur de hoc Clericatus de Sacram. Ordinis. *decis. 31.* ubi hanc materiam ex professo fundatè examinat & dilucidat. Tyroni interim hæc pauca sufficient pro subeundo examine, qui si fusiorem notitiam haurire cupiet, eam comparare poterit ex Doctoribus hactenus citatis & allegatis. Unde hujus partis primæ esto finis, ut in omnibus.

Laudetur Jesus Christus. Amen.

I N.



THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS PARS II.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CONFERENTIA PRIMA:

De Natura, necessitate, & materia Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentia generatim & ethimologicè sumpta idem sonat, ac* pœnæ tenentia. *Item sumitur pro virtute.*

2 *Describitur Pœnitentia qua Sacramentum.*

3 *Hoc fuit præcipuè & completè à Christo Domino post resurrectionem institutum Joan.* 20.

4 *Estque in re, vel saltem in voto necessarium necessitate medii, omnibus post baptismum graviter lapsis.*

5 *Et quomodo in voto?*

6 *Partes Sacramenti hujus sunt duæ, scilicet materia & forma.*

7 *Materia est duplex, nempe remota & proxima.*

8 *Remota sunt peccata post baptismum commissa: proxima sunt actus Pœnitentis.*

9 *Rursus alia est materia necessaria: peccata scilicet mortalia. Alia sufficens tantùm: scilicet peccata venialia &c*

10 & 11 *Expeditur gemina instantia de peccatis jam semel legitimè dimissis.*

12 *Peccata dubia reipsa commissa sunt materia valida: nihilominus à peccatis merè dubiis per se loquendo non licet absolvere.*

13 *Resolvitur Casus I. de quodam Judæo, qui, licèt peccatis pluribus obstrictus, non tamen tenetur, immò nec potest baptismo præmittere confessionem validam.*

14 *Et quid, si baptismus adulti dubius sit reiterandus? an talis teneatur priùs confiteri.*

15 *Resolvitur Casus II. de quodam Rustico, qui ob labilitatem memoriæ nihil aliud confitetur, quàm quòd* pec-

dicta de Baptiſmo *Confer. 7. n. 68.* ergo. Et ratio à priori eſt: quia illud medium rectè dicitur ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, cujus effectus eſt ſimpliciter neceſſarius: atqui ex inſtitutione Chriſti Domini effectus Sacramenti Pœnitentiæ (ſcilicet remiſſio peccati mortalis, & juſtificatio peccatoris) eſt ſimpliciter neceſſarius, pront idem Concilium *cit. cap. 5.* docet ſequentibus verbis: *univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere.* Oppoſitum verò aſſerentes Hæreticos anathematizat *can. 6. & 7.* ergo.

5 Dixi: *ſaltem in voto:* quia contritio perfecta, & amor Dei ſuper omnia pariter habent vim juſtificandi, eſto non juſtificent ſine voto ſaltem virtuali & implicito ſuſcipiendi hoc Sacramentum; prout rurſus perſpicuè tradit Concilium Trid. *cit. Sſ. 14. de pœnit. c. 4.* ergo licèt non in re, certè tamen in voto eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, prout infrà dicemus pluribus, ubi de confeſſione.

Quæres quartò quænam ſint partes hujus Sacramenti?

6 R. Partes ſunt materia & forma: ſicut univerſim quodvis Sacramentum conſtat ſuo modo ex materia & forma ceu partibus. Alia eſt quæſtio: quænam ſint partes pœnitentiæ? Ad quam communiter reſpondent DD. partes pœnitentiæ ſe tenentes ex parte pœnitentis ſunt tres, ſcilicet dolor, confeſſio, & ſatisfactio; ita tamen, ut dolor & confeſſio ſint partes eſſentiales, ſatisfactio autem in re exhibita eſt pars duntaxat integralis, quippe qua etiam deficiente adhuc eſſentialiter ſubſiſtit Pœnitentia. Major eſt controverſia, utrùm actus pœnitentis, dolor ſcilicet & confeſſio ſint partes eſſentiales intrinſecè conſtitutivæ Sacramenti Pœnitentiæ vel non? Quocirca Thomiſtæ communiter, & ſatis veroſimiliter tenent affirmativam; eò quòd ſecundùm ipſos tam actus pœnitentis, quàm abſolutio habeant vim conferendi gratiam ſanctificantem ex opere operato. E contra Scotus, Boſco &c. alii SS. ſatis communiter cum multis RR. eſto fateantur, actus pœnitentis eſſe partes eſſentiales in hoc ſenſu, quatenus eſſentialiter & indiſpenſabiliter prærequiruntur ad abſolutionem, ita, ut ſine illis Sacramentum pœnitentiæ nunquam valeat adminiſtrari; negant tamen eſſe partes intrinſecas, ex opere operato conferentes gratiam ſanctificantem. Verè quidquid dicatur de hoc, ad praxin parum, vel nihil omnino confert. Sufficiat proin hanc controverſiam merè ſpeculativam paucis inſinuaſſe. Jam ut practica proſequamur.

Quær. quintò, quæ ſit materia hujus ſacramenti, & quotuplex?

7 R. ad primum. Materia hujus Sacramenti duplex eſt ſcilicet remota & proxima. Remota ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa; quæ dicuntur materia *circa quam*, quia circa illa ut deſtruenda & eliminanda verſatur abſolutio, ceu forma hujus Sacramenti. Cùm verò peccata ſecundùm ſe non ſint immediatè remiſſibilia, niſi per actus pœnitentis proximè applicentur; hinc communiter appellantur materia *remota*: econtra actus Pœnitentis, ſcilicet dolor & confeſſio dicuntur materia *proxima*, eoquòd per hos ſacris clavibus proximè applicentur peccata, ut vi abſolutionis remitti valeant: ſicut univerſim in omnibus aliis Sacramentis materia proxima dicitur id, quo materia remota applicatur, prout docetur in *tract. de Sacram. in genere.*

8 Dixi etiam: *peccata poſt baptiſmum commiſſa* &c. Quia ad delenda peccata ante baptiſmum commiſſa, ſicut & ad expiandum originale, inſtitutus fuit baptiſmus, prout clariſſimè docet Trid. *cit. ſſ. 14. c. 1.* Et certè Eccleſia nequaquam vult exercere judicium, niſi in ſubditos ſuæ juriſdictioni, juxta illud Pauli *1. Cor. 5. Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Atqui omnes nondum baptizati ſunt foris, ſeu extra Eccleſiam: ergo in tales Eccleſia non exercet judicium Sacramentale.

Nihilominus peccatum fictionis, ſicut & alia in ſuſceptione baptiſmi commiſſa, utputa ſi talis Neophytus actu foveret intentionem tranſgrediendi præcepta Eccleſiæ vel Decalogi v. g. fornicando &c. ſunt materia capax abſolu-

tionis, prout communissimè tenent S. Thom. S. Bonav. 4. *d.* 4. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 3. Scot. Mastr. Bosco, Kazenberger *in. Supplem. Theol. Sacram.* P. Sporer *c.* 1. *sect.* 2. *nu.* 66. Ratio est: quia hæc peccata, licèt tempore simul, sunt tamen natura posteriora baptismate: quemadmodum si Novitius in illo instanti, quo profitetur, soveret affectum castitati, vel etiam obedientiæ, aut paupertati contrarium, peccaret contra sua vota, ita, ut hujusmodi affectio peccaminosa reputetur natura posterior religiosa professione.

9 R. Jam ad secundum. Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ rursus est duplex: quippe alia dicitur *necessaria*, alia *sufficiens*. Necessaria sunt omnia peccata mortalia, vi clavium nunquam adhuc directè remissa. Sufficiens, verò sunt omnia venialia, vel etiam mortalia jam semel legitimè dimissa & confessa. *Omnes*. Ratio est: quia ideò aliquod peccatum dicitur materia necessaria Sacramenti, quod peccator sub dispendio salutis teneatur illud subjicere clavibus: atqui sola peccata mortalia, sub dispendio salutis tenetur subjicere clavibus ita, ut directè remittantur, non item mortalia jam semel legitimè dimissa, multò minùs venialia, quippe quæ multis aliis modis & mediis expiari possunt, prout rursus perspicuè docet Tridentinum *cit. cap.* 1. *& seqq.* & nos mox infrà *num.* 22. dicemus: ergo &c.

Dices: peccata venialia jam semel dimissa, sicut & mortalia semel legitimè expiata non ampliùs existunt moraliter, nec ligant hominem coram Deo: ergo repugnat, ut ab his sæpiùs absolvatur. Et certè ad novum Sacramentum indispensabiliter necessaria videtur nova materia: at, hìc non supponitur afferri nova materia seu novum peccatum: ergo &c.

10 Resp. Neg. Cons. Esto enim peccata jam semel legitimè dimissa non ampliùs hominem ligent, nec existant velut quid necessariò punibile, sunt tamen adhuc velut quid condonabile: quemadmodum etiam inter homines eadem injuria ab injuriato sæpiùs condonari, & ex corde remitti potest. Neque est de necessitate hujus Sacramenti, ut semper actu peccatorem coram Deo solvat, sed solùm ut conferat gratiam de se remissivam peccati. Qua ratione Benedictus Papa XI. *Extr. Inter cunctas de Privileg. §. Cæterum*, docet reiterationem eorundem peccatorum in confessione esse salutarem.

11 Ad illud alterum R. Etiam in nostra hypothesi ad novum Sacramentum concurrere novam materiam proximam: quia intervenit nova accusatio, & novus processus judicialis: quod sufficit ad novam absolutionem sacramentalem, modò supponatur pariter concurrere novus dolor, etsi sine nova materia remota, novo scilicet peccato. Secus dicendum foret, si pœnitens vel nullum omnino afferret peccatum, vel non, nisi peccata merum conficta: quemadmodum enim de talibus sese veraciter nec accusare potest, nec dolere; ita pariter nec condonari, nec virtute clavium veraciter eidem remitti valent, prout communissimè tenent DD. Mastrius, Sporer, Babenstuber, Illsung *tr.* 6. *d.* 6. *n.* 23.

Quæres sextò, an, vel qua ratione peccata dubia sint materia hujus Sacramenti?

12 R. Peccatum dubium quodcunque, si re ipsa sit commissum, est materia valida & sufficiens (an etiam necessaria, dicetur inferiùs *à num.* 165.) 2. Nihilominus à peccatis merè dubiis per se loquendo non licet absolvere saltem absolutè, *Communis*. Ratio prioris est: quia de peccatis dubiis, si re ipsa supponantur commissa, potest pœnitens veraciter sese accusare, dolere, & proponere emendationem: ergo & validè ab iisdem absolvi. Econtra si re ipsa nullum commisit, tametsi de millenis sub dubio sese accusaret, absolutio foret nulla, ob rationem mox præcedenti numero datam. Ratio autem posterioris est hæc: quia per se loquendo (nisi urgeat necessitas) nunquam licet absolvere cum periculo irreverentiæ sacrilegæ, seu cum periculo frustandi Sacramentum: atqui dum pœnitens subjicit mera peccata dubia, subest periculum nullitatis; quia potest esse, quòd re ipsa nullum commiserit, quo.

quo casu Sacramentum defectu materiæ foret nullum: ergo.

Secus dicendum foret, si pœnitens certò sciat se venialiter deliquisse, & solùm dubitet, an idem peccatum non fuerit mortiferum; quia tunc potest, ac debet absolutè absolvi, cùm veniale se solo sit materia sufficiens. Idem ob eandem rationem dicendum, casu quo Confessarius ex circumstantiis certò agnoscit, pœnitentem saltem venialiter peccasse, tametsi is solùm sub dubio se accusaret, prout bene docet Sporer *cit. n. 56.* eumque secutus La Croix ubi suprà *n. 614.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de materia Pœnitentiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius abjuratò judaismo cogitat proximè amplecti & profiteri fidem Catholicam: cùm verò multis, & quidem gravissimis peccatis personalibus obstrictum sese agnoscat; hinc dubitat, & quærit scire, an teneatur baptismo præmittere confessionem.

13 R. Non tenetur; immo nec potest absolvi. Ratio patet ex dictis *n. 8.* quia sola peccata post baptismum commissa sunt materia valida absolutionis: at, Titius nullum commisit post baptismum: ergo. Nihilominus tenetur ante susceptionem baptismi de peccatis suis gravibus elicere saltem attritionem supernaturalem, cum proposito emendandi, & si quempiam forsitan defraudasset (de quo singulariter instrui debet) restituendi & satisfaciendi; ne ponat obicem gratiæ baptismali, siquidem secundùm legem Dei ordinariam nullum peccatum personale dimittatur sine retractatione peccatoris: *nemo enim* (inquit Doctor Seraphicus mox citandus) *inchoare potest novam vitam, nisi eum pœniteat veteris vitæ.* Qua ratione *Act. 2.* Princeps Apostolorum monuit dicens: *pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Vid. D. Bonavent. *4. d. 16. p. 2. a. 1. q. 2.*

Dices: sed quid, si baptismus adulti vocetur in dubium, propterea que rebaptizandus sit, tenebiturnè priùs confiteri peccata hactenus commissa?

14 R. Juxta tutiorem (fortè etiam probabiliorem sententiam, quam tenent Petschacher, Mezger *tom. 4. tr. 16. a. 4. n. 11.* Babenstuber *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 6. n. 34.*) tenetur, ut si forsitan baptismus valuit, satisfaciat præcepto Confessionis. Idque præcipuè verùm existimo, si rebaptizandus hactenus semper inter fideles reputatus fuit; eò quòd contra eum velut subditum Ecclesiæ videatur stare præsumptio. Nihilominus censeo satis probabile, quòd nec iste teneatur præmittere confessionem. Ducor hac ratione: quia juxta probabilissimam, & satis tutam sententiam, peccata dubia non sunt materia necessaria confessionis: atqui hæc peccata sunt dubia, esto non in ratione peccati, saltem in ratione materiæ sufficientis pro valore Sacramenti; cùm sit dubium an sint post baptismum commissa: & talis meritò dubitat, an hactenus fuerit subjectus jurisdictioni Ecclesiæ: ergo cùm aliunde nullus teneatur in foro conscientiæ se subjicere alteri, de cujus jurisdictione dubitat, videtur quòd nec iste teneatur se, vel sua peccata subjicere potestati ecclesiasticæ. Tametsi omni modo persuadendus sit, ut viam incidat tutiorem, & præmissa exomologesi conscientiam suam expurgare satagat. Non tamen debet absolvi absolute, sed conditionatè: quia dubitatur an hæc peccata sint materia valida absolutionis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius homo rurì natus, immò rudissimus confitetur, se peccasse cogitationibus, verbis, & operibus, simulque conqueritur, quòd ob senium & labilitatem memoriæ nullius prorsus peccati in specie, vel potiùs in individuo ampliùs recordetur. Quare Confessarius dubitat, an Sempronium vi hujus confessionis teneatur, vel saltem possit absolvere? Quid judicii?

15 R. Potest, & tenetur illum absolvere: Licèt enim per se loquendo quivis teneatur sua peccata quoad numerum & speciem exprimere: quia tamen Sem-

pronius noster supponitur esse adeò rudus & labilis memoriæ, ut nullum prorsus peccatum in specie possit explicare; hinc ob moralem impossibilitatem excusatur, æquè ac alii infirmi, qui ob defectum virium sua peccata specificè nequeunt exponere. Tenebatur tamen Confessarius supplere defectum pœnitentis, ob integritatem Sacramenti procurandam, non quidem petendo, ut ipse enarret unum vel alterum peccatum in specie quia hoc modo frustra & se, & pœnitentem vexaret, quippe qui supponitur ob labilitatem memoriæ nullum posse exprimere; sed proponendo eidem nonnulla peccata specifica, in quæ olim incidisse prudenter suspicari licet v. g. hoc, aut simili modo: nunquid bone vir doles de omnibus peccatis tuis unquam commissis vel confessis, utputa de negligentiis in Dei servitio admissis, de ingratitudine erga Deum, de juramentis imprecatoriis, & mendaciis? &c. si pœnitens respondeat se dolere de omnibus, absolvatur in nomine Domini. Etsi enim per se loquendo tam generalis & nimis confusa accusatio non sufficiat, ob impotentiam tamen moralem excusatur, ut jam dictum fuit. Nec ullatenus de valore Sacramenti dubitandum, quandoquidem moraliter certò præsumere liceat, Sempronium unum vel alterum ex peccatis jam specificatis olim incidisse.

Dices. At quid, si pęnitens certò sciat, se mortaliter deliquisse, ignoret tamen quale illud peccatum fuerit, teneturne de hoc se accusare?

16 R. Cum P. Gobat. *Theol. exper. tr. 6. n. 359.* Vasquez Laym. Dicastillo & aliis, affirmativè. Quin etiam, si possit, tenetur exprimere genus proximum v. g. dicendo, peccavi mortaliter contra justitiam, at non memini, utrùm per detractionem, calumniam, aut furtum &c. vel, si ne hoc quidem sciat, dicat se perpetrasse aliquod mortale, prorsus tamen ignorare, in qua materia, vel contra quod præceptum. Ratio est: quia pro possibili tenemur omnia mortalia peccata, quoad numerum & speciem exprimere, idque jure divino, prout declarat Concilium Trid. *cit. cap. 5. & can. 7.* Hac tamen absolutione non obstante manet pęnitens obligatus in proxima confessione speciem infimam peccati exprimere, ubi fuerit recordatus. Sporer *de pœnit. n. 378.* Stoz *l. 2. n. 89.* Lugo, Castropalao, & alii satis *communiter*.

CASUS TERTIUS.

Caja Monialis Deo devotissima sese accusat 1. Quòd sub precibus non rarò fuerit distracta, sed involuntariè. 2. Quod per septimanam diebus ferialibus aliquot sacra, quibus interesse licuisset, neglexerit. 3. Quòd non sit conata lucrari omnes indulgentias lucratu possibiles. 4. Quòd subinde naturam refecerit comedendo & bibendo absque præmissa bona intentione. Tandem verò confessionem suam finit sequenti clausula: De his & omnibus aliis peccatis meis unquam commissis, confessis, vel etiam oblitis doleo, peto amore Dei pęnitentiam salutarem, & propono &c. *Quæritur, an Confessarius Confessam licitè absolvere possit.*

17 R. Vi hujus præcisè confessionis Caja non videtur capax absolutionis, cùm non proposuerit nisi meras imperfectiones, prout consideranti patebit: meræ autem imperfectiones, sicut non sunt peccata, ita nec materia valida absolutionis, secundùm omnes. Nihilominus si per ultima illa verba intendit seriò sese accusare de omnibus suis peccatis unquam confessis aut commissis, nullus ambigo, quin vi hujus confessionis & validè absolvatur, & licitè, quia nullatenus dubitandum, quin per totam suam vitam aliquoties saltem fuerit culpabiliter distracta, aut negligens in divino servitio, vel audiendis sacris &c. Accedit, quòd licet imperfectiones de se non sint materia sufficiens, ordinariè tamen habeant adjunctum peccatum, quod est materia sufficiens, prout sapienter advertit La Croix *l. 6. p. 2. n. 586.* Idq; præcipuè verificatur in personis religiosis, quippe strictiori vinculo suæ professionis ad sectanda perfectiora obligatis. Vide Gobat. *tr. 7. à n. 230.*

Dices. Peccata venialia genericè solùm expressa, non sunt materia licita absolutionis, prout post S. Thomam satis communiter tenent DD. Laymann, Vasquez, Suarez, & alii plures: ergo vi hujus confessionis Caja sin minùs invalidè, certò tamen illicitè absolveretur.

18 R. Neg. Conf. & Suppositum. Etenim satis specificè sese accusavit de admissis unquam distractionibus & aliis negligentiis in servitio divino: hoc autem sufficit, ut & validè absolvatur, & licitè. Neque enim necessum est, ut omnia venialia in specie infima exprimamus.

A fortiori, si Confessarius ex præteritis confessionibus sciat unum saltem aut alterum peccatum certum sui Clientis, eundem licitè absolvet, tametsi is à proxima confessione nullum aliud novum afferret, modò in genere sese accusaret de omnibus suis delictis unquam commissis aut confessis, & de his verè doleat; vel etiam post enarratas imperfectiones, aut peccata merè dubia (quod valdè frequens est in personis Deum sincerè diligentibus, & perfectionis semitas strenuè sectantibus) subjungeret solitam illam clausulam, quòd *de omnibus peccatis suis unquam commissis aut confessis doleat*; hoc ipso enim implicitè dicit, se dolere de peccatis Confessario jam notis: ergo sufficit ut licitè absolvatur: quemadmodum in casu, ubi repetenda est confessio invalida apud eundem Confessarium, secundùm communissimam DD. opinionem non est necessum, ut pœnitens explicitè repetat & enarret illa peccata, quorum Confessarius jam habet notitiam, sed sufficit, quòd accusando dicat se dolere de peccatis Confessario jam notis; quia si is recordetur illorum, potest ferre competens judicium, nec non pœnitenti consulere prout oportet. Videatur Lugo *D. 15. n. 8.* Dicastillo *disp. 9. n. 761.* Illsung *tr. 6. disp. 6. n. 63.* Herincx *disp. 3. num. 67.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

19 Colliges ex dictis facilè, qualiter sit procedendum cum simplicioribus illis, qui vel ob labilitatem memoriæ, vel ob teneritudinem conscientiæ nullum peccatum in specie, aut certè non nisi mera peccata dubia afferunt (praxis sanè frequentissima, Mulierculis præsertim, & rusticis jam grandævis) dum germanico idiomate ajunt: ..... Semper enim conandum tibi erit, ut tandem emungas aliquod saltem peccatum in specie, etsi jam pridem commissum, aut confessum. Verùm, ne in cassum & pœnitentem, & te ipsum vexando labores, noli ab eo postulare, ut peccatum in specie exponat, mox enim respondebit: Domine nihil ampliùs scio: jam omnia olim commissa confessus sum &c. Sed secundùm dicta propone illi aliquot peccatorum species juxta conditionem status personæ, tum verò cum eodem conare dolorem supernaturalem cum proposito elicere (modum inferiùs docebimus *num. 72.*) denique absolutum in pace dimitte. Cultiores autem instrue, ut in posterum pro majori securitate, & certiori fructu ex hoc Sacramento percipiendo, præter peccata dubia, vel etiam levia quotidiana semper ex jam confessis subnectant aliud certum peccatum de quo vehementiùs dolent, & firmiùs propositum, nunquam ampliùs idem committendi, concipere possint.

20 Colliges secundò, ad licitam absolutionem semper esse clavibus supponendam materiam certam; Secus enim Sacramentum exponetur periculo frustrationis & Sacrilegii. Minime tamen necessum est, ut recenseantur omnia venialia (quod scrupulosis valde notandum) cum aliis peccatis etiam mortalibus; tum quia secundùm dicta *num. 9.* non sunt materia necessaria; tum etiam quia unum veniale potest dimitti sine altero; modò pœnitens de tali verè doleat, cum proposito emendandi. Ita *Omnes*.

21 Colliges tertiò, multò minus cùm reatu culpæ semper dimitti reatum pœnæ, seu pœnam peccatis sive mortalibus, sive etiam venialibus debitam. Ita sanè communissima & certa sententia, satis comprobata tum ex Scriptura Sacra, tum etiam ex Conciliis & praxi Ecclesiæ, quæ propterea præcipit pœnitentibus injungi pœnitentias salutares, & concedit indulgentias, quibus mediantibus pro reatu pœnæ, sive in hac, sive in altera vita indispensabiliter expiando, satisfaciant, prout ampliùs constabit ex dicendis infrà à *n.* . .

22 Colliges tandem 4tò, peccata venialia etiam extra Sacramentum posse expiari; siquidem non sint materia necessaria cōfessionis. Modos verò, quibus expiari valeant, quàplures subministrat Sporer. Etenim deleri possent vel ex opere operantis, vel etiam ex opere operato. Ex opere operantis delentur 1. Per actus venialibus oppositos, modò exer-

exerceantur in statu gratiæ, ut puta per actum contritionis perfectæ; immo & probabiliter per actum contritionis imperfectæ, seu per attritionem. 2. Per actum: amoris Dei super omnia. Item 3. per omne opus bonum & meritorium, in statu scilicet gratiæ & propter Deum exhibitum, utputa per orationes, jejunia, eleemosynas, & similia, in quibus virtualis pœnitentia, & peccatorum displicentia involvitur, præsertim si hæc ex proposito fiant, ad obtinendam peccatorum remissionem, prout S. Augustinus, aliique plures SS. Patres perspicuè docent. Ex opere autem operato delentur per Sacramenta, utpote specialiter in hunc finem instituta, ad hominem scilicet sanctificandum, & à peccatis expurgandum. 2. Etiam suo modo per Sacrificium Missæ, quod, etsi non immediatè, est tamen mediatè expiatorium, si in hunc finem curetur offerri. Denique etiam peccata venialia suo modo deleri possunt per Sacramentalia, utputa per S. Benedictionis, crucis efformationes, aquæ Lustralis usurpationem cum quadam aversione & displicentia peccatorum; de quibus præter alios non minus egregiè, quàm sanctè scribit S. Thomas 3. *p. q.* 87. *a.* 3. eumque secutus noster Sporer cit. *à num.* 33. Clericatus *de pœnit. decis.* 33. *per totam*, quos vide, simulque qui tua velis expiare peccata, jamjam meditare.

CONFERENTIA

SECUNDA.

De Forma Absolutionis seu Sacramenti Pœnitentiæ.

SUMMARIUM.

23 *Traditur Forma Sacramenti Pœnitentiæ, & modus absolvendi.*

24 *Necessariò sub gravi culpa debent exprimi saltem hæc verba*: Absolvo te à peccatis:

25 *Licèt sit probabile, hæc sola verba*: Absolvo te, *esse de essentia.*

26 *Qualem faciant sensum mox allegata verba?*

27 *Absolutio Sacramentalis necessariò debet esse vocalis, id est, ore prolata; & quidem*

28 *In pœnitentem moraliter præsentem.*

29 *Quandonam is censeatur esse moraliter præsens?*

30 *Absolutio regulariter dari debet absolutè.*

31 *Subinde tamen duntaxat conditionatè.*

32 *Sufficit conditionem mente exprimi,*

33 *Et quandonam forma absolutionis sit repetenda?*

34 *Resolvitur Casus I. de Confessario dubitante, an formam absolutionis protulerit super magnum peccatorem, proptereaque fuit repetenda.*

35 *Et quid, si post discessum pœnitentis primùm recordetur se non absolvisse valide?*

36 *Quid insuper agendum, casu quo idem pœnitens post aliquot dies vel hebdomadas denuo rediret?*

37 *Resolvitur Casus II. de Confessario, qui super pontem stans, casu vidit infra se naufragantes, & idcirco potuit ac debuit eosdem absolvere saltem conditionatè?*

38 *Et quid: si jam longiùs à ponte impetu fluminis fuissent delati?*

39 *Resolvitur Casus III. Confessarii absolventis suspectum de stultitia, seu mentis alienatione.*

40 *Quomodo talis fuerit examinandus?*

41 *Et quid, si omnibus perpensis mansisset dubium, sitne absolutionis capax, necne?*

42 *Verba absolutionem tum præcedentia, tum etiam subsequentia non sunt de substantia Sacramenti: proptereaque ex causa rationabili sine culpa possunt omitti.*

43 *Nec est necessum, ut pœnitens semper flectat dum actu confitetur, aut absolvitur.*

44 *Confessarius in eodem actu confessionis super eadem peccata sine causa gravi formulam absolutionis repetendo, graviter delinquit.*

45 *Et an sit sufficiens causa denuò absolvendi, quòd post absolutionem perce-*

ptam

ptam pœnitens mox subjiciat aliam materiam non necessariam, scilicet peccata venialia &c.

46 *In quibus casibus sit conditionatè absolvendum?*

47 *Cum puellis & pueris, de quorum maturitate seu sufficienti rationis usu dubitatur, vix non eodem modo procedendum est, quo cum fatuis.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de forma Pœnitentiæ, seu absolutionis.

QUæres 1. Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

23 R. Forma in Ecclesia usitata & modus absolvendi in Rituali Romano præscribitur sequens. *Sacerdos cùm pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ; primò dicit*: Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. *Deinde dextra adversus pœnitentem elevata dicit*: Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. *Si pœnitens sit Laicus, omittitur verbum* suspensionis. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum: quidquid boni feceris & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Hactenus Rituale Rom. *tit. de Sacram. Pœnitentiæ*. Ubi mox subdit: *In Confessionibus autem frequentioribus & brevioribus omitti potest*. Misereatur &c. *Satis erit dicere: Dominus noster Jesus Christus, ut suprà usque ad illud*: Passio Domini &c. *Urgente verò aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit*: Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis in nomine Patris &c. Quin immò, ut benè advertit Herincx *p. 4. tr. 4. disp. 1. n. 22.* non est necesse in confessionibus etiam ordinariis absente apparentia censuræ præmittere absolutionem ab eadem: ad quid enim, si nullius censuræ incursæ prorsus occurrat vestigium vel suspicio?

Quæres 2. Quænam igitur ex enumeratis verbis sint necessariò exprimenda?

24 R. Sequentia: *Te absolvo à peccatis*. Ita Trident. *sess. 14. c. 3.* Et Florentinum in Decreto. Confirmatque communissima praxis & usus Ecclesiæ. Ratio est, quia per hæc præcisè verba sufficienter significatur effectus hujus Sacramenti, & exprimitur executio potestatis à Christo datæ *Joan. 20. quorum remiseritis peccata &c.*

25 Dixi, hæc verba esse necessariò exprimenda &c. Esto enim speculativè loquendo probabilissima sit sententia Scotistarum, & plurimorum RR. asserentium, formam absolutionis in his præcisè aut æquivalentibus verbis: *Absolvo te* essentialiter sitam esse, ita, ut de necessitate Sacramenti plura non sint exprimenda: eò quod per allegata præcisè verba sufficienter exprimatur, & Persona Ministri cum auctoritate per ly *absolvo*; & Persona Rei per ly *te*; denique & genus vinculi, *peccatorum* scilicet saltem ex circumstantiis cùm pœnitens postulet sacramentaliter absolvi, & sacerdos intendat sacramentaliter absolvere; ideoque à *peccatis*, à quibus duntaxat potest sacramentaliter absolvi; nihilominùs cùm de facto plurimi DD. videndi apud La Croix *cit. n. 633.* dubitent, immò negent, satis esse ad valorem Sacramenti quòd genus vinculi ex circumstantiis tantùm exprimatur, nisi addatur *à peccatis*, hinc manet dubium, an hoc modò Sacramentum non frustretur, nisi sacerdos superaddat *à peccatis*: atqui sine necessitate & valde urgenti causa nunquam licet Sacramentum exponere periculo nullitatis sacrilegæ: ergò concludendum, quòd de necessitate saltem præcepti, graviter & sub peccato mortali obligantis sint ad minùs hæc verba exprimenda: *Absolvo te à peccatis*. Cæterùm quòd ly *Ego* & ly *tuis*, itemque invocatio SS. Trinitatis

 pos-

possint citra gravem culpam omitti, hodie satis communiter fatentur DD. etsi nonnulli venialis saltem noxæ condemnent omittentes sine causa. Vide La Croix *cit. à num.* 626. Vel Herincx suprà *num.* 23. *& seqq.*

Quæres 3. Qualem sensum faciant præfata verba absolutionis*: Ego te absolvo à peccatis tuis?*

26 R. Ex institutione hominum & grammaticaliter accepta reddunt hunc sensum: *Quantum est ex me judicialiter libero te à peccatis*; sive: *Confero tibi remissionem peccatorum tuorum*: Hunc quippe sensum prædicta verba cuivis vel parùm in lingua latina versato ingerunt. Nihilominus ex institutione divina faciunt hunc sensum*: Quantum est ex me, confero tibi gratiam per se remissivam peccatorum post baptismum commissorum*. Ita Suarez *Disp.* 19. *Sect.* 2. Herincx, La Croix *n.* 64. Henno de *Pœnit. Disp.* 2. *q.* 9. *concl.* 4. Et communior DD. Ratio hujus interpretationis inde desumitur, quia singulæ formæ Sacramentorum sunt per se institutæ ad significandam & causandam gratiam: ergo & hæc forma: atqui non ad causandam gratiam de se remissivam peccati ante baptismum commissi: hanc enim confert ipse baptismus: ergo ad causandam gratiam per se remissivam peccati post baptismum commissi. Dicendum proin, quòd allegata verba absolutionis ex institutione divina reddant hunc sensum, esto grammaticaliter sumpta reddant alium. Et certè convenienter admodum creditur, Christum voluisse talem esse sensum hujus formæ, qui verificaretur etiam in casu, quo pœnitens jam ante vel per contritionem perfectam, vel per amorem Dei super omnia, vel denique per absolutionem jam semel legitimè perceptam ab iisdem peccatis, denuò absolveretur*:* atqui in omnibus his casibus sensus à nobis datus verificatur; ergo.

Quæres 4. Quomodo verba absolutionis sint proferenda?

27 R. Debent necessariò proferri auctoritativè & vocaliter, seu ore & quidem 2. in pœnitentem moraliter præsentem. Ita *communissimè DD.* Quòd auctoritativè sit proferenda, patet tum ex continua Ecclesiæ praxi: tum etiam ex institutione Christi, qui sacerdotes instituit velut Judices spirituales. Judex autem, dum suo fungitur officio non deprecatoriè, sed auctoritativè se habere debet: ergo &c. Quòd etiam vocaliter proferenda sit, constat similiter ex perpetua praxi Ecclesiæ, nec non ex Conciliis, Florent. *in Decreto de Armen.* ubi generaliter docet, omnia Sacramenta perfici *verbis*, solumque excipit matrimonium, quod more aliorum contractuum vel verbis, vel nutibus, vel aliis signis consensum sufficienter exprimentibus confici potest. Idipsum Concilium allegatum expressiùs declarat, dum ait *l. c.* formam hujus Sacramenti esse *verba* absolutionis, quæ sacerdos profert, dum *dicit*: Ego te absolvo. Consonat Tridentinum *ss.* 4. *c.* 3. docendò, Sacramenti pœnitentiæ formam in illis Ministri *verbis* positam esse*:* Ego te absolvo &c. Et licèt in aliis judiciis possit, vel soleat, vel etiam interdum debeat sententia judicialis proferri in scriptis in hoc tamen idem fieri non posse, & contrarium voluisse Christum, satis constat ex Conciliis jamjam allegatis, & communissimo DD. consensu.

28 Ratio autem posterioris à priori alia dari nequit, quàm voluntas divina Christi, qui noluit hoc judicium aliter exerceri, nisi in præsentem*:* hæc autem voluntas Christi nobis innotescit ex usu & praxi Ecclesiæ, singulariter ex decreto Clementis VIII. edito *anno* 1602. 19. *Julii*, in quo velut falsa, temeraria & scandalosa damnatur propositio, asserens, *licere per litteras, seu internuntium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem accipere*. Qua ratione idem Pontifex simul prohibet, ne eadem propositio in ullo unquam casu tanquam probabilis defendatur, aut in praxin quovis modo deducatur. Ex quo Illsung *tr.* 6. *disp.* 6. *n.* 22. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 6. *d.* 3. *a.* 3. *n.* 2. rectè inferunt, vi hujus damnationis præfatæ propositioni omnem prorsus ademptam esse probabilitatem, ita, ut in *nullo unquam casu* licitum sit absenti impertiri absolutionem. Lugo *disp.* 17. *n.* 64. Sporer. *n.* 609.

Dices. Quænam igitur censetur præsentia

tia moralis, vel quandonam pœnitens moraliter præsens?

29 R. Præsentia moralis meritò reputatur illa, intra quam homines communi, licèt etiam altiori voce invicem loqui possunt & solent; quia intra talem Spheram commodè potest exerceri actus judicialis, ut advertit Tamburinus *l. 5. de Sacram. c. 2. num. 11.* Talem autem præsentiam & modum invicem communicandi se posse extendere ad viginti circiter passus, multi autumant & meritò, præsertim ubi pœnitens nondum est egressus aspectum Confessarii. Vide Sporer *num.* 610. Stoz *l. 2. num.* 100. La Croix *num.* 1201. Ubi etiam notant, minimè necessum esse, ut pœnitens verba absolutionis audiat, multò minùs, ut eadem intelligat: valet quippe absolutio, etsi sacerdos tam submissè loquatur, ut à pœnitente nequeat audiri, modò verba exteriùs verè proferat. Quin immò, oportere etiam, ut non alta, sed submissa voce proferantur, bene docet La Croix, ob rationem infra n. . . . . allegandam.

Quæres quintò. Sitnè forma absolutionis proferenda absolutè, vel verò conditionatè tantùm?

30 R. Regulariter loquendo proferenda est absolutè. Ratio est: quia absolutio regulariter non debet dari, nisi Pœnitens agnoscatur aut certè, aut saltem probabiliter esse dispositus: atqui dum certè aut probabiliter dispositus est, debet eidem impertiri absolutio, & quidem sub gravi obligatione, præsertim si supponatur obstrictus peccato mortali: ergo. Quin immò nonnulli Doctores existimant, etiam in casu, ubi dispositio Pœnitentis videtur dubia, absolutionem esse absolutè impertiendam; tum quia in dubio favendum est Reo; tum etiam quia Pœnitens vi confessionis jam acquisivit jus ad absolutionem, quo jure in dubio non est spoliandus, quandoquidem melior est conditio possidentis. Verùm his non obstantibus existimo in tali casu, ubi Confessarius prudenter dubitat de sufficientia dispositionis ex parte Pœnitentis, absolutionem sub conditione duntaxat esse administrandam; quia per hanc & saluti pœnitentis satis prospicitur, & simul Reverentiæ Sacramento debitæ cavetur prout oportet. Et certè plus non evincunt rationes in contrarium allatæ. Vide dicta de *Sacrament. in gen. num.* 44. Quibus adde Stoz *l. 2. n. 85.* la Croix *num.* 1769.

31 Dictum tamen fuit, formam absolutionis *regulariter* esse dandam absolutè, Etenim non raro oportet, immò necessum est ut detur sub conditione duntaxat, non quidem de futuro, quia talis absolutio foret nulla, ob rationem datam *de Sacram. in gen. Confer. 2. num.* 33. Sed sub conditione de præsenti vel præterito; *idque toties, quoties si non detur, est timendum animæ periculum, vel si detur absolutè, timendum est periculum irreverentiæ Sacramento irrogandæ.* Hanc velut Regulam universalem tradunt Dicastillo, Gobat, Sporer *n.* 622. la Croix *n.* 1770. Gormaz & alii plures. Dices. At nunquid necessum est, conditionem verbis exprimi, ita, ut non sufficeret, si Confessarius mentaliter solùm eam exprimeret dum absolvit?

32 R. Non est necessum ut exprimatur verbis, sed sufficit quòd Confessarius intendat & velit, absolutionem non aliter valere quàm sub conditione v. g. hac: si Pœnitens sit dispositus & capax &c. Ita Palao, Bardi, Diana *p.* 10. *tract. 11. resolut.* 55. Gobat. *tract. 7. num.* 171. Sporer *num.* 622. Ratio est: quia actus non operantur ultra intentionem agentis: ergo si Confessarius non intendat aliter absolvere, quàm sub conditione præfata, hæc non valebit, nisi conditione actu subsistente, tametsi verba ad extra absolutè proferat: ferè quemadmodum si Sacerdos intenderet consecrare solam hostiam majorem, non item minores simul præsentes in altari, consecratio harum esset nulla, licèt verba exteriùs fuissent absolutè prolata.

Quæres sextò, sitnè aliquando absolutio repetenda in eodem actu confessionis?

33 Resp. Est repetenda quoties Pœnitens post absolutionem jam perceptam denuò subjicit novam materiam necessa-

cessariam, quam priùs debuisset subjicere clavibus, utputa 1. si afferat novum peccatum mortale, vel 2. novam circumstantiam speciem mutantem; probabiliter etiam 3. si afferat novam intra eandem speciem notabiliter aggravantem. Item 4. dum affert numerum notabiliter excedentem, ut si priùs confessus est, se decies plus minus turpia fuisse locutum cum gravi scandalo aliorum &c. mox verò post absolutionem perceptam fateatur, id quindecies contigisse. Ratio est: quia in casibus mox enumeratis materia necessaria nondum erat subjecta clavibus: ergo etiamnum incumbebat Pœnitenti obligatio eadem subjiciendi, in ordine ad obtinendam ab iis directam absolutionem; & per consequens Confessario incumbit par obligatio, novam scilicet absolutionem impertiendi, prout rectè notant Sporer *n.* 627. & La Croix *n.* 644. Tandem etiam tenetur Confessarius absolutionem, non quidem absolutè, sed conditionatè repetere, quando rationabiliter dubitat, an priùs verba absolutionis ritè pronuntiaverit, prout mox audies in resolutione Casuum. An verò in similibus Casibus Pœnitens teneatur elicere novum dolorem, dicemus infrà n. 75.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Forma absolutionis proferenda.

CASUS PRIMUS.

Titius peccator maximus suam exonerando conscientiam plurima quidem fatebatur scelera, ast nec numerum satis explicuerat, nec speciem: qua ratione Confessarius eundem exactiùs examinabit. At verò, ubi is injuncta priùs salutari pœnitentia verba absolutionis proferre cœpit, subitaneo obrutus timore, simul cœpit dubitare, an singulas peccatorum species satis examinaverit? item an pœnitentiam proportionatam injunxerit? Cumque eodem temporis momento inter musicorum malè intonantium concentus simul audivisset canes horribiliter ejulantes & latrantes, confusus, perplexus & perturbatus fuit in tantùm, ut planè dubitaverit, an verba essentialia absolutionis ritè protulerit, eò præsertim, quòd sibimet visus sit citò nimis pervenisse ad ultima illa verba: & quidquid mali patienter sustinueris, sit tibi &c. *Quid Confessario in tali casu agendum?*

34 R. Tenebatur repetere formulam absolutionis, non quidem absolutè, sed conditionatè. Ratio desumi debet ex dictis *n.* 30. quia absolutio toties est repetenda sub conditione, quoties Confessarius rationabiliter dubitat, an protulerit verba essentialia, simulque timet periculum animæ, nisi repetat formam: atqui in hoc casu timendum erat animæ periculum, quia cùm Titius supponatur fuisse peccator maximus, meritò timeri potuit, ne in statu disgratiæ constitutus abiret DEI inimicus, & indignus sacra synaxi: ergo &c. Esto etiam verba essentialia sint valde pauca, proptereaque regulariter loquendo de pronuntiatione eorum non videatur nimis anxiè scruptilizandum; nihilominus certum mihi & indubitatum videtur, posse Confessarium ex præallegatis, & aliis consimilibus motivis distrahi & perturbari in tantum, ut ab una periodo absolutionis transiliat ad alteram, utputa ab illa: *Misereatur tui* &c. ad hanc: *Dominus noster JESUS Christus* &c. prætermissis essentialibus verbis. Idcircò cùm hoc Sacramentum singulariter fuerit institutum ad restaurandam animarum sæpe sæpius periclitantium salutem, omnino oportet, immò necessum est, ut Confessarius repetat formulam absolutionis in tali casu. Nec est, cur timeat periculum irreverentiæ Sacramento irrogandæ: quia cùm repetitio fiat ex gravi causa, & quidem sub conditione duntaxat, omni prorsus culpa vacat, prout communissimè fatentur Doctores.

Dices. Sed quid agendum, casu quo Titius jam actu è sacro tribunali discessisset, & Confessarius certò sciret, se ob nimiam distractionem non protulisse verba essentialia?

35 R. Cum distinctione. Vel enim adhuc supponitur moraliter præsens, vel non?

non? si sit præsens, ita, ut à Confessario ultra viginti passus non distet, & præsertim si adhuc sensu aliquo v.g. visu à Confessario percipiatur, aut eundem alloquens intelligi posset, eundem tutò satis potest absolvere; tum quia adhuc est moraliter præsens; tum etiam quia habet jus ad absolutionem, & hanc saltem habitualiter adhuc affectare meritò præsumitur. Qua ratione Sporer cum Gobato *tr. 7. nu.* 292. meritò approbant factum Sacerdotis, qui priùs absolutionis oblitus, postea eidem Personæ ad Sacram Domini mensam accedenti priùs impertivit absolutionem dicendo: *ego te absolvo* &c. ante quam sacram hostiam eidem porrexerat. At verò si supponatur Titius non fuisse ampliùs præsens, nec de facili absque periculo scandali, vel fractionis sigilli &c. revocabilis, res tota per Confessarium erit Deo committenda, prout sapienter monent Doctores mox *citt.* Gobat. *n.* 290. & Sporer *n.* 616.

Dices adhuc. Quidsi autem idem Pœnitens post unam alteramvè septimanam rediret ad eundem Confessarium?

36 R. Si redeat absque animo confitendi denuo, utique per se loquendo esset monendus de defectu absolutionis nuper commisso, ideoque persuadendus ad novum dolorem & propositum &c. Verùm quia plerumque talis admonitio accidit perdifficilis hujusmodi hominibus, nec sine offensa, periculo scandali, aut saltem malè sentiendi, vel loquendi de Confessario fieri potest, idcircò plerumque (non tamen universaliter, ubi hujusmodi inconvenientiæ non sunt timendæ) dissimulata admonitione res tota erit committenda Deo, qui suavi sua providentia procul dubio disponet, ut pœnitens in proxima confessione ab iisdem peccatis saltem indirectè absolvatur. Ita sanè suadent Suarez, Vasquez, Lugo, Gobat, Sporer, aliique plures. At verò, si Pœnitens redeat animo denuo confitendi, res tota facili expedietur negotio: quia cùm Confessarius supponatur habere saltem confusam (sin minùs distinctam) notitiam de statu Pœnitentis nuper explicato, satis erit, eundem suavi modo inducere ac disponere, ut de omnibus suis peccatis unquam confessis sincerè doleat, tandemque absolutionis beneficio donatum dimittere in pace; quia ad validam (quidni etiam in tali casu, ubi timendum est periculum gravis offensæ vel scandali ad licitam?) absolutionem sufficit, quòd Confessarius habeat confusam saltem notitiam de peccatis jam semel ritè confessis, vel de statu Pœnitentis, prout docent Suarez *disp. 22. sect. 6. n. 5.* Paludanus, Medina, Sylvester, aliique plures, quos citat, & sequitur Layman. *lib. 5. tr. 6. c. 9. n. 6.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos dum ponti innixus navim secundo decurrentem amne (curiositate dicam, an singulari DEI providentia? nescio) accuratiùs considerasset, subitò præter omnem exspectationem vidit, eandem navim ponti allisam crepuisse mediam, Nautas verò una cum reliquis in navi contentis naufragium passos, & aquis jamjam esse immersos: idcircò timore correptus hæsitavit, an teneretur, vel saltem posset naufragos absolvere. Quid judicii?

37 R. Potuit, immò ex charitate debuit illos absolvere, etsi simplex duntaxat fuisset Sacerdos. Ratio est: quia ut inferiùs *n.* 208. ex professo dicemus, moribundis hoc Sacramentum saltem ex charitate debet administrari, quotiescunque apparet probabilis saltem spes valoris, & fructus inde percipiendi: atqui in nostro hoc casu apparet probabilis spes; tum quia naufragi fuerunt Sempronio moraliter præsentes: quippe passi naufragium sub ipso ponte, cui Sacerdos innitebatur, ut casus fert; tum etiam quia piè præsumere licet, unum saltem vel alterum fuisse dispositum ad hujus Sacramenti perceptionem. Sanè permultos reperire est, qui dum navim conscendunt, vel ponti appropinquare se advertunt, laudabilissimè actum contritionis in se excitare nituntur. Nihilominus pro majori securitate & certitudine de valore Sacramenti oportebat eosdem (in quantùm tempus & casus ferebat) adhortari ad pœnitendum, non tam postulando, ut ipsimet contritionem eliciant, quàm formulam, vel potiùs actum for-

formalem contritionis eisdem acclamando, & inculcando; eò præsertim, quòd plerique in tali periculo constituti, nisi specialiter adhortentur ad pœnitendum, potiùs de modo & via emergendi, quàm de contritione cogitare soleant, prout experientia docet, & ego non semel ab iisdemmet naufragio denuo ereptis audivi.

Dices. At quid, si Sacerdos post naufragium nullum ampliùs ex submersis vidisset, aut certè vidisset jam longiori spatio impetu fluminis delapsos?

38 R. Tametsi nullum ampliùs vidisset, modò potuerit prudenter credere eos adhuc esse moraliter præsentes, ita videlicet, ut acclamantem licèt altiori voce intelligant, aut certè intelligere possint, tutò & sanctè eos absolvit sub conditione: quia adhuc apparet spes valoris & fructus inde percipiendi, prout facilè colligetur ex jam dictis. Secus dicendum arbitror, casu quo fluminis impetu jam eò usque fuissent dilapsi, ut Sacerdotem sibi acclamantem percipere non ampliùs potuissent. Ratio desumitur à contrario; quia tales censentur moraliter absentes: atqui absentem in nullo casu licet absolvere, prout constare debet ex declaratione Clementis VIII. suprà *n.* 28. relata: ergo. Nec refert, quòd supponantur in magna necessitate & animæ periculo constituti; quandoquidem nec periculum nec animæ necessitas eos reddit absolutionis capaces, nisi sint moraliter præsentes; quòd tamen his stantibus supponi nullatenus potest: ergo &c. Vide Sporer. *n.* 611. Tambur. *l.* 1. *c.* 3. §. 1. *n.* 10. Gobat. *tr.* 7. *num.* 284.

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos pro excipiendis confessionibus Sacro tribunali expositus, inter alios coram adstantes notavit quendam pœnitentem, mirabilissimos gestus, crucis signationes, genuflexiones, vultus & frontis immutationes &c. exercentem, ut meritò suspicari licuerit, eum esse à mente alienum. Hanc ipsam suspicionem auxit; confitendo, quòd aliorum vexationibus sæpissimè ad iracundiam concitatus blasphemaverit, & per omnia Sacramenta juraverit, aliosque vicissim graviter percusserit &c. Nihilominus Confessarius eundem absolvit, utpote existimans hæc peccata esse satis gravia. Jam verò dubitat, an bene fecerit? Quid judicii?

39 R. Bene fecit, & non bene. Non bene, si absque præmisso examine statim eundem absolvit; cùm tamen meritò de sufficienti dispositione ejusdem suspicari licuerit. Bene autem fecit, si præmisso debito examine & cautelis deprehendit, Pœnitentem verè peccasse, modò autem eadem peccata cum dolore debito & proposito efficaci retractasse; quia ex hac suppositione fuit absolutionis capax & simul indigus.

Ast, quo modo, ais, Confessarius talem examinabit?

40 R. Oportet hujusmodi homines examinare 1. Cur venerint ad confessionem? 2. An igitur credant, Deum hujusmodi blasphemiis & juramentis offendi, propterea que peccatoribus gravissimas infligere pœnas? è contra illos, qui piè vivunt æternùm beare? 3. Insuper oportet eos examinare (nisi Confessarius aliunde, præsertim à domesticis & familiaribus eorum pleniorem habeat notitiam) an sciant ad salutem necessaria, præsertim necessitate medii? item 4. an sciant ea, quæ ad hoc Sacramentum sunt necessaria, utpute dolorem cum proposito efficaci? &c. Quibus tandem accuratiùs exploratis dabit, vel non dabit absolutionem.

Dices. Quidsi autem omnibus perpensis maneat dubium, an verè peccaverit, & sit capax absolutionis?

41 R. In hac suppositione danda foret absolutio, non quidem absolutè, ne Sacramentum exponatur periculo irreverentiæ, sed conditionatè, hoc modo: *si es capax, vel, si es dispositus &c. Ego te absolvo.* Ratio patet ex dictis *n.* 30. quia in dubio favendum est potiùs reo, & inclinandum in partem benigniorem ac tutiorem: atqui favorabilius est & tutius, pœnitentem absolvi, quàm non: ergo oportet, immò necessum est, ut absolvatur, præsertim cùm vi confessionis jam acquisiverit jus ad absolutionem. Quin immò, illos etiam, qui in certo quodam genere delirant, in aliis verò videntur sapere, aut

aut certè non delirare, utputa si noverint inter statum hominum distinguere, reverentiam Clericis exhibere, varia mandata exigui momenti excipere, & integrè exequi &c. in casu saltem necessitatis esse absolvendos plurimi sanè tradunt Doctores. Unde Gobat *tr. 7. n. 463.* „ Sapienter ait: ego tali homini impertirer in „ extremo agone absolutionem, nisi ex „ iis, qui ipsum probè norunt discerem, „ ipsum non ex suo instituto, sed ex „ aliorum ridiculorum hominum instigatione narrasse, quæ narravit, etsi minimè reus illorum. Vide *Doct. l. cit.* „ Vel La Croix *n.* 1809.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

42 Coliges ex dictis primò, verba absolutionem præcedentia: *misereatur tui &c.* item subsequentia illa: *Passio Domini nostri &c.* non esse de necessitate Sacramenti, immo & sine peccato posse omitti. Ratio desumitur ex Concilio Trid. *ss. 14. c. 3.* ubi docet, *quasdam preces* (scilicet memoratas) *de Ecclesiæ more laudabiliter quidem adjungi, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectare &c.* quare cùm Concilium solùm dicat, præfatas preces laudabiliter adjungi, eo ipso videtur innuere, nullam esse obligationem. Idipsum nonnulli, videndi apud Babenstuber *cit. Disp. 3. art. 1. à nu. 6.* tenent de particula: *Ego &c.* item de verbis: *in nomine Patris, & Filii &c.* Omnes tamen monent, sine rationabili causa huic laudabili consuetudini Ecclesiæ nullatenus esse contraveniendum, eò præsertim, quòd secundùm multos Doctores ultima illa verba: *& quidquid boni feceris &c.* habeant specialem vim elevandi opera Pœnitentis ad effectum singularem satisfactionis. Idcircò non oportet eadem verba de facili omittere. Certè nunquam sine causa. In casu autem necessitatis vel magni concursus suadeo tibi Confessario, ut post prolata verba essentialia absolutionis nutu vel inclinatione capitis des Pœnitenti tuo signum discedendi, interea enim usque dum alius fuerit ingressus, facilè lucraberis tempus, recitandi reliqua verba, scilicet: *passio Domini &c.*

43 Colliges secundò, non esse necessarium, ut Pœnitens, flectendo sententiam absolutionis excipiat, etsi hoc valdè convenienter fiat: ad majorem ejusdem humiliationem, nisi infirmitas, vel alia causa rationabilis aliud suadeat. Multò minùs necessum est, ut Confessarius volens impertiri absolutionem manibus & oculis totoque corporis situ in pœnitentem actu flectentem & confessum intendat, prout alicubi non sine admiratione à quodam Scrupuloso Confessario practicari vidi hisce meis oculis, qui, ut cum debita intentione absolveret, singulis sensibus quasi in unum Pœnitentem collectis & directis, dicere assueverat: *Ego, Ego te, Ego Joannes &c. te hic confessum &c. absolvo &c.* Tandemque erga Pœnitentem, quasi medium secare vellet, crucem manu effort-mavit. Ineptiæ sunt istæ, prorsus dedecentes statum Sacerdotis, actu repræsentantis Personam Christi, prout nemo sanæ mentis non videt. Et licèt adigentibus scrupulis ad hujusmodi ineptias compulsi, à multis Doctoribus excusentur à peccato, eò quòd id faciant animo rectè potiùs fungendi suo ministerio, quàm Deum offendendi, oportet tamen eos dehortari à similibus absurditatibus, ne se ipsos aliorum ludibrio, risui, & admirationi exponant & prostituant, non sine præjudicio sui status.

44 Colliges tertiò: graviter peccare Confessarium, qui absque gravi & urgenti causa in eodem actu confessionis formulam absolutionis repetit super eadem peccata. Ita cum communissima DD. sentiunt Bonacina *tom. 1. Disp. 5. q. 4. nu. 1.* Stoz. *lib. 2. nu. 86.* Ratio est: quia frustat Sacramentum; quandoquidem secunda absolutio defectu novæ materiæ prorsus sit nulla. Si tamen id faciat ex scrupulositate, ut se à præsenti vexa redimat, dum putat (ex inani motivo) se priùs non ritè pronuntiasse formulam, videtur excusandus à gravi peccato, ob rationem mox numero præcedenti datam, qua ratione eundem excusant Tamburinus *lib. 1. c. 1. §. 3. n. 3.* Sporer *n. 631.* etsi non sit excusandus à nota imprudentiæ.

Dices.

Dices. Quid si autem Pœnitens post absolutionem perceptam immediatè subjiciat unum vel alterum peccatum, sed veniale duntaxat, prout sæpe fit?

45 R. Nec in tali casu est repetenda absolutio; quia cùm nulla sit ampliùs necessitas, potiùs videtur Sacramento quædam irreverentia irrogari, ait Sporer *num.* 628. cumque secutus la Croix *num.* 644. Credo tamen hanc irreverentiam non esse tam gravem, ut peccatum mortale adæquet, præsertim cùm absolutio certò valeat, modò Pœnitens verè doleat de talibus peccatis, nec talis repetitio nimis frequenter, cum scandalo vel temeritate fiat. Quin immò P. Kressling. *in Suppl.* P. Reiffenstuel *addit.* 3. *ad tract.* 14. *d.* 6. *q.* 3. ne imprudentiæ quidem arguendum existimat Confessarium, qui suo Pœnitenti post primam absolutionem novam certum peccatum veniale subjiciendi impertiret novam absolutionem ut novam & specialem gratiam conferat. consentit. Gobat *tr.* 7. *num.* 220. Sapienter tamen monet la Croix *l. cit.* ut si quandoque absolutio repeti debeat, id omnino tacitè, & sine formatione (saltem notoria) crucis fiat, ne fortè alii circumstantes, & repetitionem advertentes sumant ansam suspicandi, quòd vel pœnitens novam materiam necessariam attulerit, vel Confessarius imprudenter egerit. Utrùm autem ad novam absolutionem necessarius sit novus dolor, dicetur infra *num.* 75.

46 Colliges quartò, absolutionem sub conditione tantùm administrandam esse in sequentibus casibus. 1. Quando Confessarius prudenter dubitat, an Pœnitens sit dispositus. 2. Item si dubitet, an verè peccaverit, vel sufficienti rationis usu sit præditus, præsertim dum adsert peccata ex se mortalia. 3. Quando dubitat an adhuc vivat. Item 4. quando Confessarius ipsemet prudenter dubitat, an ritè pronuntiaverit verba essentialia absolutionis, præcipuè tunc, quando Pœnitentem peccatis mortalibus novit esse obstrictum. Ita Gobat ubi supra *nu.* 267. Sporer *num.* 622. la Croix *num.* 1770. Stoz *l.* 2. *num.* 85. & alii plures. Ratio patet ex dictis: quia post confessionem pœnitentis absolutio nedum ex charitate, sed etiam ex justitia eidem debet administrari, quando sine periculo irreverentiæ potest, & prudenter creditur profutura: atqui in his casibus potest &c. ergo.

47 Colliges tandem quintò, ea, quæ diximus observanda esse in confessione & absolutione fatuorum, pariter suo modo, servata scilicet proportione, esse observanda in confessione Puerorum, de quibus dubitare licet, an sufficienti usu rationis polleant, vel, an unquam verè peccaverint; utrobique enim est par ratio, & æquale periculum. Ut autem ea, qua par est, dexteritate Confessarius & se, & hujusmodi pueros ac puellas expediat, juvabit eos examinare 1. cur ad confessionem venerint? 2. an sciant, Deum peccatis hominum offendi, & eos, qui confiteri nolunt aut erubescunt &c. punire? Quo circa sapienter etiam monent DD. Laym. Sporer, la Croix, Gobat *num.* 447. puerorum capacitatem non tam ex ætate, quàm ex ingenii, & educationis qualitate, nec non ex vultu & gestibus eorum esse dimetiendam. Unde, si digitis ludant in clathris, aut inter confitendum respiciant alios extra confessionale, & præsertim si nugentur cum rosario vel pileo suo &c. indicium esse exiguæ maturitatis; consequenter tales (nisi afferant peccata de se gravia) potiùs esse dimittendos cum sola benedictione, quàm cum absolutione. Econtra si ad quæsita promptè respondeant, & cum debita modestia sua deponant peccata, itemque si sciant, quid denique eventurum sit tum bene, tum etiam male agentibus &c. signum est, eos jamjam concepisse timorem Dei, & affectum eidem serviendi, ait Lessius *in auctar. Verb. Confessarius c.* 6. propterea que absolvendi sunt saltem sub conditione. Vide Layman. *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 5. *num.* 7.

CON-

CONFERENTIA TERTIA.

De Contritione, seu dolore, seu parte materiali ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

SUMMARIUM.

48 *Contritio ut sic est dolor animi, & detestatio de peccato &c.*
49 *Quæ potest esse duplex, scilicet perfecta, & imperfecta.*
50 *Perfecta concipitur ex motivo bonitatis Divinæ &c.*
51 *Talem in mortis articulo, ubi deficit copia Confessarii, tenemur per se elicere.*
52 *Solvitur quædam instantia, contra hoc.*
53 *Immò & extra mortis articulum in defectu Sacramenti pœnitentiæ aliquoties saltem tenemur per se ad contritionem perfectam.*
54 *Esto certum tempus fortè non sit assignabile.*
55 *Per accidens verò sæpiùs occurrit obligatio eliciendi talem contritionem.*
56 *Et cur per accidens tantùm?*
57 *Contritio imperfecta est detestatio peccati ex motivo inferiori charitate.*
58 *Enumerantur plura hujusmodi motiva.*
59 *An sufficiat dolor conceptus ex metu pœnarum temporalium?*
60 *Attritio ex timore pœnarum concepta &c. est honesta.*
61. *Et seqq. Declaratur, quo modo dolor requisitus debeat esse 1. formalis. 2. supernaturalis. 3. universalis. 4. & efficax.*
66 *Est insuper ad confessionem referendus.*
67 *Et quidem ante, non post absolutionem jam perceptam.*
68 *Resolvitur Casus I. de quodam Malefactore ad mortis supplicium condemnato, qui pertinaciter detrectando pœnitentiam multipliciter peccavit.*
69 *Nec excusari potest ex eo, quòd speraverit (utique stolidissimè) propter talem impœnitentiam vitam sibi condonatum iri.*
70 *Resolvitur Casus II. de Pœnitente, qui nec numerum suorum peccatorum expressit, nec ullam doloris fecit mentionem.*
71 *Cum hujusmodi cautè procedendum est, nisi aliunde noscantur esse dispositi.*
72 *Et quomodo rudiores ad dolorem à Confessario sint excitandi, practicè docetur.*
73 *Resolvitur Casus III. de eo, qui pridie quidem contritus, altera verò die fuit doloris oblitus.*
74 *Et quid, si more consueto formulam confessionis, seu contritionis supponatur præmisisse peccatorum enarrationi?*
75 *An ille, qui post perceptam absolutionem mox subjicit aliud peccatum, absolvi possit sine novo dolore?*
76 *Contritio perfecta essentialiter distinguitur ab attritione.*
77 *Ad validam autem confessionem non est necessarius dolor corporis;*
78 *Nec mora temporis, aut certa intensio actus.*
79 *Neque opus est, ut Pœnitens de singulis peccatis singulariter doleat.*
80 *Non tamen sufficeret dolere præcisè ideò*, quòd dolorem non sentiat.
81 *Nec satis est, quòd obstrictus pluribus mortalibus peccatis de uno duntaxat, non verò de omnibus saltem in communi doleat.*
82. *Defectu doloris Sacramentum pœnitentiæ probabiliùs nequit esse validum, & simul informe.*
83 *Opposita tamen sententia est probabilis; Hinc*
84 *Qui bona fide cum dolore particulari duntaxat confessus fuit, non ampliùs tenetur eandem confessionem repetere.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de dolore Sacramentali.

Quæres primò, quid sit Contritio, & quotuplex?

48 Resp. Contritio generatim sumpta est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Ita in terminis Concilium Trid. *Sess.* 14. *de pœnit. c.* 4. Dicitur autem detestatio &c. quia, ut uberiùs declarat eadem S. Synodus, *vera contritio non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium, seu detestationem continet*; quo fit, ut peccator incipiat mente quodammodo consternari & contristari de malè commissis, prout ampliùs patebit ex dicendis. Cæterùm quale propositum sit necessarium ad Sacramentum pænitentiæ, commodiùs dicemus conferentia proximè sequenti; cùm sit res magni momenti, ut videbimus. Interim

49. R. ad secundam Quæsiti partem. Contritio ut sic duplex est, scilicet perfecta, quo ex perfectissimo amoris Divini motivo concipitur; & imperfecta, quæ ex alio motivo imperfectiori concipitur, ut infrà mox *nu.* 57. videbitur. Ita sanè unanimiter loquuntur omnes DD. Cathol.

Quæres secundò, quid sit contritio perfecta?

50 Est animi dolor, & detestatio peccati, prout est offensa Dei summè boni super omnia dilecti, cum proposito non peccandi &c. Ita in re *communis*. Pro pleniori tamen intellectu hujus descriptionis notandum, allum dici & esse amorem Dei *intensivè* summum, quando scilicet Deus intensiori, seu vehementiori actu diligitur, quàm ulla alia creatura: & hoc modo pro statu hujus vitæ non tenemur Deum summè diligere; hoc quippe esset moraliter impossibile, & humanæ fragilitati impar. Alius dicitur amor Dei *appretiativè* summus, quando scilicet Deus habetur in majori pretio & æstimatione, quàm omnes aliæ creaturæ. Hoc autem modo desacto quivis tenetur Deum summè, & super omnia diligere, juxta illud *Matth.* 10. *qui amat Patrem, aut Matrem plus, quàm me, non est me dignus*. Quin immò omnis verè & perfectè contritus hoc modo diligit Deum, quia detestatur sua peccata, quatenus sunt offensa Dei summè boni, quem jam anteponit omnibus aliis rebus, ita, ut nullius Creaturæ amore vel timore velit ipsum deinceps offendere, vel ab Ejus amore recedere.

Quæres tertiò, quandonam teneamur veram & perfectam contritionem elicere?

51 R. primò. Tenemur ad hanc, & quidem per se, 1. in articulo, vel etiam probabili periculo mortis, dum quis habet conscientiam certam, vel etiam dubiam de peccato gravi, simulque non habet copiam Confessarii. Ita satis communiter DD. Lugo, Herincx *D.* 2. *n.* 8. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 6. *d.* 4. *a.* 2. *num.* 23. Sporer *nu.* 135. Ratio desumitur tum ex Concil. Trid. *Sess.* 14. *c.* 1. dicente: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinassent, quovis tempore necessaria &c.* Tum etiam ex eo: quia lex naturalis justitiæ exigit & dictat, esse satisfaciendum injuriato; simulque lege charitatis quivis tenetur se ipsum, quantùm valet, eruere è maximis periculis & miseriis, præsertim animæ: atqui Deus per peccatum mortale graviter injuriatur, nec possumus eidem secundùm modernam providentiam aliter satisfacere, nisi per penitentiam, qua sine peccator infallibiliter incidit æternam damnationem, juxta illud *Luc.* 13. *si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis*: ergo peccator in statu disgratiæ constitutus, nec habens copiam Confessarii, per se tenetur in articulo, vel probabili periculo mortis (quod mortis articulo æquiparatur) ad contritionem perfectam, qua æternam damnationem evadat. Hac ratione Sporer *cit. num.* 135. bene docet, contritionem perfectam esse ad salutem necessariam nedum necessitate præcepti Divini, sed & medii; quandoquidem Deus nullum peccatorem vult ju-

justificare sine pœnitentia, seu etiam contritione perfecta, nisi suscipiatur ipsum Sacramentum Pœnitentiæ; quod notanter additur; quia cum Sacramento sufficit attritio ad justificationem, prout dicetur *n.* 60.

Dices. Amor Dei super omnia, sicut & Martyrium propter Deum perpessum justificat peccatorem, juxta illud *Luc.* 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: ergo contritio perfecta non est ad salutem simpliciter, seu necessitate medii necessaria.

52 R. Negando suppositum, quòd peccator in extremis positus, & memor peccatorum suorum, simulque obligationis agendi pœnitentiam, possit verè Deum amare super omnia, vel etiam ex tali amore subire martyrium, nisi velit agere pœnitentiam; quia hoc supposito nollet adimplere omnia Dei præcepta. At verò, si in, vel extra mortis articulum constitutus, & immemor peccatorum suorum, vel saltem immemor obligationis de agenda pœnitentia, amet Deum super omnia, utiquè justificabitur, eò quia in amore perfecto virtualiter saltem includitur aversio ab omni peccato, & contritio perfecta, aut certè votum implicitum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, prout dictum fuit *de Sacramtum in genere confer.* 7. *num.* 70.

53 R. secundò, Præceptum contritionis in defectu Sacramenti Pœnitentiæ etiam extra mortis articulum per se aliquoties saltem obligat. Ita rursus *DD. citt.* Ratio desumitur à pari de præcepto charitatis, quod sæpius in vita per se obligat: ergo & præceptum contritionis seu pœnitentiæ. Et certè, ut sapienter advertit Herincx noster, rationi rectæ valdè dissonum videtur dicere, quòd peccator impunè, & sine offensa Dei per totam vitam suam, aut certè tempore diuturno quantumcunque possit in statu disgratiæ perseverare.

Dices. Nequit determinari certum tempus, quo extra mortis articulum præceptum contritionis per se obliget: ergo gratis & sine causa talis obligatio hominibus imponitur. R. Neq. Conseq.

54 Esto enim determinari nequeat certum tempus, quemadmodum nec de præcepto charitatis; certum tamen videtur, quòd unum æquè ac alterum aliquoties saltem, tempore non determinabili obliget; prout satis communiter sentiunt DD. licèt non conveniant circa determinationem temporis; nam aliqui existimarunt, hoc præceptum per se obligare statim post peccatum mortale commissum (quorum opinio, utpote non satis fundata, hodie communiter rejicitur) Nonnulli putarunt, illud per se obligare singulis saltem diebus dominicis aut festivis. Alii determinant tempus quinque aut sex annorum. Alii denique non improbabiliter tempus biennii aut triennii. Verùm ex his facilè colligitur, non satis constare de tempore determinato; quare meliùs asseritur, quòd aliquoties duntaxat per vitam obliget. Et pro praxi Lugo, Herincx, Sporer, Henno, Babenstuber, aliique plures prudenter existimant, non esse periculum peccandi contra hanc obligationem, si quot annis confessio ab Ecclesia præscripta debitè peragatur.

55 R. Jam tertiò ad idem quæsitum. Præceptum contritionis per accidens sæpiùs obligat, toties scilicet, quoties alicujus virtutis actus sive liberè, sive ex præcepto est exercendus, qui licitè exerceri nequit, nisi in statu gratiæ. Ita rursus *DD. citt.* Ratio est clara: quia hoc ipso, quòd actus licitè exerceri nequeat, nisi in statu gratiæ, quivis volens & intendens exercere hujusmodi actum v. g. administrare, vel suscipere Sacramentum &c. tenetur priùs sese reponere in talem statum: atqui deficiente copia Confessarii aliud medium non suppetit redeundi in gratiam, nisi contritio perfecta, vel amor DEI super omnia: ergo in tali casu peccator tenetur saltem per accidens elicere contritionem perfectam, aut certè amorem DEI super omnia.

56 Dixi, quòd saltem *per accidens teneatur* &c. Non enim tenetur ideò, quia præceptum contritionis per se obligat, sed quia ex alio præcepto aut virtute v.g. Religionis, obligatur actum dignè exercere, proptereaque tenetur amplecti media,

media, quibus se reponat in statum condignum; quod, si negligat, non idcircò peccabit contra præceptum contritionis, sed contra illam aliam virtutem v. g. Religionis, cujus motivo per se tenebatur dignè subire munus suum, prout rectè advertunt Sporer *nu.* 189. Stoz *l.* 1. *p.* 2. *n.* 64. Layman, Babenstuber, Bosco, aliique.

Quæres quintò, quid sit contritio imperfecta, seu attritio?

57 R. Est detestatio de peccato commisso ex motivo inferiori quàm est motivum dilectionis DEI super omnia, cum proposito non peccandi &c. Ita rursus *communis* DD. Et habetur clarè in Concil. Trid. *cit. l. c.* 4.

58 Dicitur autem ex motivo inferiori &c. quia contritio imperfecta concipi potest vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu; siquidem & hæc sint vera motiva supernaturalia: non enim solo lumine naturæ constat, sed ex divina revelatione credimus, animam per peccata coram Deo fœdari & deturpari, gravissimisque propterea subjicii pœnis vel temporalibus, vel omnino æternis; ergo sufficiunt ad verum dolorem supernaturalem concipiendum.

Dices. Quidsi autem peccator doleat propter pœnas temporales, eritnè dolor sufficiens?

59 R. si doleat propter hujusmodi pœnas merè lumine naturali notas & apprehensas, utputa, si puer propter virgas à Parentibus, aut fur propter infamiam publicam, vel pœnam suspensionis perpetuæ subeundam doleat, certum est, non sufficere, quia dolor non est supernaturalis. At verò si doleat propter hujusmodi pœnas ut ad Deum justum peccatorum vindicem relatas, vel potiùs si doleat, quia apprehendit & metuit Deum, qui peccata vindicare consuevit per hujusmodi pœnas temporales, omnino probabilissimè sufficiet talis dolor. Et ita tenent communissimè DD. Suarez, ConinK, Arriaga, Lugo, Tambur. Reinffest. *tract.* 14. *disp.* 6. *num.* 42. Sporer *num.* 242. Illsung. *tract.* 6. *dist.* 6. *num.* 39. Viva *part.* 3. *damnat. Thes. ad prop.* 15. *numer.* 12. Babenstuber. *tract.* 8. *pag.* 6. *dist.* 4. *art.* 3. *num.* 13. Nec refert, quòd tales pęnæ a DEO fortè non sint specialiter huic peccatori inflictæ in vindictam criminum; licèt enim hoc supponatur, quia tamen peccator dolet non præcisè ob istas pęnas ut inflictas à Deo, sed propter timorem Dei, qui *solet per hujusmodi pœnas vindicare* peccata (quod utique solo lumine fidei constat) hinc nullatenus dubitandum quin talis dolor sit verè supernaturalis. Quare hanc sententiam in sensu mox dato explicatam, ego cum P. Gobat judico moraliter certam; nec video qua ratione ab aliis possit vocari in dubium, vel severioribus adhuc censuris taxari: fateor nihilominus, in praxi semper oportere, ut pęnitens à Confessario disponatur ad dolorem ex altiori motivo, v. g. bonitatis divinæ &c. concipiendum; tum quia talis dolor magis conducit ad peccatorum remissionem; tum etiam quia minùs periculi timendum, ne fortè pęnitens ducatur motivis merè naturalibus, seu pęnis istis lumine merùm naturali, & non altiori instinctu, & motu Spiritus Sancti apprehensis. Vid. *DD. citt.*

Quæres sextò, Sitnè attritio ex motivis mox allegatis, scilicet ex timore damnationis, purgatorii, & pęnarum &c. concepta, honesta, & sufficiens cum Sacramento ad justificationem?

60 R. Affirmativè. Ratio est: quia honestè, immò sanctè cupimus assequi Deum ceu ultimum finem nostrum; ergo etiam honestè fugimus & formidamus ea, quæ nos ab assecutione ultimi finis & beatitudinis retardant, uti faciunt pęnæ jam nominatæ. Quòd autem talis attritio sufficiat cum Sacramento, videtur pariter certum; quia declaratum à Concilio Trid. *cit. c.* 4. sequentibus verbis: Quamvis contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat, sine Sacramento pęnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad DEI gratiam in Sacramenti pęnitentiæ impetrandam disponit; utique non remotè tanùm: hoc enim præstat etiam sine Sacra-

cramento : ergo cum Sacramento proximè. Et ratio quasi à priori est : quia Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum spiritualiter , id est, à Christo Domino per se institutum ad conferendam gratiam sanctificantem primam, ceu vitam spiritualem animæ: atqui tale non ampliùs esset dicendum si semper deberet præsupponere contritionem , utpote per se justificativam; quia hoc ipso semper supponeret gratiam primam & hominem spiritualiter viventem : ergo dicendum , quòd non necessariò præsupponat contritionem perfectam , sed sufficiat etiam imperfecta , seu attritio etiam cognita , prout defacto post Tridentinum communissimè tradunt DD. pront videre licet apud Gonet *tom. 5. tract. 5. Disp. 7. art. 3.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 873.*

Quæres septimò, qualis dolor requiratur, seu quomodo debeat esse constitutus & qualificatus, ut sit sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ?

R. Ut sit sufficiens, debet esse 1. formalis ; 2. supernaturalis ; 3. universalis respectu mortalium , & 4. efficax . Ita *communis* Scot. 4. *d.* 20. *q.* 1. Henno. *de pœnit. d. 3. q. 2.*

61 Ratio primi inde desumitur : quia tam Florentinum , quàm Trident. Concilium , designando partes hujus Sacramenti , docent , partem, vel quasi partem materialem hujus Sacramenti esse *contritionem :* atqui contritio semper importat dolorem formalem . Ex quo sequitur , ad valorem hujus Sacramenti non sufficere dolorem merè virtualem , inclusum in amore DEI super omnia . Etsi enim perfectus amor DEI super omnia se solo habeat vim justificandi etiam extra Sacramentum , ex hoc tamen minimè sequitur , quòd possit esse pars Sacramenti Pœnitentiæ : sicut nec propterea potest esse pars baptismi , tametsi nondum baptizatum possit justificare. Attamen cum rarò fit natum contingere , ut perfectè , & super omnia Deum amans non simul moveatur ad detestanda peccata sua velut summè opposita amori perfecto ; hinc Doctores communiter monent , ex post facto non esse dubitandum vel multùm scrupulizandum , sed potiùs piè præsumendum , quòd ille , qui recordatur , se confessioni actuali præmisisse actum amoris DEI super omnia , unà simul præmiserit actum veri doloris . Sporer *n.* 78.

62 Ratio secundi est hæc : quia dolor debet disponere ad gratiam ceu formam supernaturalem : ergo ut huic formæ sit proportionatus , debet & ipse esse supernaturalis , tam ex parte motivi , ut jam explicatum fuit , quàm ex parte principii, gratiæ scilicet prævenientis & adjuvantis voluntatem; debet enim esse *donum DEI , & Spiritus Sancti impulsus* , ut loquitur Tridentinum *citat.* ; quod *can. 6.* anathemate ferit . *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem . . . . pœnitere posse sicut oportet , ut ei justificationis gratia conferatur .* Meritò proin Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem *num. 57. Probabile est , sufficere attritionem naturalem , modò honestam.*

63 Ratio tertii est : quia secundùm modernam Dei ordinationem , communi DD. consensu , & judicio Ecclesiæ *can. fratres nostros de Pœnit. Dist. 5.* satis utique intimatam , nullum peccatum mortale dimittitur sine retractatione peccatoris , neque unum sine altero: at, hoc ipso dolor debet esse universalis respectu mortalium : ergo.

64 Dixi *respectu mortalium*. Cùm enim peccata venialia non excludant à gratia & amicitia DEI ; hinc potest unum dimitti sine altero : & per consequens necessum non est , ut dolor se extendat ad omnia venialia etiam divisivè vitanda . Mastr. Bosco, Reinffestuel *cit. n.* 51.

65 Ratio quarti inde desumitur : quia dolor sufficiens ad hoc Sacramentum debet excludere voluntatem peccandi , id est, non ampliùs committendi idem peccatum , de quo se accusat, & liberari postulat : atqui nisi sit efficax saltem affectivè , non satis excluderet voluntatem peccandi : ergo.

Quæres Tandem octavò , quomodo dolor sit referendus ad confessionem , & quandonam eliciendus?

66 R. Ad primum. Dolor est ita referendus ut confessionem reddat dolorosam, & cum ea faciat unum morale. Ratio clara est: quia pars materialis ad hoc judicium reconciliativum necessaria, non est quæcunque narratio historica peccatorum, sed confessio dolorosa: at, si dolor nullatenus referretur ad confessionem, hæc nunquam foret dolorosa: ergo. Cæterùm ut rectè advertit Sporer *num.* 288. tripliciter potest dolor ad confessionem referri, videlicet 1. antecedenter; 2. concomitanter; & 3. consequenter. Antecedenter refertur, dum quis v. g. hodie indagans in sua delicta, eadem sincerè detestatur, & idcircò proponit proximè v. g. post aliquot horas aut cras eadem confiteri. Concomitanter refertur, dum quis subitò recogitans sua delicta simul movetur ad eorum detestationem, propterea que mox confitetur cum proposito &c. concomitanter refertur, dum quis hodie sua peccata apud Confessarium deponit ideò, quia reflectit se, quòd jam heri, vel ante paucas horas debitè doluerit, tametsi tunc de facienda confessione nihil proposuerit. Quanto autem tempore dolor possit confessionem præcedere ut tamen simul unum morale cum eo componat, non est omnium eadem opinio, immò difficillimum decidere pro praxi. Quocirca ne ad nimiam laxitatem declinemus, videtur via media incedendum, & cum Tamburino, Lugone, Diana, Stoz. *citat. num.* 52. Babenstuber *dist.* 4. *art.* 3. *num.* 60. dicendum, quòd per duas aut tres horas, immò & plures possit præcedere; nihil enim obstare videtur, quo minùs dolor v. g. heri tempore vespertino conceptus, possit hodie verè pœnitentem movere ad confitenda cum vera aversione ac detestatione peccata, modò ille dolor formaliter hodie referatur ad hoc Sacramentum, prout fieri potest, si pœnitens dicat in animo suo: quandoquidem heri jam dolui de meis peccatis, nec retractavi illum dolorem, volo nunc confiteri. At verò consultum minimè est, ut nos patiamur redigi ad tantas angustias, sed potiùs oportet, ut novum hodie dolorem conemur elicere: quæ enim in hoc appareat difficultas? Optimè proin haud dubiè facit, qui inter dolorem & confessionem non patitur intercedere moram, nisi quoad fieri potest, brevissimam.

67 R. Jam ad secundum. Dolor est necessariò eliciendus ante absolutionem, non tamen necessariò ante confessionem, etsi hoc consultissimè fiat. Ita *DD. communissimè* Laym. Illsung. Bosco, Henno, Herincx. Ratio prioris est: quia in judicio reconciliativo nemo absolvi potest, nisi sit debitè dispositus: at, qui non dolet de suis peccatis, non est dispositus ad sententiam reconciliativam: ergo dolor debet necessariò præmitti absolutioni. Ratio autem posterioris redditur hæc: dolor quippe, sive præcedat, sive etiam immediatè subsequatur confessionem, potest eandem reddere verè dolorosam: & hac ratione in praxi solemus aquiescere pœnitenti, si post enarrata peccata protestetur se dolere; nec ampliùs inquirimus, utrùm etiam ante confessionem jamjam doluerit? ergo necessum non est, ut dolor præcedat confessionem. Cæterùm quòd hoc consultissimè fiat, apud omnes in confesso est; eò vel maximè, quia regulariter loquendo post peractam confessionem, Confessarius solet mox proferre formulam absolutionis: propterea que posset de facili contingere, ut vel pœnitens ex naturali distractione omnino oblivisceretur, vel certè tempus ad dolendum sufficiens non ampliùs captaret, priùs, quàm Confessarius profert verba essentialia; casu quo absolutio foret sacrilega: ergo dolor consultissimè præmittitur confessioni inchoatæ, vel mox inchoandæ. Filliucius *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 158.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

CASUS PRIMUS.

Titius ob pluries repetita furta ad ultimum supplicium damnatus, pertinacissimè renuit agere pœnitentiam, ita, ut nulla auctoritate, ratione, aut eloquentia eò adduci potuerit, ut vel unicum christiani hominis aut doloris signum exhiberet, dictitans, se injustè ad mortem fuisse damnatum; qua ratione etiam Judices ad tremendum DEI tribunal provocavit. Quæritur jam an vel quomodo peccaverit per hanc suam impœnitentiam & obstinaciam?

68 R. Peccavit multipliciter. Primò quidem contra præceptum Confessionis; item secundò contra præceptum de sumendo Viatico, quibus omnes in mortis articulo constituti obligantur, ut habet communis DD. atqui omnes ad ultimum supplicium damnati censentur constituti in mortis articulo: ergo. Quin immò talis impœnitentia finalis expressè seu etiam interpretativè volita, à P. Herincx *pag.* 4. *tract.* 4. *disp.* 2. *num.* 10. & aliis meritò reputatur peccatum speciale, eò quia tum ex virtute pœnitentiæ, tum etiam ex charitate erga se ipsum vel maximè in mortis articulo tenemur providere nostræ saluti. Insuper evidens est, Titium nostrum injustam vindictam appetendo, & judices, à quibus justè ad mortem fuerat condemnatus, ad tremendum DEI tribunal provocando, 3. peccasse contra charitatem. 4. Nec dubitandum, quin etiam spectatores suos scandalizaverit per hujusmodi obstinatam impœnitentiam. En! quàm multa & gravia delicta!

Dices. Quidsi autem Titius sperasset, sibi propter hujusmodi obstinaciam, & impœnitentiam vitam condonatum iri: nunquid fuisset ex hoc saltem capite excusandus à præcepto confessionis, seu moraliter impossibili in his circumstantiis, & satisfecisset solam contritionem internam eliciendo?

69 R. Minimè fuisset excusandus. Cùm enim supponatur justè ad mortem condemnatus, obstinatio autem & impœnitentia non sint rationabile aut conveniens medium impetrandi condonationem vitæ, fieri sanè non potuit, quin per talem impœnitentiam sese exponeret periculo transgrediendi præcepta jam allegata, & cum scandalo totius orbis ex hac vita decedendi. Quare nego suppositum, quòd præceptum confessionis fuerit huic moraliter impossibile, vel quòd hoc neglecto potuerit elicere veram contritionem supernaturalem, ad justificationem sufficientem. Neque ignorantia aut simplicitas vel bona fides huic patrocinabitur; quia procul dubio à Confessario sibi deputato fuit admonitus suæ obligationis. Cæterùm quo modo cum talibus obstinatis sit procedendum, non est hujus loci decidere vel docere: optimum sine dubio medium erit implorare Cœlites, & Deum, in cujus manibus sunt nostræ voluntates, qui facilè novit emollire cor impœnitens, & ad quodcunque voluerit, inclinare. Juvabit etiam in simili casu monere Carnificem, ne nimis acceleret executionem sententiæ: fortasse enim Malefactor dum viderit rem seriò agi, & sibi certò moriendum, saniora capesset consilia, prout fecit ille ipse, de quo casus noster: Dum enim advertit dolores laquei, quo Carnifex fauces jamjam strinxerat, usumque loquelæ vix non jam interceperat, tandem fracta jam voce postulavit Confessarium, dicendo: .... Qua ratione à laqueo denuo solutus, confessus, & ab uno è nostris sibi assistentibus à peccatis absolutus, moxque à Carnifice non ampliùs strangulatus, sed capite minutus fuit hic Salisburgi anno 1726. diei 20. Martii.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacrum tribunal ingressus sese accusat in hunc modum. Domine, *inquit*, subinde mentitus sui: nonnunquam turpia locutus; & aliquoties lascivis,

cogitationibus occupatus. Nihil ampliùs scio. *Quæritur jam, quid in hujusmodi casibus Confessario sit agendum, ubi Pęnitens nullam prorsus facit mentionem de dolore?*

70 R. In nostro hoc casu, ubi Pęnitens nec facit mentionem de dolore, nec exprimit certam speciem vel numerum peccatorum suorum, meritò dubitare licet, sitnè satis dispositus, & intelligens ea, quæ sunt necessaria ad valorem Sacramenti. Idcircò Confessarius eundem debet 1. adhortari de numero & specie peccatorum exprimendis, quantùm fieri potest quoad materiam necessariam. 2. Insuper oportebit eundem examinare (nisi aliunde noscatur, vel prudenter præsumi posset dispositus) an verè doleat de suis peccatis? & Cur? Ratio est: quia Confessarius pro possibili tenetur procurare integritatem & valorem hujus Sacramenti, supplendo etiam quantùm potest defectus Pęnitentis: ergo quotiescunque rationabiliter dubitat de aliquo ad legitimam dispositionem requisito, utì est dolor supernaturalis, debet Pęnitentem adhortari & examinare. Et in hoc vel maximè oportet Confessarium esse sollicitum; certa quippe experientia compertum habemus, homines rudiores sanè non paucos ad hoc Sacramentum accedere absque vero aliquo dolore supernaturali, aut proposito emendandi: quos si interrogaveris, *an doleant?* promptè quidem respondebunt: *ita Domine*. Ulteriùs autem interrogati, *cur doleant?* vel candidè reponent: *nescio*; vel certè motivum non nisi merum naturale allegabunt, utputa quòd proximum, vel parentes suos offenderint &c. &c. Certè ego in praxi interrogando, quamplures reperi homines, triginta, & ampliùs annos habentes, qui prorsus ignorarunt, cur de peccatis dolendum: qua ratione mihi persuadeo pro certo, innumeras confessiones defectu veri doloris & propositi fieri sacrilegas. Cautè igitur Confessarie! cautè procedendum est cum rudioribus, itemque cum pueris ac puellis. Profectò non sine risu reminiscor pueri quondam mihi occurrentis, quem velut suspectum de sufficientia dispositionis, & maturitate judicii (nam inter confitendum varias exercuerat nugas, præsertim ludendo in clathris, & digitis fricando &c.) interrogavi, an etiam de suis peccatis jam confessis doleat? Cùmque quid respondendum, ignorasset, subitò conversus ad suam matrem proximè assistentem ajebat: *Mater! doleonè de peccatis meis?* Cui illa; *ita! ita doles*. Nescio sanè, puerinè, an verò matris simplicitas fuerit magis admiranda.

71 Dixi tamen examinandum esse pęnitentem, nisi aliunde noscatur, aut prudenter præsumi possit esse dispositus. Subinde enim quosdam pęnitentes reperire est, qui revera optimè dispositi & contriti accedunt, tametsi (fortè brevitatis studio) in actu confessionis nullam prorsus faciant mentionem de dolore & proposito concepto (an bene & laudabiliter? aliorum judicio relinquo.) Quemadmodum ergo omnes ac singulos pęnitentes præsumere dispositos, regulis prudentiæ videtur dissonum; ita non minùs imprudenter ageret Confessarius, qui, quotquot de dolore ac proposito nihil dicunt, velut suspectos de sufficientia doloris vellet examinare, an, vel cur doleant? Itaque cultiores & politiores interrogari non debent an doleant, sed potiùs præsumi dolentes. Ego in praxi, ubi prudenter dubitandum censeo, ut me (præsertim in concursu Pęnitentium) breviter expediam, soleo pęnitenti breviter ingerere actum & motivum doloris dicendo: nunquid bone Vir! &c. jam sincerè & ex corde doles, quòd Dominum Deum tuum, infinitè bonum, omnique amorem dignissimum tam ingratus offenderis? Quodsi pęnitens seriò, deliberatè, & ex corde respondeat: *ita*; vel: *doleo utique &c.* eundem injuncta priùs salutari pęnitentia sine scrupulo absolvo. Vade jam, & si placet, fac similiter.

Dices forsitan. Sed quomodo pęnitentes omnino rudes, immò rudissimi, qui non, nisi naturalibus & sensibilibus motivis duci solent, ad verum dolorem supernaturalem sunt disponendi?

72 R. Hoc ipso per motiva naturalia velut magis sensibilia primò inducendi, sen-

sensimque magis disponendi, & quodammodo elevandi sunt ad apprehendenda cælestia & supernaturalia, juxta illud Apostoli *Rom. 1. c. v. 20. Invisibilia ipsius* (Dei) *à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Oportet ergo hoc, vel simili modo uti. Dicito charissime! nunquid jam audisti, Peccatores post mortem gravissimè puniri in inferno, vel certè in purgatorio? Et quid ibi patiuntur? Nonne pœnam ignis? Tunè sufferre posses ignem, vel ardorem unius duntaxat candelæ? Certè non. Quantò minùs ergo poteris habitare cum illis ardoribus sempiternis? Nunquid ergo jam detestaris, & deinceps fugies peccata? &c. &c. Item poterit homo rudis, vel etiam Puer &c. ad dolorem induci hoc modo (eodem quippe vel consimili modo cum Rudibus & pueris esse procedendum, jam suprà monuimus) Dicito fili charissime! amasnè tuos Parentes, vel tuos benefactores, à quibus multa bona recipis? Utique amabis? Verùm nunquid & Deum amabis, cùm sit summus benefactor noster, qui fecit & creavit nos, vultque dare vitam & beatitudinem æternam diligentibus se? Si pœnitens respondeat (prout regulariter illicò respondere solent) utique amo Deum; jam ulteriùs instet Confessarius: atqui peccata tua repugnant amori Divino: quomodo verè Deum amabis, si peccando eundem offendere non horreas? Nunquid ergo charissime fili, amodò jam peccata tua detestaris, quibus Dominum Deum summè bonum & amantissimum benefactorem nostrum hactenus offendisti? Nunquid jam efficaciter proponis eadem non ampliùs committere? Si respondeat: *ita Domine*: porro instet Confessarius: itanè etiam sentis in corde? Dic ergo fili amantissime, & ex corde dicito: doleo, quòd dilectissimum Dominum Deum meum, summum bonum & Benefactorem meum offenderim, & propono &c. Plura cum tempore pro diversitate Pœnitentium suggeret usus, & præsertim Spiritus Sancti unctio, à Confessario nunquam non specialiter imploranda & exoranda.

CASUS TERTIUS.

Cajus in profesto Assumptionis B. V. Mariæ debitè contritus voluit confiteri, sed ob multitudinem concurrentium præpeditus, à Confessionali invitus tandem recessit. Altera verò die summo mane exoptatam nactus occasionem, omnia sua peccata Confessario ritè explicuit; ast sine novo dolore, quippe cujus totaliter fuit oblitus. Jam ergo dubitat, quid de valore hujus confessionis sibi tenendum, & an eadem peccata teneatur repetere?

73 R. Cum distinctione. Vel enim supponitur fuisse totaliter oblitus doloris tam veteris seu hesterni, quàm etiam novi? si utriusque: indubitanter confessio fuit nulla & invalida; eo quia non fuit verè dolorosa, sed mera narratio historica peccatorum. At verò, si supponatur fuisse solùm oblitus doloris novi, non item veteris, ita, ut vi hesternæ contritionis motus, hodie suam confessionem deposuerit, minimè dubitandum videtur de valore hujus, quippe quæ cum hesterno illo dolore moraliter (esto non physicè) conjuncta, adhuc verè dolorosa existit. Quo supposito dicendum, quòd Cajus non ampliùs teneatur repetere eadem peccata; quotiescunque enim verè probabile est, Sacrumentum valuisse, (licèt maneat dubium speculativum) liberatur pœnitens ab onere sese denuo accusandi de iisdem peccatis; quandoquidem secundùm jura in dubio sit inclinandum in favorem rei, & potiùs pro valore, quàm pro nullitate actus præsumendum.

At quid, si Cajus fateatur, se more solito recitasse quidem *confiteor &c.* dubitare tamen, an cum vero dolore, aut vi contritionis pridie conceptæ?

74 R. Rursus est distinguendum & gnaviter advertendum, an Cajus pœnitens sit homo juvenilis, & levis in suis actionibus, an verò gravis, & provectæ jamjam ætatis; Etenim juvenibus valde familiare est, formulam confessionis deblaterare ex mera consuetudine, sine ulla prorsus attentione ad sensum verborum: è contra viri graves, & maturi regulariter,

& communiter loquendo non solent formulam confessionis ex mera consuetudine recitare, nec tundere pectus, nisi cum quadam gravitate & animi attentione; quapropter cùm ex communiter contingentibus fiat prudens præsumptio, resolvendum videtur, quòd si Cajus pœnitens supponatur homo prudens, & in reliquis actionibus gravis, possit etiam in tali dubio prudenter præsumere pro valore suæ confessionis: nec ampliùs urgendus foret ad repetitionem confessionis peractæ. Secus tamen dicendum, si supponatur homo juvenilis & in suis actionibus valde inconsideratus ac levis. Vide Gobat. *tract.* 6. *num.* 142. & *seqq.* Sporer. *num.* 291.

Dices adhuc. Sed quid, si pœnitens post perceptam absolutionem mox subjiciat aliud peccatum, teneturnè etiam novum elicere dolorem?

75 R. Si subjiciat novum peccatum mox, vel paulò post absolutionem perceptam, probabilissimè non solùm validè, sed etiam licitè absolvitur absque novo dolore, modò supponatur priùs verè doluisse ex aliquo motivo generali, se extendente ad omnia, ideòque etiam ad hoc peccatum. Ita *communissimè DD.* Lugo, Dicastillo, Henriquez, Gobat *cit. num.* 165. Stoz *l.* 1. *pag.* 2. *nu.* 52. Illsung. *tract.* 6. *disp.* 6. *num.* 43. Babenst. *tract.* 8. *pag.* 6. *dist.* 4. *art.* 3. *nu.* 57. Reinffestuel *Theol. mor. tract.* 14. *dist.* 6. *num.* 62. Sporer *num.* 298. Bosco. *Disp.* 7. *Sect.* 4. *num.* 149. ubi ait, talem pœnitentem perseverantem in antiquo dolore, posse absolvi de novo absque ullo scrupulo. Ratio autem est hæc: quia cùm prior dolor supponatur fuisse generalis, simulque adhuc perseveret saltem moraliter nihil prorsus obstat, quò minùs novam hanc confessionem possit reddere verè dolorosam, ideoque deservire novæ absolutioni, eò præsertim, quòd censeatur virtualiter multiplex. Quare nimis scrupulosè praxin hujus opinionis damnare videntur Cardenas, & La Croix *cit. num.* 712. nam si prior dolor adhuc physicè perseveret saltem tenuiter, quamvis imperceptibiliter, secundùm la Croix *nu.* 713. certò sufficeret: ergo etiam certò sufficit, si adhuc existat moraliter, & in hanc novam confessionem influat; certum quippe est, inter confessionem & dolorem necessariam non esse coexistentiam physicam, sed moralem sufficere. Meliùs proin loquitur P. Viva ad propos. 1. ab Innocentio „ XI. damnatam, ubi *n.* 26. ait: quidquid „ sit autem, num universim possit iterari „ absolutio super iisdem peccatis, non „ iterato dolore, ut multi autumant cum „ Lugo, Ledesma, Dicastillo; certum tamen videtur ex praxi Ecclesiæ & „ Confessariorum, non esse necesse, „ quòd, qui post absolutionem statim „ reconciliatur, moneatur de novo dolore iterando. Et ratio hujus praxis videtur esse, quia est moraliter certum, „ quòd dolor præteritus non sit retractatus, & conjungatur moraliter cum nova absolutione, si paulò antè præcesserit. Secus verò, si reconciliatio non fiat „ statim. Hactenus Viva *loc. cit.* Fateor tamen, consultiùs esse, ut pœnitens de peccato noviter confesso novum eliciat dolorem; & idcircò oportet, ut Confessarius de hoc moneat, aut saltem interroget, utrùm etiam de hoc peccato doleat &c. quod cum facilè fieri possit, in praxi de facili non est intermittendum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

76 Colliges ex dictis primò, contritionem perfectam essentialiter distingui ab attritione; tum quia essentialiter tendit in aliud motivum formale; nam perfectè contritus detestatur peccatum, eò quòd sit oppositum & contrarium Deo velut summo Bono; quod non facit attritus; ut patet ex dictis; tum etiam quia contritio perfecta habet vim justificandi peccatorem etiam sine Sacramento: è contra attritio solùm justificat cum Sacramento. Quare dum Theologi subinde dicunt, quòd attritio cum Sacramento faciat ex attrito contritum, illud non est intelligendum in sensu formali, quasi verò attritio fieret formaliter contritio (actus enim essentialiter diversi semper manent tales) sed est intelli-

ligendum in sensu causali : quia attritio cum Sacramento causat eundem effectum (scilicet justificationis) quem contritio perfecta extra Sacramentum : ideoque virtualiter & æquivalenter præstat idem cum Sacramento, quod præstat contritio perfecta sine illo. Babenstuber *cit. d.* 4. *a.* 2. *num.* 7. & 8.

77 Colliges secundò. Ad valorem hujus Sacramenti non esse necessarium dolorem corporis, seu in corpus sensibiliter redundantem. Ratio est: quia dolor solùm requiritur ad hoc, ut peccator ad Deum suum verè ac seriò denuò revertatur: at, si in animo seriò detestetur sua peccata, &c. rursus ad Deum suum seriò revertitur. Unde quemadmodum ad hoc, ut verè peccet, minimè necessum est, ut interveniat voluptas corporis; ita pariter ut denuo reconcilietur Deo suo, neutiquam opus est, ut interveniat dolor corporis. Hac de causa contritio communiter describitur, quòd sit *dolor animi*, non *corporis*: tametsi subinde contingat, ut ob vehementiam doloris animo concepti, corpus quodammodo affligatur Et hoc singulariter notandum, vel etiam inculcandum est scrupulosis, qui sibi nunquam videntur satis doluisse, nisi dolorem seu afflictionem & quandam corporis etiam consternationem sentiant. Rectè proin docet Sporer *num.* 131. ei, qui piè, seriò, & ardenter profert hæc verba : *summè doleo, quòd te Dominum Deum meum toties tam graviter offenderim*; & maximè si addat epitheton *dilecti*, prout solent germanicè dicere.... nullatenus ambigendum esse de sufficientia veri doloris, immò perfectæ contritionis. „ Et tu Confessarie (subdit „ idem Doctor) si moribundum au„ dies, piè ac fervidè ejusmodi verbis „ ad Deum suspirantem, maximè jam „ valde debilem, noli angi, vel il„ lum magis angustiare de contritione „ perfecta.

78 Colliges tertiò, ad veram contritionem non esse necessarium longum tempus, sed sufficere minimum, immò & unicum instans. Ratio est : quia ad hanc solùm requiritur, ut peccator à suis peccatis aversus, denuo ad Deum suum convertatur & resipiscat: atqui hoc fieri potest in momento temporis, quemadmodum in unico momento potest à Deo suo averti, mortaliter peccando. Ob eandem rationem non requiritur certa intensio contritionis, sicut nec ad peccandum requiritur intensio certa voluntatis. Et certè de necessitate hujusmodi intensionis nec ex Scriptura, nec ex Patribus, nec ex ratione constat : ergo neque à nobis est expetenda, eò præsertim, quòd daret ansam infinitis propemodum perplexitatibus. Fatendum tamen est, eò utiliorem esse dolorem, quo est vehementior. Immò & cavendum, ne in puncto tam notabili laxiores, plus quàm oportet nobis blandiamur & confidamus. Qua ratione numero mox præcedenti non sine nota diximus, eum, qui *piè*, *seriò*, & *ardenter* profert hæc verba : *summè doleo &c.* posse tutò confidere de sufficientia veræ contritionis. Vid. Suarez *d.* 4. *Sect.* 5. *n.* 4. Fillinc. *tr.* 6. *c.* 9. *n.* 130. & 235. Stoz *cit. n.* 15. & 16.

79 Colliges 4tò, ad validam confessionem non esse necessarium ut pœnitens de singulis peccatis eliciat singulos, speciales ac distinctos dolores, sed sufficere unicam simplicem contritionem, modò se extendat ad omnia peccata mortalia in communi. Ita Scotus 4. *d.* 15. *q.* 1. §. *Ex hoc patet*. Herincx *d.* 2. *n.* 30. Mastr. & alii *communiter*. Ratio est : quia in unico instanti homo potest perfectissimè ad Deum converti: at, in unico instanti sæpè non posset de singulis peccatis elicere speciales dolores : ergo cùm aliunde constet, sine urgenti fundamento hominibus non esse imponendum grave onus, dicendum, quòd non sit opus ut peccator de singulis suis peccatis speciales concipiat dolores, sed sufficere, quod omnia sua peccata licet indistinctè repræsentata efficaciter detestetur. Quin immò, ut rectè advertunt *DD. citt.* non semper est consultum de singulis peccatis in particulari speciales facere reflexiones & detestationes v. g: dicendo : detestor hoc peccatum &c. mallem subire infernum, quàm illud denuo perpetrare &c. quia hujusmodi reflexiones & comparationes spectata fragilitate humana infirmioribus sunt

sunt periculosæ, licèt fatendum, quòd, si ritè fiant, sint actus valde heroici, & meritorii.

80 Colliges quintò, ad valorem hujus Sacramenti non satis esse, dolere ideò præcisè, quòd dolorem non sentias. Rationem colliges facilè ex jam dictis: quia ad valorem requiritur dolor de peccatis: at, quòd dolorem fortè non sentias, peccatum non est: immò potest contingere contra tuam voluntatem: ergo. Nihilominus in praxi vix continget, ut tales non verè doleant de suis peccatis cum vera aversione ac detestatione illorum; quod ipsum sufficit ad valorem: neque enim opus est, ut dolor sensibiliter redundet in corpus. Quare scrupulosi anxii non debent, quòd exteriùs nullum dolorem sentiant, nec gemitus aut copiosas fundant lacrymas; quia præscindendo ab his omnibus, voluntas ceu potentia spiritualis potest verissimè & efficacissimè detestari peccata admissa. Vide Laym. *hìc c. 4. num. 5.* Herincx *cit. n. 5.* Reinffestuel. *n. 56.*

81 Colliges sextò, ad valorem hujus Sacramenti non esse satis, quòd peccator pluribus mortalibus obstrictus de uno duntaxat vel altero, non verò de omnibus, ne quidem in communi, doleat, aut emendationem proponat; quia secundùm dicta *n. 61.* dolor respectu mortalium debet esse universalis; cùm de facto nullum peccatum mortale dimittatur sine altero: ergo qui non dolet de omnibus peccatis mortalibus, ponit obicem gratiæ Sacramentali, & hoc ipso peccat graviter. *Communis.*

Dices. Sed quid, si talis pœnitens de uno solùm peccato v. g. fornicationis doleat ex motivo particulari, utpota ob hujus specialem fœditatem, angelicæ virtuti castitatis repugnantem, aliorum verò peccatorum suorum inculpabiliter obliviscatur; eritnè in tali Sacramentum validum?

82 R. Juxta opinionem probabiliorem Scoti & aliorum SS. quibuscum etiam sentiunt Vasq. Laym. Sà, Castrop. Gormaz, Babenstuber *cit. art. 3. num. 43.* & alii multi: non valet Sacramentum; tum quia juxta Trident. *Sess. 14. de pœnit. c. 3. & 4.* nullus dolor sufficit ad valorem hujus Sacramenti, nisi disponat ad peccatorum remissionem, & voluntatem peccandi excludat: atqui dolor conceptus ex simili motivo particulari nec disponit ad remissionem peccatorum, nec efficaciter de se excludit voluntatem peccandi: immò stante tali dolore posset quis actualem gerere affectum ad aliud peccatum v. g. furti: ergo. Tum etiam, quia non videtur verosimile (ait Herincx noster) quòd Christus voluerit instituere, vel etiam assumere partem talem, quæ scienter nunquam posset adhiberi absque Sacrilegio & nullitate Sacramenti: at, dolor ex motivo particulari ab eo, qui pluribus mortalibus culpis est obnoxius, scienter nunquam adhiberi aut concipi potest &c. ergo. Denique vel pœnitens dolet ex vero aliquo motivo supernaturali, & animo quærendi reconciliationem cum Deo, ideoque peccatum detestatur quia est aversivum à Deo, & obstat reconciliationi divinæ &c. vel non? Si non: probabiliter nec erit dolor sufficiens. Si sic: tunc dolor virtualiter saltem erit universalis; quandoquidem motivum sit universale, & omnibus peccatis mortalibus commune; propterea que Sacramentum evadet validum simul & forme.

83 Dixi: Dolor particularis *probabiliter* non erit sufficiens &c. Fatendum quippe est, opinionem contrariam, quam tenent Gobat, Illsung, Cardenas, la Croix *cit. n. 672.* aliique sat multi & graves DD. sua non carere probabilitate. Ex qua controversia speculativa.

84 Colliges tandem septimò pro praxi, eum, qui cum tali dolore bona fide fuit confessus & absolutus, non ampliùs teneri eandem confessionem repetere. Ratio ex jam dictis *num. 74.* colligi potest: quoties enim probabile est, absolutionem valuisse, toties pœnitens liberatur ab onere eadem peccata denuo subjiciendi clavibus: atqui probabile est, absolutionem valuisse, non obstante dolore particulari: ergo &c. Vid. Gobat. *tr. 6. num. 179.* la Croix *num. 680.*

CON-

CONFERENTIA

QUARTA.

De Proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario: ubi etiam de constitutis in occasione proxima.

SUMMARIUM.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario.

Quæres primò, utrùm ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit propositum formale, an verò sufficiat virtuale?

Ante responsionem suppono cum communi DD. propositum formale tunc haberi, quando quis post conceptum verum dolorem & detestationem suorum peccatorum, per alium actum distinctum expressè secum statuit, & proponit, deinceps non ampliùs peccare; prout Cultiores regulariter assueverunt, dum post enarrationem suorum peccatorum mox subjungunt: de his, & omnibus aliis peccatis meis doleo &c. & *propono deinceps* &c. Virtuale autem, & implicitum propositum includitur in ipso actu

actu veræ contritionis; & hoc ideò: quia quicunque seriò & ex corde dicit, sibi sua peccata displicere, & verè eadem detestari, eo ipso saltem implicitè reputatur dicere, se nolle ampliùs eadem committere, quippe quæ verè displicent, & à quibus animus tantopere refugit. Nec verò dubitandum, quin frequenter (& utinam in rudioribus non minùs frequenter!) contingat, non concipi formale & expressum propositum, idque vel ex ruditate, vel ex oblivione naturali. Illud omnino certum est, quòd in actu confessionis multi nullam prorsus faciant mentionem de proposito, immò verò nec de dolore; licèt de Cultioribus supponi possit, eos utrumque jam præmisisse, prout superiùs mox *num.* 70. notavimus. Hoc supposito.

86 R. Ad Sacramentum Pœnitentiæ regulariter loquendo necessarium est propositum formale & expressum; licèt 2. probabilissimè ad hujus valorem sufficiat propositum virtuale. Ita communissimè DD. Filliucius *tr. 7. c. 6. n.* 159. *& seqq.* Bonacin. *de pœnit. d. 5. q. 5. Sect. 1. pu. 3. n.* 9. Ratio prioris desumitur ex Concil. Trident. quod *Ss.* 14. *de pœnit. c.* 4. definit contritionem ad hoc Sacramentum necessariam, esse dolorem *cum proposito non peccandi de cætero*. Ubi, licèt non dicat, esse necessarium *propositum formale*, idipsum tamen satis clarè videtur innuere, faciendo expressam mentionem *de dolore cum proposito*: si enim existimasset sufficere propositum virtuale, inclusum in dolore, superfluè videretur addidisse ly *cum proposito*: satis quippe fuisset dicere ad Sacramentum hoc necessariam esse *contritionem*. Et certè, qui verè dolet de peccatis præteritis, semper ita erit dispositus, ut si cogitet de vita in futurum instituenda, eliciat actuale & formale propositum non peccandi de cætero; quandoquidem necessariò debeat apprehendere idem motivum, quo urgetur ad detestanda hactenus commissa, pariter urgere ad non ampliùs committenda in futurum: atqui omnis verè pœnitens & dolens regulariter cogitat de vita in futurum instituenda: ergo regulariter loquendo debet elicere propositum formale & expressum.

87 Ratio posterioris est hæc: quia propositum in nullum alium finem est necessarium, quàm ut Peccatorem avertat à suis peccatis: atqui hoc facit etiam propositum virtuale, seu omnis vera contritio continens virtuale propositum: ergo Et, amabo! quem in finem Confessarius à moribundo verè contrito, mox è vivis excessuro exigat, vel etiam hortetur ad propositum expressum, vitam suam deinceps sanctiùs instituendi? ergo probabilissimè ad valorem hujus Sacramenti sufficit propositum virtuale. Et ita sentiunt DD. communissimè. Mastrius, Bosco, Herincx, Sporer. *num.* 319. Reiffenstuel *num.* 49. Gobat &c.

Dixi: probabilissimè *ad valorem sufficit propositum virtuale* &c. Utrùm enim liceat hoc Sacramentum scienter suscipere cum solo hoc proposito virtuali, sine formali & expresso, est alia quæstio multùm practica. Negat hoc La Croix *l. 6. p. 2. n.* 895. & alii nonnulli; tum ob rationes jam allegatas *num.* 86. tum præsertim, quia talis Sacramentum exponeret periculo nullitatis; at verò Stoz *cit. nu.* 90. cum aliis pluribus probatissimis & classicis Authoribus hanc sententiam etiam in praxi verè tutam existimat, nec per eam exponi Sacramentum periculo, ita, ut Cardenas *in Crisi 2. Diss. 2. n.* 80. non vereatur asserere, supra omnem probabilitatem omnino certum esse, quod hoc propositum virtuale sufficiat, proptereaque dici non posse hanc opinionem esse minùs tutam circa valorem Sacramenti, aut subjacere damnationi.

Nihilominus consultissimum est (ait rectè Stoz *cit. n.* 92.) ut quivis expiaturus per confessionem sua peccata, expressum eliciat propositum, non quod altera sententia sit minùs, aut non verè tuta in conscientia, sed quia longè efficaciori motu tendimus in ea, quæ speciatim & seriò proponimus evitare, quàm in ea, in quorum evitationem propositum nostrum tantùm generatim fertur, ut experentia docet. Ita *DD. citt.* Suadeo proin Tibi Confessarie, ut si pœnitens nullam faciat mentionem de proposito, nec aliunde prudenter præsumi possit jam præmisisse eundem blandè interrogando inducas ad forman-

mandum formale propositum; tum ob rationes jam tactas; tum præsertim, quòd facili negotio id fieri queat. Ex post facto tamen, si id neglexeris, præsertim ex inadvertentia, noli multùm scrupulizare.

Quæres secundò, utrùm propositum debeat necessariò esse absolutum, firmum, & efficax?

89 R. Affirmativè. Ratio est: quia juxta Trident. *l.c.* debet excludere voluntatem peccandi: at, nisi sit absolutum, efficax & firmum, non satis excludet voluntatem peccandi. Quapropter non sufficit ut peccator concipiat solam velleitatem inefficacem, ita scilicet animo comparatus, quòd si non sentiret difficultatem, lubens quidem nollet deinceps peccare, sed v. g. alienum restituere, concubinam relinquere &c. quia cùm tali simplici velleitate potest stare actualis affectus denuo peccandi. Quin immò opere ipso videtur dicere: lubens quidem vellem abstinere ab hoc vel illo vitio, nisi sentirem difficultatem &c. sed quia talem adverto, vel consuetudinem jam difficulter relinquo &c. hinc nolo abstinere &c. quod, ut de se patet, longè alienum est ab animo verè contrito ac pœnitente.

90 Quocirca tamen gnaviter notes velim, opus non esse, ut propositum semper sit firmum & efficax in effectu, ita scilicet, ut vi hujus pœnitens nunquam ampliùs effectivè delinquat: hoc enim, quantùm ad peccata venialia foret fragilitati humanæ impossibile; quia quamdiu vivimus, sine peccato esse non possumus. Sufficit ergo, ut sit efficax affectivè, id est, ut pœnitens ita sit animo comparatus & affectus, ut vi præsentis constitutionis mallet quodcunque demum sufferre malum, vel etiam quocunque bono delectabili carere & abstinere, quàm DEUM rursus offendere, præsertim crimine gravi. Cæterùm quòd non sit semper consultum pœnitenti particulares proponere comparationes inter malum pœnæ & culpæ denuo committendæ, jam superiùs *n.* 79. monuimus: meritòque reprehenditur à P. Gobat *cit. tr.* 6. *n.* 196. Confessarius ille, qui ex viro illustri simul & militari, assueto, veris blasphemiis, injuriosis verbis, crudeli, & injusta verberatione Uxoris ac famulorum offendere DEUM lethaliter, sciscitabatur, malitnè osculari pedes carnificis in publico foro, quàm quidquam ejusmodi in posterum facere?

Quæres tertiò, Sitnè ad confessionem necessarium propositum universale?

91 R. Est necessarium universale respectu omnium peccatorum mortalium. Ita *omnes*. Ratio facilè colligetur ex dictis *n.* 63. quia defacto unum peccatorum mortale non dimittitur sine alio: profectò nec videtur conveniens, ut DEUS O.M. peccatori reconcilietur circa unum mortale, quamdiu is obstinatus perseverat in aliis, inimicus DEI: ergo quicunque intendit veraciter reconciliari, & redire in gratiam, ab omnibus peccatis mortalibus abstinere efficaciter proponat, necessum est.

92 Dixi rursus: *respectu omnium peccatorum mortalium* &c. Licèt enim pœnitens solis venialibus obstrictus, debeat veraciter & supernaturaliter dolere, atque efficaciter proponere illa venialia, à quibus cupit absolvi, deinceps evitare: quia tamen unum peccatum veniale potest remitti sine altero (nullum enim simpliciter privat gratia & amicitia DEI, prout facit quodvis mortale) hinc dicendum, quòd pœnitens possit dolere de uno veniali, tametsi de altero v.g. verbo otioso aut mendoso ob rationem particularem efficaciter non doleat. Quo casu illa duntaxat peccata remittentur vi absolutionis, de quibus pœnitens efficaciter dolet, & quæ clavibus subjicit. Vid. Cardin. de Lugo *D.* 14. *de pœnit. sect.* 9. *n.* 146. & 147. Babenstuber *cit. d.* 4. *a.* 1. *n.* 31.

Quæres quintò, an propositum debeat se extendere ad vitandas occasiones peccatorum?

93 Resp. Cum distinctione. Debet enim se extendere ad vitandas occasiones proximas, non item 2. ad vitandas occasiones solùm remotas. Ratio prioris est: quia certum & indubitatum videtur, quòd teneatur vitare in posterum, vel saltem efficax propositum vitandi peccata concipere, quisquis præteritorum remissionem & absolutionem efficaciter desiderat impetrare: ergo pariter certum esse debet, quòd eodem jure teneatur vitare illud,

ex

ex quo peccatum moraliter certò secuturum prævidet: atqui ex occasione proxima peccatum prævidetur moraliter certò secuturum; nam occasio proxima à Navarro *c.3.n.5.* apud Laym. & Sporer *n.* 323. aliisque passim describitur esse illa, *in qua creditur, vel certè rationabiliter credi deberet, perpensis omnibus circumstantiis pœnitentem rarò, vel nunquam mansurum sine peccato:* ergo hanc per se loquendo (per accidens enim aliquando excusari potest, prout mox infrà videbimus) tenetur vitare, quisquis à suis peccatis cupit absolvi.

94 Ratio autem posterioris est hæc: quia nomine occasionis remotæ communiter à DD. intelligitur illa, *quæ, licèt per accidens possit inducere, aut etiam aliquando inducat in peccatum, frequentiùs tamen non inducit*, prout faciunt nonnulla officia v. gr. Militum, Cauponum, Mercatorum: atqui hujusmodi occasiones omnes vitare foret nimis difficile, immò moraliter impossibile; siquidem in mundo vix aliquod officium reperire sit tam sanctum, tamque ex omni parte bonum, quod non sit interdum, aut certè possit aliquibus esse occasio peccandi: ergo occasiones remotas duntaxat non tenemur vitare, nisi dum commodè possumus. Fatendum nihilominus est, eò graviorem requiri causam, ut quis licitè perseveret, quò occasio propiùs ad lapsum inducere nata est, prout rectè ex communi docent Layman *l. 5. tr. 6. c. 4. num.* 9. Mezger. *tr.* 18. *d.* 44. *a.* 3. *num.* 3. Sporer *cit. num.* 322.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Proposito ad veram pœnitentiam necessario.

CASUS PRIMUS.

Titius adolescentulus ingenuè, pudicèque educatus à quodam perditissimo Juvene primùm ad tactus impudicos, tum denique ad ipsam pollutionem penitus sibi incognitam inductus fuit, & ita miserabiliter huic assuevit, partim priùs quàm noverat esse crimen lethale, partim etiam posteaquam probè à Confessario edoctus detestandam malitiam, ut etiam post plurima firmissima proposita desistendi, post adhibita varia media persistendi in bonis propositis, nihilominus relabatur bis, terve per hebdomadem in idem fœditatis lutum. An huic Confessarius neget absolutionem?

95 R. Nec potest, nec debet huic negare absolutionem, modò supponatur hìc & nunc verè dolere, & Confessarius rationabiliter credere possit, eum concepisse firmum, & minimè fucatum propositum sese emendandi cum divina gratia; quacum utique omnia possibilia sunt. Ita tenent Diana, Sanchez, Dicastillo apud Stoz *cit. n.* 100. Ratio patet ex dictis: quicunque enim sufficienter & verè est dispositus, vel saltem probabiliter & rationabiliter credi potest esse dispositus, vi confessionis obtinuit jus ad absolutionem, quo sine gravi injuria privari nec potest, nec debet: atqui non obstantibus frequentioribus relapsibus potest Titius noster concipere firmum propositum abstinendi, & vitiosæ inclinationi, seu etiam consuetudini contractæ adjuvante divina gratia resistendi: ergo cùm supponatur non constitutus in occasione aliqua extrinsecè alliciente, quam teneretur aut posset deserere, sed ex fragilitate humana toties relabi in idem lutum, beneficio absolutionis est mundandus à sordibus. Et de his præcipuè videtur intelligendum illud Christi Domini effatum apud Matth. 18. *c.* ubi Petro interroganti: *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dixit JESUS: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, id est (ait rectè Reiffenstuel *cit. dist.* 8. *n.* 48.) toties, quoties seriò doluerit, veniamque rogaverit. Vid. *Doct. l. cit.* Sporer *n* 330. vel Sanchez *l. 2. moral. c. 32. n. 45. & seqq.*

Dices. Sed quid si Titius dicat, se non posse ampliùs abstinere ab hoc vitio?

96 R. Cum distinctione. Vel enim per hoc solùm intendit suam fragilitatem Confessario manifestare, & innuere, quòd hac præcisè attenta videatur sibi impossibi-

fibile abstinere ab assuetis; vel intendit innuere, se omnino despondere animum, nec ullatenus posse emendari defectu gratiæ etiam sufficientis? si prius, adhuc potest ac debet absolvi, modò proponat efficaciter adjuvante divina gratia superare, aut certè pro viribus contendere contra consuetudinem malam. Si posterius; eo ipso satis manifestat se esse indispositum, & efficaci proposito destitutum, ideoque indignum & incapacem absolutionis percipiendæ, prout facilè constabit ex hactenus dictis; & fatebuntur *omnes*.

CASUS SECUNDUS

Sempronia uxorata fatetur se quotidie suis prolibus ceu inobedientibus & valde obstinatis mortem sæpe sæpius fuisse imprecatam; Maritum pariter, utpote assuetum omnia dilapidare, diris devovisse frequentissime, propterea que in perpetuis cum eo rixis vivere, quippe à quo crudeliter & tyrannicè tractari solet. Quin immò & suo Parenti eadem mala sæpius imprecata fuit, una simul in faciem exprobrando nonnulla graviora crimina, eidemque denegando obsequia, quibus summopere indiguisset velut oppressus continuis infirmitatibus. Quid Confessarius de tali Persona judicabit? an absolutione dignam?

97 R. Judicabit eam per se loquendo graviter peccasse. Et licèt hujusmodi juramenta imprecatoria plerumque fieri contingat ex motu primo, aut secundo-primo, absque deliberatione & serio animo, vel voto ut eveniant aliis hæc mala; nihilominus si freqnenter & quotidie fiant, ut propterea in continuis dissensionibus ac rixis vivere soleant, prout casus fert, excusari haudquaquam possunt à culpa mortali. Illud præsertim, quòd proprio Parenti crimina comissa in faciem exprobrare assuerit Sempronia. Necessum proin erit, ut firmissimum concipiat propositum, sese in similibus emendandi cum divina gratia: quo concepto & supposito absolvi potest ac debet, tametsi sæpiùs in eadem peccata relapsa redeat.

Nec obstat, quòd videatur constituta in occasione proxima, ita, ut rationabiliter credi debeat & supponi relapsura, quamdiu in hac occasione, scilicet cum prolibus, Marito, & Parente perseveraverit; perseverantibus enim causis iidem sequuntur effectus peccaminosi.

98 Non obstat (inquam) partim quia hanc occasionem moraliter loquendo relinquere nequit, propterea que beneficio absolutionis privari neutiquam debet; partim etiam quia, utì cum *communi DD.* rectè docent Marchant *tom. 1. trib. tr. 4. tit. 3. q. 3.* Laym. *tr. 6. c. 4. n. 8.* Sporer *n. 310.* Stoz *n. 102.* & Reiffenstuel *cit. n. 52.* ad legitimam dispositionem pœnitentis vel absolutionem non requiritur credulitas, multò minùs probabilis persuasio, quòd pœnitens nunquam ampliùs sit relapsurus, sed solùm requiritur propositum firmum & efficax non quidem effectivè, sed affectivè, ut diximus *n. 90.* vi cujus pœnitens hic & nunc efficaciter & pro viribus statuat, cum adjutorio gratiæ divinæ sua peccata evitare: atqui nihil prorsus obstat, quò minùs Sempronia tale propositum concipere valeat, esto etiam rationabiliter timeri possit ex humana fragilitate relapsura; tum ob multiplices occasiones impatientiæ sibi subministrandæ; tum etiam ob expertam hactenus voluntatis suæ inconstantiam: ergo his non obstantibus potest, immò debet absolvi.

Dices. Quid igitur huic pœnitenti in his circumstantiis est consulendum?

99 R. Cum pio compassionis affectu erigenda est in spem divinæ providentiæ, eidem inculcando 1. fines optimos, quos Deus immittendo hujusmodi adversitates solet intendere, 2. Breviter proponendo exempla Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quos omnes novimus per varias tribulationes fuisse Cœlo adaptatos. 3. Specialiter juvabit eam adhortari, quatenus post S. Communionem Deo suo Eucharistico suas velit proponere necessitates, qui procul dubio faciet cum tantis tentationibus proventum; & ut eam pleniùs consolatam dimittat, spondeat etiam in suis SS. Missæ Sacrificiis singularem hujus memoriam, & pro tantis periculis intercessionem. 4. Tandem doceat

dices morborum; ita sanè qui spiritualiter infirmus efficaciter cupit sanari, peccatorum radices & proximas occasiones seu etiam dispositiones tollere satagat, omnino necessum est. Verùm ad hoc pleniùs intelligendum, quo scilicet modo occasio proxima converti possit in remotam, non obstante cohabitatione &c. placet hic annotare doctrinam planè pulcherrimam, quam tradit Cardenas *Crif. Theol. Dissert.* 40. *c.* 1. *à num.* 8. ubi advertit, occasionem proximam constitui ex duobus; quorum primum est, aliqua circumstantia extrinseca, utputa cohabitatio, vel accessus ad domum mulieris, amasiæ &c. & hoc est constitutivum remotum occasionis proximæ; sola quippe cohabitatio vel accessus in domum mulieris non facit occasionem proximam peccandi, cùm multi homines & fœminæ ita cohabitent sine tali occasione. Alterum constitutivum & quidem formale & proximum occasionis proximæ est, periculum formale peccandi, ortum ab intrinseco, id est, à propria fragilitate, voluntatis mutabilitate, vel etiam ab inclinatione & habitu vitioso jamjam contracto, peccandi scilicet in tali occasione, cum tali persona &c. quo fit, ut sin minùs semper, saltem sæpiùs in tali occasione tentationibus succumbant & labantur. Quare si pœnitens huic vitiosæ inclinationi aut consuetudini resistat (sicut semper potest cum adjutorio gratiæ, exercendo actus virtutis contrarias, utputa contritionis, amoris erga B. Virginem, monita, vel etiam præcepta Confessarii exequendo &c.) dicetur ex occasione proxima facere remotam. Et hoc satis est, si supponatur moraliter loquendo non posse vitare illam occasionem quantùm ad accessum vel cohabitationem.

Dices adhuc. At verò, quandonam censendus est moraliter non posse occasionem deferere?

104 R. Tunc censetur non posse moraliter, quando eam vitare nequit sine scandalo (quod frequenter accidit in peccatis occultis) aut sine gravissima, vel saltem verè gravi (modica enim non foret causa sufficiens, prout constat ex propositionibus 61. 62. & 63. ab Innocentio XI. damnatis) corporis, famæ, vel fortunæ jactura. Ratio est: quia quæ sine tali detrimento vitare non possumus, communiter reputantur factu impossibilia: quapropter cùm aliunde constet, vi occasionis non tolli libertatem, quin adhuc peccato resistere, & efficaciter proponere, immò & contra pravam consuetudinem reniti valeat peccator; hinc meritò concludunt DD. ob hujusmodi verè gravem necessitatem eum relinqui posse in occasione, suppositis tamen sequentibus conditionibus 1. ut seriò proponat, talem occasionem, quamprimùm fuerit possibile moraliter (cessantibus scilicet præfatis detrimentis) relinquere, concubinam deferere &c. 2. ut de commissis peccatis seriò doleat, & 3. firmissimè proponat, ex occasione proxima facere remotam, declinando ea omnia quibus ad lapsum hactenus fuit inductus. Lugo *de pœnit. d.* 13. *Sect.* 10. *num.* 152. Sporer *num.* 326. & 327. Gobat *tr.* 7. *num.* 532. & *seqq.* Babenstuber *ubi suprà n.* 22.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

105 Colliges ex dictis primò, cum consuetudinariis & constitutis in occasione proxima quàm cautissimè esse procedendum; Res quippe maximi momenti est, circa quam oportet expendere omnem prudentiam & cautelam, ne vel per nimiam clementiam & dissimulationem Confessarii pœnitens sumat ansam liberiùs peccandi; vel per rigorem nimium absterritus præcipitetur in barathrum pusillanimitatis, vel obstinationis, vel omnigenæ desperationis; quorum utrumque periculosissimum accideret tum pœnitenti, tum etiam ipsi Confessario, prout quivis prudentum facilè capiet, & plures historiæ, tragicaque exempla nos docuere. Videat ergo Confessarius quid agat, & quem potissimùm timeat.

106 Colliges secundò, circa Recidivos, præsertim ex occasione proxima, à Confessario singulariter observanda esse

sequentia 1. an à proxima confessione pęnitens minùs frequenter, quàm antecedenter fuerit relapsus (quod est judicium efficacis propositi nuper concepti, saltem regulariter loquendo) 2. utrùm occasiones extrinsecas peccandi, quas & removere debuerat, & remoturum promisit, pro possibili declinaverit? 3. An mediis contra recidivum peccati sibi præscriptis fuerit usus vel non? Talia autem media sunt 1. vitatio colloquii, quantum fieri potest, aut certè nimiæ familiaritatis cum complice. 2. quotidiana & expressa renovatio propositi in ultima confessione concepti. 3. votum subeundi aliquam pœnitentiam, vel mortificationem corporis, utputa jejunium, aut certè abstinentiam ab hoc vel illo cibo aut potu &c. 4. Jubeatur quamprimùm à confessione redierit complici (præsertim si hæc talis sit, quæ non solet, nisi admodum difficulter consentire) dicere: jam tandem firmissimè statui mutare vitam: volo ergo, jubeo, & rogo, ut si fortè tentatione victus te rursus sollicitavero, resistas omni possibili modo, revocans mihi in mentem hæc mea verba: addita etiam promissione præmii alicujus, si impedierit, secus, si consenserit. Ita suadent Gobat. *num.* 535. & Sporer *numer.* 329. Adde 5. illud, (quod mihi efficacissimum, & præsentissimum videtur remedium contra recidivum) obligare scilicet pœnitentem, & per modum pœnitentiæ eidem imponere, ut sibi deligat (si tamen conditio Personæ, loci, & occasionis patiantur) aliquem Confessarium, & huic eidem subsequenter tres aut quatuor confessiones deponat, assignato certo tempore v. gr. post singulas septimanas &c. Tum enim Confessarius pro suo zelo ac discretione noverit attendere, an pęnitens habeat serium emendandi propositum, simulque præscribere, quod pro animæ salute judicaverit magis expedire.

107 Colliges tertiò, non esse absolvendum pęnitentem, qui non vult relinquere occasionem proximam, quàm primùm si verè sine gravi detrimento eandem deserere posset; tametsi asserat, se firmissimè statuisse, deinceps non ampliùs peccare &c. immò tametsi promitteret eam desere post aliquot tempus, v. gr. unum aut alterum mensem, aut post medium annum &c. Ita communissimè sentiunt DD. Viva *ad propos.* 41. *inter damnatas ab Alexand. VII. num.* 10. Sanchez, Navarrus, Lopez, Arriaga, & alii plures, quos sequitur Cardenas *Dissert.* 40. *num.* 76. *& seqq.* Ratio est: quia ipsum nolle relinquere occasionem proximam peccandi, ubi posset fieri, est peccatum grave: at; hoc ipso talis pęnitens convincitur nec habere dolorem, nec propositum efficax universale, quippe quod se non extendit ad relinquendam occasionem proximam, quam & posset, & teneretur mox deserere, urgente præcepto negativo non peseverandi in tali occasione: ergo. Ob eandem rationem absolvi nec potest, nec debet, qui cùm posset & deberet, non vult restituere alienum; item qui non vult ignoscere inimico suo, sed potiùs injustam sumere vindictam &c.

108 Colliges quartò, nec illum esse absolvendum, qui jam semel & iterum jussus relinquere occasionem proximam peccandi, idque pollicitus, non obedivit, nec stetit promissis, licèt absque gravi detrimento potuisset. Layman, Sporer, Babenstub. Illsung *tract.* 6. *D.* 6. *num.* 37. Viva *cit. num.* 16. La Croix & alii. Et meritò: quia contra talem urget pręsumptio valde clara, quòd in prioribus confessionibus caruerit firmo, & efficaci proposito emendandi. Hinc priusquàm concubinam dimiserit, non est absolvendus, tametsi denuo promittat, se obtemperaturum. Si tamen ex aliis judiciis rationabiliter credi posset hìc & nunc efficax propositum concepisse, aut si juratus promittat, se quantocyus dimissurum concubinam, existimant Gobat, Viva, Stoz, Sporer, & alii non pauci, eum ista quoque vice absolvi posse, sed non iterum alia, si redierit perjurii reus.

109 Colliges quintò, neque illum audiendum, vel absolvendum fuisse, qui spoponderat quidem deinceps cameram suæ amasiæ non ampliùs ingredi, qua cum per aliquot annos jam assueverat impudicissimè conversari; noluit tamen absti-

abſtinere à nocturna viſitatione & acceſſu ad illius feneſtram (ut ajunt) Ratio eſt: quia per hujuſmodi acceſſum moraliter certo & evidenti periculo ſe exponet denuo relabendi in eaſdem ſpurcitias, & ſin minus opere, ſaltem verbis, immò & tactibus laſcivis &c. prout multiplex experientia docuit. Ob eandem graviter delinquendi rationem neque ipſi amaſiæ indulgendum eſt, ut tempore nocturno ad feneſtreolam cum tali converſetur. Si dicat, ſe abſque gravi periculo & detrimento non poſſe ſuo amaſio corporis uſum, vel ſaltem laſcivos hujuſmodi tactus denegare, repellenda eſt modeſtè, velut indiſpoſita, quippe quæ deberet quodcunque corporis & fortunæ detrimentum ſubire potiùs, quàm rurſus commercio carnali cooperando, & mortaliter delinqnendo, incurrere jacturam æternæ ſalutis. Vid. Cardenas *Diſſert. 4. num.* 147. Viva *cit. num.* 9. & 10. La Croix *l. 5. num.* 271. item *l. 6. p. 2. n.* 1831. Kreſslinger *in addit. 2. d. diſt. 8. poſſ. n.* 47.

110 Colliges ſextò, Poſſe abſolvi mulierem, habitantem in domo, in qua eſt proxima occaſio peccandi, ſi non poſſit excedere ſine jactura propriæ famæ, aut neceſſariæ ſuſtentationis, præſertim ſi ſit talis, quæ non niſi admodum ægrè ſolet confitêre, & altera pars complex indigeat neceſſaria ope cujuſdam famulæ. Idem dicendum de filio-familias, frequenter peccante cum procaci famula, quam tamen ipſe expellere nequit. Ratio eſt: quia ſecundùm dicta *num.* 103. periculum peccandi neque in ſe peccatum eſt, neque infert neceſſitatem, aut tollit libertatem, adeoque poteſt cum eo conſiſtere verus dolor de peccato (caſu quo moraliter relinqui nequit) & reſolutum propoſitum ſeſe emendandi: his autem poſitis pœnitens eſt debitè diſpoſitus: ergo poteſt, ac debet abſolvi. Idque verum eſt, & per ſe loquendo fieri debet, tametſi conſtitutus in tali occaſione, quam deſerere nequit, frequenter relabatur, eademque ſpecie peccata afferat, quoties confitetur, prout rectè docent Layman *l. 5. tr. 6. c. 4. nu.* 10. Gobat *tr. 7. num.* 521. & 522. Raſsler, Mezger & alii plures, quos ſequitur Babenſtuber *cit. d. 4. a. 1. num.* 23. Ratio eſt: quia non eſt potior ratio, cur talis ſemel potuerit abſolvi, & non ſæpiùs; quemadmodum enim prima vice confeſſus non obſtante occaſione, quam ſupponitur non potuiſſe deſerere, potuit verè dolere cum firmo propoſito ex occaſione proxima faciendi remotam, & ſeſe emendandi; ita ob eandem rationem in aliis confeſſionibus poteſt: ergo &c.

111 Dictum tamen fuit: *per ſe loquendo talis debet abſolvi &c.* ſubinde enim (& utinam non frequenter) juſtè ſuſpicari licet, talem pœnitentem hic & nunc carere ſerio dolore ac propoſito, ubi nempe poſt duas, tres, vel adhuc plures confeſſiones idem ſpecie peccatum, cum eadem præſertim perſona, numero nihil minuto, fortè etiam aucto affert: quo caſu utique tam facilè abſolvendus non eſt, ſed ſaltem ad tempus, uſque dum redierit emendatus, differenda abſolutio, niſi edat ſpecialia ſigna doloris hactenus nunquam edita, quibus præſumptionem tam validam de ſiniſtra diſpoſitione elidat. Vide *DD. cit.*

112 Colliges ſeptimò, à fortiori abſolvendum eſſe, qui ſæpiùs, immò ſemper redire conſuevit cum iiſdem peccatis venialibus; quia cùm occaſiones venialiter delinquendi ſint propè innumeræ, & frequentiſſimæ, & hoc ipſo nec poſſimus, nec teneamur ſub tanta obligatione vitare occaſiones venialiter peccandi, qua tenemur vitare occaſiones peccandi mortaliter; hinc profecto ex eo, quòd ſæpiùs & quaſi continuò pœnitens recidat in eadem, regulariter loquendo argui non debet, quòd hactenus invalidè confeſſus fuerit, nec habuerit ſerium emendandi propoſitum.

Nihilominus cogimur fateri, inter alias cauſas quòd poſt toties repetitas, & quaſi innumeras confeſſiones multi etiam Religioſi exiguum & penè nullum faciant profectum, haud poſtremam eſſe hanc, quòd dolorem & propoſita concipiant nimis generalia atque confuſa; & hoc ipſo quod generaliter duntaxat proponant om-

nia vitare (quod tamen ipſimet credunt ac prævident impoſſibile) fit, ut ejuſmodi propoſita ſint languida, torpida, & imbellia, proptereaque meritò timendum ne ſæpiſſime ob debilitatem & inefficaciam tum doloris, tum etiam propoſiti abſolutio evadat nulla, & ſacrilega.

113 Idcirco non minùs piè quàm prudenter talibus conſulit noſter P. Sporer *num.* 339. ut omiſſa anxia cura afferendi in confeſſionem omnia peccata venialia in ſpecie & numero, ea duntaxat, quæ magis gravant, quæque potiſſimùm extirpata cupiunt, cum ſerio dolore, & emendandi propoſito clavibus ſubjiciant; quin immò ex his ipſis venialibus ſeligant unum, aliquod majoris conſiderationis, in quod extirpandum præ cæteris ampliùs incumbant: ad quem finem plurimùm conducet eligere de cœlitibus, ac invocare certum Patronum; inſtituere examen particulare; ſibique ipſi pro ſingulis relapſibus aliquam pœnitentiam præſcribere.

Colliges tandem Octavò, à Summis Pontificibus meritò damnatas, proptereaque in praxi minimè tutas eſſe ſequentes propoſitiones: prima (inter damnatas ab Alexandro VII. *num.* 41.) *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò*, Regalo, *dum deficiente illa nimis ægrè vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*: ſecunda (quæ eſt *num.* 61. inter damnatas ab Innocentio. XI.) *poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quin immò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*: tertia (*num.* 62.) *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*: quarta (*num.* 63.) *licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali, vel temporali, noſtro vel proximi*. Ratio juſtæ damnationis facilè eruetur ex hactenus dictis; nulla enim cauſa, præter impotentiam phyſicam vel moralem, excuſat ab onere fugiendi occaſionem proximam: atqui omnes & ſingulæ propoſitiones mox enumeratæ admittunt aliquid ultra, prout conſideratè legenti patebit: ergo meritò velut laxæ & ſcandaloſæ fuerunt à Pontificibus reprobatæ. Videantur de his Viva *cit. ad propoſ.* 41. *n.* 11. Felix Poteſtas *tom.* 1. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 3651. Cardenas *Criſ. Diſſert.* 40. *per tot.* Sbogar *Theol. radic. tr.* 32. Item *tr.* 125. Reiffenſtuel *ubi ſupra tr.* 14. *diſſ.* 8. *à n.* 47.

CONFERENTIA
QUINTA.

De Confeſſione Sacramentali, ejuſdemque obligatione.

SUMMARIUM.

115 *Confeſſio Sacramentalis eſt accuſatio de peccatis &c. &c.*
116 *Eaque duplex, inchoata tantùm, & completa ſeu legitima;*
117 *Hæc poſterior rurſus poteſt eſſe vel formalis, vel virtualis duntaxat.*
118 *Confeſſio Sacramentalis omnium peccatorum eſt jure divino neceſſaria;*
119 *Itemque jure eccleſiaſtico.*
120 *Præceptum confeſſionis qua divinum, per ſe obligat in mortis articulo.*
121 *Qua Eccleſiaſticum verò ſingulis annis per ſe ſemel.*
122 *Per accidens autem ſæpiùs obligare poteſt.*
123 *Recenſentur conditiones ad fructuoſam confeſſionem communiter deſideratæ:*
124 *Quæ & breviter explicantur.*
125 *Reſolvitur Caſus I. de Muliere, ob verecundiam ſæpiùs (etiam in ipſo mortis articulo) ſacrilegè confeſſa.*
126 *Proptereaque non ſatisfecit præcepto confeſſionis.*
127 *Eſto non fuerit obligata confiteri quàm primùm convaluit.*
128 *Reſolvitur Caſus II. de Religioſo, qui ut Confeſſario maneret incognitus, fate-*

fatebatur quidem, se contra votum castitatis deliquisse &c. negabat tamen se esse Religiosum.

129 *An talis satisfecisset, casu quo fuisset constitutus in sacris.*

130 *Et quid, si solis cogitationibus peccasset?*

131 *Resolvitur Casus III. de quodam à nativitate surdo & muto, satis tamen astuto, propterea que ad confessionem obligato.*

132 *Præcluditur quædam instantia in contrarium.*

133 *Quænam circa talem pœnitentem Confessario sint specialiter observanda.*

134 *An mutus scribere doctus, teneatur sua peccata in cartha exhibere Confessario.*

135 *In actu confessionis universim vitanda est superfluitas verborum &c.*

136 *Cavenda etiam vel maximè impatientia & indiscretio ex parte Confessarii.*

137 *Qui circa materiam necessariam mentitur, peccat graviter &c.*

138 *Per se loquendo nullus tenetur ad confessionem publicam, seu publicè faciendam Confessario.*

139 *An per accidens subinde quis teneatur.*

140 *Confessio regulariter facienda est oretenus, seu propriis verbis.*

141 *Quo modo cum Surdastris procedendum.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus, de obligatione & necessitate Confessionis Sacramentalis?

QUæres primò, quid sit confessio Sacramentalis?

115 R. Est accusatio de propriis peccatis, facta coram sacerdote vero, aut saltem existimato ad eorum veniam impetrandam virtute clavium. Ita cum communi Henno, Reiffenstuel, Sporer. Dicitur autem accusatio; quia non merùm historicè, sed animo accusatorio debemus confiteri peccata, & quidem propria, quippe quæ sola nobis virtute clavium remitti possunt, non item aliena. Additur insuper Sacerdoti vero, vel saltem existimato; quia debet fieri in ordine ad obtinendam remissionem virtute clavium; at, nemo sanæ mentis in hunc finem confitebitur alteri, quàm sacerdoti vero, vel saltem existimato; siquidem nulli alteri competat potestas clavium: ergo.

Quæres secundò. Quotuplex sit Confessio Sacramentalis?

116 R. Confessio Sacramentali generatim sumpta duplex est, una scilicet inchoata tantùm & illegitima: altera legitima, & completa. Legitima dicitur, quando ad eam concurrunt omnia ex lege seu jure divino requisita, utpute debitus dolor, propositum efficax, integritas &c. Illegitima verò appellatur, quando aliquid ex jure sui lege divina necessarium deficit, utputa propositum efficax, vel dolor &c. Ratio autem hujus divisionis inde desumitur: quia juxta communem DD. obligatio sigilli oritur ex omni, & sola confessione Sacramentali: atqui pariter certum est, hanc obligationem oriri etiam ex confessione inchoata, modò hæc (quod bene notandum) supponatur facta in ordine ad absolutionem obtinendam, vel eo animo, ut confessus curetur aut juvetur eo modo, quo Confessarius judicaverit: ergo etiam talis confessio Sacramentalis dicenda est. Etsi talis non foret, si quis scienter confiteretur aut non Sacerdoti, vel Sacerdoti quidem, at sine intentione obtinendi absolutionem, sed præcisè vel consilii, & vel solatii causa, vel omnino fictè. Ita Sporer *num.* 340. & 341. cum Filiuc. Suarez, ConincK, & Dicastillo.

117 R. secundò. Confessio Sacramentalis legitima & completa rursus subdividitur in formalem, & virtualem. *Omnes*. Formalis habetur, dum quis omnia & singula peccata sua hìc & nunc memoriæ occurrentia velut confitenda, quoad numerum & speciem explicitè proponit vel verbis, vel signis æquivalentibus, uti sunt litteræ: & talis con-

fessio per se loquendo semper est necessaria, saltem necessitate præcepti divini, ut mox patebit. Virtualis confessio fit, quando pœnitens morbo vel alia de causa omnino impeditus à confessione formali, signo aliquo sensibili, utputa tunsione pectoris, suspiriis &c. ostendit & manifestat dolorosam simul & promptam voluntatem sua peccata explicandi, prout mox infra à *num.* 203. ampliùs patebit.

Quæres tertiò, quo jure confessio Sacramentalis sit necessaria?

118 R. 1. Confessio omnium & singulorum peccatorum mortalium post baptismum commissorum, est jure divino necessaria ad obtinendam remissionem eorundem in Sacramento pœnitentiæ. Ita fides orthodoxa contra Lutherum, Zvvinglium & alios hæreticos recentiores, quorum aliqui impudenter asseruere, confessionem primò fuisse inventam & introductam ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi; quibus propterea Concil. Trid. *sess.* 14. *de pœnit. can.* 6. 7. & 8. anathema dicit. Et meritò quidem. Hæc etenim veritas catholica, præterquam quòd ex continua traditione, & perpetuo usu ac sensu Ecclesiæ constet, ita, ut absque nota pertinacia à quopiam negari non valeat, satis patenter deducitur ex verbis Christi Joan. 20. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: quibus Apostolus, eorumque successores Sacerdotes suos Vicarios instituit velut Judices non merùm arbitrariè & pro libitu, sed necessariò adeundos; secus enim frustra & prorsus inefficaciter contulisset potestatem retinendi Sacerdotibus, si Fidelibus reliquisset liberam potestatem aperiendi eisdem peccata vel non: ergo ex jure divino tenentur se subjicere Judicibus spiritualibus: arqui Sacerdotes hoc judicium congruè exercere non possunt, nisi cognita causa, nec causam cognoscere, aut congruam pro delictis pœnam, vel etiam vulneribus animæ medicinam præscribere, nisi peccata ceu animæ vulnera vi confessionis numericè & specificè detegantur: ergo ad hoc tenentur ex jure divino. Profectò nec ullo modo est credibile (ut sapienter notat Herincx noster hìc *disp.* 3. *num.* 3.) quòd unquam homines, præsertim Reges ac Principes tam sæculares, quàm ecclesiastici adeò unanimiter permisissent sibi eam legem imponi, quàm sæpe apprehenderunt ut sibi difficilem, nisi supposuissent à Deo constitutam. Videatur Clericatus *de pœnitent. decis.* 17. ubi usum confessionis Sacramentalis & auricularis jam inde ab exordio nascentis Ecclesiæ per omnia subsequentia sexdecim sæcula receptum testimoniis tum S. Scripturæ, tum etiam SS. Patrum & Conciliorum, variisque exemplis ac historicis peregregiè & fundatè ostendit.

119 R. Jam secundò. Datur insuper præceptum ecclesiasticum de facienda confessione Sacramentali & auriculari, prout expressum legitur in Concilio Lateran. relato *cap. omnis utriusque sexus. De pœnitent. & remiss.* Sequentibus omnino verbis: *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit; omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam studeat propriis viribus adimplere.* Quibus è verbis patet, hoc præcepto non obligari infideles (de quibus ceu de foris seu extra constitutis, Ecclesia non judicat 1. *Cor.* 5.) sed fideles duntaxat, & quidem omnes, etiam pueros ac puellas, quàm primùm ad usum rationis pervenerint, & mortaliter se deliquisse meminerint: tenentur, inquam, ad deponendam singulis annis confessionem, & quidem Sacerdoti proprio, qualis censetur tum Parochus, tum etiam Episcopus, vel alii Sacerdotes ab Episcopo pro talibus approbati. Vide

Quæres quartò, quo tempore, vel quoties præceptum confessionis obliget fideles?

120 R. primò. Certum videtur & indubitatum, quòd præceptum divinum per se obliget in articulo mortis; tum quia in eo vel maximè articulo quærere oportet reconciliationem cum Deo; tum etiam quia si in tali articulo non obli-

obligaret nec impleretur, nunquam ampliùs obligaret, aut impleri posset: quod certè absurdum est: ergo in mortis periculo per se obligat. Quin etiam extra mortis articulum per se aliquoties saltem obligare (contra non paucos probabilissimè tenet Reiffenstuel *tr. 10. dist. 3. num. 11.* Henno *de pœnit. Disp. 5. q. 2. conclus. 2.* aliique satis communiter. Ratio hujus opinionis inde desumitur: quia ut constat ex Trid. Ecclesia non instituit confessionem; immò verò, ut ait Doctor subtilis, nunquam attentasset fidelibus tam arduum præceptum imponere, nisi intellexisset à Christo impositum; propterea que solùm determinavit tempus certum, ut scilicet singulis annis saltem semel fieret: ergo verosimillimum est, quòd nec determinasset confessionem singulis annis faciendam, nisi intellexisset hoc præceptum ex mente Christi sæpiùs adimplendum.

Illud autem indubitatum videtur, illos, qui singulis annis semel confitendo adimplent præceptum Ecclesiæ, hoc ipso pariter satisfaciant huic præcepto Divino, prout omnes fatentur.

121 R. Jam secundò. Præceptum confessionis quatenus ecclesiasticum per se loquendo obligat singulis annis semel duntaxat, prout patet ex clarissimis verbis Concilii Lateran. mox *num. 119.* relatis. Cæterùm, à quo tempore annus sit computandus, non ita conveniunt DD. aliqui enim volunt, esse computandum ab ultima confessione; alii à tempore paschali; eò quòd Ecclesiæ praxis videatur hoc ferre. Alii denique existimant, annum hunc esse computandum à prima Januarii usque ad ultimam Decembris: quia verba legis debent intelligi in sensu proprio, ubi inde nihil aliud absurdum sequitur, prout fit in nostro proposito. Quare juxta hanc opinionem verè probabilem satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui v. g. prima Januarii anni 1728. proximè præteriti confessus est, esto non ampliùs confiteatur usque ad ultimam Decembris hujus anni currentis 1729. quia de tali verificatur, quòd singulis duobus annis semel fuerit confessus. Lugo, Diana Clericat, Bosco *p. 3. d. 7. Sect. 6. n. 132.*

122 Dictum tamen fuit: *per se loquendo semel duntaxat in anno obligare hoc præceptum*; per accidens enim obligari quis potest sæpius; idque toties, quoties tenetur sumere Eucharistiam, & habet copiam Confessarii; item quoties judicat se non posse tentationibus resistere, nisi confiteatur: quod tamen rarissimè continget. Ita Henno *l. cit. in fin.* Mastr. Reiffenstuel *n. 16.* Sporer *num. 521.* Layman *l. 5. tr. 6. c. 5. num. 6.*

Quæres quintò, quænam conditiones requirantur ad salutarem peccatorum confessionem?

123 R. S. Thomas *q. 9. Supplem. art. 4.* & post eum Theologi communiter, sexdecim requirunt conditiones, sequentibus versiculis comprehensas:

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda;
Integra, Secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Esto autem non omnes mox enumeratæ conditiones sint simpliciter necessariæ ad confessionem legitimam, prout satis liquet de illis præsertim duabus, ut sit *frequens*, & *accelerata*: quia, ut alibi docetur, non tenetur Peccator post perpetratum peccatum grave mox recurrere ad hoc Sacramentum, licèt recurrendo optimè faciat: certum tamen esse debet, quòd omnes ac singulæ conditiones ad fructuosam hujus Sacramenti participationem apprimè conducant, prout facilè quisque colliget ex mox dicendis. Hinc

Quæres sextò, quo sensu intelligendæ sint mox recensitæ conditiones?

124 R. In sequenti. 1. *Simplex* debet esse confessio, id est, non intermixta discursibus, aut sermonibus impertinentibus. 2. *Humilis*, ita, ut pœnitens cum humilitate cordis & corporis, genibus scilicet flexis (nisi excuset infirmitas) & nudato capite (dum Mas confitetur) sua delicta deponat. 3. *Pura* sit oportet, id est, ob finem honestum facta, utputa ad recuperandam cum Deo amicitiam, vel gratiæ augmentum. 4. *Fidelis*, id est, sine mendacio, præ-

sertim in materia gravi & necessaria ad judicium Sacramentale, quippe quod obstaret valori hujus Sacramenti. 5. *Nuda* debet esse, id est, non fucata certis verborum ambagibus, quibus peccatorum gravitas aut species pallientur, vel omnino excusentur. Ulteriùs 6. *Discreta* sit, oportet, tum quia pœnitens debet uti honestis ac discretis verbis, maximè in explicandis peccatis carnalibus; tum etiam quia debet eligere Confessarium prudentem & eruditum, qui sciat, aut certè creditur scire inter lepram & lepram discernere. 7. Insuper debet esse *libens*, id est, voluntariè, & animo recipiendi Sacramentum facta. Item 8. *Verecunda*, ita, ut pœnitens corde & ore proferat verecundiam, non autem per modum fabulæ vel nudæ historiæ sua imprudenter enarret peccata, prout nonnulli assuevere, de quorum dispositione meritò dubitare licet, proindeque seriò admonendi sunt. Additur 9. *Secreta*; ne enim redderetur nimium difficilis, Christus sapientissimè instituit, ut confessio fieret secretò, ad aures scilicet (unde & auricularis appellatur) solius Sacerdotis; Cui etiam imposuit strictissimam obligationem sigilli, ut inferiùs videbimus. 10. *Lachrymabilis* debet esse, non quidem lachrymis corporis (quippe quæ non semper sunt in nostra potestate) sed mentis & cordis, id est, cum vera displicentia & dolore de peccatis, firmoque emendandi proposito, prout jam declaratum fuit in superiori Conferentia. 11. *Fortis* insuper sit, necessum est, ne videlicet ob naturalem verecundiam aliquid ex necessariis reticeatur. 12. Item *accusans*; quia debet ita esse constituta, ut pœnitens per eam sese reum fateatur & accuset, non verò culpam in alios, utputa malos socios, Maritum aut proles, vel in diabolum inaniter refundat; cùm isti omnes voluntatem liberam ad peccandum cogere non potuerint. Additur tandem 13. *Et sit parere parata*; intellige, in illis, in quibus velut necessariis ad legitimam & fructuosam hujus Sacramenti administrationem, pœnitens tenetur obedire Confessario utputa in acceptanda pœnitentia) de qua infra à *nu.* 227.) in vitandis occasionibus proximis in restitutione malè ablatorum, quantùm fieri potest; secus enim pœnitens non haberet propositum efficax, nec esset absolutione dignus. Hæc breviter insinuasse sufficiat. Qui fusiorem explicationem nosse cupit, adeat P. Stoz *l. 1. p. 3. à nu.* 28. vel nostrum P. Henno *de pœnit. Disp.* 5. *q.* 4. Qualiter autem confessio debeat esse *integra* ex professo dicemus Conferentia proximè sequenti; cùm hæc sit conditio majoris momenti, & indagine digna. Jam sit

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione & necessitate Confessionis Sacramentalis.

CASUS PRIMUS.

Titia quoddam peccatum carnale admissum, ex verecundia damnabili multo tempore reticuerat, etiam tunc; quando in partu extremè periclitata, consueta moribundis Sacramenta & postulavit, & actu suscepit. Tandem post aliquot menses periculo jam pridem erepta, partim internis inspirationibus, partim etiam externa Concionatoris cujusdam, in Sacrilegos silentiarios detonantis, voce excitata, cum multis lachrymis integerrimè confessa fuit. Jam verò dubitatur 1. *An Titia vi præcepti Divini fuerit obligata ad confessionem, dum advertit se appropinquare partui?* 2. *Utrùm huic præcepto satisfecerit per confessionem sacrilegam?* 3. *An non commiserit novum peccatum ex eo, quòd periculo erepta confessionem distulerit ad aliquot menses?*

125 R. Ad primum cum distinctione. Vel enim Titia prævidit ex instante partu sibi imminere periculum vitæ, vel non? si non prævidit, eò quòd v. gr. in prioribus partibus semper felix evaserit, dicendum, quod non fuerit obligata præcepto Divino, quippe quod per se loquendo obligat solùm in periculo vitæ, vel ad summum aliquoties per vitam

vitam tempore indeterminato. Contra verò, si supponatur rationabiliter timuisse aut prævidisse imminere sibi ex partu periculum vitæ, vel quia aliis temporibus semper fuit exposita periculo, vel quia ex certis circumstantiis Medici judicarunt non parituram absque discriminæ vitæ, vel etiam quia prima vice gestabat uterum, dicendum foret, eam peccasse mortaliter negligendo confessionem: quia hoc præceptum divinum urget in articulo vel etiam probabili periculo vitæ: atqui Mulieres prima vice parturientes, item quæ nunquam sine periculo vitæ parere consueverunt, æquiparantur constitutis in articulo mortis: ergo tenebatur &c. Nec licitè distulisset suam confessionem usque ad fatalem luctam cum partu, quia in tantis angustiis & pressuris corporis plerùmque non sunt sibi satis præsentes, aut certè non satis dispositæ ad verum dolorem de peccatis.

126 R. Ad secundum. Si Titia mala fide peccatum reticuit, ita, ut agnoverit se mortaliter peccare omittendo, prout casus supponit, dicendum, quòd neque præcepto ecclesiastico, neque præcepto Divino satisfecerit, prout satis liquet ex declaratione Alexandri VII. damnantis sequentem propositionem *numer.* 14. *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Secus dicendum foret, casu quo ex errore invincibili existimasset, se reticendo peccatum mortale non peccare, nisi venialiter; quia peccatum veniale non obstat valori hujus Sacramenti, sicut nec obstat reconciliationi cum Deo.

127 R. Jam ad tertium. Titia differendo confessionem ad aliquot menses posteaquam convaluit, non commisit novum peccatum. Ita præter alios Stoz *l.* 1. *pag.* 3. *num.* 12. Ratio est: quia obligatio confitendi est alligata, tempori periculoso, quo elapso exspirat, instar aliarum obligationum certo tempori affixarum: ergo non peccavit differendo confessionem, nisi interea novum incidisset periculum mortis; quia tunc de novo cœpisset obligare præceptum confessionis; aut nisi interim incidisset tempus paschale, quo debuisset sumere sacram communionem, ideoque præmittere confessionem. Vide Gobat *Theol. experim. tract. 6. num.* 247. & *seqq.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religiosus Sacris ordinibus nondum initiatus apud Confessarium ignotum sese humiliter accusavit de quibusdam cogitationibus impuris, immò & lascivis tactibus proprii corporis. Ne verò Religionem suam quoquo demum modo prostitueret aut se manifestaret, Confessario interroganti, an esset Religiosus? Respondit: Religiosus non sum, bene verò voto castitatis jam pridem emisso obstrictus, sicque absolutus abiit. Jam verò dubitat, quid de valore hujus Confessionis sibi tenendum?

128 R. Confessio fuit valida: licèt enim videatur mentitus, dicendo se non esse Religiosum, qualis revera fuit, ideoque pariter negaverit se voto solemni castitatis obstrictum; quia tamen fassus est se, contra votum castitatis deliquisse, satis expressit circumstantiam Sacrilegii: neque enim votum solemne substantialiter differt à voto simplici, prout rectè docet Sanchez *de Matr. l.* 7. *dist.* 27. *num.* 40. Palao, la Croix, & alii satis communiter: ergo parùm refert, sitnè sacrilegium illud admissum contra votum solemne, aut contra votum simplex. Quin immò fieri potuit, ut Sempronius negando se esse Religiosum, ne venialiter quidem deliquerit, si cum restrictione mentali loquendo subintellexit, se non esse Religiosum, in quantum scilicet vitio carnis deditus erat & obstrictus: qua restrictione licitè uti potuit, utpote rationabili motivo suam Religionem non prostituendi, inductus.

Dices. At quid, si Sempronius fuisset etiam Sacris Ordinibus insignitus, peccassetnè dicendo præcisè, se contra votum castitatis deliquisse, non expressa circumstantia Sacrorum Ordinum?

129 R. Multi DD. nominatim Henriquez, Sanchez, Diana *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 3. & 4. aliique probabile putant, etiam talem satisfacturum, præcepto Confessionis.

At

At verò si Sempronius noster opere externo deliquit, procurando pollutionem &c. mihi longè probabilius videtur, non satisfecisse præcepto Confessionis; quia non expressit circumstantiam necessariò exprimendam, hanc scilicet, quòd corpus suum ceu rem sacram, vi Sacri Ordinis ad altaris ministerium specialiter consecratam, polluendo profanaverit, non sine speciali Sacrilegio; quale non commisisset, dato, quòd voto duntaxat simplici fuisset obstrictus; siquidem vi hujus corpus non reddatur singulariter Sacrum, seu ad cultum divinum deputatum, prout bene advertunt Medina *in summ. l. 1. cap. 14. §. 18.* Arriaga, & Rodriquez, quas citans sequitur Layman *l. 4. tr. 10. c. 7. num. 4.*

130 Dixi: *Si opere externo deliquit, polluendo corpus* &c. Etenim si supponeretur solis cogitationibus lascivis, absque intentione aliquid opere externo, quo corpus suum pollueret attentandi &c. probabilissimè adhuc satisfecisset præcepto confessionis: quia per meras cogitationes internas non polluitur corpus, sed potiùs animus, esto contra votum; quòd, cùm penitens noster expresserit, satis explicuit hanc circumstantiam sacrilegii. Vid. Sanchez *l. 5. mor. cap. 1. num. 6.* Filliuc. *tract. 10. num. 116.* Stoz *l. 1. p. 1. num. 50.*

CASUS TERTIUS.

Caja Filium suum à nativitate mutum simul & surdum, satis tamen astutum, à vitiis, quibus assueverat, tum verbis, tum etiam verberibus retrahere sæpiùs conabatur, tandemque secum ad Confessarium adducens, demissè cœpit rogare, quatenus is velit filii sui confessionem excipere. Dubitatur jam 1. an memoratus puer surdus simul & mutus fuerit obligatus ad confessionem? 2. Quidnam circa talem pœnitentem in his circumstantiis singulariter fuerit observandum Confessario?

131 R. Ad primum cum Scot. 4. *d. 17. q. un.* Mastr. 4. *d. 5. nu. 447.* Henno & aliis affirmativè. Ratio est: quia Christus præcipiendo confessionem, non tam verba, quàm manifestationem dolorosam peccatorum intendit; cùm nihil aliud videatur necessarium ad hoc, ut Confessarius ceu Judex spiritualis debitam ferat sententiam absolutionis, prout constat ex recepta praxi Ecclesiæ circa Moribundos; de qua infrà mox pluribus dicemus: atqui mutus simul & surdus potest suo modo signis aut nutibus manifestare sua peccata, vel saltem hoc, quòd sit peccatis obnoxius: ergo si supponatur esse doli capax, tenetur quantùm humanitus potest, ad dolorosam peccatorum suorum manifestationem.

132 Nec refert, quòd Concilium Florentinum doceat, partem materialem hujus Sacramenti esse confessionem *oris*; per hanc enim particulam solùm intendit docere, peccata esse sensibiliter & intelligibiliter, quantùm fieri potest, manifestanda, quod regulariter fieri assolet voce: minimè verò per hoc intendit excludere confessionem aliis signis faciendam, ubi non potest fieri oretenus seu vocibus. Hac forsitan de causa Concilium Trid. *sess. 14. de pœnit. c. 3.* omissa particula *oris*, docet duntaxat, partem hujus Sacramenti penitentiæ esse *Confessionem*.

133 Ad secundum R. In his circumstantiis à Matre præ primis fuisse indagandum, an memoratus puer hactenus nunquam sit confessus alteri, qui ipsius vitam, mores, gestus ac nutus meliùs haberet sibi perspectos; si enim talem sciret, ad eundem potiùs relegandus, foret & mittendus. At verò si nullum sciat, tunc ab ipsa muliere Confessarius debuit priùs explorare mores, nutus, ac gestus, quidnam scilicet per hos vel illos velit significare, quatenus ex illis faciliùs posset colligere species peccatorum. Solent autem plerique muti sese accusare de iracundia, manum in modum pugni contrahendo, vultuque minaci concutiendo &c. De gula se accusant, ad os digitos projiciendo; de ebrietate, manu ac pollice elevato quasi ciathum in idem os infundendo; de acedia, super vola manus caput reclinando &c. & sic de aliis. Explorato igitur muto in hunc modum, peccatisque quoad spe-

speciem & numerum, quoad fieri licuit, cognitis, inducendus erit ad verum & supernaturalem dolorem, ostendendo eidem Crucifixum, ac vulnera Christi, velut quasdam peccatorum nostrorum reliquias &c. pectusque tundendo cum pia oculorum in cęlum elevatione &c. Tandemque imposita salutari pęnitentia (quæ respectu talis à nativitate muti & surdi, vix poterit esse alia, quàm devota pectoris tunsio, vulnerum Christi è cruce pendentis exosculatio &c.) eundem absolvat, vel absolutè, vel si de vero supernaturali dolore, aut sufficienti ejusdem dispositione etiamnum existimet dubitandum, absolvat eum sub conditione. Vide Gobat *tr.* 7. *n.* 477. vel Clericatum *de pœnit. decis.* 22. *n.* 14.

Dices. Quidsi autem mutus sciat scribere, tenebiturnè sua peccata in cartham redacta scriptis exhibere?

134 R. Negant hoc Scotus, Sporer, Filliuc. Diana, aliique multi insignes DD. eò quòd Scriptura de se sit aliquid publicum, ideoque scribendo peccata pœnitens sese exponeret periculo publicæ diffamationis, ad quam se non extendit præceptum confessionis: ob hanc enim rationem DD. communiter tenent, neminem obligari ad confessionem faciendam per interpretem.

Econtra Clericat. *cit. n.* 13. Reinffestuel, Henno, la Croix *nu.* 1194. Babenstuber *dist.* 5. *art.* 1. *num.* 23. aliique probabiliùs censent, mutum in eo casu teneri ad scribendum; tum quia facilè scribere potest, uti supponitur; tum etiam quia non minùs faciliter cavere poterit, ne cartha continens peccata, veniat ad manus alienas, eandem mox post peractam confessionem in minutissimas particulas dilacerando, vel etiam comburendo &c. prout multorum praxis fert: ergo non videtur subesse ratio sufficiens, quæ talem mutum ab onere scribendi excuset. Et hanc opinionem omnino veram, atque in praxi urgendam censeo, casu quo pœnitens mutus aliter sua peccata nequit competenter manifestare, nec aliunde eliciendæ contritioni perfectæ assuevit.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

135 Colliges primò, in actu confessionis narrationes superfluas & inutiles omnimodis esse vitandas, & quantùm rationabiliter fieri fas est, à Confessario resecandas; tum quia secundùm dicta confessio debet esse simplex; tum præsertim, quia sæpe non fiunt absque injusta diffamatione proximi &c. & aliorum adstantium tædio. Peccant igitur (ait rectè Henno *cit. q.* 4.) qui ubi audiverunt novum pęnitentem, inquirunt de ejus nomine, domo, familia, vel hujus gubernatione &c. corporis sanitate, negotiorum successu &c. quia hæc & similia interrogando (ubi ad integritatem confessionis, vel ad salutem pœnitentis non sunt necessaria) irrogant Sacramento injuriam.

136 Colliges secundò, contra virtutem discretionis (qua in administratione hujus Sacramenti singulariter opus est) non parùm delinquere illos Confessarios, qui examinando pœnitentes, præsertim circa materiam lubricam, minùs cautè, aut minùs circumspectè procedunt (de quo infrà *à n.* . . . . .) Item qui in correctionibus severitatem non temperant lenitate, ita, ut vulneribus sauciati non infundant vinum discretionis, simulque oleum misericordiæ. Quo circa enormiter errant illi Confessarii, qui intellecto uno, alterovè peccato graviori, mox severiori increpatione & durioribus verbis invehuntur in pęnitentes, quo fit, ut non rarò miselli pęnitentes tanta indiscretione, aut potiùs asperitate perterriti reddantur nimiùm confusi ac pusillanimes, vel etiam reliqua peccata graviora mala fide reticeant, & loco gratiæ Sacramentalis remorsum conscientiæ de commisso sacrilegio reportent; quod, utinam non nimis frequenter contingeret! An bene? Judicent ipsimet: simulque perpendant hujus Sacramenti finem, qui est, *lucrari*, non *perdere* animas: meminerint etiam, qua mansuetudine & discretione Christus fuerit usus erga pęnitentes verè contritos.

137 Col-

137 Colliges tertiò, Pœnitentem peccare mortaliter, si mentiatur circa rem seu materiam spectantem ad substantiam hujus Sacramenti, vel si graviter decipiat Confessarium, utputa negando aliquod peccatum mortale, vel circumstantiam speciem mutantem hìc & nunc necessariò exprimendam. Item fatendo aliquod peccatum mortale, quod re ipsa non commisit: Idem dicendum foret, si unum duntaxat veniale peccatum, sed reipsa nunquam commissum adferat: quia in his casibus Sacramentum frustratur non sine gravi sacrilegio.

138 Contra tamen venialiter solùm peccat, qui mentitur in materia solùm levi, id est, non necessariò pertinente ad judicium sacramentale, utputa circa peccata venialia tantùm, vel circa mortale quidem, sed jam semel legitimè dimissum: quia cùm hæc non ampliùs sint materia necessaria absolutionis, idcirco non irritatur Sacramentum, nec ponitur obex gratiæ, esto per hujusmodi mendacium levis saltem injuria irrogetur Sacramento. Sporer, Laym. Lugo *disp.* 14. *Sect.* 8. *num.* 125. Gobat *tr.* 6. *num.* 538. *& seqq.* la Croix *à nu.* 1175. Colliges quartò, neminem teneri (per se loquendo) ad faciendam confessionem publicam; quia ut ex dictis constat, Christus Dominus instituit confessionem *secretò apud solum Sacerdotem faciendam*, ut loquitur Concilium Trident. *sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 6. ne scilicet confessio redderetur nimis odiosa; esto nunquam prohibuerit, multò minùs invaliditarit confessionem publicam, prout constat ex praxi Ecclesiæ, & communi DD. consensu, unanimiter asserentium, confessionem factam mediante interprete, esse validam, etsi ob rationem mox datam nullus per se loquendo teneatur confiteri per Interpretem. Scot. Bosco *cit. dist.* 7. *sect.* 7. *n.* 22. *&* 35. Stoz *l.* 1. *p.* 3. *n.* 77.

139 Dixi rursus: *per se loquendo nemo tenetur* &c. Enim verò in casu extremæ necessitatis v. g. naufragii vel tempore pestis &c. Peccator in articulo mortis constitutus, simulque dubius, vel non satis securus de contritione perfecta, secundùm tutiorem sententiam tenetur aliquod saltem leve, & minùs diffamatorium peccatum publicè, vel etiam per interpretem confiteri, quatenus mediante attritione & Sacramento pœnitentiæ gratiam sanctificantem & æternam salutem consequatur; at, hoc solùm ex charitate erga seipsum & propriam salutem, ideoque ex præcepto confessionis non per se, sed per accidens. Vasq. Aversa, Amicus, Mastrius *cit. n.* 452. Reinffestuel *ubi suprà n.* 23.

140 Colliges quintò, Confessionem regulariter loquendo oretenus, ac propriis verbis pœnitentis esse faciendam; id enim à Christo fuisse præceptum & institutum, Ecclesia nunquam non tenuit, prout partim ex Conciliis, partim etiam ex consensu DD. & praxi Ecclesiæ constat. Nihilominus in casu impotentiæ physicæ, vel etiam moralis, excusatur pœnitens à confessione oretenus facienda, prout rursus constat ex praxi; hanc enim ob causam muti peccata sua vel scriptis, vel nutibus aut aliis signis exprimentes sacramentaliter solent, immò debent absolvi. Idem fieri amat in casu, ubi pœnitens ægrotans vel omnino non, vel certè non sine permagna difficultate valet loqui; aut ubi Surdaster nimis altè clamando peccata sua deponeret, ita, ut ab aliis fortè adstantibus intelligeretur: in his enim & similibus casibus satisfaceret, vel signis ac nutibus manifestando, vel etiam scriptotenus exhibendo sua delicta Confessario, moxque voce sensibili subjungendo: *de his peccatis commissis memet accuso, doleo, & propono &c. &c.* Idipsum Lugo, Layman, Bosco & alii plures admittunt, casu quo aliqua Puella ob nimiam verecundiam non auderet oretenus sua peccata exprimere; quod tamen raro, vel nunquam omnino permittendum esse rectiùs sentiunt Mastr. *cit. disp.* 5. *num.* 475. Reinffestuel *n.* 27. Clericat. *decis.* 21. *n.* 21.

141 Colliges tandem sextò, cum Surdastris eo ferè modo in praxi esse procedendum, quo modo mox suprà *n.* 131. *& seq.* diximus cum mutis procedendum, ita scilicet, ut si absque periculo diffamationis apud alios incurrendæ sua peccata

cata verbis exprimere non possint, illud meliori quo possunt modo faciant per nutus vel alia signa. Sapienter tamen monet Lessius *in Consil. Verb. Confessarius. cap.* 11. hujusmodi surdastros imperfectè solùm confitentes, in magnis populorum concursibus non esse audiendos (nisi fortè in aliquo loco privato ab aliis sequestrato) nec absolvendos, sed potiùs in aliud tempus relegandos. Nihilominus si Confessarius aliunde novit, pœnitentem esse integerrimè, nec assuetum, nisi meris venialibus, posset in magna festivitate ob majorem fructum spiritualem ex participatione Sacramentorum percipiendum admitti, eidemque aliqua pœnitentia digitis, vel rosario, vel etiam globulorum precariorum ostensione imponi, tametsi ab aliis fortè apprenenderetur; in hoc enim censentur saltem tacitè consentire, eo ipso, quòd cum aliis commune confessionale accedant. Minimè verò approbandum, quin potiùs velut reverentiæ Sacramenti contrarium mihi semper videbatur si Confessarius in tali loco publico cum hujuscemodi surdastris multùm & altè clament interrogando, & examinando species peccatorum, præsertim graviorum: relegandi enim sunt in alium locum privatum, aut certè, ubi hoc fieri, nequit, præstat eos imperfectè confessos & contritos, absolvere ac dimittere, quàm cum periculo diffamationis, non sine læsione sigilli severiùs examinare; quandoquidem in hac suppositione interveniat vera impotentia moralis, quæ secundùm omnes excusat ab integritate materiali confessionis, prout ampliùs constabit, ex proximè dicendis. Vide Gobat *cit. tract.* 7. *à num.* 471. Sporer *num.* 488. *& seqq.*

CONFERENTIA
SEXTA.

De Integritate Confessionis, & examine conscientiæ confessioni præmittendo.

SUMMARIUM.

142 *Confessioni regulariter loquendo præmittendum est examen conscientiæ.*

143 *Quanta in eo diligentia sit adhibenda?*

144 *Et unde colligendum, an diligentia fuerit sufficiens?*

145 *Confessionis integritas duplex est, alia materialis, alia formalis.*

146 *Regulariter loquendo necessaria est integritas materialis.*

147 *Ad valorem tamen Sacramenti sufficit etiam formalis.*

148 *Tres dantur causæ excusantes ab integritate materiali, 1. Oblivio inculpata, 2. Impotentia physica, & 3. Impotentia moralis.*

149 *Quandonam censeatur intervenire impotentia physica;*

150 *Et quando impotentia moralis.*

151 *Resolvitur Casus I. de quodam Rustico, qui à primo ingressu ad Ecclesiam, mox properavit ad sacrum tribunal, de suis autem delictis nihil edicere potuit.*

152 *Confessarius eundem mox cum indignatione repellendo, non bene fecit.*

153 *Quid circa infirmos nolentes confiteri sub prætextu, quòd nondum sese examinarint, sit specialiter observandum.*

154 *Resolvitur Casus II. de muliere assueta proprio suo Pastori, leviora delicta confiteri, gravioribus reticitis.*

155 *Non est de facili credendum, quòd rationabiliter timuerit infamiam ex confessione: sed neque coram simplicioribus de peccatis confessis quidquam est narrandum.*

156 *Resolvitur Casus III. de Milite, dubitante an sit validè nuper confessus, eò quòd plurium peccatorum fuerit oblitus.*

157 Quo

157 *Quo modo huic dubio occurrendum, & unde concipienda resolutio ejusdem.*

158 *Talis pœnitens non est obligandus ad anticipandam confessionem, nec ad scribenda peccata sua, tametsi prævideat, fore, ut aliquorum peccatorum obliviscatur.*

159 *In confessione non licet plus reticere, quàm necessitas postulet.*

160 *Nec quæcunque suspicio vel inanis timor alicujus diffamationis excusat ab integritate, sed debet esse rationabilis & fundatus.*

161 *Diffamatio complicis apud Confessarium præcisè incurrenda, probabiliùs non excusat ab integritate materiali.*

162 *Neque magnus pœnitentium concursus præbet justam causam dimidiandi confessionem.*

163 *Peccata priùs omissa cessante impossibilitate, in Confessione proxima necessariò debent subjici clavibus.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de examine Conscientiæ, & integritate Confessionis.

QUæres primò, Sitnè Confessioni præmittendum examen conscientiæ?

142 R. Affirmativè cum *Communi* DD. Ratio est: quia obligatus ad aliquem finem, pariter censetur obligatus ad media in hunc finem necessaria: at, quilibet fidelis tenetur ad confessionem integram suorum peccatorum; in hunc autem finem necessarium est examen conscientiæ, id est, diligens inquisitio in delicta, qua sine (saltem regulariter loquendo) nemo satis agnoscet sua delicta: ergo etiam quivis meritò censetur obligatus ad præmittendum examen conscientiæ, & *diligentem sui discussionem*, ut loquitur Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5.

Quæres secundò, quanta diligentia sit adhibenda in examine conscientiæ?

143 R. Tanta est adhibenda ab unoquoque, quantam quivis prudens in aliis negotiis magni momenti adhiberet, seu (ut loquitur Scotus 4. *dist.* 17. *q. un. a.* 2.) quam faceret circa negotium arduum, quod ipsi multùm cordi esset. Ratio est; quia confessio Sacramentalis, utpote ex qua salus animæ dependet, meritò connumeratur inter negotia majoris momenti: ergo si in aliis hujuscemodi negotiis gravioribus quisque prudentum existimat, sibi adhibendam esse diligentiam, gravitati causæ commensuratam, quidni etiam in hoc animæ negotio requiratur diligentiam, gravitati hujus negotii animæ commensurata?

144 Cæterùm, ad dignoscendum, an quis sufficientem adhibuerit diligentiam, nec ne? universalis regula tradi non potest, prout bene advertunt Gobat, Mastrius, Sporer, Clericatus, & alii: sed ea vel maximè desumenda est, & commensuranda ex qualitate Personæ, negotiorum, occasionum, item à diuturnitate temporis ab ultima confessione præterlapsi: suadet quippe prudentia & recta ratio, majori diligentia latebras conscientiæ esse discutiendas ab eo, qui à longo tempore vel omnino nunquam, aut certè non, nisi invalidè confessus fuit, quàm ab alio, qui non adeò pridem sarcinam deposuit. Majorem item diligentiam insumere debent illi, qui vel pluribus occasionibus & periculis peccandi expositi, vel etiam licentiosiori vitæ assueti, in quælibet vitia prolabi assueverunt, quàm alii regulariter vitam morigeram, & Christiano homine dignam ducentes, vel etiam pluries intra annum confitentes &c. videatur Clericatus *decis.* 21. *à num.* 7. Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *c.* 8. Sporer *à num.* 363. Stoz *lib.* 1. *par.* 1. *num.* 6.

Quæres tertiò quotuplex sit integritas Confessionis?

145 R. Est duplex, materialis scilicet, & formalis. Materialis est, vi cujus omnia & singula peccata quoad numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantes exponuntur; peccata enim secundùm superiùs *n.* 8. dicta, sunt ma-

materia confessionis, quare ubi hæc exponuntur omnia, nullo prorsus prætermisso, rectè appellatur confessio materialiter integra, id est totalitatem seu integritatem totius materiæ complectens. Formalis integritas est, vi cujus exprimuntur omnia illa peccata, quoad numerum, speciem, & circumstantias &c. quæ hic & nunc conscientia practicè dictat, esse confitenda, etsi fortè vel ex oblivione inculpabili, vel scienter quidem, sed ob aliam justam, aut certè existimatam rationabilem causam (quas proximè dabimus) unum aut alterum reticeatur. *Communis* DD.

Quæres quartò, qualis integritas sit necessaria ad valorem hujus Sacramenti?

146 R. Regulariter loquendo, saltem ex præcepto divino, necessaria est integritas materialis. Ita Catholici *omnes*. Et habetur expressè dicisum in Concilio Tridentino relato *sess.* 14. *c.* 5. his omnino formalibus: *universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino* integram *peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis* jure *divino necessariam: quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Judices, ad quos* omnia mortalia crimina *deferantur &c.* Rationem ab eadem Sacra Synodo mox subjunctam *l. c.* jam superiùs *n.* 118. insinuavimus. Vide etiam Clericatum *decis.* 23 *n.* 4. *& seqq.*

147 Dixi, regulariter loquendo necessariam esse integritatem materialem *saltem ex præcepto divino;* Nam ad essentiam & valorem hujus Sacramenti sufficit etiam integritas formalis. Ratio est: quia infinitæ bonitati & sapientiæ Dei repugnare videtur, ad essentiam hujus tam necessarii Sacramenti requirere aliquid, quod sæpissime moraliter, & sæpe etiam physicè est impossibile, uti est integritas materialis: ergo ad hoc Sacramentum tam validè, quàm fructuosè etiam suscipiendum sufficere debet etiam formalis integritas. Et ita semper tenuit, ac etiamnum tenet Ecclesia universalis.

Quæres quintò, quænam causæ excusent ab integritate materiali confessionis?

148 R. Generatim loquendo tres reperiuntur, & à DD. communiter recensentur causæ excusantes ab integritate materiali, prima est inculpata oblivio, secunda impotentia physica, & tertia impotentia moralis. Ita *cum communi* Mastrius, Bosco *p.* 3. *disp.* 7. *sect.* 9. *n.* 2. Herincx *disp.* 3. *num.* 13. Ratio jam fuit insinuata: quia scilicet Christus Dominus voluit jugum suum esse suave, nec pœnitentes obligare ad aliquid impossibile, prout tum ex sensu & usu receptissimo Ecclesiæ, tum etiam ex communi DD. calculo constat: at, ubi intervenit inculpata oblivio, vel impotentia physica, aut moralis, impossibilis est integritas materialis: ergo in his casibus sufficit integritas formalis.

Dices: Quandonam igitur censetur adesse impotentia physica, vel etiam impotentia moralis?

149 R. 1. Impotentia physica censetur intervenire in sequentibus Casibus. 1. Si pœnitens est mutus, aut balbutientis linguæ, vel etiam ignoti idiomatis. 2. Si infirmus volens confiteri, priùs, quàm Confessarius advenit, vel etiam posteaquam unum aut alterum peccatum jam explicuit, subitò destituatur loquela. 3. Si angustiæ temporis, loci, vel etiam instans periculum mortis v. g. in naufragio, non permittant. 4. Si Confessarius ipsemet timeatur moriturus, priùs, quàm pœnitens confessionem materialiter integram peragat, præsertim quando simul ex parte pœnitentis concurrit animæ periculum ex negatione, vel dilatione absolutionis. Tannerus *Disp.* 6. *q.* 7. *num.* 68. Sporer *nu.* 461. Reinffestuel *tr.* 14. *dist.* 7. *num.* 38.

150 R. secundò. Moralis impotentia censetur adesse tunc, quando pœnitens nequit omnia sua peccata explicare sine verè gravi damno aut detrimento sui, vel proximi, utpute Confessarii aut alterius tertii; ut si rationabiliter timeat, se ex confessione graviter apud alios (non apud solum Confessarium) diffamatum iri. 2. Quando pœnitens propter

fra-

fragilitatem sibi notam & expertam rationabiliter timet, ne diutiùs immorando examini denuo relabatur, in iisdem sibi complacendo &c. vel ne à Confessario ad talia sollicitetur, aut ne eidem præbeat scandalum & occasionem ruinæ spiritualis; quod tamen, nisi aliunde constet, de facili præsumendum non est. 3. Quando pœnitens est nimiùm obnoxius scrupulis, ita, ut nunquam videatur sibi satis enarrasse sua delicta. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 8. Illsung. *tract.* 6. *Disp.* 6. *num.* 130. Stoz. *l.* 1. *pag.* 3. *a. numer.* 61. la Croix *l.* 6. *pag.* 2. *num.* 1 40.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de integritate Confessionis, & examine Conscientiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius Confessarius nuper adverterat quendam plebeum hominem à primo Ecclesiæ ingressu rectà ad S. suum tribunal properasse, cumque illud sine mora ingressus de delictis suis edicere nihil potuisset, Titius non sine magna indignatione eum repulit, mandans ut conscientia priùs debitè excussa seu examinata, denuo rediret; abiit homo, nunquam ampliùs reversus, procul dubio severitate Confessarii perterritus. Quid de tali Pœnitente? & quid de ipso Confessario tenendum?

151 R. ad primum. Regulariter loquendo pœnitens plebeus, qui vix limina Ecclesiæ supergressus, mox properat ad confessionale, meritò potest haberi suspectus de sufficienti dispositione & examine conscientiæ; quia de talibus non licet præsumere, quòd jam domi vel alibi locorum sese satis examinarint; multò minùs, quòd absque prævio examine delicta sua satis habeant sibi perspecta: ergo a Confessario cautiùs sunt examinandi, præsertim cùm multiplici experientia constet, ejusmodi homines plerùmque suæ salutis & rerum divinarum nimiùm quantùm esse incurios.

152 R. Ad secundum. Confessarius mox cum indignatione repellendo præfatum pœnitentem videtur non benè fecisse: debuisset enim priùs graviter expiscari, utrùm pœnitens culpabiliter, utputa ex mera negligentia & desidia salutis, an verò inculpabiliter, utputa ex simplicitate, vel etiam memoriæ labilitate (uti frequenter contingit in Senibus) non potuerit delicta sua edicere? Et ratio est: quia Confessarius vi sui officii, qua Doctor scilicet & Medicus spiritualis, tenetur pœnitentem instruere in iis, quæ sunt necessaria ad debitam, & fructuosam hujus Sacramenti susceptionem, tunc præsertim, quando pœnitens sibimet non est sufficiens; idque juxta opinionem Navarri *manual. c.* 5. *n.* 2. Angeli, & Cardin. de Lauræa *de pœnit. Disp.* 21. *a.* 3. sub gravi culpa: ergo Titius mox repellendo pœnitentem malè egit. Quin etiam si supponatur pœnitens fuisse defectuosus in examinando conscientiam, propterea tamen non erat statim repellendus; meliùs quippe est, charitativo examine eorum supplere defectus, præsertim si ipsimet hoc postulent, aut si sint rudes, Rustici, vel simplices artifices, parùm industrii circa discussionem propriæ conscientiæ, ne fortè deterriti, neglecta confessione protinus perseverent in statu disgratiæ, vel absque meliori dispositione alium Sacerdotem accedant, à quo forsitan invalidam absolutionem reportabunt, uti rectè observat noster P. Sporer.

153 Idipsum observandum est circa infirmos, tunc præcipuè, quando timendum est mortis periculum. Nec tam facilè audiendi sunt, dum volunt confessionem de die in diem differre, sub prætextu (meliùs diceres, fraude diabolica) quòd nondum sint dispositi, neque conscientiam satis discusserint &c. Non, inquam, tam facilè sunt audiendi, sed potiùs opportunè & importunè inducendi ac persuadendi ad devotam Sacramentorum susceptionem, proptereaque à Confessario examinandi per decalogum, & quinque præcepta Ecclesiæ, examine statui & conditioni pœnitentis accommodato. Profectò præstat eos etiam imperfectè con-

fes-

fessos mediante absolutione Sacramentali restituere in pristinum statum gratiæ, quàm neglectis, vel etiam dilatis SS. Ecclesiæ Sacramentis, certo damnationis periculo committere.

Adde, quòd in his circumstantiis impotentia physica, vel etiam moralis excusset ab integritate materiali, ut jam diximus *n.* 148. Vide Clericat. *Decis.* 21. *n.* 10. Reinffest. *cit. n.* 63.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia multo tempore proprio suo Pastori confessa fuit, sed peccata leviora duntaxat, reticitis gravioribus, quorum ingentem portabat sarcinam. Causam Sacrilegi hujus silentii rogata ab alio quodam Confessore, respondit fuisse hanc: quòd scilicet eundem suum Pastorem sæpiùs audiverit de sibi confessis discurrentem, idque tam claré & circumstantionatè, ut subinde haud difficilè fuisset, personam de qua, digitò monstrare. Idcirco, ajebat Sempronia, timens ne etiam me apud alios prostitueret, reticui graviora mea peccata. Quid de tali pœnitente sentiendum?

154 R. Si Semproniæ dicta veritate nitantur, ita, ut ob rationem allegatam rationabiliter habuerit timere infamiam ex confessione apud alios incurrendam, licitè quidem reticuit sua peccata apud hunc suum Pastorem: at verò si absque ingenti incommodo alteri cuidam confiteri potuit, tenebatur alium quærere; quia tunc nulla fuisset necessitas aut impossibilitas, quæ sola præbet justam causam reticendi peccata. Propterea minime excusandum censeo id, quod, ut casus fert, multo tempore huic suo Pastori mancas fecerit exomologeses. Qua ratione cautè examinanda fuit, quo animo, & qua conscientia reticuerit illa sua peccata graviora, & utrùm non existimarit, se idcircò indignam sacra communione? Etenim si dicat, se mala fide, vel cum dubio practico ea reticuisse, semperque putasse, aut certè dubitasse, an non reticendo committat novum sacrilegium, vel an non indigna sumat sacram synaxin &c. concludendum erit peractas illas confessiones, velut destitutas debito dolore & integritate, nullas fuisse, & merè sacrilegas, ideoque ex integro repetendas. Econtra si Sempronia dicat, se bona fide processisse, vel saltem credidisse, se non peccare graviter subticendo peccata &c. concludendum erit, confessiones præteritas fuisse validas, nec quidquam, præter peccata omissa, repetendum. Ita *omnes*. Et constare debet hæc resolutio ex suprà *n.* 126. dictis.

155 Dixi: *si Semproniæ dicta veritate nitantur*. Non enim facilè credendum, multò minùs de ullo prudenti & discreto Confessario præsumendum est, quòd vel sigillum frangere, vel etiam claré & circumstantionatè loqui præsumpserit, ut alii exinde potuerint venire in notitiam personæ confessæ: Fatendum tamen est, ex similibus discursibus, ubi scilicet audita in confessione deblaterantur, simpliciores de facili posse scandalizari, prout vel ex hoc ipso casu, sané non conficto, sed facto, colligere fas est. Idcirco oportet, ut Confessarius coram sæcularibus præsertim rudioribus à similibus discursibus perpetuò abstineat, & de auditis in sacro tribunali nihil unquam enarret. Sed de hoc alibi plura.

CASUS TERTIUS.

Cajus Miles suæ salutis valde incurius, confessionem de anno in annum differre consuevit, nullam Ecclesiæ sanctionem magis observans, quàm illam, qua omnes fideles jubentur proprio Sacerdoti sua delicta saltem semel in anno confiteri C. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. Quia tamen in confessione paschali, nuper præmisso brevi duntaxat examine facta, plurium peccatorum oblitus fuit; hinc jam dubitat, & scire postulat à Confessario, quid de valore memoratæ confessionis sibi tenendum?

156 R. De valore hujus confessionis meritò dubitare licet; quia cùm milites sint pluribus occasionibus & peccandi periculis expositi, simulque Cajus aliunde supponatur suæ salutis incurius, ita, ut per integrum annum peccata peccatis accumulans non nisi semel confessus sit, profectò haud quaquam satisfecisse videtur,

breviter duntaxat indagando in sua delicta: est enim moraliter impossibile, ut per modicum examen omnia sua delicta per integrum annum perpetrata quoad numerum & speciem satis recognoscat. Unde nec mirandum, quòd plurium peccatorum gravium fuerit nuper oblitus. Debuisset igitur ad minimum per horæ spatium circiter huic operi vacare, & sese examinare per singula decalogi & Ecclesiæ præcepta, item præcipuas peccandi occasiones, vitiosasque consuetudines diligentiùs revolvere. Vid. Gobat *tract. 6. num.* 484. *& seqq.* Clericat. *l. c. num.* 8.

157 Dixi, *meritò dubitandum esse de valore &c.* Quia cùm dubium supponatur in Cajo ortum post peractam jam confessionem; hinc ut in præsenti negotio Confessarius de valore certius ferat judicium, nec plus, quàm oportet, suum pœnitentem gravet practicè attendendum erit, & indagandum, quo animo accesserit Confessarium, an verò pœnitentiæ & emendationis zelo intenderit omnia sua peccata quoad numerum & speciem confiteri? item, an tunc existimaverit, se suæ obligationi satisfecisse? si ita: concludendum, quòd confessio utpote bona fide peracta fuerit valida; nec ab eò ampliùs expetendum, quàm ut peccata, quorum tunc fuit oblitus, jamjam subjiciat clavibus. Econtra si Cajus dicat, se potiùs ex consuetudine, quàm ex vero emendandi zelo, solita cum luriditate, & incuria salutis accessisse, & præsertim, si valde multorum, fortè etiam majoris partis suorum delictorum sit oblitus, indubitanter concludendum erit, confessionem fuisse nullam & sacrilegam, ideoque integrè, unà cum damnabili hac incuria & negligentia repetendam. Idipsum ex hac suppositione cum P. Sporer *nu.* 367. *fin.* tenendum existimo, si pœnitens tot, vel paulò minorum fuit oblitus, quot fuit peccata confessus. Vid. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *miscell. resol.* 31. Gobat. *cit. n.* 497. Sbogar. *theol. radical. tr.* 35. *n.* 49.

Dices. Sed nunquid Cajus noster tenebitur anticipare confessionem, & sæpiùs confiteri, aut certè sua peccata in scriptis annotare, si advertat se in actu confessionis plurium peccatorum gravium non recordaturum?

158 R. Non tenetur. Ita Herincx *p.* 4. *tr.* 2. *d.* 3. *nu.* 18. Gobat *cit. num.* 515. Bonacina, Castropal. Clericatus *Decis.* 21. *num.* 19. Ratio est: quia nec præceptum Divinum, neque ecclesiasticum ostendi potest, quo juberemur vel anticipare confessionem, vel etiam peccata in cartham redigere. Unde hæc diligentia videtur nimis extraordinaria, & per se loquendo infamationis propriæ periculo nimis exposita: ergo non est hominibus imponenda sine manifesta lege; qualis hìc ostendi non potest.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

159 Colliges ex dictis primò, in actu confessionis plus reticeri non posse sine sacrilegio, quàm impotentia, vel potiùs necessitas exigit, ad vitandum grave damnum, in bonis animæ, vel famæ, vel fortunæ; quia secundùm dicta, sola necessitas excusat ab integritate materiali. Hinc, qui scit, se peccasse mortaliter, ignorat autem, in qua specie, tenetur de tali peccato gravi saltem generatim sese accusare, ut, jam suprà *nu.* 16. dictum fuit. Similiter qui metuit, ne ex confessione alicujus peccati in individuo v. g. carnalis, incurrat animæ damnum, utputa si timeat periculum sollicitationis ad similia &c. licitè quidem hoc reticebit (nisi alium Confessarium absque simili periculo accedere possit) reliqua tamen tenebitur explicare. Conink, Bonacina *Disp.* 5. *q.* 5. *Sect.* 2. *pu.* 2. §. 4. *n.* 20. *cum aliis.*

160 Colliges secundò. Ut metus alicujus mali ex confessione imminentis excuset, necessum omnino esse, ut sit verè gravis, seu fundamento gravi nixus, ita scilicet, ut rationabiliter hujusmodi malum v. g. diffamatio apud extraneos &c. timeri possit ac debeat: tale autem fundamentum foret, si experientia compertum esset, in his circumstantiis, ex confessione hujus vel illius delicti &c. huic Confessario, vel in tali loco, tali concursu &c.

fa-

facta, ortam fuisse infamiam, damnumvè aliud verè grave &c. Minimè ergo excusat quævis (fortè etiam inanis) suspicio aut sinistra persuasio, multò minùs dubium, an ex confessione non sit timendum detrimentum &c. Ratio est: quia cùm præceptum de integritate confessionis sit certum, & in possessione; hinc ob simile dubium, vel leve damnum prætereundum aut negligendum minimè est. Cæterùm, an, vel quando licitum sit reticere peccata reservata, dicemus infra ex professo, *n.....* ubi de Casibus reservatis.

Dices adhuc. At quid, ubi pœnitens suum peccatum exponere nequit absque diffamatione complicis, utputa sponsus sine diffamatione sponsæ, vel etiam conjux sine diffamatione conjugis &c. tenebiturnè nihilominus illud integrè confiteri?

161 R. Multi DD. nominatim Diana & Navarrus tenent quòd non; eò potissimùm, quòd præceptum de integritate confessionis sit duntaxat positivum; illud autem de non diffamando proximo sit naturale, propptereaque alteri præferendum velut strictiùs obligans. At verò potior DD. pars negat, diffamationem complicis apud solum Confessarium incurrendam excusare ab integritate. Ita S. Thomas *4. D. 16. qu. 3. ar. 2.* D. Bonavent. *4. D. 21. p. 2. a. 1. q. 3.* Mastrius *Theol. mor. Disp. 21. nu. 185.* Reinffestuel, Herincx, Stoz, Illsung. Babenstuber &c. Ratio est: quia pœnitens habet idem, immò majus jus ad conservandam famam propriam, quàm proximus habet ut ipsius famam conservet vel non lædat, & tamen non obstante hoc jure tenetur pœnitens explicare suum peccatum integrè, postposita infamia naturaliter & intrinsecè subsequente confessionem: ergo etiam non obstante diffamatione complicis tenetur peccatum suum explicare integrè. Esto etiam ex jure naturali teneamur proximum non diffamare sine causa gravi, interveniente tamen rationabili causa, prout hìc intervenit, rectæ rationi minimè adversatur, ut delictum proximi detegatur: & certè complex consentiendo in delictum, meritò præsumitur consensisse in manifestationem delicti coram Confessario præcisè, casu quo altera pars absque simili diffamatione suum peccatum integrè explicare non posset; unde sibimet hujusmodi dispendium famæ debet imputare; quia secundùm Regulam *86. Jur. in 6. damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Aliter dicendum foret, dato, quòd complex sua peccata absque diffamatione alterius partis posset integrè explicare; quia tunc non haberet justam causam diffamandi alium, & iste meritò foret invitus. Vide Babenst. *tr. 8. p. 6. disp. 5. art. 2. nu. 46.*

Dices iterum. Sed nunquid magnus concursus pœnitentium excusabit, ab integritate, ut propterea liceat confessionem dimidiare, & pœnitentem audito uno, alterovè peccato absolvere cum onere, reliqua peccata in proxima confessione subjiciendi clavibus?

162 R. Non ampliùs licet; oppositum enim constat clarè ex propositione *n. 59.* inter damnatas ab Innocentio XI. quæ erat hujus tenoris: *licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* De qua videri possunt Cardenas *Dissert.* 38. & Sbogar. *tr. 35. c. 6. n. 41. & seqq.*

Rationes autem justæ damnationis fuerunt sequentes: tum quia multi pœnitentes non integrè auditi, procul dubio cum scandalo, mœrore, pusillanimitate & tristitia non modica, fortè etiam cum remorsu conscientiæ abirent: tum etiam, quia timendum, ne alii multi ansam sumant, aucupandi & captandi hujusmodi tempus, quo norunt, se non ita adigendos esse, ut omnia, quorum sese reos agnoscunt, exprimant: quod profectò aliud non est, quàm præbere occasionem multis sacrilegiis, & perseverantiæ in luto peccatorum. Nec est, inquit P. Stoz *cit. num. 67.* quòd ejusmodi Sacerdotes se credant excusatos per hoc, quòd jubeant tales alio tempore redire ad faciendum confessionem integram; quia vix unquam redibunt, rati, se jam fuisse absolutos à peccatis, & satisfe-

cisse suæ obligationi. Quare (subdit idem) meminerint, meliùs esse, paucos bene audire, quàm multos perfunctoriè & malè.

163 Colliges tertiò, peccata illa, quæ ex justa causa priùs erant omissa, in proxima confessione, ubi cessaverit periculum damni &c. esse explicanda, & clavibus subjicienda, quatenus jam directè remittantur virtute clavium, quæ priùs indirectè tantùm erant dimissa. Etenim obligatio etiam materialiter integrè confitendi hactenus nunquam erat sublata, sed suspensa duntaxat, idque præcisè & unicè ad evitandum grave detrimentum, quod inde rationabiliter timebatur: ergo cessante hoc impedimento rursus reviviscit obligatio, reliqua peccata omissa confitendi: tametsi necessarium non sit (saltem per se loquendo) ut pœnitens cessante periculo mox recurrat ad hoc Sacramentum, sed potest licitè differre usque ad tempus, quo aliàs confitebitur v. g. in paschate. Ita Suarez, Henriquez, Layman. *l. 5. tract. 6. c. 8. num. 12.* Filliucius *tr. 7. c. 5. n. 126.*

CONFERENTIA

SEPTIMA.

De Peccatis dubiis, nec non de circumstantiis & numero peccatorum confitendis.

SUMMARIUM.

164 *Quid intelligatur nomine peccati dubii.*

165 *Qui dubitat, an peccaverit graviter, probabiliter tenetur tale peccatum confiteri sub dubio.*

166 *Sententia tamen negativa est practicè probabilis.*

167 *Qui bona fide confessus fuit peccatum velut dubium, non ampliùs tenetur illud subjicere clavibus, tametsi ex post facto recognoscat velut certò commissum.*

168 *Quænam sint circumstantiæ speciem mutantes, & quænam aggravantes duntaxat.*

169 *Circumstantias speciem mutantes certò tenemur fateri.*

170 *Circumstantias verò notabiliter aggravantes explicitè confiteri, etsi tutissimum, probabiliter tamen non est necessarium per se loquendo.*

171 *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium.*

172 *Numerus peccatorum mortalium necessariò est exprimendus.*

173 *Undenam distinctio numerica peccatorum desumenda.*

174 *Resolvitur Casus I. de duobus studiosis, dubitantibus an peccaverint.*

175 *An propterea teneantur ingredi Religionem.*

176 *Resolvitur Casus II. de persona non satis exprimente circumstantias.*

177 *Et seqq. ostenditur, quo modo practicè fuerit de his examinanda.*

181 *Circumstantias notabiliter aggravantes negare non licet.*

182 *Resolvitur Casus III. de pœnitente non satis exprimente numerum suorum peccatorum.*

183 *Et seqq. traditur modus examinandi & discernendi numerum.*

188 *Confessus quòd sexies* circiter *peccaverit, non ampliùs tenetur se accusare etsi ex postfacto reperiat, se* septies *peccasse.*

189 *Particulæ* circiter, plus minus *&c. sumendæ & intelligendæ sunt comparativè ad numerum, cui adjiciuntur.*

190 *In praxi suadendum est pœnitentibus non scrupulosis, ut confiteantur peccata dubia.*

191 *Qui ob rationes probabiles judicat, se non peccasse, non tenetur ad confessionem, saltem per se loquendo.*

192 *Et quid, si pœnitens sciat se peccasse, dubitet autem, an confessus sit?*

193 *Similiter in praxi consulendum est, ut pœnitens explicet circumstantias notabiliter aggravantes.*

194 *An, vel quando pœnitens interrogatus de consuetudine, teneatur respondere Confessario interroganti.*

195 *Distinctio numerica peccatorum vel ma-*

maximè petenda est à judicio prudentum.

196 *Qui præmissis osculis, tactibus, & verbis impudicis tandem opere ipso complet malignum suum desiderium, unum dunuaxat peccatum committit;*

197 *Sicut & is, qui alicui summam notabilem, vel etiam integram Bibliothecam aufert ex eadem intentione, licèt non nihil interpolatis ablationibus.*

198 *Sacerdos in statu disgratiæ plures consequenter absolvendo, an plura committat peccata? duplex est sententia DD. utraque probabilis.*

199 *Quid Meretricibus, aliisque magnis peccatoribus agendum; quando non ampliùs recordantur omnium peccatorum suorum quoad numerum & speciem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de necessitate confitendi peccata dubia; circumstantias, & numerum peccatorum.

Quæres primò, utrùm peccata dubia sint necessariò confitenda, & pertineant ad integritatem confessionis?

164 Ante Responsionem suppono, nomine peccati dubii intelligi illud, de quo dubitatur, seu suspenditur judicium, sitnè commissum, vel non? Enim verò dubitare nihil est aliud, quàm suspendere judicium: ergo dubitare de peccato, idem est, ac judicium suspendere, sitnè peccatum admissum vel non. Solet autem talis suspensio plerumque oriri, vel ex eo, quòd nulla, aut certè levia duntaxat motiva occurrant: & hoc est propriissime dubium negativum; propterea que contemnendum velut inanis scrupulus; vel ex eo, quod utrinque occurrant motiva rationabilia, hinc inde intellectum hominis etiam prudentis impellentia, & velut in æquilibrio suspendentia, ita, ut is nequeat sese determinare, & dijudicare, sitnè peccatum admissum, nec ne? Et hoc dubium à Doctoribus sat multis pariter appellatur negativum, quamvis in rigore loquendo potiùs deberet dici positivum. De peccatis autem hoc modo dubiis præsentem quæstionem esse intelligendam, rectè advertunt Herincx, Bosco, Illsung, Babenstuber, & alii. Hoc notato & supposito ad quæstionem

165 Resp. primò. Qui rationabiliter dubitat, an peccaverit vel non; Item qui dubitat, sitnè peccatum à se mortale, vel veniale duntaxat, probabiliter tenetur illud velut dubium confiteri; ideoque peccata negativè dubia in sensu mox præmisso, probabilissimè pertinent ad integritatem confessionis. Ita Herincx, Sporer, Bosco, Reinffestuel, Illsung, Babenstuber. *tr. 8. pag. 6. dist. 2. art. 2. num. 21.* Estque hæc opinio in his terminis communissimè recepta inter DD. quam & variis rationibus probare nituntur. Tum 1. quia lex confessionis utpote à Christo ab antiquis temporibus lata videtur esse in possessione: & cùm hæc sit favorabilis pœnitenti, debet extendi ad omnia mortalia, etiam dubia. Tum etiam 2. quia Tridentinum declarat omnia peccata, quorum post diligentem discussionem conscientiam habemus, esse subjicienda clavibus, & solùm excipit venialia, eò quòd hæc non excludant à gratia DEI; ergo cùm mortalia dubia, si reipsa sint commissa (prout esse possunt, non obstante dubio) excludant à gratia, juxta mentem præfati Concilii debent subjici clavibus. Verùm, istæ rationes parùm probant, prout patebit ex mox dicendis. Quare potissima, & cæteris efficacior ratio hujus opinionis dari debet hæc: quia certum est, potuisse Christum præcipere confessionem peccatorum dubiorum; quòd autem de facto præceperit, colligitur ex antiquissimo usu, & perpetua Fidelium praxi ac consuetudine, cujus initium in lege nova ignoratur: semper enim assueverant peccata dubia confiteri, & quidem non merùm arbitrariè, sed ex firma persuasione, quòd ad hoc sub gravi obligatione tenerentur: atqui praxis Ecclesiæ, & consuetudo Fidelium jam inde à temporibus Apo-

ſtolorum obſervata cum firma perſuaſione gravis obligationis, meritò reputatur ex voluntate & inſtitutione Chriſti introducta: ergo ſin minùs certum, certò probabiliſſimum videtur, dari obligationem confitendi peccata dubia.

166 R. Tamen ſecundò. Sententia negans peccata dubia pertinere ad integritatem confeſſionis, ſeu eſſe neceſſariò confitenda, eſt verè, & practicè probabilis. Ita Marchantius noſter, Caramuel, ConinK, Amicus, Præpoſitus, Stoz *l. 1. p. 5. num.* 165. Sbogar *tract.* 68. *cap.* 3. Viva *ad 1. propoſ. ab Innocent. XI. damnatam num.* 23. la Croix *l. 6. pag. 2. num.* 609. ubi ait, hanc opinionem negativam ſpectatis rationibus intrinſecis eſſe probabiliorem oppoſita affirmativa. In eandem opinionem inclinant Laym. Gobat, Boſco *de pœnit. diſp. 7. ſect. 8. num.* 63. *& ſeqq.* Herincx *diſp. 3. de confeſſ. quæſt. 4. num.* 45. aliique plures. Ducuntur ſequentibus potiſſimùm rationibus. 1. quia ubi obligatio eſt dubia, ibi debet eſſe melior conditio ſubditi poſſidentis ſuam libertatem; nam juxta *Reg.* 122. *ff. de R. J. libertas omnibus rebus favorabilior eſt*. Item juxta *Reg.* 36. *ſemper in dubiis benigniora præſumenda ſunt*: atqui obligatio confitendi peccata dubia eſt dubia; neque enim ſatis evincitur 1. ex Tridentino, quippe quod ſolùm loquitur de peccatis, quorum memoriam vel conſcientiam habemus: at, qui dubitat, non habet conſcientiam de peccato. Nec refert, ſi dicas, eum habere conſcientiam de peccato ut dubio; nam contra: dubitans de voto, vel alio quocunque debito, ſimiliter habet conſcientiam de voto vel debito ut dubio, & tamen nemo facilè condemnabit talem ad ſolutionem debiti, aut voti; quia juxta *cap. cùm ſunt*: *in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*: ergo ſimiliter dubitans de peccato &c. Nec 2. verum eſt, quòd lex confeſſionis ſit ſimpliciter favorabilis, quin potiùs multis ſat oneroſam videri, experientia compertum habemus. Eſto etiam 3. praxis & uſus Fidelium obtinuerit, ut peccata dubia confiterentur, meritò tamen dubitare licet, an hoc practicarint ex perſuaſione alicujus obligationis, an verò ſolùm ob majorem ſecuritatem, & conſcientiarum tranquillitatem. Quin immò, ait Herincx noſter *loc. cit. nu.* 48. Scio interdum fuiſſe, qui putarent contrarium, hoc titulo, quòd non poterant recordari ſe feciſſe, ſed tantùm dubitarent. Pii præterea plerùmque practicant, quod ſecurius eſt. Et ſanè fideles idem apprehendunt de peccatis probabiliter, vel probabiliùs mortalibus: nec tamen ob hoc cenſentur illa debere in confeſſione exprimi. Plures rationes in contrarium reperies ſolutas apud la Croix *cit. nu.* 609.

Quæres ſecundò, utrùm is, qui peccatum velut dubium bona fide confeſſus fuit, poſtea autem comperit, eſſe certò commiſſum, teneatur, illud velut certum denuo confiteri?

167 R. Negativè. Ita contra non paucos Herincx *citat. diſt.* 3. *n.* 50. Sporer *num.* 397. Stoz *cit. num.* 170. Sbogar *tract.* 68. *num.* 42. *fin.* Boſco ubi ſupra *num.* 134. & alii plures videndi apud *citt.* Ratio eſt; quia talis pœnitens ſupponitur ſuum peccatum confeſſus quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias &c. prout tunc erat in conſcientia, & ab eodem, quantùm indigebat, directè abſolutus: ergo non ampliùs tenetur illud ſubjicere clavibus; quemadmodum in voto dubio, vel irregularitate, aliove vinculo dubio ad majorem cautelam ſemel diſpenſatus aut abſolutus, non ampliùs indiget abſolutione vel diſpenſatione, tametſi ex poſt facto certò comperiat, votum fuiſſe certò emiſſum, vel irregularitatem aliudvè vinculum certò contractum.

Confirmatur efficaciſſimè ex eo: quia etiam juxta AA. confeſſus, ſe decies, plus minusvè v. g. pejeraſſe, non tenetur ampliùs confiteri, etſi poſtea recordetur, ſe id feciſſe undecies, aut duodecies; & tamen expreſſerat ſolùm ſub dubio has duas vices: ergo ſimiliter non ampliùs tenetur &c. profecto ſolidam aliquam diſparitatem inter utrumque hactenus in nullo legi.

Quæres tertiò, an vel quænam circumſtantiæ peccatorum, ſint neceſſariò con-

confitendæ, velut pertinentes ad integritatem confessionis?

168 Ante Responsionem rursus suppono ex *tract. de act. hum. & peccat.* alias esse circumstantias speciem mutantes, alias duntaxat aggravantes malitiam peccati intra eandem speciem. Speciem mutantes appellantur, quæ actus humanos transferunt in aliam speciem ab ea, quam habent ex objecto; vel, ut alii loquuntur: sunt illæ, quæ faciunt ut actus opponatur alteri virtuti vel rectitudini. Sic circumstantia personæ conjugatæ, vel habentis votum castitatis, transfert peccatum carnis à specie fornicationis ad speciem adulterii, vel sacrilegii, dum facit, ut actus luxuriæ repugnet simul virtuti justitiæ, aut Religionis. Idipsum suo modo contingit in illis casibus, ubi peccatum ex suo genere veniale, fit mortale, v. g. ratione scandali, aut periculi proximi incidendi peccatum grave. Circumstantiæ aggravantes appellantur illæ, quæ malitiam actus ex objecto desumptam intra eandem speciem peccati solùm aggravant, seu majorem reddunt, absque eo, quòd supperaddant novam malitiam specie distinctam ab illa, quam actus habet ex objecto. *b. n.*

169 R. primò; Circumstantias speciem mutantes tenemur confiteri. Ita Catholici *omnes*. Et habetur clarè decisum in Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. sequentibus omnino verbis: *colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*. Et oppositum asserentes anathemate ferit. *can.* 7. Rationem hujus mox subdit idem Concilium, *eò scilicet, quòd sine illis* (circumstantiis speciem mutantibus) *peccata ipsa neque à pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminis rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere:* at, certum est, ex jure divino peccata ita esse aperienda Sacerdotibus, ut de illis possint competens ferre judicium: ergo circumstantiæ speciem mutantes necessariò sunt aperiendæ in confessione.

170 R. Jam secundò. Etsi consultissimum sit (tutius quippe est, & fortè etiam speculativè loquendo probabilius) circumstantias notabiliter aggravantes in confessione explicare; nihilominus satis probabile est, quòd per se loquendo nullus ad hoc sit obligatus. Ita in re D. Thomas 4. *dist.* 16. *qu.* 13. *art.* 2. S. Bonaventura 4. *dist.* 17. *pag.* 3. *art.* 2. Mastrius *Theol. moral. disp.* 21. *num.* 175. Reinffestuel *cit. num.* 49. Herincx *dist.* 3. *num.* 33. Bosco *dist.* 7. *sect.* 8. *n.* 30. *& seqq.* Babenstuber *tract.* 8. *pag.* 6. *dist.* 5. *art.* 2. *num.* 20. Stoz *l.* 1. *pag.* 1. *nu.* 86. Illsung. *tract.* 6. *dist.* 6. *nu.* 79. Sbogar *tr.* 24. *num.* 6. Ratio hujus opinionis est hæc: quia Fidelibus non est imponenda obligatio gravis, nisi de eà satis constet, juxta dicta *num.* 166. atqui obligatio confitendi circumstantias solùm aggravantes est valde gravis, pluribusque perplexitatibus & scrupulis obnoxia: neque de hac satis clarè constat: ergo. Quin immò ex Concilio Trident. (cui adversa sententia potissimùm innititur) potiùs colligitur contrarium, quia Concil. *cap.* 5. *& can.* 7. ubi obligationem confitendi ex professo, &, ut oportebat, accuratè declarat, solùm docet, *omnia & singula peccata mortalia, & circumstantias quæ speciem mutant, esse confitenda*, tandemque subjungit, *nihil aliud à pœnitentibus exigi*: ergo cùm Concilium altum sileat de circumstantiis duntaxat aggravantibus, simulque noti juris esse constet, quòd *exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, argum. L. quæsitum §. denique ff. de fundo instructo*: dicendum, quòd nulla sit obligatio confitendi circumstantias merùm aggravantes; secus enim præter confessionem peccatorum mortalium & circumstantiarum speciem mutantium jam à fidelibus exigeretur aliquid aliud: quod repugnat doctrinæ Concilii æcumenici: ergo &c.

Dices tamen. Juxta Concilium *cit. cap.* 5. peccata debent ita exprimi, ut Confessarius de eorum gravitate rectè possit judicare, & proportionatam pœnitentiam injungere: at, hoc fieri non potest, nisi exprimantur circumstantiæ notabiliter aggravantes: si enim supponantur

tur duo fures, quorum unus decem, alter mille florenos abstulit, & uterque confitendo dicat: *commisi furtum grave*, Confessarius nequaquam poterit discernere inter gravitatem furtorum, nec cuivis proportionatam pœnitentiam injungere: ergo tenemur confiteri &c.

171 R. Negando min. Quia utì rectè observant Herincx, Bosco, Reinffestuel *num.* 50. aliique plures, ad legitimam absolutionem impertiendam sufficit ut Confessarius judicet de gravitate culpæ secundùm speciem suam moralem, eidemque proportionatam pœnitentiam, injungat: nec opus est, ut judicet de tantitate, seu intensione culpæ inter eandem speciem moris. Uno verbo: sufficit, Judicem esse informatum quoad omnia substantialia, intra quæ sunt circumstantiæ speciem mutantes, esto non fit informatus quoad omnia accidentalia, cujusmodi sunt circumstantiæ solùm aggravantes.

Quæres quartò. Sintnè peccata quoad numerum etiam exprimenda?

172 R. Cum *communi* Catholicorum affirmativè. Idipsum clarè decisum reperitur in Concilio Trid. jam sæpiùs *cit. cap.* 5. *can.* 7. ubi ait: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias, quæ speciem mutant &c. anathema sit*, atqui, *si omnia & singula* peccata tenemur confiteri, eo ipso tenemur fateri numerum: ergo. Ratio autem à priori est: quia Confessarius nequit statum pœnitentis rectè cognoscere, nisi exprimatur numerus peccatorum; longè enim aliter judicare, aliamque medicinam oportet præscribere pœnitenti v. g. blasphemiis, aut procurandis pollutionibus assueto, & centum forsitan, vel ultra obnonoxio à proxima confessione, quàm alii, qui semel tantùm se polluit, & semel in materia gravi detraxit, etsi hæc sint peccata specie distincta: ergo si species est necessariò exprimenda, pariter erit exprimendus numerus, non quidem physicus actuum concurrentium ad consumationem ejusdem peccati, sed moralis.

Dices. Sed unde desumenda est distinctio numerica peccatorum?

173 R. Breviter, distinguendum esse gnaviter inter actus merè internos, qui scilicet intra solius mentis latebras consumantur & perficiuntur; utì est v. g. invidia, hæresis, odium &c. & inter actus externos, qui opere externo perfici & consumari postulant; utì homicidium, furtum &c. Itaque loquendo de peccatis merè internis, tot sunt numero peccata, in confessione per se loquendo exprimenda, quoties actus internus peccaminosus voluntariè repetitur, posteaquam Peccator ab eo cessare liberè constituit per revocationem, vel cessationem voluntariam, non verò quoties solùm physicè reipsa cessat involuntariè vel casu, vel naturali somno, distractione, aliave occupatione &c. Loquendo autem de peccatis externis: idem numero peccatum censetur moraliter, quamdiu durat actus internus idem, vel physicè, vel moraliter (scilicet physicè quidem multiplicatus at moraliter non interruptus) quantumvis multiplicentur actus interni, vel etiam externi, spectantes ad eandem consumationem peccati, & sub eodem intento ac fine principali uniti: econtra verò peccata, quæ opere externo perficiuntur, toties numero multiplicantur, quoties actus ipsi exteriores peccatum illud consumantes repetuntur. Reinffestuel *Theol. moral. tr.* 3. *dist.* 1. *à nu.* 51. Sporer *de pœnit. num.* 428. & 432. citans pro eadem opinione Lugonem *disp.* 16. *num.* 569. & communem aliorum; esto in modo explicandi & loquendi multùm discrepent, prout legenti facilè constabit. Res autem tota hæc clarior evadet per exempla, mox inferiùs *num.* 182. & *seqq.* adferenda.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus Practici de peccatis dubiis, circumstantiis, & numero peccatorum exprimendis.

CASUS PRIMUS.

Duo studiosi (quos Titium nominamus & Cajum) særiùs colludere assueverant. Titius inter ludendum facillimè in voluntarias blasphemias hæreticales erumpere solebat. Cajus econtra fermè nunquam. Quadam die ambo confessi, sub voto & pœna Religionis ingrediendæ promiserant, se nunquam ampliùs relapsuros in hoc genus blasphemiæ. Proximè iterum in seram usque noctem luserant, & uterque ludendo turbatus denuo blasphemabat, moxque dissoluto lusu ad stratum se conferebant. Altera die expergefacti dubitabant: Titius quidem, haud ignorans se eructasse blasphemiam hæreticalem, dubitat, an satis deliberatè? Cajus verò re bene examinata dubitat omnino, an blasphemiam hæreticalem effutierit? Quæritur jam an uterque teneatur confiteri, & quidem tali, cui competit potestas absolvendi ab hæresi, seu in casus bullæ Cœnæ.

174 R. Titius tenetur, non item Cajus. Ratio disparitatis inter utrumque est: quia Titius supponitur jam contraxisse habitum, & assuevisse voluntariis blasphemiis hæreticalibus; ubi è contra Cajus non supponitur contraxisse similem habitum: ergo contra Titium stat præsumptio, non item contra Cajum; etenim juxta *Reg. 45. J. in 6. inspicimus in obscuris, quod plerùmque fieri consuevit.* Et quemadmodum pravus habitus blasphemandi hæreticaliter probat fortissimè, Titium etiam hac vice blasphemasse hæreticaliter; ita bona indoles Caji est gravis & fortissima ratio, probans ipsum non commisisse blasphemiam hæreticalem. Et hoc in moralibus certum est, inquit Sbogar *tract. 68. numer.* 40. Ubi mox subdit: hinc qui nullam habet rationem solidam, nec pro, nec contra, se peccasse, præter possessionem suæ innocentiæ, licèt dubitet de peccato, non tenetur confiteri. Ita Doctor mox *cit. l.*

Ergonè, inquis, Titius tenetur ingredi Religionem, non item Cajus?

175 R. Ita est; Solus Titius tenebitur, si supponatur fuisse memor sui voti pœnalis tunc, quando blasphemiam hæreticalem eructavit; eo quòd posita & impleta conditione incipiat votum absolutè obligare. Quia tamen hæc pœna est valdè exorbitans, à qua pœna exorbitante probabiliter excusat ignorantia invincibilis; hinc si Titius immemor sui voti pœnalis blasphemasset (*uti Casus videtur supponere*) juxta probabilem opinionem P. Sporer *tr. 1. c. 2. n.* 39. & aliorum, non tenetur ingredi Religionem.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia famula sese accusabat in hunc modum: 1. aliquid subtraxi Domino meo, quod meo amasio impendi. 2. Huic etiam copiam mei corporis feci, & quidem (3.) ipsa die, qua sacram Synaxin non adeò pridem suscepi: & hanc circumstantiam in proxima confessione non expressi. Insuper 4. aliam conancillam, quæ me lacesserat objiciendo nimiam familiaritatem cum amasio, diversis conviitiis affeci. Quibus auditis Confessarius imposita priùs salutari pœnitentia, Semproniam absolvit ac dimisit: Jam verò dubitat, an non debuisset magis examinare & inquirere circumstantias.

176 R. Hoc modo præcisè sese accusando, Sempronia non satisfecit præcepto confessionis; proptereaque Confessarius tenebatur paulò accuratiùs indagare in circumstantias, prout patebit mox ad singula;

177 In primis enim non erat satis dicere præcisè: *aliquid subtraxi Domino, meo* &c. quia secundùm omnes pœnitens tenetur dicere, utrùm materia, furtim ablata fuerit gravis vel levis tantùm, quatenus Confessarius valeat discernere, an peccaverit mortaliter, an verò venialiter solùm. Attamen si dixisset se subtraxisse rem gravem, probabiliter satisfecisset præcepto confessionis; quia major quantitas in furto mortali est solùm

solùm circumstantia aggravans, quam secundùm probabilem DD. opinionem supra *num.* 170. relatam non tenemur confiteri explicite: Secus dicendum foret, casu quo furta ob frequentiam & moralem interruptionem fuissent numero multiplicata.

178 secundò. Fuit Sempronia examinanda, qua fide & conscientia omiserit illam circumstantiam, quòd videlicet ipsa die communionis copiam sui corporis fecerit amasio. Etsi enim circumstantia hæc (diei scilicet S. communionis vel festivitatis &c.) sit duntaxat aggravans, & per se loquendo non necessariò exprimenda, meritò tamen suspicari licet, an Sempronia non habuerit pro speciali peccato sacrilegii, prout sæpè habent rudiores, saltem ex conscientia erronea. Adde, quòd confessio meritò possit vocari in dubium, quandò personæ inamoratæ ipsa die S. communionis denuo relabuntur: quia de talibus suspicari licet, quòd non habuerint firmum & efficax propositum.

179 Tertiò. Insuper fuit examinanda, an ob nimiam familiaritatem non fuerit scandalo aliis. Cùm enim fateatur, sibi hoc fuisse objectum & exprobratum ab alia coancilla, manifestè satis videtur innuere, se scandalum præbuisse aliis; quod, cùm sit peccatum specie distinctum à simplici fornicatione, necessariò exprimendum, vel certè si non exprimatur ab ipsomet pœnitente, à Confessario paulò accuratiùs disquirendum erat.

180 Quartò. Tandem Confessarius errasse non videtur ex eo, quòd non examinarit numerum aut qualitatem convitiorum, quibus Sempronia suam coancillam affecerat; quia cùm supponantur ex eodem impetu iræ processisse, non sunt peccata numero distincta, sed circumstantiæ merùm aggravantes, non necessariò exprimendæ, utì rectè docet Dian. *p.1.tr.7. resol.*28. quem refert & sequitur Gobat *tr.*6. *num.* 586. Oportebat tamen quærere, an hæc & similia non objecerit coram aliis fortè audientibus, cum damno vel diffamatione coancillæ; etsi hoc de raró contingat, eò quòd alii saltem prudentiores non soleant moveri, nec credere dictis mulierum, ex nimio impetu iræ, vel potiùs insaniæ quævis effutientium. Vide DD. *citt.*

Dices contra resolutionem datam *num.* 177. si pœnitens non tenetur exprimere quantitatem furti mortalis, eò quòd hæc sit circumstantia solùm aggravans, tunc liceret eam omnino negare: & sic si abstulisset centum aureos, satisfaceret sese accusando in hunc modum: *ego unum tantùm aureum abstuli*: at, consequens est certò falsum: ergo &c.

181 R. Negando illatum. Etsi enim probabiliter afferamus, circumstantias merùm aggravantes non esse necessariò confitendas explicitè & distinctè, utputa dicendo in casu mox allato: *commisi furtum centum aureorum &c.* fatentur tamen omnes, etiam hujus sententiæ Patroni, eas negari non posse, sed saltem implicitè & confusè quodammodo confitendas esse; quòd in casu dicto pœnitens faceret dicendo: *commisi furtum grave*: hoc quippe modo implicitè confitetur furtum centum aureorum, quia sub latitudine furti gravis continetur furtum centum aureorum. Econtra si diceret: *unum tantùm aureum subtraxi*, nullo modo, ne confusè quidem confiteretur furtum centum aureorum; quia hoc furtum (centum scilicet aureorum) non continetur sub furto unius duntaxat aurei. Quin immò Confessarius vi talis confessionis ne quidem prudenter suspicari posset de furto centum aureorum, prout tamen potest, si pœnitens sese accusando dicat: *commisi furtum grave*; vel: *abstuli summam notabilem*. Vid. Herincx *cit. d.* 3. *n.* 36. Bosco *d.* 7. *Sect.* 8. *n.* 42. Illsung *tr.* 6. *d.* 6. *n.* 36. Gobat *tr.* 6. *nu.* 380. apud quem Lugo *num.* 660. advertit, illum, qui per inadvertentiam aut oblivionem fassus est, se clepsisse solùm sexaginta, cùm tamen clepserit centum, debere in posteriori confessionem exprimere illos centum, nec satisfacturum, si exprimat solùm quadraginta; nam in neutro casu confitetur aut distinctè aut confusè illud numero furtum, quod patravit.

C A-

CASUS TERTIUS.

Cajus Juvenis peccata sua ex cartha legit hoc modo, primò (inquit) fui deditus intemperantiæ : 2. ex iracundia juravi aliquoties per mille Sacramenta. 3. sæpiùs cogitationes impuras volvi in pectore erga diversas personas: 4. semel etiam cum aliqua puella dormivi : 5. sexies circiter fatales inimicitias decoxi in mente, ac tandem eundem meum inimicum graviter percussi. Hactenus Cajus. Quid jamcensendum de tali confessione?

182 R. Confessio hæc manca est, & insufficienter expressiva peccatorum præsertim quoad numerum, prout quisque vel mediocriter tinctus in moralibus facilè deprehendet, propterea que pœnitens fuit accuratiùs examinandus. Verùm ut hunc casum sanè frequentissimum, & maximopere practicum clariùs elucidemus, juvabit singula puncta breviter examinando perstringere.

183 Ad primum itaque tenebatur pœnitens addere numerum determinatum, quoties scilicet fuerit intemperantiæ deditus. Item an biberit solùm usque ad crapulam quod est peccatum veniale) an verò usque ad privationem usus rationis, idque scienter, & ex voluptate (quod est peccatum mortale) tametsi hoc rariùs contingat.

184 Ad secundum. Tenebatur addere, num iracundiæ motus fuerit tam vehemens, ut prævenerit usum rationis, aut saltem deliberationem, an verò satis deliberatè juraverit per mille Sacramenta &c. Et si hoc? tenebatur rursus exprimere numerum determinatum. Oportet insuper tales examinare, an non contraxerint habitum jurandi &c. & an contra illum rursus deponendum conati sint?

185 Ad tertium. Non satisfecit præcisè dicendo, se erga diversas Personas cogitationes impuras revolvisse in pectore, sed tenebatur addere, an in illis sibimet complacuerit, vel cum personis illis desideraverit peccare. Quodsi hoc? rursus debuit edicere numerum determinatum. Neque enim satis est dicere *sæpiùs* vel *subinde*, vel etiam *aliquoties &c.* hoc vel illud fuisse factum (prout potior pars hominum etiam cultiorum assolet, utique malè.) Item tenetur pœnitens exprimere qualitatem illarum personarum, quibuscum desideravit habere rem, an scilicet fuerint solutæ, vel ligatæ. Cæterùm an etiam teneatur exprimere numerum determinatum illarum personarum, dicendo v.g. se desiderasse cum *tribus personis* solutis habere rem &c. an verò sufficiat præcisè dicere, se desiderasse peccare *cum pluribus* personis solutis &c. non ita conveniunt DD. Equidem, si supponatur per plures actus distinctos, & moraliter interruptos desiderasse concumbere &c. cum pluribus personis, nullatenus ambigendum est, quin teneatur (quantùm moraliter potest) numerum istorum actuum & personarum exprimere; quandoquidem certum sit, illos actus esse peccata numero distincta. Idque indubitanter tenendum, tunc præsertim, si opere externo malignum hoc desiderium pluribus personis manifestasse supponatur; quo casu haud dubiè pluribus illis fuisset gravi scandalo. At verò, si uno actu desiderii concupiscat plures v.g sex puellas, opere externo non subsecuto: aut si uno discursu obscœno totidem scandalizet, multùm inter se dissident DD. Vasquez enim, Castropalao, Oviedo, aliique plures, quos citat, & sequitur la Croix *l. 5. num.* 149. existimant, esse distinctè exprimendum numerum personarum concupitarum, aut scandalizatarum; eo quòd talis actus in se contineat plures, immò tot malitias numero distinctas, quot erant objecta distincta : quemadmodum actus tendens in plura objecta specie distincta, continet tot malitias specie distinctas, quot sunt objecta specie distincta in quæ tendere supponitur. Et hæc opinio utpote tutior in praxi, quantùm fieri valet, est amplectenda. Nihilominus alii sat multi etiam insignes DD. uti Stoz *l. 1. p. 3. n.* 592. Gobat *cit. tr. 6 n.* 385. Diana *tr. 7. resol.* 17. Illsung *tr. 2. d. 2. à num.* 44. Sbogar *tr.* 133. *nu.* 60. putant, necessum non esse ut exprimatur determinatus numerus plurium personarum, dum quis uno actu plures scandalizavit, concupivit &c. Rationem desumunt ex Concilio Trident. quod ubi *Ss. 14. de pœnit. cap. 5. & cap.*

can. 7. ex professo declaravit obligationem confitendi, plus non docet, quàm omnia mortalia quoad speciem & numerum esse necessariò exprimenda, nulla interim facta mentione de singulis malitiis, si quæ fortè essent in eodem actu, & solo numero differrent inter se. Et certè Suarez censet hanc pluralitatem objectorum solo numero distinctorum respectu ejusdem actus esse solùm circumstantiam aggravantem; quod & Vasquez probabile putat apud nostrum Herincx *cit. n.* 35. *fin.* Hæc itaque opinio velut magis benigna, & tam praxi, quàm etiam fragilitati humanæ magis accommoda, poterit Confessario servire, præsertim in casu, ubi pœnitens in enumerandis objectis vel personis &c. magnam sentiret difficultatem, prout re vera in praxi sæpiùs, quàm par est, sentiet, & vel ex hoc ipso casu nostro haud obscurè colligere fas est.

186 Ad quartum R. Cajum se non satis declarasse dicendo præcisè, quòd cum puella semel dormierit; esto enim per hunc modum loquendi communiter vel nt innuere, se impudicè fuisse conversatos cum illa, non tamen satis exprimunt, an opere ipso, an verò solis tactibus, cum vel sine pollutione &c. peccaverint. Item per hoc non exprimunt, an semel duntaxat, an verò pluries eadem nocte opus consumarint. Et de hoc specialiter interrogandos esse hujusmodi pœnitentes, sibi notet Confessarius, plerùmque enim interrogando deprehendet, eos in uno & eodem concubitu plures exercuisse copulas perfectas, utique in confessione distinctè exprimendas, cùm quælibet velut actus tam physicè, quàm moraliter consumatus constituat peccatum numero distinctum secundùm *omnes*.

187 Ad quintum R. Cajum satisfecisse confessionis præcepto, quia numerum distinctè expressit. Quin immò, si supponatur ex eodem impetu iræ & vindictæ continuasse moraliter inimicitias, tandemque inimicum graviter percutiendo læsisse, non fuisset opus exprimere numerum inimicitiarum præcedentium, sed satisfecisset dicendo se graviter inimicum suum læsisse; quia tunc omnes illæ inimicitiæ velut media ad consumationem ejusdem peccati externi, percussionis scilicet ordinata, & in eodem fine unita, constituissent unum duntaxat numero peccatum mortale. Verùm hæc omnia in praxi ad amussim semper disquirere, Confessario non minùs difficile, quàm pœnitenti impossibile sæpe sæpiùs accidere solet; quo casu utique sufficiet integritas formalis, stipata bona fide pœnitentis.

Dices. At quid, si Cajus post factam confessionem comperiat, se non sexies tantùm, sed omnino decies, aut duodecies, & quidem moraliter interruptis vicibus inimicitias decoxisse?

188 R. Ex hac suppositione non satisfecisset dicendo *sexies circiter* se decoxisse inimicitias &c. ideoque teneretur in proxima confessione reliqua quatuor aut sex peccata inimicitiæ subjicere clavibus, quippe quæ nondum erant subjecta, aut à Confessario intellecta, esto dixerit se *sexies circiter* fovisse inimicitias. Sed ut hanc doctrinam magis penetres,

189 Notes velim ex P. Sporer *cit. nu.* 446. Tamburino, Lugone & aliis, per particulas *plus*, *minùs*, *circiter*, *&c.* comprehendi & intelligi posse excessum modicum super numerum illum cui particulæ præfatæ superadduntur, non item excessum notabilem. Quousque autem se extendat illud *circiter*, vel *plus*, *minus*, *&c.* prudentis arbitrio æstimandum est non absolutè, sed respectivè seu comparativè ad numerum cui adjungitur, majorem, vel minorem proportione geometrica, ita, ut quo major fuerit numerus, tantò major excessus sub præfatis illis particulis intelligi possit ex. gr. qui dicit se blasphemasse *sexies circiter*, *plus minus &c.* implicitè dicit, aut certè dixisse intelligi potest ac debet, fortassis quinquies tantùm, aut etiam septies blasphemasse, non item intelligi potest blasphemasse decies aut duodecies. Vid. DD. *cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

190 Colliges ex hactenus dictis primò, in praxi consulendum esse pœnitentibus (nisi sint scrupulosi) ut etiam pec-

peccata dubia confiteantur; tum quia hoc est tutius; tum etiam quia magis absterret & retrahit à peccatis; tum denique, quia etiam juvat ad tranquillitatem conscientiæ, excludendo stimulos & remorsus, quos profectò quamplures experiuntur quamdiu à peccatis dubiis sese non exonerant mediante confessione; atqui semper decet, ut Confessarius inculcet ac suadeat ea, quæ saluti animæ judicarit magis conducere: ergo &c. Dices. At quid, si pœnitens non merùm dubitet, sed habeat rationes probabiles, quòd non peccaverit, tenebiturne in talibus circumstantiis confiteri?

191 R. Non tenebitur, tametsi probabiliùs crederet se peccasse. Ita *communissimè* DD. Quia cùm non merùm dubitet, sed rationabiliter credat se non peccasse, nihil planè obstat, quò minùs sese possit resolvere quòd non subjaceat præcepto confessionis, partim quia manet in possessione suæ innocentiæ ac libertatis; partim etiam quia ex integritate materiali non dependet valor Sacramenti, sed sufficit formalis integritas. Consultius tamen est, & conscientiarum quieti conducentius, etiam hujusmodi peccata confiteri; cùm revera semper maneat dubium speculativum, an non reipsa sint commissa.

Dices iterum. Quidsi autem sit certus, se peccasse graviter, & solùm dubitet, an tale peccatum jam fuerit confessus?

192 Resp. Distinguendum est graviter in hoc casu. Si enim pœnitens supponatur esse homo laxæ mentis, assuetus vel ex professo, vel saltem ex neglectu examinis reticere peccata tenebitur illud peccatum subjicere clavibus; quia obligatio confitendi fuit certò contracta, cui per dubiam solutionem non satisfit. Quin potiùs præsumptio stat contra talem pœnitentem. Econtra si pœnitens supponatur esse timoratæ conscientiæ, non assuetus reticere, aut in confessione omittere peccata, rationabiliter omnino præsumet, se hoc peccatum cum aliis jamjam subjecisse clavibus. Stoz *l. 1. p. 5. num.* 169. Sbogar *tr. 86. num.* 42. Gobat, La Croix.

193 Colliges secundò, ob rationes mox datas *num.* 190. sin minùs præcipiendum, saltem consulendum esse pœnitentibus, ut confiteantur circumstantias notabiliter aggravantes; quandoquidem multùm conducere noscatur ad conscientiæ remorsus eradendos, nec non ad vitanda peccata: Idcircò haudquaquam imprudenter aget Confessarius, si pœnitentem sese accusantem v. gr. de furto gravi, vel alia læsione proximi in bonis animæ aut fortunæ &c. vel de incestu commisso, vel de scandalo aliis dato, utputa verbis aut facto minùs honesto &c. si, inquam, interroget, quantùm damnificaverit, aut furando abstulerit, vel 2. in quoto gradu commiserit incestum, vel 3. quot homines scandalizaverit &c. Tametsi secundùm sententiam probabilem multorum, *num.* 170. relatas hujusmodi circumstantias, utpote merùm aggravantes pœnitens non teneatur explicare, ideoque nec teneretur in rigore loquendo respondere Confessario interroganti. Vide Gobat *tr. 6. num.* 382. *& seqq.*

Dices. Pœnitens interrogatus de consuetudine peccandi, tenetur Confessario interroganti respondere: ergo etiam per se tenetur respondere interrogatus de circumstantiis mox enumeratis.

194 R. Cum P. Herincx *cit. disp.* 3. *n.* 37. Reiffenstuel ubi supra *num.* 53. & aliis pluribus, quòd si pœnitens sciat se esse dispositum, nec consuetudinem esse sibi occasionem proximam; per se loquendo non teneatur eam fateri, etsi rogatus. Per accidens tamen & practicè loquendo est saltem plerùmque necessarium, eò quòd inde debeat Sacerdos dignoscere dispositionem pœnitentis, qualitatem occasionis peccandi, nec non frequentiam, & numerum peccatorum commissorum: qua ratione Innocentius XI. justè proscripsit sequentem *nu.* 58. propositionem: *non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Ob eandem rationem per accidens obligabitur pœnitens Confessario interroganti respondere de circumstantia, quando notitia hujus est necessaria ad legitimam absolutionem, utputa sit propter talem circumstantiam Casus sit fortè reservatus, vel annexa excommunicatio, à qua Confessarius non posset absolvere, prout DD. communiter advertunt.

Col-

195 Colliges tertiò, numericam peccatorum distinctionem vel maximè dependere à prudentum hominum judicio, & morali existimatione. Quia verò sapientum etiam judicia non semper sunt pariformia; hinc minimè mirandum, quòd circa hanc distinctionem numericam assignari non valeat una aliqua Regula universalis; immò quòd DD. multùm inter se dissideant. Juvabit tamen pro praxi notare, duplicis generis opera reperiri, alia quippe sunt, quæ habent connexionem ad invicem, sibique subordinantur quodammodò ad complendum integrum opus, uti se habent oblatio, consecratio, & sumptio ad integrandum SS. Missæ sacrificium. Alia è contra reperiuntur quæ ad invicem nullam habent connexionem vel subordinationem, nec ex natura sua, nec ex divina aut humana institutione; quo modo se habent v. gr. sacrificium Missæ, Sacramentum pœnitentiæ, baptismi, confirmationis &c. Ex His.

196 Colliges quartò, eum qui fœminam sæpius osculatur, turpiter contrectat, obscœna loquitur, ut ad peccandum alliciat, tandemque opere ipso iniquum suum desiderium complet, unicum duntaxat committere peccatum, eò quòd præfati actus omnes in uno fine & intentione fuerint uniti. Idipsum multi asserunt de actibus, seu etiam tactibus lascivis copulam mox sequentibus, cùm & isti videantur quodammodo complementum ipsius copulæ. Secus dicendum foret, si fierent in ordine ad novam copulam inchoandam, prout rectè limitat Bosco *Disput. 7. Sect. 11. num. 44.* Suarez, aliique.

197 Colliges quintò, unicum etiam peccatum duntaxat committi ab eo, qui intendit certam summam, vel etiam integram bibliothecam furari, esto integrum diem aut noctem in auferendis libris absumat; vel qui ex eodem impetu iracundiæ alicui plura infligit vulnera aut verbera &c. quia in hominum existimatione censetur moraliter unum furtum, vel unica percussio, quemadmodum unicum censetur Convivium vel Cœna, licèt plura apponantur, & absumantur fercula. Econtra qui pluribus diebus, esto vi ejusdem intentionis malignæ, non servaret jejunium, aut negligeret breviarium, tot committeret numero distincta peccata, quot diebus non jejunat &c. quia cuilibet diei est annexa certa obligatio, moraliter distincta ab obligatione alterius diei, propereaque quolibet die censetur peccatum & physicè, & moraliter consummatum. Vide Sporer *à n.* 433.

Dices adhuc. Sed quot peccata committit Sacerdos in statu disgratiæ plures successivè absolvendo?

198 R. Probabiliter tot committit peccata, quot successivè absolvit. Ita cum aliis multis Babenstuber *tr. 2. d. 3. a. 3. num. 16.* Ratio ipsorum est hæc: quia quælibet absolutio est actus & physicè, & moraliter consummatus, cùm sit verum Sacramentum. Ergo quot dantur absolutiones in tali statu, tot committuntur numero distincta sacrilegia in confessione exprimenda. Hoc tamen non obstante P. Sporer de pœnit. *num.* 435. Illsung. *tract. 2. d. 2. num.* 64. Gobat, Henriquez, & alii, probabiliter tenent, hujusmodi Sacerdotem non committere, nisi unicum sacrilegium, & præcepto Confessionis satisfacere dicendo: *Semel in statu disgratiæ constitutus plurium confessiones excepi, & absolvi*. Ratio est: quia ministerium pœnitentiæ (sicut & Eucharistiæ) ex natura sua non determinant sibi certas personas, quin potiùs postulant ex divina institutione ut omnibus sacrum tribunal accedentibus jus dicatur, & omnibus ad mensam Domini accumbentibus, sacrum ferculum apponatur. Esto igitur singulæ absolutiones & singulæ distributiones SS. Eucharistiæ sint consummata administratio Sacramenti, habentur tamen in morali hominum æstimatione pro partibus integralibus unius ministerii, cum tali multiplicitate peragi soliti, sive unius functionis & operationis humanæ, inquit Illsung *loc. cit.* Aliter discurrendum foret, casu quo Sacerdos sæpiùs, & moraliter interruptis vicibus sese præsentasset ad absolvendum, quia tum multiplicasset sacrilegia, quemadmodum in morali

rali existimatione seu judicio prudentum multiplicasset ministeria. Ita Diana *p. 1: tract. 7. resol. 41. & 43.* Lugo *disp. 16. de pœnit. sect. 13. §. 2.* quos sequitur Sporer *l. c.*

199 Colliges denique quintò, Casu quo pœnitens moraliter loquendo nequit recognoscere & explicare numerum peccatorum, prout fieri amat in maximis, & longa consuetudine inveteratis peccatoribus, satis esse, ut explicet statum vel etiam tempus, quo in tali statu & consuetudine perseveravit. Sic v. gr. meretrix sufficienter se accusaret dicendo, se per annum (aut plures) tam conjugatis, quàm solutis, laicis & clericis &c. fuisse expositam &c. quia moralis impossibilitas excusat ab integritate materiali secundùm dicta. Nihilominus si recordaretur aliquorum peccatorum in specie, præsertim talium, quæ non ita frequenter commisit, ut quoties cum consanguineis peccaverit &c. teneretur ea singillatim & distinctè exprimere, prout cum aliis sapienter & bene advertit Reiffenstuel *cit. dist. 7. n. 33.*

Et quod de meretrice dictum, idipsum de aliis consimilibus maximis peccatoribus & consuetudinariis dicendum esse, quisque facilè colliget, ob paritatem omnimodam.

CONFERENTIA
OCTAVA.

De Integritate confessionis in Moribundis requisita.

SUMMARIUM.

221 *Moribundus cessante impotentia tenetur sua peccata specificè & numericè confiteri.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Moribundorum confessione.

QUæres primò, an possit absolvi Moribundus non confessus integrè materialiter?

200 R. Potest ac debet ex charitate, immò à proprio Pastore etiam ex justitia absolvi, esto non sit materialiter integrè confessus. Ita *omnes*. Ratio est: quia ex generali præcepto charitatis, quivis; immò Sacerdos proprius, uti est Parochus vel alius superior suo subdito in extremæ necessitatis periculo constituto ex justitia tenetur succurrere modo sibi possibili & licito: atqui moribundus versatur in tali periculo, & sacerdos validè ac licitè potest succurrere administrando Sacramentum pœnitentiæ; cùm non sit necessaria integritas materialis ad hujus valorem: ergo tenetur.

Sed quid, ais, si moribundus postulavit quidem Confessarium, huic tamen supervenienti ne unicum quidem possit exponere peccatum?

201 R. Nihilominus sub gravi obligatione debet absolvi. Ita communiter recepta DD. sententia satis tuta, quæ in variis Conciliis legitur decisa. Idipsum præscribit Rituale Rom. jussu Pauli V. editum *tit. de pœnit. §. ult.* sequentibus omnino verbis: *quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur (Sacerdos) quoad ejus fieri poterit, peccata confitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si desiderium confitendi sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est*. Hactenus Rituale Rom. utique satis accuratè præscribens modum agendi cum moribundis.

202 Quocirca tamen notandum, ad validam absolutionem non sufficere signum quodcunque pietatis aut doloris ab infirmo exhibitum, sed omnino necessarium esse, ut dederit hujusmodi signum in ordine ad obtinendam absolutionem; quia secundùm dicta superiùs *num. 66.* ut dolor sit sufficiens, necessariò aliquo saltem modo referendus est ad absolutionem; secus enim non esset Sacramentalis, consequenter nec pars Sacramenti.

Nihilominus in praxi piè præsumendum est, quemlibet moribundum hujusmodi signa dedisse intuitu salutis obtinendæ, ideoque ad absolutionem Sacramentalem, ceu singularissimum salutis remedium obtinendam, propterea que potest & debet absolvi, sin minùs absolutè, saltem conditionatè, prout rectè cum *communi* docet Layman *hic cap. 8. numer.* 4.

Quæres tertiò, quænam sint, aut censeantur signa sufficientia ad licitè impertiendam absolutionem moribundo?

203 R. Cum P. Sporer *num. 641.* La Croix & aliis, hujusmodi signa in triplici differentia reperiri, quorum aliqua certa, alia probabilia duntaxat, & alia omnino dubia habentur. 1. Itaque signa certa sunt, quæ ex sua natura ordinantur ad confessionem & Sacramentum pœnitentiæ; ut si moribundus coram Confessario aut aliis dicat, se dolere de suis peccatis, petere veniam, aut postulet absolvi &c. quo casu absolutè debet absolvi.

204 Secundò. Signa probabilia censentur, quæ quidem significant dolorem ac pœnitentiam, sed exhibentur à moribundo sine mentione, vel clara relatione ad confessionem, aut ad obtinendam absolutionem; utputa si infirmus tundat pectus, aut dicat. DEUS esto mihi propitius &c. quo casu monendus est (si tempus aut periculum permittant) ut eliciat desiderium suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ: at verò si periculum urgeat, poterunt hujusmodi signa sufficere ad dandam absolutionem, & quidem (juxta plurium opinionem) absolutè; etsi tutius sit absolvere conditionatè duntaxat v. gr. hoc modo: *Si es capax, ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis,*

dein-

deinde ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris &c.

205 Tertiò tandem signa merùm dubia reputantur, quæ de se sunt indifferentia ad significandum dolorem vel naturalem ex morbo, vel supernaturalem ex peccatis conceptum, nec fatis dignoscuntur hìc & nunc à moribundo referri ad Sacramentum pœnitentiæ; ut si infirmus, rogatus num velit confiteri, solùm lachrymetur, suspiret, oculos attollat, aut manum Sacerdotis, vel alterius interrogantis stringat; adhuc enim dubitare licet, an hoc faciat intuitu absolutionis obtinendæ, an verò id fiat ex vi morbi nervos constringentis, prout fieri amat in phræneticis, & in hoc casu absolutio dari nequit absolutè, bene tamen conditionatè, conditione saltem in mente retenta; quia taliter absolvere nec reverentiæ Sacramenti obstat, neque saluti ipsius moribundi: multùm autem per omnem modum nocere posset negotio absolutionis, si pœnitens re ipsa solùm attritus, ex hac vita decederet in statu peccati mortalis; ut communiter advertunt DD. Lugo, Tamburinus, Marchantius noster *Tribunal. p. 1. tract. 4. tit. 4. qu. 3. dub. 7.*

Quæres tertiò, Possitnè etiam ille moribundus absolvi, in quo Sacerdos hìc & nunc nullum omnino signum doloris, vel dolorosæ accusationis deprehendit?

206 R. 1. Potest ac debet absolvi, præsertim si alius quicunque demum testetur, eum nonnulla monstrasse signa doloris, priùs quàm in tale periculum incidit: idque omnino practicandum, esto testis ille seu internuncius supponantur non ampliùs esse præsens moribundo, vel Confessario absolventi. Ita hodie satis *communiter* DD. Suarez, Tannerus, Layman, Sporer, Sbogar *tract. 2. cap. 2.* Clericatus *decis. 32. num. 6.* Ratio est: quia juxta præscriptum Ritualis Rom. supra mox *num. 201.* allegati absolvendus est moribundus, modò desiderium confitendi sive per se, sive per alium ostenderit. Et meritò quidem; charitas quippe & necessitas urgent, ut quantùm possumus, proximo nostro extremè periclitanti succurramus.

207 Neque obstat decretum Clementis VIII. quo cavetur ne unquam confessio fiat Sacerdoti absenti; quia ut advertit Sporer *numer. 639.* quando pœnitens coram aliis, vel alio ostendit voluntatem confitendi, & signa doloris edidit in ordine ad obtinendam absolutionem, hoc ipso incepit virtualiter confiteri, atque tamdiu moraliter continuat, aut certè continuare piè præsumendus est, quousque absolvatur; ergo si Confessarius jam præsens (esto absit testis vel internuncius) eum absolvat, dicetur in præsentia confessum absolvisse præsentem. Et certè idemmet Altefatus Pontifex Clemens VIII. coram Cardinale Bellarmino declarasse fertur anno 1603. *d. 16. Aprilis*, suæ mentis non fuisse, per dictam prohibitionem comprehendere Casum moribundi extremè periclitantis, esto per alium petierit Confessarium &c.

208 R. secundò. Tametsi non constet, moribundum priùs quàm destitueretur sensibus dedisse doloris signa, aut postulasse Confessarium: immò verò, tametsi Sacerdos hìc & nunc nullum in eo signum doloris reperiat, potest tamen, & juxta magis piam ac favorabilem sententiam debet absolvi, non quidem absolutè, sed conditionatè. Ita hodie satis recepta inter DD. sententia, quam tenent Pellizarius, Tamburinus, Marchant. Sporer, Sbogar, Gobat, Herincx, La Croix. Ratio hujus opinionis dari potest ac debet hæc: quia cùm hoc Sacramentum utpote summè necessarium sit à Christo Domino institutum in favorem & salutem animarum, debet in extrema saltem necessitate administrari, quoties prudenter præsumi potest adesse omnia ad valorem necessaria, ideoque sperari fructus: atqui de quolibet Christiano piè præsumere licet, quòd via tutissima (qualis est pœnitentiæ) velit adire æternitatem, ideoque vel jam dederit sensibile signum doloris, præsertim quando animadvertit periculum, vel saltem hìc & nunc det tale signum v.g. ingemiscendo, anhelando, oculis aspiciendo Confessarium &c. quo sese velut peccatorem

velit accusare intuitu salutis & absolutionis impetrandæ: ergo licitè potest, & probabiliùs etiam debet sub conditione *si sit capax aut dispositus*, absolvi.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Moribundis non valentibus confiteri prout oporteret.

CASUS PRIMUS.

Titius Faber murarius inopinato Casu ab alto decidens, caput gravissimè allisit, immò & cervicem fregit, propterea que ultimam agebat animam; id, ubi Uxor Titii inaudiit, oculisque perspexit, vehementer perterrita, mox & ipsa phrænesin incidit. Quare vocabatur Confessarius, qui dum ad inopinatum supervenit spectaculum reperit utrumque conjugem extremè periclitantem, in neutro tamen vel minimum rationis, vel etiam doloris de peccatis concepti indicium deprehendit. Dubitavit idcirco, quidnam in his circumstantiis agendum?

209 Resp. Conandum fuit, ut acclamando actum doloris, desideriumque absolutionis in iisdem excitaret, tum verò uterque, vel si mora non patiebatur ob instans mortis periculum, uterque simul absolvendus erat conditionatè cum hac formula: *si estis dispositi, ego vos absolvo &c.* Ratio jam data fuit n. mox præcedenti: quia scilicet ex voluntate Christi hoc Sacramentum in casu necessitatis administrandum est, modò aliquantula saltem spes salutis, & fructus inde percipiendi appareat; voluit quippe divina clementia (uti sapienter ait Viva mox infra citandus) ut in administratione Sacramentorum potissimùm attenderetur ad salutem animarum, adeò, ut voluerit bonum nostrum præferri reverentiæ illis debitæ, prout vel ex eo perspicuè satis cernere licet, quòd Christus communicando Judam, maluerit modici temporis famam hominis scelestissimi præferre, quàm negando communionem Sanctam, eundem coram aliis prostituere: ergo cùm in hoc nostro casu aliquantula saltem appareat spes, ob rationes mox allatas, potuit ac debuit Confessarius Titium cum sua uxore absolvere conditionatè.

Dices. Etsi Sacramentum baptismi sit summè necessarium ad salutem, neutiquam tamen licitum est baptizare, etiam sub conditione tantùm, in eo casu, ubi deficit omnis materia baptismi: ergo à pari, cùm in nostro casu deficiat omnis materia proxima pœnitentiæ, scilicet confessio dolorosa, ne quidem sub conditione licitum erit absolvere.

210 R. Negando suppositum consequentis. Non enim in hoc casu supponitur abesse, sed potiùs adesse præsumitur materia proxima pęnitentiæ, dolorosa scilicet confessio saltem virtualis; quia secundùm dicta piè admodum præsumitur ac creditur, quemlibet moribundum desiderare securissima via, pœnitentiæ scilicet, adire æternitatem, ideoque dare aut proximè dedisse doloris indicium de suis peccatis: ergo quemadmodum in casu necessitatis nedum valet, sed & debet sub conditione baptizari infans in materia dubia, idest, tali, quæ verosimiliter videtur esse aqua naturalis quoad substantiam; ita pariter ob instans animæ periculum debet absolvi moribundus, modò adsit, vel verosimiliter credatur adesse materia proxima absolutionis, scilicet virtualis saltem confessio, & dolorosa accusatio de peccatis in genere. Esto id nequaquam foret licitum, si certò constaret, moribundum nec proximè dedisse, neque actu dare aliquod signum sensibile doloris in ordine ad confessionem, sicut nunquam licitum est baptizare, ubi certò noscitur deficere omnis materia etiam probabilis, aut dubia baptismi. Vide Gobat *tr. 7. a. n. 612.*

CASUS SECUNDUS

Sempronia vidua jam pridem fatales conceperat inimicitias erga propriam suam filiam nuptui traditam, quam ob causam nec aspectu illam dignabatur, nec alloquio, sæpiùs insuper protestabatur (quidquid demum alii tum Regulares, tum etiam sæculares Sacerdotes in contrarium persuadere sæpius nitebantur) ne

ne vel morituriențis conspectum subire unquam præsumeret aut permitteretur. Tandem verò Sempronia tangitur repente apoplexia: accurrunt plures mulieres juvandi gratia, inter alias etiam filia tam exosa: rogatur Mater, ut in hoc saltem articulo velit ignoscere, at illa torvis oculis filiam aspiciens, mox ab ea faciem avertit, illicoque sensibus destituta nullum ampliùs doloris signum edidit, licèt integro triduo agonizarit. Jam dubitatur, an Sempronia licitè potuerit sub conditione saltem absolvi?

211 R. Videtur probabiliùs, Semproniam licitè non potuisse absolvi, quippe quæ nullum prorsus pœnitentiæ, sed potiùs impœnitentiæ indicia edidit tunc, quando in talem lamentabilem statum incidit. Nihilominus quia Poncius *in cursu theol. disp. 46. num. 59.* Gormaz, Bonapratia, Cardenas, Stoz, & alii plures apud La Croix *l. 6. p. 2. num. 1163.* probabile censent, etiam illos, qui antea malè vixerunt, immò qui actualiter peccando v. g. adulterando &c. sensibus sunt destituti, aut duellando confossi &c. vix, aut nunquam esse dimittendos sine absolutione; hinc censeo, Semproniæ nostræ fuisse inculcandos, & acclamandos actus contritionis generaliter de omnibus suis peccatis, præscindendo ab obligatione reconciliandi se cum filia; tum quia in his circumstantiis reconciliatio saltem externis signis facienda, videbatur impossibilis, & hoc ipso faciliùs dissimulanda, ne fortassis offensa in mentem revocata, poneret obstaculum contritioni; tum etiam quia fortassis Sempronia se injustè læsam existimans, credidit, se absque reconciliatione cum filia & de peccatis suis efficaciter dolere, & salvari posse. Quare cùm in tantis periculis animæ oporteat semper inclinare in benigniorem partem, licebit & hìc præsumere, aut saltem rationabiliter dubitare, an moribunda post tot acclamationes & pias exhortationes non conceperit verum dolorem, ita ut capax sit absolutionis Sacramentalis. Idcirco haud imprudenter fecisse existimo illum Confessarium, qui sub conditione Semproniam absolvit.

Dices. Constat multiplici experientia & ipsorum moribundorum testimoniis, eos in tantis periculis vel non fuisse sibi præsentes, aut certè nil minùs, quàm de contritione, vel de suscipiendo Sacramento pœnitentiæ cogitasse, prout ipsimet postea sensibus restituti non rarò fassi sunt: ergo ne Sacramento fiat injuria, neutiquam absolvi debent.

212 R. Negando consequentiam: esto enim constet, multos, immo fortassis plurimos, vel ob defectum usus rationis, vel ob aliam indispositionem nil minùs, quàm de obtinenda absolutione cogitasse; Nihilominus simili experientia constat, nonnullos in tali periculo vera dedisse signa doloris, & quàm affectuosissimè desiderasse beneficium absolutionis, licèt hoc suum desiderium ab aliis non fuerit satis perspectum. Hujus nobis testimonium fide dignissimum de se ipso præbet Marchantius noster in *Tribunal. Sacrament. tom. 1. tr. 4. tit. 4. q. 3. dubio 7. prope finem*, sequentibus omnino verbis: confirmor (ait) in „ hac ignotorum signorum declaratione, „ eò quòd mihi semel extremo periculo „ post extremam unctionem laborandi, & „ per omnia sensuum operatione destituto contigit: sensibus omnibus destitutus eram, excepto auditu: ratione autem & judicio firmo & rectò intùs utebar, ita, ut cùm me deficere, & ex „ Medico foris loquente, & ipsius naturæ „ debilitate perciperem, firmiter me Dei „ misericordiæ commendabam, & piam „ affectum aliquem foris conabar præstare: ùnde mirum est, si fortè gemitu „ aliquo, vel respiratione, vel doloris „ nutu illud non ostenderim, quamvis „ adstantes illud non notarent, nisi fortè „ ut erant signa naturæ patientis. Ab illo „ tempore in animum induxi, quòd, si „ quovis modo aliquem Catholicum sic „ oppressum reperirem, nec signum aliquod mihi intelligibile dare posset, nihilominus sub conditione absolverem, „ eò quòd fortè aliquod signum pœnitentiæ edat, etsi mihi incognitum. „ Hactenus in rem nostram Marchantius, & bene; nam si ipse dederat signa, etsi ab aliis non intellecta, quidni de aliis dubitare liceat, an non pariter vel hìc & nunc dent, vel proximè dederint hujusmodi si-

gna doloris? ergo cùm in dubio sit inclinandum in favorem Rei, simulque per appositam conditionem declinari valeat irreverentia Sacramenti, nihil prorsus obstare videtur, quo minùs possimus, immo & teneamur absolvere moribundum: urget enim charitas proximi: suppetit insuper gravissima ratio, hæc scilicet, quia fortassis moribundus vi absolutionis justificabitur, qui vi solius attritionis non justificatus incurrisset æternam damnationem.

CASUS TERTIUS.

Cajus hæreticus homo cæteroquin bene morigeratus, qui videbatur hactenus materialiter tantùm errasse, ad extrema devenerat, quem Sacerdos quidem catholicus inviserat, & ut animæ saluti consuleret, eundem in hunc modum alloquebatur; Fuimus amici, sumusque, & volo, ut sincerè respondeas. Nonne in Religione Lutherana permanes, quia illam veram existimas? nonne illam statim relinqueres, si falsam putares? nonnè doles, te Deum offendisse? nonne confiteris Deo te peccasse? & vis confiteri homini, qui te possit absolvere? nonne mihi confiter's, si scires, te posse & debere hoc facere? *Annuit ad singula æger, & Sacerdos ait*; si est sufficiens ista confessio, ego te absolvo &c. *Jam quæritur 1. an fuerit ista vera confessio? 2. Si vera, an integra? 3. an Sacerdos prudenter concesserit absolutionem? 4. an necessariò posuerit conditionem, an verò absolutè absolvere potuerit ægrotum?*

Totum hunc casum vix non in iisdem terminis ex Caramuele refert P. Gobat *tr. 7. n. 622.* quem etiam succinctè quidem, sed, more suo, sapienter resolvit &

113 Respondet in hunc modum 1. confessionem illam fuisse (si seriò talia dixit ille bene moratus) veram confessionem, utpote cui nihil essentiale defuerit; 2. fuisse quoque integram formaliter, etsi non materialiter; 3. Confessarium prudenter concessisse absolutionem, & quidem sub conditione, si habuit ex circumstantiis rationem dubitandi, utrùm germano, idest, minimè fucato animo prolocutus esset hæc omnia æger; absolutè verò, si non occurrit ratio positiva dubitandi de germanico candore. Ita Gobat, & bene. Rationes autem constare debent ex hactenus dictis. Sed

Dices: Ad absolutionem validam necessariò concurrere debent actus fidei & spei: at in hæretico actus fidei supernaturalis supponi nec potest, nec debet: ergo nec absolvi.

114 R. Equidem in hæretico formali illos supponi non posse, possunt tamen supponi in hæretico materiali (qualis credebatur esse Cajus noster) actus fidei communes nobiscum & ad hoc Sacramentum necessarii, utputa quòd Deus sit justus Judex, nec minor in misericordia, quàm justitia; vi cujus non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat &c. ergo in tali hæretico materiali non defuit vera fides de Deo, Christo, cœlo, inferno &c. consequenter potuerunt adesse supernaturales actus spei, dilectionis, contritionis &c. fundati in ea fide, uti rectè observat Gobat *cit. num. 611.* approbante la Croix *l. 6. p. 2. num. 1866.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

115 Colliges ex dictis primò, Sacerdotem qui negligit, seu etiam non absolvit moribundum, de quo prudenter dubitare licet, an hic & nunc non sit fortè dispositus, gravissimè peccare contra charitatem, immò etiam (si supponatur esse Sacerdos proprius, seu Pastor) contra justitiam. Constabit hæc illatio ex dictis: quia quoties citra grave incommodum sequendo opinionem probabilem subvenire valemus proximo gravissimè periclitanti, ad hoc ex lege charitatis (Pastor etiam ex justitia) tenemur: at opinio hæc nostra, hactenus declarata est probabilissima, tum ex rationibus, tum etiam ab auctoritate: ergo &c. Unde nec excusandus foret ex eo, quòd forsitan crederet hanc benignam opinionem esse minùs probabilem, vel tenuis omnino probabilitatis; nam talis tenetur

tur corrigere suum judicium, & huic opinioni, tum à rationibus, tum etiam ab auctoritate satis fundatæ sese accommodare; cùm id absque peccato fieri possit. Videatur Viva *post tertiam partem damnatarum thesium §. XI. fin.*

216 Colliges secundò, etiam illum moribundum esse absolvendum sub conditione, de quo prudenter dubitatur, an adhuc vivat, an verò jam vixerit? Idque tunc præsertim faciendum, quando moribundus priùs postulavit Confessarium, aliavè doloris signa, aut confessionis desiderium exhibuit. Ita præter alios Sbogar *tr. 2. num. 23.* Ratio est: quia hoc Sacramentum est administrandum in casu necessitatis, quoties affulget aliquantula saltem spes fructus inde percipiendi; id enim Christum pro infinita sua clementia & amore nostræ salutis voluisse, communiter satis tradunt DD. apud Diana *p. 3. tract. 3. resol. 9.* & Viva *loc. cit.* at in nostro casu apparet aliquantula saltem spes fructus & valoris: ergo. Secus dicendum foret, si ægrotus adveniente Sacerdote jamjam exspirasse supponatur; quia tunc non ampliùs esset homo viator, ideoque nec capax absolutionis, utì deciditur *cap. Multiplex 49. de pœnit. d. 1.* quemadmodum & infans mortuus non est ampliùs capax baptismi; cùm certum sit, Sacramenta fuisse instituta pro hominibus Viatoribus. La Croix. *n. 1164.*

At quid (ais) si Sacerdos reperiat Moribundum, de quo non constat, sitnè Catholicus, vel verò acatholicus?

217 R. Adhuc absolvendum esse sub conditione satis probabiliter tradunt multi DD. Marchant apud Sporer *numer. 648.* Ita etiam Theologos Viennenses resolvisse testatur Caramuel apud Sbogar *cit. num. 24.* Tum quia charitas etiam in tali casu urget, ut quantùm possumus, succurramus; tum etiam quia absolutio per conditionem appositam purificatur.

Dices adhuc. Quidsi autem infirmus ex mania vel delirio recuset confiteri?

218 R. Cum distinctione. Si enim rationabiliter credi possit, eum priùs, quàm maniam aut delirium incidit, dedisse aliquod signum doloris in ordine ad obtinendam absolutionem, potest & debet absolvi sub conditione saltem; adhuc enim esset capax absolutionis, quippe cui præsens mania nihil obstat. At verò si prudenter credi non possit priùs de peccatis doluisse & desiderasse absolutionis beneficium ne quidem sub conditione absolvi debet; quia ubi nulla prorsus intervenit confessio, ibi ne quidem sub conditione impertienda est absolutio: atqui supponitur in hoc casu, aut certè prudenter creditur moribundum antea nullum edidisse doloris signum, multò minùs supponi potest in actuali mania aut delirio dare: ergo &c. Et licèt Tamburinus apud Gobat *cit. tr. 7. num. 624.* existimarit, Sacerdotem illum practicè bene fecisse, qui quendam Juvenem à probitate sibi notum, at ex mania recusantem confiteri, denique tamen sub conditione absolvit, id tamen alia ratione haud practicandum vel excusandum puto, quàm quòd ob probitatem sibi perspectam prudenter præsumpserit, Juvenem illum priùs quàm maniam inciderat, dedisse aliquod sensibile signum doloris. Cæterùm an vel quando fatui sint absolvendi etiam in mortis articulo, diximus supra *confer. 2. num. 41.*

219 Colliges tertiò, quòd, quemadmodum nec prima absolutio dari debet moribundo, nisi prudenter credi, aut certè dubitari possit, an non sit dispositus & capax; ita à fortiori nec repetendam esse absolutionem, nisi prudenter credatur moribundum iterasse confessionem sensibilem. Ratio est evidens: quia prima absolutio plerùmque magis est necessaria, quàm secunda. Nihilominus quia facilè contingere potest, ut prima absolutio defectu dispositionis ex parte moribundi fuerit invalida, ac deinde post aliquod temporis intervallum moribundus absolutionem sibi necessariam desideret; idcirco quando Confessarius ex circumstantiis de hoc dubitat, vel prudenter suspicatur, omnino prudenter sub conditione repetet absolutionem.

Nec silentio hìc prætereunda videtur

laudabilis illa industria, & cautela, qua piè admodum solliciti Sacerdotes ad infirmum vocati eidem persuadere solent, quatenus tempore infirmitatis sæpius velit elicere actum contritionis, & desiderium absolutionis, præsertim in ultimo vitæ halitu, percipiendæ. Laudabilissimè, inquam, & sanctè faciunt, modò etiam id observent, ut, priusquam de novo absolvant, novum etiam doloris, seu confessionis saltem virtualis, utpote omnino necessariæ ad novam absolutionem, signum ab eo postulent, & acclamando obtinere nitantur. Videatur Illsung. *tr.* 6. *d.* 6. *num.* 146. Viva *ubi supra* §. *ultimo ad dub. quartum*.

220 Colliges quartò, extra mortis articulum locum non esse huic sententiæ piæ, de danda scilicet absolutione sine confessione formali unius saltem aut alterius peccati. Ratio est: quia ubi non urget extrema necessitas peccatoris, ibi urget præceptum divinum de servanda integritate confessionis in tantum, ut nisi unum saltem vel alterum peccatum exponatur, nunquam administranda sit absolutio? Quapropter ubi non urget necessitas, exspectandum est tempus, quo convenientiùs confessio cum debita integritate peragi valeat, utì rectè docet P. Sporer *n.* 643.

221 Colliges denique quintò, Moribundum vi absolutionis in casu necessitatis datæ non simpliciter fuisse liberatum ob onere confessionis, sed potiùs manere obligatum, ut cessante periculo & impotentia explicitè sua peccata deponat. Rationem hujus jam superiùs *n.* 163. dedimus: quia ex præcepto divino quivis obligatur sua peccata explicitè confitendo clavibus subjicere, ut ab iis directè absolvatur, & Confessarius competentem sententiam ferre valeat: at, hoc nondum præstitisse supponitur moribundus: ergo cessante periculo & impotentia adhuc tenetur Marchantius ubi supra *dub.* 7. *fin.* Bosco *disp.* 7. *sect.* 9. *n.* 173.

CONFERENTIA
NONA.

De Satisfactione Sacramentali.

SUMMARIUM.

239 Re-

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Satisfactione Sacramentali.

Quæres primò, quid sit satisfactio Sacramentalis?

222. R. Est opus bonum pœnale, in Sacramento pœnitentiæ à Confessario impositum in pœnæ temporalis pro peccatis confessis debitæ compensationem. Ita in re communiter DD. Explico breviter. Dicitur 1. opus bonum; per opus enim malum injuria Deo irrogata nunquam expiaretur, sed potiùs augeretur. Dicitur 2. in Sacramento pœnitentiæ à Confessario impositum &c. Etsi enim per alia opera bona, uti sunt jejunium, orationes &c. arbitrariè & propria sponte suscepta Deo satisfacere, id est, injuriam illatam quodammodo compensare valeamus, hæc tamen non erit satisfactio Sacramentalis, quia non virtute clavium imposita.

Dicitur 3. in pœnæ temporalis compensationem: duo enim reperiuntur in quovis peccato, videlicet 1. culpa, habens adjunctum reatum pœnæ æternæ, si sit mortalis; & 2. reatus pœnæ temporalis, quæ sæpe remanet etiam post remissam culpam. Unde & duplex est satisfactio, una, qua satisfacimus DEO pro culpa (quod fit vel per contritionem perfectam, vel per attritionem cum Sacramento &c. altera, qua satisfacimus Deo pro pœna restante post culpam dimissam, quod fit, dum pœnitentiam virtute clavium nobis impositam debitè exequimur, sicque injuriam Deo irrogatam in nobismet vindicamus.

Quæres secundò, Utrùm Confessarius teneatur pœnitentiam imponere?

223 R. Per se loquendo tenetur. Ita enim fert praxis Ecclesiæ, & præscribit Concilium Tridentinum *ss. 14. c. 8.* hisce omnino verbis: *Debent igitur Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere.* Et meritò: satisfactio quippe est pars integralis hujus Sacramenti: atque Confessarius tenetur procurare Sacramenti integritatem: ergo. Et certè natura judicii, & potestas judicialis postulat aliquam punitionem delictorum. Palao, Sanchez, Salmanticenses, Clericatus *decis. 34. n. 6.* & alii.

224. Dixi tamen: *per se loquendo tenetur* &c. Per accidens enim in nonnullis casibus non obligatur pœnitentiam injungere; utpute si pœnitens sit mortis proximus, & usu sensuum destitutus, ideoque & physicè & moraliter impotens. 2. Casu quo ob contritionis vehementiam, & perfectionem, vel etiam ob indulgentias jamjam lucratas aut proximè lucrandas nulla ampliùs indigeret satisfactione, item 3. si post absolutionem jam perceptam & pœnitentiam injunctam mox subjiciat aliud peccatum. Ita Sporer, Layman. Gobat *num.* 743. *&* 744. Verùm in his etiam casibus oportet aliquam saltem exiguam pœnitentiam injungere, v. gr. ut moribundus, si possit, corde saltem pronuntiet Sanctissima nomina JESU & MARIÆ, aut dolores suos Deo offerat &c. vel ut pœnitens preces

R 4 pro-

pro lucrandis indulgentiis præscriptas debitè persolvat: item convenit ut Confessarius pœnitentiam jamjam injunctam extendat ad illud peccatum de novo subjectum clavibus v. gr. dicendo: ergo pœnitentiam jam injunctam majori cum devotione exequi coneris, aut superadde aliquot Pater & Ave &c. præsertim si peccatum mortale de novo subjiciat; uti bene monent la Croix *l. 6. p. 2. n. 1239.* Kreslinger *in addit. ad theol. mor.* P. Reiffenstuel *ad tr. 14. dist. 10. post n. 12.* Sporer, Gobat &c.

Quæres tertiò, qualis, & quanta pœnitentia sit imponenda?

225 R. 1. Sunt imponenda opera honesta, qualia generatim sunt tria, scilicet oratio, jejunium, & eleemosyna; ad hæc enim omnia reliqua opera fide viva per charitatem operante præstita commodè reducuntur. Sic sub oratione comprehenduntur omnes actus religiosi, qui ad Deum referuntur, uti sunt actus fidei, spei & charitatis, item actus laudis, adorationis, gratiarum actionis, glorificationis DEI, nec non genuflexiones, Ecclesiarum visitationes &c. sub jejunio comprehenduntur omnes castigationes corporales, cilicia, disciplinæ, vigiliæ, humicubationes &c. Tandem sub eleemosyna continentur omnia opera misericordiæ, tam corporalia, quàm spiritualia, & alia opera charitatis erga proximum, uti pulchrè observant Sporer, Gobat, Reiffenst. *tr. 14. d. 10. n. 19.* Clericatus *ubi supra num. 3.*

226 Secundò. Quantitas pœnitentiæ universaliter determinari nequit, sed relinquitur prudentiæ ac judicio Confessarii. Ratio est evidens. Cùm enim delicta non sint æqualia in omnibus; hinc neque æqualis pœna pro omnibus statui potest: licèt ratio naturalis dictet pro majoribus criminibus majores (per se loquendo) pœnitentias esse injungendas. Quocirca singulariter cavendum, ut satisfactio quam Confessarius imponit non solùm cedat in præteritorum peccatorum vindictam, sed vel maximè etiam in medicinam & cautelam futurorum; quemadmodum enim medicina corporalis à DEO instituta est ad salutem corporaliter infirmorum, ita & hoc Sacramentum ad salutem spiritualiter languentium; quos proin nedum relevari à morbo, sed & in futurum congruis spiritualibus medicamentis provideri oportet.

Quæres Quartò. An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam à Confessario sibi injunctam?

227 R. Omnino tenetur, modò supponatur rationabiliter, & (uti semper debet) obligatoriè injuncta. Ita communis DD. Ratio facilè eruitur ex dictis: quia Confessarius tenetur pœnitentiam congruam injungere pro delictis confessis: ergo similiter pœnitens obligatur talem acceptare & implere; etenim potestas præcipiendi & obediendi sunt correlativæ: ergo cùm Confessario incumbat potestas, immò & obligatio authoritativè præcipiendi & imponendi pœnitentiam, necessariò fatendum, quòd & pœnitenti incumbat onus exequendi; secus enim potestas Confessariis *Joan. 20.* concessa à Christo, omnino ridicula foret, & inefficax.

228 Dixi tamen: *modò supponatur rationabiliter injuncta*; non enim tenetur acceptare, multò minùs implere pœnitentiam patenter irrationabilem, aut justo graviorem. Quare si Confessarius desuper admonitus irrationabilem pœnitentiam moderari nolit, licebit pœnitenti eandem reverenter recusare, & alterius Confessarii judicio ac discretioni se committere. Quin etiam (ait Sporer *num. 550.*) accepta absolutione non tenebitur illam pœnitentiam irrationabilem implere, si certò constet esse injustam aut impossibilem, cùm nemo ad impossibile teneatur, neque tunc ad aliud quidquam obligabitur. Videatur Laym. hic.

Quæres Quintò. Quo tempore pœnitentia sit adimplenda?

229 R. Cum distinctione. Vel enim Confessarius determinavit certum tempus, vel non? si primum: tenebitur illo tempore determinato: quia justo mandato semper est obtemperandum, nisi excuset legitima causa. Si secundum, tunc obligatur illam persolvere, quamprimùm mora-

moraliter potest: quia juxta *regulam* 14. *ff. de R. J. in omnibus obligationibus*, *in quibus dies non apponitur*, *præsenti die debetur* ubi per ly *præsenti die* intelligitur primo quoque tempore, inquit la Croix *l. 6. p. 2. n.* 1287. Cæterùm, an pęnitens differendo satisfactionem Sacramentalem graviter peccet, vel non, dissident inter se DD. uti videre est apud Clericat. *cit. decis.* 34. *n.* 20. Ego breviter distinguendum censeo & dicendum, quodsi pęnitentia fuit duntaxat levis, aut certè absque animo graviter obligandi imposita, tunc dilatio etiam notabilis non erit graviter peccaminosa; quia ex hac suppositione ipsa omissio totalis non est mortaliter mala.

Econtra, si fuit verè gravis pœnitentia, tunc in praxi attendendum erit, qua de causa pœnitens distulerit; nam si hoc contigit ex oblivione præsertim inculpabili, vel alio justo impedimento, vacabit omni culpa; sin autem ex mera desidia, tædio, & languore spirituali, præsertim cum periculo obliviscendi & omnino omittendi, profectò videtur condemnandus culpæ mortalis; tum quia certò sub gravi culpa tenebatur eam exequi; tum etiam quia talis dilatio plerùmque impedit fructum pęnitentiæ, quippe quæ solet etiam medicinaliter præscribi in cautelam futurorum; tum denique quia est evidens argumentum maximæ incuriæ circa animæ salutem, & inefficacis propositi in confessione peracta concepti, prout experientia dabit. V. d. Clericat. *loc. cit.* Gobat *num.* 766. Salmanticenses *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 65.

Quæres sextò, Utrùm pęnitens exequendo opus præscriptum in statu disgratiæ, satisfaciat præcepto Confessarii, vel an peccet?

230 R. Satisfacit. Ita communissimè DD. Scotus, Herincx ubi supra *n.* 23. Sporer *n.* 541. Reinffestuel *cit. dist.* 10. *n.* 7. Ratio est: quia adhuc ponit opus præceptum, etsi fortè non attingat finem præcepti, qui sub præceptum non cadit. Quin immò Scotus, eumque secutus Herincx *cit. num.* 24. Reinffestuel *nu.* 8. Navarrus, Vasquez, aliique plures absolutè volunt, pęnitentiam etsi in statu disgratiæ præstitam, suum sortiri effectum, remissionem scilicet pęnæ temporalis; eò quòd id non præstet ex opere operantis, seu ex meritis pœnitentis, sed ex opere operato, id est, ex passione & meritis Christi, in quantùm est pars integralis Sacramenti. Verùm cùm hoc ab aliis multis negetur, immò & venialis saltem noxæ censeatur; hinc cuilibet satagendum, ut pęnitentiam injunctam quamprimùm executioni mandet, quatenus hac via mereatur, & cum tanto majori fructu satisfaciat, quocum majori cordis compunctione, quæ certè major erit in ipsa Sacramenti susceptione, vel haud paulò post, quàm si diutiùs fuerit dilata.

Quæres septimò, possitnè pęnitentia rationabiliter injuncta denuo commutari, & à quonam?

231 R. Potest commutari, nedum ab eo, qui primò imposuit, sed etiam ab alio Confessario, non tamen 2. ab ipsomet pęnitente. *Communis* DD. Ratio prioris est: quia quodvis præceptum humanum est variabile & mutabile: ergo etiam præceptum de persolvenda pęnitentia. Et cùm alius Confessarius approbatus gaudeat æquali potestate ligandi atque solvendi; hinc fatendum, quòd alius æquè ac ille prior possit pęnitentiam injunctam commutare. Ratio autem posterioris est hæc: quemadmodum enim pęnitens respectu sui ipsius nequit agere Judicem, ita nec pęnitentiam Sacramentalem sibi injungere, consequenter nec variare. Et certè quodcunque demum opus bonum proprio arbitrio assumptum præstaret, etsi de se meliùs, nunquam tamen obtineret eandem vim cum illo à Confessario præscripto; quia nunquam evadet pars Sacramenti, neque ex opere operato unquam contribuet ad pęnæ remissionem. Multò minùs licitum est pęnitentiam injunctam præstare per alium utputa peregrinationem, jejunium vel orationem tibi injunctam alteri demandare, prout patenter colligitur ex sequenti propositione *num.* 150. inter damnatas ab Alexandro VII. *Pœnitens propria auctoritate sub-*

substituere alium sibi potest qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. Quo tamen non obstante haud illicitum foret v. g. eleemosynam injunctam erogare per alterum v. g. famulum (nisi Confessarius justa de causa obligarit pœnitentem ut per se ipsum hoc præstet) quia cùm det de bonis propriis, adhuc ipse censetur facere eleemosynam, licèt utatur famulo velut instrumento. Herincx *cit. disp.* 4. *nu.* 18. Stoz *l.* 1. *pag.* 4. *num.* 9. la Croix *num.* 1285.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Satisfactione Sacramentali.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus cum aliis familiariter colloquendo retulit, se nactum esse Confessarium optimum, quippe assuetum pœnitentias duntaxat leves injungere; quod ubi Confessarius inaudivit, nonnihil se læsum existimans, eidem Titio proximè ad Confessionem redeunti, etsi cum meris venialibus, mandavit, ut pœnitentiæ causa diceret Psalmos pœnitentiales. Cùmque animadvertisset pœnitentem inde nonnihil consternatum, abiturienti dixit: notet sibi: Psalmos pœnitentiales tantùm injunxi, ideoque non est opus, ut & lytanias de omnibus Sanctis adnexas recitet; *Cui Titius (non sine aliquali indignatione) reposuit*: neque verò opus fuisset me desuper admonere, jam enim constitueram solos Psalmos sine lytaniis adjunctis dicere. *Quæritur jam* 1. *an Confessarius præfatam pœnitentiam dictando bene fecerit?* 2. *An pœnitens præcisa etiam admonitione Confessarii, satisfecisset recitando solos Psalmos?*

232 R. Ad primum. Esto Confessarius forte graviter non erraverit, videtur tamen minùs laudabiliter egisse. Ratio est: quia juxta præscriptum Concilii Trident. suprà mox *num.* 223. allegati pœnitentiæ quantitas est commensuranda gravitati delictorum, in quantum spiritus & prudentia suggesserit: atqui recitatio Psalmorum pœnitentialium pro solis venialibus respectu alicujus Religiosi (vel etiam alterius Clerici) utpote jam aliunde pluribus orandi, & spiritualibus functionibus vacandi obligationibus adstricti, videtur minùs proportionata pœnitentia, neque prudentiæ, sed potiùs inordinatæ mentis dictamini commensurata, & hoc ipso magis idonea ad exulcerandum quàm sanandum pœnitentis animum: ergo minùs laudabiliter egit Confessarius.

233 R. Ad secundum. Præscindendo etiam ab admonitione Confessarii pœnitens satisfecisset recitando solos Psalmos pœnitentiales; tum quia rationabiliter præsumere licuit, Confessarium non intendisse ad lytanias obligare; quandoquidem soli Psalmi pœnitentiales videantur pœna satis gravis pro meris venialibus; tum etiam quia juxta Regulam 15. *de R. J. 6.*: *odia restringi, & favores convenit ampliari*; nec unquam ultra proprietatem verborum rigor legum pœnalium est extendendus: at pœnitentia à Confessario demandata est quid odiosum & pœnale, simulque hæc verba: *dicat Psalmos pœnitentiales* cum omni rigore sumpta, & intellectâ propriissimè, significant solos Psalmos, non item lytanias, quippe quæ non sunt Psalmus: ergo ad has nullatenus debebant extendi.

Dices tamen: si Confessarius die festivo mandasset Titio ut audiret sacrum, is neutiquam satisfecisset unum duntaxat sacrum audiendo, sed tenebatur audire duo: ergo nec satisfecisset recitando solos Psalmos sine lytaniis &c.

234 R. transf. ant. neg. Cons. quia pœnitentia à Confessario injuncta, saltem regulariter loquendo, intelligenda est de opere supererogatorio, & non aliunde debito; quale non est auditio unius duntaxat sacri die festivo: ergo præsumendum est (nisi contrarium aliunde constet) Confessarium intendisse sacrum extraordinarium. Econtra recitatio Psalmorum pœnitentialium jam est opus supererogatorium, nec aliunde (uti supponimus) debitum: ergo cùm lytaniæ adjunctæ non sint Psalmus, neutiquam censendum.

dum est, quòd etiam ad has voluerit obligare, præsertim pro solis venialibus.

235 Dixi per parenthesin: *nisi contrarium aliunde constet &c.* Subinde enim vel ex verbis Confessarii, vel ex aliis rerum circumstantiis præsumere mitiùs licet; etenim si Confessarius tibi die festivo præciperet ut pœnitentiæ causa, duo audias sacra, haud imprudenter præsumes, quòd noluerit obligare ad plura quam duo, licet ad alterum jam aliunde fuisses obligatus. Similiter si tibi injungeret ut per integram septimanam aut mensem quotidie unum sacrum audias, meritò concludes, quòd nec diebus dominicis aut festivis tenearis audire plura; quia tales pœnitentiæ jam involvunt opus supererogatorium, uti rectè advertunt Conink, Layman, Lugo, Tambur. Gobat *nu.* 749. Sporer *nu.* 564. & alii plures.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia conjugata satis gravem peccatorum carnalium sarcinam deposuit; cui propterea Confessarius demandavit, ut proxima die mercurii jejunaret, & à carnibus, vinoque omnino abstineret; quod est factum, at non sine magna offensa Mariti; qui dum ab Uxore intellexit, præfatum jejunium in pœnitentiam fuisse demandatum mox inferebat: vel ergo gravia commisisti peccata, vel Confessarius fuit idiota & stultus. *Quid censendum de tali pœnitentia?*

236 R. Si Semproniæ peccata fuerunt merùm occulta (prout re ipsa erant) Confessarius omnino imprudenter egit injungendo jejunium, quippe quod Sempronia uxorata tam clanculario servare non poterat, quin à Marito vel aliis notaretur. Ratio est: quia teste Castropalao *tr.* 23. *pun.* 21. *§.* 2. *n.* 5. omnes conveniunt, injustissimè cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam pro peccato occulto: proptereaque plura Concilia, immò & Imperatores sanxerunt, ut pro peccatis occultis occultæ tantùm imponerentur pœnitentiæ, inquit la Croix *num.* 1265. Nec immeritò S. Thomas, Navarrus, Suarez, Vasquez & alii docent, per hoc revelari sigillum saltem indirectè & in genere: quisquis enim de tali pœnitentia audiret, meritò judicaret impositam esse ob grave peccatum occultum, (prout in nostro hoc casu Maritus fecisse refertur) atque sic ad minimum confessio redderetur odiosa.

Dices. Homines possent utique credere, talem pœnitentiam ex devotione duntaxat fuisse assumptam: ergo non violatur sigillum.

237 R. Esto homines id credere possent, negari tamen minimè valet, quin talis pœnitentia publica de se nota sit, præbere ansam violentis, vel etiam sinistris suspicionibus, præsertim ubi aliunde constat, pœnitentem non usque adeò sibi esse infensum, ut carnem jejuniis, aliisvè corporis austeritatibus macerare asseverit: prout re vera nec assueverunt graviores peccatores: ergo talis pœnitentia publica gravis nunquam imponi debet pro peccatis merè occultis; quandoquidem facilè possit vergere in laqueum animæ.

238 Dixi tamen: *pro peccatis merè occultis*. Enim verò si peccata supponantur notoria, & cum aliorum scandalo commissa, nedum licitè, sed & consultò aliquando injunguntur pœnitentiæ publicæ, uti rectè docent S. Thomas, Durandus, Aversa, & alii, quos refert & sequitur Clericatus *Decis.* 34. *num.* 16. Ratio est: quia congruè injungitur pœnitenti talis satisfactio, ad quam jure naturæ tenetur: atqui de jure naturæ tenetur ita satisfacere, ut scandalum è medio tollatur: ergo etiam ad præstandam pœnitentiam publicam, velut necessariam in hunc finem congruè obligatur. Hac ratione detractori publico congruè præcipitur ut publicè revocet. Item Amasio vel amasiæ lascivæ haud inconvenienter injungeretur, ut proxima occasione oportuna dehortetur complicem, ne deinceps nocturno tempore redeat ad colloquium aut fenestreolam (ut vocant) vel ut eidem redeunti exhibeat vultum austerum, durioribus verbis objurget, & à turpissima illa sollicitatione dehortetur &c. Neque in hoc casu timenda est læsio sigilli Sacramentalis; tum quia præcedente

te scandalo peccatum jam supponitur notorium; tum etiam quia concurrit consensus pœnitentis, necessariò dandus, si tamen absolutionem reportare velit: sicut ob eandem causam eidem licitè demandatur onus postulandi veniam ab offensis absque ulla sigilli violatione præsertim cùm ad hoc jam aliunde sit obligatus.

CASUS TERTIUS.

Cajus famulus inter alia fatebatur, se non persolvisse pœnitentiam, in ultima confessione jam ante annum sibi injunctam. Rogatus à Confessario, quænam illa fuerit, respondebat, fuisse non unam, sed multiplicem; nam 1. (inquiebat) debuissem singulis diebus dicere sex Pater & Ave: quod & præstiti per tres aut quatuor dies, sed non ultra 2. debuissem subsequenter per tres menses post singulos quatuordecim dies confiteri, & quidem eidem Confessario, mihi specialiter deligendo: quod hactenus omnino nunquam feci, partim ex desidia, partim verò ob alios labores & servitia Domino meo præstanda, quæ non permiserunt semper me sacræ exomologesi vel S. Communioni vacare. Ita Cajus. Jam verò pro praxi dubitatur 1. an præfata pœnitentia fuerit congrua? 2. an Cajus peccaverit eandem non exequendo? 3 an vel à quo fuerit commutanda?

239 R. Ad primum, præfatam pœnitentiam de se quidem congruere hominibus lascivis & vitio luxuriæ deditis, vel etiam in occasione proxima constitutis; nihilominus respectu Caji famuli, utpote pluribus servitiis distenti, vi quorum non poterat semper vacare confessionibus faciendis, erat minùs congrua. Idcirco Doctor subtilis 4. *Dist.* 17. *q.* 1. eumque secutus Sporer *num.* 557. bene monent, ut Confessarius satagat imponere pœnitentias *statui pœnitentis cujuslibet congruas*, proptereaque pauperibus, aut filiis familias præcipiendum non est, ut eleemosynas elargiantur, nec operariis laboriosis, aut debilibus personis jejunia, nec mulieribus longæ peregrinationes, neque aliunde multis occupationibus vel laboribus distentis multæ preces sunt injungendæ; quia hujuscemodi pœnitentias velut impossibiles moraliter, aut certè admodum difficiles, vel omnino nunquam persolvent, vel, si una alteravè vice persolverint, deinceps ex tædio atque desidia mala fide omittent cum continuo conscientiæ remorsu, prout vel ex hoc ipso casu, utinam non nimis frequenti & practico! haud obscurè colligere licet.

240 R. Ad secundum. Nullatenus dubitandum, quin Cajus pœnitentiam præfatam negligendo mortaliter peccaverit; negligere enim pœnitentiam gravem pro peccato mortali nunquam confesso impositam, secundùm omnes est peccatum mortale: ergo à fortiori negligere pœnitentiam pro pluribus mortalibus injunctam. Immò verò non dubito, quin Cajus sæpius, & toties quidem, quoties non ob impossibilitatem moralem, vel temporis defectum, (de quo gnaviter examinandus erit) sed sponte & ex desidia per dictos tres menses confessionem sibi præceptam intermisit: quia Confessio sicut & communio præcepta, juxta morem receptum Ecclesiæ censetur materia gravis: ergo earum neglectus est graviter peccaminosus. Accedit, quòd in nostro Casu frequentia confessionis ex gravissimo fine, per modum medicinæ præservativæ fuerit præscripta, & hinc ex neglectu ejusdem meritò in pœnitente arguitur magna salutis incuria, immo & contemptus. An verò sæpiùs peccaverit ex eo etiam, quòd sex Pater & Ave in singulos dies sibi præscripta intermiserit, non videtur adeò certum, immò minùs verosimile; tum quia sex P. & A. secundùm se præcisè sumpta communi æstimatione non reputantur materia gravis; tum etiam, quia non est de facili præsumendum, quòd Confessarius singulis diebus voluerit obligare sub peccato mortali ad præfata 6. P. & A; secus enim videretur pœnitentia nimis onerosa, & hoc ipso humanæ fragilitati periculosa, immò perniciosa potiùs, quàm proficua ad salutem. Certè hac ratione la Croix *num.* 1277. post Gobatum & alios probabile censet, eum, qui unam

unam ex v. gr. 10. communionibus sibi injunctis omitteret, peccaturum venialiter duntaxat, maximè cùm per reliquas novem possit obtineri propè idem finis. In praxi verò attendendum, & disquirendum erit, an, & quoties Cajus noster sponte neglexerit præfatam pœnitentiam, item quo tunc fuerit animo? an non crediderit se propterea graviter peccare? Et ex responsionibus ipsius prudens Confessarius facilè colliget & gravitatem, & numerum peccatorum.

241 R. Jam ad tertium. Pœnitentia fuit Cajo permutanda. Ratio secundùm dicta respectu hujus subjecti fuit incongrua, saltem quoad frequentiam confessionis: atqui pœnitentiæ incongruæ nunquam non sunt declinandæ & fugiendæ: ergo oportebat ut in aliud opus pium commutaretur v. gr. ut data opportunitate audiret sacrum, & sub eodem diceret rosarium, aliasvè preces pro lucrandis indulgentiis præscriptas. Vel etiam, ut si deinceps præter omnem spem & exspectationem rursus incideret hoc aut illud peccatum &c. quantocyus conaretur elicere contritionem, vel etiam in honorem B. Virginis diceret aliquot Ave Maria &c. Neque ita adstringendus est, quin eidem detur licentia, ut si una die vel ex oblivione, vel ob aliud impedimentum intermiserit hujusmodi pœnitentiam medicinalem, eandem altera die valeat supplere. Profectò præstat cum parva pœnitentia, quæ tamen videtur adimplenda, ducere confitentem ad Purgatorium, quàm cum magna, quam nunquam faciet, præcipitare in Infernum. Semper etiam cavendum, ne pęnitens è confessionali abeat afflictus, vel desperatus, vel horrore confessionis imbutus, uti sapienter advertunt Tamburinus, Gerson, Layman, *l. 5. tr. 6. c. 15. num. 11.* Sporer & Stoz *l. 2. num. 120.*

Sed quid si supponatur præfata pœnitentia fuisse imposita propter peccata reservata, possetnè hoc non obstante ab alio quovis Confessario commutari?

242 R. Affirmativè. Ita Henriquez, Sanchez, Bonacina & alii apud la Croix *cit. nu.* 1294. Ratio est: quia pęnitentia injuncta non fuit reservata, esto peccata fuerint reservata, à quibus jam fuit absolutus pęnitens: ergo quemadmodum quivis Confessarius approbatus potest absolvere à peccato, cujus reservatio ab alio Confessario vel superiore jam fuit semel legitimè sublata; ita ob eandem rationem quivis Confessarius pęnitentiam pro casibus reservatis semel injunctam ex rationabili causa commutare valet; modò id faciat in actu confessionis: nam extra confessionem, & respectu confessionis quam nunquam audivit, non habet plus potestatis, quàm laicus: ergo quemadmodum laicus nec sibi, nec alteri potest mutare pęnitentiam, ita neque alius Confessarius extra confessionem. Cardinalis de Lauræa *de pœnit. Disp. 22. §. 3. à n. 248.* Gobat. *n.* 776. Clericatus ubi suprà *n. 22.*

Dices. Ergonè pęnitens, desiderans pęnitentiam semel injunctam sibi immutari, tenebitur peractam confessionem repetere?

243 R. Cum distinctione. Vel enim postulat sibi pęnitentiam commutari ab alio, vel ab eodem Confessario, qui priùs eam imposuit? si ab eodem, neutiquam opus erit, repetere confessionem peractam, modò Confessarius supponatur adhuc habere confusam saltem notitiam de statu & conditione pęnitentis; quia hæc sufficit ad ferendum congruum judicium de æquitate, vel etiam utilitate pœnitentiæ. Sin autem postulet sibi pęnitentiam mutari ab alio Confessario, eò præsertim quòd justo gravior videatur, tunc juxta communiorem & probabiliorem DD. opinionem omnino necessum erit, ut repetat confessionem peractam; secus enim alter Confessarius non posset congruè discernere de æquitate sententiæ semel latæ, sed potiùs causa incognita judicaret velut cęcus de coloribus. Nihilominus Navarrus, Henriquez, & præter alios adhuc plures Sporer *n.* 589. probabile censent, non esse opus repetitione si pęnitens non alleget injustitiam, sed solam importunitatem, vel incongruentiam pęnitentiæ nuper sibi injunctæ, & aliunde dis-

difficulter repeteret, aut certè tempus non permitteret repetitionem. Ratio est: quia Confessarius ut Judex & Medicus potest de tota causa simul judicare juxta præsentem statum pœnitentis, prout magis videbitur expedire: atqui de tota causa simul sufficienter judicat, quando etiam non repetita confessione judicat hìc & nunc, pœnitenti non expedire talem pœnitentiam, sed potiùs aliam; cùm hìc supponamus solùm agi de congruitate pœnitentiæ juxta præsentem statum Confessi: ergo &c. Cæterùm pro praxi sapienter advertit Reinffestuel *tract.* 14. *Dist.* 10. *num.* 17. consultum omnino esse, ut pœnitens interrogetur vel de peccatis gravioribus, propter quæ altera pęnitentia eidem priùs fuit imposita; vel saltem, an priùs habuerit similia peccata iis, de quibus nunc se accusavit: sic enim saltem aliqualiter cognoscetur status pœnitentis, ac proinde poterit alia convenientior pęnitentia eidem imponi.

Dices adhuc, an pęnitens prioris pęnitentiæ oblitus præsertim culpabiliter, teneatur eandem confessionem repetere apud alium, ut congrua pęnitentia pro iisdem peccatis, sibi denuo injungatur?

244 R. Quòd non. Ita Soto, Navarrus, Aversa, Sporer *num.* 552. la Croix *num.* 1275. Kresslinger *in addition. post num.* 17. *dist.* 10. *cit.* Ratio est: quia essentia Sacramenti jam fuit completè posita, & omnia peccata nedum exposita, sed & directè remissa: ergo nulla ampliùs restat obligatio eadem peccata subjiciendi clavibus. Neque refert, prius Sacramentum non fuisse adhuc integrè completum; causa enim sufficienter excusans ab hoc onere est, ne pęnitens cogatur confiteri eadem peccata, à quibus jam fuit directè absolutus. Oportet tamen, ut si prior Confessarius conveniri possit de facili, ab eodem repetatur pęnitentia, ad complendum integrè Sacramentum, vel, casu quo prior pęnitentia evasisset impossibilis, petatur commutatio ejusdem. Immò etiam expedit postea apud alium Confessarium saltem in genere de omnibus peccatis sese accusare, & petere tantò majorem pęnitentiam, ut, quantùm fieri potest, hæc pęnitentia ad priorem confessionem per modum complementi integralis extendatur. Vide *DD. citt.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

245 Colliges primò, pro pęnitentia injungenda esse opera pęnalia & afflictiva. Ratio est: quia debet imponi in criminis vindictam, & refrænationem affectuum exorbitantium: atqui in hunc finem vel maximè deserviunt opera pęnalia: ergo &c. Hæc de causa oportet semper aliquam saltem pęnitentiam obligatoriè imponere; quia Judex (qualem agere debet Confessarius vi officii) exercendo justitiam vindicativam non procedit erga delinquentem modo consultivo, dicendo v. gr. *placeat hanc vel illam pœnam subire*, sed modo imperativo ac præceptivo, dicendo: *in vindictam criminis subibis hanc pœnam* &c. Nihilominus interdum expedit nonnulla opera medicinalia præscribere sub consilio duntaxat, & sine obligatione, præsertim ubi pęnitens noscitur esse scrupulosus, vel quando ob notam fragilitatem, vel alia impedimenta prudenter dubitare licet, sitnè opera præscripta executurus, vel non? uti sapienter advertit Herincx *citat. disp.* 4. *numer.* 3. & alii plures.

246 Colliges secundò, in pęnitentiam Sacramentalem posse injungi 1. opera virtutum, etiam merè interna, v. g. meditatio de passione Domini, de gravitate peccatorum, de quatuor novissimis &c. instituenda: nec non externa, uti sunt examen conscientiæ, visitatio Venerabilis Sacramenti, auditio concionis &c. 2. Item usus Sacramentorum, præsertim Pęnitentiæ & Eucharistiæ: non tamen susceptio Ordinis & Matrimonii; quia talis pęnitentia regulariter loquendo accideret nimis dura. 3. Item possunt injungi preces & alia opera pia pro animabus in purgatorio detentis peragenda; immò & opera aliunde præcepta aut debita, uti

uti auditio Missæ in die Dominico, vel jejunium tempore quadragesimali; tum quia memorata opera sunt de se pęnalia, simulque honesta & sancta; tum etiam quia nihil obstat, quò minùs possint esse vindicativa. Quin etiam aliquando expedit injungere opus aliunde debitum, tunc præsertim, quando pęnitens alia opera supererogatoria vel omnino neglecturus, aut certè difficulter aut desidiosè executurus creditur. Ita Mastrius, Herincx, Bosco, la Croix *à n.* 1241. Babenstuber *tr. 8. p. 6. dist. 5. a. 3. n. 8. & seqq.*

247 Colliges tertiò, quantitatem pęnitentiæ commensurandam esse gravitati delictorum in tantum, ut pro levibus seu venialibus peccatis levis duntaxat, pro gravibus verò & mortalibus gravis pęnitentia (per se loquendo) sit demandanda. Porro levis pęnitentiæ exemplum est (inquit Babenstuber *l. cit. nu.* 23.) recitare una vel altera vice psalmum *Miserere*, vel quinquies orationem dominicam, aut salutationem angelicam. Gravis verò hodie censetur jejunium, auditio Missæ, gestatio cilicij, flagellatio, item recitatio Rosarii. Ubi tamen advertendum, quantitatem pęnitentiæ gravitati delictorum commensurandam esse proportione geometrica tantùm, non item arithmetica; quia hæc sæpissimè impossibilis, aut certè admodum difficilis accideret. Unde non sequitur quòd, si pro uno peccato mortali ex. gr. furti, pollutionis &c. sit injungenda auditio sacri cum Rosario, pariformiter pro centum peccatis pollutionis sint injungenda centum Rosaria, cum totidem Missis. Quocirca Confessarius magna prudentia & discretione utatur, necessum est, bene perpendendo facultatem, statum, qualitatem pęnitentium, & tunc primùm decidet, quod pro DEI Gloria & salute animæ magis oportunum judicaverit.

248 Colliges quartò, etsi Confessarius per se loquendo non rectè faciat, immo juxta probabilissimam sententiam Palai & aliorum mortaliter peccet, pro gravissimis peccatis levissimas pęnas injungendo; quia agit contra officium æqui Judicis, boni Medici, & fidelis dispensatoris Mysteriorum DEI, præbetque occasionem pęnitentibus peccata minoris æstimandi, fortè etiam facilius relabendi &c. nihilominus in praxi posse non rarò occurrere motiva gravia, quorum intuitu Confessarius pęnitentiam justè ac licitè valeat limitare. Hujusmodi motiva esse possunt 1. infirma constitutio corporis, vel etiam fragilitas animi, ob quam creditur confessus non executurus pęnitentiam graviorem, etsi justissimè imponendam. 2. Si pęnitens aliunde soleat præstare multa bona opera, quæ proin Confessarius in hunc finem singulariter elevare fatagat per illa verba: *quidquid boni feceris &c.* Hac ratione Clericis, vel etiam sæcularibus præstandis bonis operibus assuetis, mitior potest pęnitentia injungi, quàm aliis v. g. Rusticis, qui suis laboribus continuò occupati, vix semel per septimanam de Deo cogitant &c. 3. pariter mitior potest pęnitentia imponi, si pęnitens jam ante sit lucratus, aut certè proximè lucraturus aliquas indulgentias: & quia hisce temporibus nedum in urbibus, sed & in pagis frequenter lucrifieri valent indulgentiæ, tum propter diversas festivitates, tum etiam ob diversas confraternitates, ideò Confessarius volens injungere pęnitentiam poterit inquirere an pęnitens non sit inscriptus alicui confraternitati, & affirmanti dicat: ergo diligenter perfice tuas preces præscriptas, ideò enim pęnitentiam promeritam tibi diminuo &c. 4. Minor etiam pęnitentia injungi potest, ubi pęnitens noscitur vehementer contritus; quia hæc magnam habet vim satisfaciendi. 5. Tandem Confessarius licitè diminuet pęnitentiam, si ipsemet velit pro suo cliente satisfacere, prout fecisse legitur S. Xaverius, Gobat, Sporer *num.* 558. Stoz *l. 2. n. 121. & 122.* Illsung. Babenstuber &c.

249 Colliges tandem quintò, in pęnitentiis præscribendis clementia potiùs, quàm severitate nimia utendum esse: convenit quippe, Confessarium imitari exemplum Christi, qui erga peccatores contritos magna semper clementia usus fuisse legitur. Et certè id ipsum verbis atque

atque exemplis antiqui Patres & Viri Sapientissimi suaserunt uti peregregiè ostendunt la Croix sæpe *cit. l. 6. pag. 2. num.* 1256. item Viva *ad propositionem 21. ab Alexandro VIII. proscriptam*. Audi vel unam, sed suo auctore D. Joanne Chrysostomo, dignam sententiam. *Etsi erramus* (inquit S. D. *hom. 43. in caput 28. Matth.*) *modicam pœnitentiam imponentes, nonnè melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ubi enim Pater-familias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, ut quid sacerdos vult crudelis apparere?*

CONFERENTIA
DECIMA.

De Confessione invalida repetenda.

SUMMARIUM.

250 *Confessio invalida quid?*

251 *Redditur invalida quotiescunque deest aliquid essentialiter requisitum, sive ex parte Pœnitentis, sive ex parte Confessarii.*

252 *Confessio invalida est necessariò repetenda, & quidem ita, ut*

253 *Si repetitio fiat apud alium Confessarium, omnia mortalia quoad speciem & numerum singillatim sint recensenda: licet hoc non sit necessum, quando repetitio fit apud eundem Confessarium adhuc memorem prioris Confessionis.*

254 *Confessio valida, esto non fuerit materialiter integra, non est ex integro repetenda.*

255 *Resolvitur Casus I. cujusdam Monialis, confessæ dormitanti, & somnianti Confessario;*

256 *Quæ propterea tenebatur repetere peccata à Confessario non intellecta.*

257 *Quidnam tunc repetendum, quando dubitatur, sintne omnia, vel aliqua duntaxat peccata à Confessario intellecta.*

258 *Resolvitur Casus II. de Confessario, qui, ne pœnitentem interturbaret, interroganda distulit; finita verò confessione omnino ignoravit, quænam interrogare voluerit.*

259 *Suggeritur industria & praxis juvandi memoriam, ne interroganda elabantur.*

260 *In Casu mox allato Confessarius tenebatur adigere pœnitentem ad repetitionem, saltem per se loquendo.*

261 *Subinde tamen per accidens licitè dissimulatur;*

262 *Præsertim ubi moraliter certò constat, peccatum non plenè intellectum, fuisse duntaxat veniale.*

263 *Resolvitur Casus III. de quodam senecione, quem Confessarius jussit repetere omnes Confessiones, eò quòd unum peccatum in juventute commissum hactenus nunquam fuerit confessus.*

264 *Quænam in tali casu singulariter sint inquirenda & observanda, præsertim*

265 *Si pœnitens fateatur, se jam tunc temporis agnovisse malitiam.*

266 *Qui ex errore inculpabili existimavit se non graviter peccare reticendo peccatum, non tenetur ampliùs repetere.*

267 *Et quid, si practicè dubitavit de hoc?*

268 *Vel si putavit quidem se peccare, at non deliberavit, an graviter, vel leviter tantùm?*

269 *Traditur praxis repetendi confessionem, & examinandi pœnitentem à multò tempore sacrilegè confessum.*

270 *Non est pœnitens illicò condemnandus ad repetitionem, esto fateatur se à longo tempore non fuisse ritè confessum.*

271 *Tenetur tamen repetere, qui mala fide quæsivit surdastrum, vel ita confessus fuit, ut non potuerit intelligi &c.*

272 *Non item, qui bona fide sua peccata exposuit, quantumvis crasse & imperfecto modo.*

273 Non

273 *Non teneris repetere, nisi moraliter certus sis, priorem confessionem fuisse nullam.*

274 *Neque teneris, si bona fide confessus es peccatum velut dubium, licèt postea reperias certum &c. &c.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria de repetenda vel non repetenda confessione.

Quæres primò, quid nomine, confessionis invalidæ intelligatur?

250 Resp. Intelligitur Confessio nulliter facta, seu etiam Sacramentum pœnitentiæ nulliter administratum, quacunque demum de causa id evenerit.

Etenim ut ex ipso nominis ethimo patet, confessio invalida idem significat, quod confessio destituta valore: atqui confessio destituta valore idem importat, quod Sacramentum pœnitentiæ nulliter administratum, aut confessio nulliter facta: ergo &c.

Quæres secundò, qua de causa confessio reddatur invalida seu nulla?

251. R. Redditur invalida ex eo, quòd deficiat aliquid essentialiter requisitum ad valorem; quod fieri potest vel ex parte pœnitentis, vel etiam ex parte ipsius Confessarii. Ex parte pœnitentis quidem 1. si is non habuit dolorem debitum esto etiam ex oblivione, aut ignorantia inculpabili) vel 2. si non habuit propositum efficax, vel 3. si non saltem formaliter integrè fuit confessus. Et 4. universaliter quotiescunque in ipsa confessione mortaliter peccat, sive ob defectum examinis, sive ob defectum veracitatis &c. Ex parte autem Confessarii redditur confessio invalida 1. si is non fuit præditus potestate ordinis, vel ordinis quidem, sed non jurisdictionis, quippe quæ est essentialiter necessaria ad valorem absolutionis. Vel 2. si formam omnino omisit, aut substantialiter corrupit, quacunque demum ex causa. vel 3. si non habuit intentionem absolvendi; qnia hæc omnia essentialiter requiruntur ad valorem; utì cum *Communi* tenent Clericatus *decis.* 31. Sporer *n.* 493. Sbogar. *tract.* 35. *n.* 50. *& seqq.*

Quæres tertiò, sitnè Confessio invalida repetenda?

252 R. Omnino est repetenda. Ita *omnes* Sporer *cit. n.* 502. Stoz *l.* 1. *p.* 3. *num.* 608. Ratio est: quia omnia peccata mortalia sunt ita subjicienda clavibus, ut vi absolutionis, directè remittantur: atqui per confessionem invalidam nullum omnino peccatum fuit dimissum: ergo est denuo repetenda; quacunque demum de causa contigit, fuisse destitutam valore.

Quæres quartò, utrùm in repetitione confessionis invalidæ sint necessariò exprimenda omnia peccata quoad numerum, speciem, & circumstantias?

253 R. Cum distinctione. Si enim repetitio fiat apud eundem Confessarium, habentem confusam saltem notitiam prioris confessionis, non est opus repetere, & denuo recensere omnia & singula peccata (etsi consultius esse, nemo non videat) sed satis erit supplere defectum commissum, & præter generalem accusationem de peccatis nuper confessis, superaddere commissa ab illo tempore, dicendo: v. gr. accuso me de omnibus meis peccatis nuper tali tempore aut tali die sacrilegè, vel nulliter confessis; eò quòd fuerim destitutus dolore debito, aut proposito efficaci &c. & ab illo tempore rursus commisi sequentia &c. Si autem repetitio fiat apud alium Confessarium, omnino necessum est, omnia ac singula peccata quoad numerum, speciem, & circumstantias saltem speciem mutantes denuo recenseri. Ratio discriminis hujus facilè colligetur ex dictis: Confessarius quippe vi sui muneris debet agere Judicem & Medicum: at, qui nunquam audivit delicta Rei, profectò nec potest agere Judicem, ut de se patet: bene verò is, qui semel audivit delicta, & saltem in confuso adhuc recordatur illorum, ita, ut possit se reflectere super statum & conditionem illius Rei: neque enim necessum est ut Confessarius, dum absolvit, distinctè, & reflexè reminiscatur omnium pec-

peccatorum, prout constat ex praxi recepta probatissimorum virorum, absolventium subinde pœnitentes, qui jam pridie, vel etiam biduo ante confessionem inchoarunt, esto non ampliùs distinctè recordentur omnium: quin immò omnium recordari in hujusmodi casibus omnino impossibile foret, & onus intolerabile: ergo &c. Vide Sporer *cit. num.* 503. la Croix *n.* 1216.

Quæres quintò, sitnè etiam repetenda confessio, validè quidem, sed non integrè facta?

254 R. Non est necessariò repetenda, sed solùm supplendus defectus. Ratio est ista: quia hoc ipso, quòd supponatur fuisse valida, pariter supponi debet, vi illius peccata jam per se & directè fuisse dimissa: atqui peccata semel clavibus subjecta, & vi illarum directè semel remissa, nemo tenetur iteratò confiteri: ergo &c. Nihilominus cùm prior confessio supponatur non fuisse materialiter integra; hinc remanet obligatio hunc defectum supplendi, & peccata nuper omissa subjiciendi, quatenus jam directè dimittantur, quæ nuper indirectè duntaxat fuerant remissa. *Communis DD.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de repetenda, vel non repetenda confessione.

CASUS PRIMUS.

Titius Confessarius Monialium, excipiendo cujusdam Monialis valde tædiosæ confessionem, cœperat dormitare, subitoque per eandem viam transeunte, strepitoso curru, somniare, se audire tonitruum: quare perterrefactus cœpit exclamare Jesus Maria! Jesus Maria! Monialis id audiens attonita, ajebat: quid est Pater Reverende, quid est? Cui Confessarius jam experrectus respondit: nihil est, Filia Somniabam tonare Cœlum, & cadere fulmen. Tunc Monialis: heu! me miseram, inquiebat. Dormienti narro peccata mea? moxque cum multa indignatione discedens, narravit historiam cæteris Monialibus desuper intensissimè ridentibus.

Casum hunc, non minùs ridiculum, quàm practicum refert Clericatus *cit decis.* 31. *nu.* 15. Jam verò ad nostrum propositum dubitare licet, fueritnè confessio illa repetenda, vel non?

255 R. Si præfata Monialis supponatur discessisse sine absolutione, liquidò constat, confessionem utpote destitutam aliquo essentialiter requisito, scilicet absolutione, fuisse invalidam, consequenter repetendam quantùm ad materiam necessariam, siquam habuisse supponatur. At verò si absolutionem recepit, valida procul dubio fuit confessio, modò Confessarius unum vel alterum peccatum saltem veniale intellexisse supponatur (de quo vix dubitandum) Ratio est: quia valor & effectus hujus Sacramenti subsistere potest absque integra & specifica explicatione peccatorum: ergo à fortiori subsistit, ubi pœnitens cum vero dolore ac proposito integrè sese explicat, tametsi à Confessario non intelligatur integrè. Secus dicendum foret, si Confessarius nullum prorsus peccatum intellexisset; quia tunc non habuisset materiam, circa quam potuisset ferre judicium practicum; cùm Judex nequeat ferre sententiam, nisi intellecta priùs causa. Utì advertunt Layman. *l. 6. tr. 6. c. 9. num.* 5. Tambur. *l. 2. c.* 10. *§.* 3. Illsung. *tract. 6. disp. 6. num.* 149. la Croix & alii plures.

256 Hoc tamen minimè obstante manet pœnitens obligatus clavibus adhuc subjicere illa peccata, quæ à Confessario non percepta fuisse certò agnoscit, prout mox supra dictum fuit; quia nondum supponitur esse absolutus directè ab illis peccatis.

At quid si dubitet, an vel quænam peccata Confessarius intellexerit, & quænam non?

257 R. Cum Lugone, Dicastillo, Tamburino & aliis apud Illsung. *cit.* in tali casu esse distinguendum ita, ut si confessio fuit brevis seu paucorum peccatorum, omnia peccata mortalia sint repetenda; eò quòd de singulis prudenter liceat dubitare, sintnè à Confessario intelle-

cta,

cta, vel non? Econtra si confessio fuit prolixa seu multorum peccatorum, non tenetur pœnitens singula repetere; cùm de singulis prudenter dubitare non liceat: sed sufficit illa repetere, de quibus rationabiliter dubitatur, an sint intellecta à Confessario. Quòd si ignoret, de quibus magis dubitandum juxta Tamburinum mox *cit. c.* 10. §. 3. *n.* 5. apud Sporer *nu.* 497. *fin.* fatis erit dicere in proxima confessione, aliquod vel aliqua peccata probabiliter non fuisse percepta à Confessario, etsi omnino tutius sit repetere totam confessionem, vel certè illam partem de qua dubitat. Quin immò P. la Croix *n.* 1210. absolutè vult, confessionem ex integro repetendam esse; partim quia certò constare supponitur non omnia peccata fuisse directè remissa, partim etiam quia non est ratio dubitandi magis de uno, quàm de altero; quod tamen ultimum mihi non videtur universaliter verum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos exceperat Confessionem cujusdam magni nominis Viri, & ne illum interturbaret, notavit unum alterumvè peccatum, quod finita narratione peccatorum paulò exactiùs indagandum existimaverat. At verò confessione finita non ampliùs meminit, quænam interrogare voluerit: & quia simul timuit, ne exigendo totius confessionis recapitulationem Dominum illum offenderet; hinc rem totam dissimulavit, nihil prorsus interrogando. Quæritur jam 1. an Confessarius bene fecerit differendo interrogationes usque in finem? An pœnitentem debuerit adstringere ad repetitionem?

258 R. Ad primum. Regulariter loquendo pœnitens debet statim interrogari & moneri: idcirco Confessarius malè fecit, si supponatur, quædam peccata aut circumstantias necessariò explicandas priùs non intellexisse; quia per hujusmodi dilationem exposuit se periculo manifesto vel omnino obliviscendi, vel certè gravandi, & offendendi pœnitentem, si illum postea obligaret ad repetitionem. Attamen si probè percepit genus illorum peccatorum, licèt non speciem, vel etiam speciem, at non numerum, faciliùs distulisset interrogationes usque in finem, ait Gobat. Consulo tamen tibi Confessarie (ad evitandos remorsus conscientiæ) ne interroganda differas nimiùm, præsertim ubi ea multiplicanda adverteris, & pœnitentem aliunde incognitum credideris fore prolixiorem; sed occurrente uno aut altero dubio blandè eum interpella v. g. dicendo: *ne obliviscatur suorum verborum: habeo enim pauca, quæ interseram: non intellexi hoc &c. quod dixit &c. vel: oportet addere numerum peccatorum &c.* vel *etiam circumstantias speciem mutantes &c.* Profectò nec pœnitens ægrè id feret: quin immò, si sapit, lubentiùs respondebit mox, quàm ut paulò post non sine rubore & graviori molestia integram confessionem repetat.

259 Neque tamen silentio hìc prætereundam censeo praxin & industriam quorundam Virorum probatissimorum, qui memoriæ juvandæ causa certa quædam peccata, & species peccatorum clam sibi notare assuerunt, digitorum contractione, ut si quid censeant interrogandum in materia luxuriæ, contrahant, v. gr. pollicem; si quid in materia justitiæ v. gr. in puncto furti &c. indicem &c. & sic de cæteris peccatis loquendo; quo fit, ut nec pœnitentem ullatenus interturbent; simulque interrogandorum finita etiam narratione peccatorum reminiscantur. Praxis meo judicio admodum bona, nec improbanda, sed potiùs imitanda.

260 R. Jam ad secundum quæsitum. In casu mox allato Confessarius per se loquendo tenebatur pœnitentem adstringere ad repetitionem, secundùm *communem Theolog.* quam tenent Dicastillo *disp.* 10. *dub.* 18 *num.* 529. eumque secutus Gobat *tract.* 7. *n.* 235. Ratio est: quia *judiciaria potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat. Text. cap.* 1. *de pœnit. d.* 6. §. *Caveat*: atqui, implicat discernere de numero aut specie peccatorum, nisi Confessarius intelligat numerum & speciem, sensumque verborum à pœnitente prolatorum: ergo Confessarius

per se loquendo tenebatur, & quidem sub gravi culpa, petere repetitam narrationem peccatorum.

261 Dixi tamen: *per se loquendo* &c. Per accidens quippe nonnunquam prudenter & licitè dissimulatur repetitio, relinquendo pœnitentem in bona fide, qua credit omnia esse ritè peracta: idque potissimùm in casu, quo propter illud unum peccatum culpa Confessarii non benè perceptum, oportet repetere alia octo aut decem peccata probè intellecta; ex altera verò parte pœnitens est multùm pudibundus, aut è diverso ferox, vel admodum delicatus, ait Gobat *cit. tr. 7. nu. 237.* Ubi etiam advertit, faciliùs adhuc dissimulari posse repetitionem, quando Confessarius rationabiliter dubitat, an peccatum non plenè intellectum fuerit mortale; quia propter dubium incertum non est certa molestia creanda pœnitenti.

262 A fortiori Confessarius prudenter & licitè dissimulabit onus repetendi, quandò ex prioribus confessionibus hujus pœnitentis est moraliter certus, illud peccatum, quod non intellexit, fuisse duntaxat veniale, eò quòd pœnitens non assueverit, nisi mera peccata venialia adferre; tum quia absolutio certò erit valida simul & fructuosa, cùm supponantur reliqua omnia, aut saltem potiora fuisse à Confessario intellecta; tum etiam quia pœnitens non tenebatur peccatum veniale confiteri: ergo nec tenetur illud repetere. Adde insuper, distractionem Confessarii ad alia non rarò tam esse tenuem, ut ea non obstante verè percipiantur, verba pœnitentis, licèt tam tenuiter, ut mox iterum excidant memoria: adeòque non est firma hæc consequentia, (ait Gobat) *Ignoro jam, quid hic dixerit: ergo non intellexi.*

Quin etiamsi Confessarius integra confessione finita non sit memor ullius peccati propter distractionem, sciat autem ex præteritis confessionibus hunc pœnitentem se semper accusasse de aliquo certo peccato v. g. de distractionibus sub officio divino culpabiliter admissis, prudenter præsumeretur etiam hac vice idem peccatum exposuisse, proptereaque licitè ac validè absolveretur; etsi in tali casu esset inducendus, quatenus unum vel alterum peccatum, vel etiam solum ultimum velit repetere, prout sapienter advertunt Gobat *cit. n.* 239. & Illsung. ubi suprà *n.* 150.

CASUS TERTIUS.

C*ajus Senecio plebejus post enarratum unum & alterum peccat illum ab ultima confessione commissum, tandem non sine magnis singultibus & profusione lacrymarum subdidit. Domine, adhuc unum restat peccatum, jam in mea juventute commissum, quòd mirum in modum meam gravat conscientiam: lascivis nempe tactibus sororem meam parvulam contrectavi, &, quod caput rei est, hoc peccatum à sexaginta annis & ampliùs nunquam adhuc fui confessus; quod, ubi Confessarius intellexit mox intulit: ergo necessum est, mi bone vir, ut omnes & singulas confessiones hactenus factas denuo repetas quantùm potes.* An bene?

263 R. Non bene; quia forsitan Cajus tunc temporis malitiam peccati nondum intellexit, vel si intellexit, non credidit se graviter peccare reticendo, vel denique ex oblivione aut errore inculpabili illud non fuit confessus prout revera sæpiùs accidit: quo supposito confessiones hactenus factæ bona fide valuissent omnes; ergo præpropere & sinistrè Confessarius egit Cajum sine majori cautela vel indagine condemnando ad repetitionem. Quod ne & tu mi Confessarie facias, & pœnitentem ultra quàm oportet graves, aut te ipsum vexes, notes velim, & bene memoriæ tuæ imprimas sequentes cautelas.

264 Primò itaque talem pœnitentem interroga, nisi ipsusmet propria sponte mox dicat, quodnam illud peccatum hactenus nunquam clavibus subjectum fuerit. 2. Etiam gnaviter interroga, utrùm tunc temporis malitiam illius peccati jam agnoverit, vel saltem putaverit (etiam conscientia erronea) illud esse grave peccatum? An verò postea primùm, & quandò agnoverit malitiam peccati? Si dixerit (uti sæpe solent) se tunc non intellexisse malitiam, sed modo primùm in con-

concione audivisse, vel ab aliis intellexisse gravitatem peccati, jam res salva erit, & nulla repetitione opus, nisi forsitan ab illo tempore, postquam rescivit vel etiam erronee credidit, se omittendo & reticendo graviter peccare, & nihilominus mala fide, scienter & culpabiliter reticuisse supponatur, esto pro tunc non agnovisset obligationem repetendi tales confessiones.

265 Quòd si fateatur pœnitens, jam tunc agnovisse peccati malitiam & gravitatem, nihilominus ex damnabili verecundia aut timore non esse ausum illud exponere, rursus cautelam adhibens interroga, an ergo hactenus studio & semper memor peccatum illud reticuerit, an verò aliquoties, & à quanto tempore ejusdem immemor, bona fide, & animo omnia peccata confitendi, cum debito dolore ac proposito confessus sit? Si semper bona fide, eoque animo confessus, solùm ex oblivione inculpabili omisit peccatum, rursus res erit salva, & nulla repetitione opus, ob rationem jam datam; at verò si fateatur, se aliquanto tempore v. gr. primo anno mala fide & sacrilegè omisisse, reliquis autem annis bona fide, & ex inculpabili oblivione reticuisse, solùm tenebitur repetere illas confessiones primo anno mala fide factas, non item reliquas, quotquot bona fide fecit; cùm omnes istæ fuerint validæ.

At quid (ais) si pœnitens rotundè fateatur, se aliquod peccatum pro mortali agnitum semper scienter reticuisse?

266 R. Esto etiam hoc fateatur, non tamen illicò concludas, omnes illas confessiones fuisse nullas, sed ulteriori cautela usus interroga, an etiam sciverit, reticendo tale peccatum committi novum sacrilegium, nullumque peccatum vi hujus absolutionis utpote invalidæ dimitti? si fateatur etiam hoc agnovisse, urgendus erit & obligandus ad repetitionem modo proximè *n*. 269. præscribendo. Si verò neget (uti revera sæpe assolent) tu rursus aquiesce, nec urgeas repetitionem: simpliciores namque & rudiores subinde inculpabiliter ignorant, tale silentium esse sacrilegum, proptereaque bona fide confessi validè absolvuntur absque onere quidpiam repetendi.

Dices. Quidsi verò dubitasset, an non peccet graviter reticendo?

267 R. Si stante dubio practico reticuit peccatum, utique peccavit graviter, saltem per se loquendo, propertereaque obligandus esset ad repetitionem: Nihilominus cùm multi ignorent esse graviter prohibitum operari cum dubio practico, ideò pœnitentem tuum etiam in hoc casu cautissimè interroga, an sciverit, cum dubio practico accedentes ad Sacramentum & reticentes, graviter peccare? Singulariter autem inquire, quo animo accesserit Confessarium & mensam Domini? an non conscientia multùm remurmurante, ita, ut crediderit se indignum sacra synaxi, propertereaque graviter aliquando punitum iri? si hoc credidit, coge illum ad repetitionem; evidens quippe signum est sacrilegæ confessionis peractæ. Secus dicendum & concludendum, si fateatur se accessisse bona fide, & nihil in mentem venisse de novo sacrilegio committendo &c.

Idipsum observandum, & quàm cautissimè inquirendum est, casu quo pœnitens putavit quidem, se malè, vel non bene agere reticendo, at non cogitavit, nec deliberavit an graviter, vel leviter tantùm delinquat: utrùm enim talis confessio fuerit valida, practicè loquendo vix alio modo deprehendi poterit, quàm inquirendo, qua mente accesserit sacram synaxin? Et an non existimaverit se graviter puniendum? &c.

Dices adhuc. Quid igitur agendum, si pœnitens fateatur se jam tunc quando peccatum perpetravit, agnovisse malitiam, & nihilominus ex damnabili verecundia semper scienter, mala fide, & cum agnitione novi sacrilegii reticuisse peccatum?

269 R. His suppositis observanda erunt sequentia. Primò quærat Confessarius, à quot annis hoc peccatum reticuerit? 2. Quoties ab illo tempore fu rit confessus & communicatus. 3. Eidem ıculcet gravitatem peccatorum, duplicis ilicet sacrilegii semper commissi, & ostendat, hactenus nul-

nullum peccatum fuisse dimissum, ideòque omnia & singula peccata mortalia esse denuo repetenda; quod, cùm sine accurato & longiori examine fieri nequeat, ideò per se loquendo pœnitens sine absolutione dimittendus esset, & blandè inducendus, ut discussis priùs conscientiæ latebris meliùs sese examinando præparet ad confessionem generalem posteà instituendam. At verò quia multiplici experientia compertum est, hujusmodi homines semel sine absolutione dimissos vel ex tædio, vel ex aliis etiam motivis non ampliùs esse reversos; hinc 4. nisi ex certis indiciis prudenter credatur denuo reversurus, Confessarius non sinat elabi prædam, sed potiùs conetur adjuvare, & examinando supplere defectum pœnitentis, singillatim decurrendo præcepta decalogi & Ecclesiæ, & inquirendo, vel veriùs divinando peccatorum species, quas olim (perpensis diligenter circumstantiis Personæ, conditionis, negotiorum, & occasionum) verosimiliter incidisse creditur. Similiter conetur elicere numerum, proponendo primò numerum valde magnum, v. g. an non centies contigerit? Deinde parvum v. g. an non octies aut decies? ac tandem numerum quasi medium v. g. an non trigesies vel ultra? &c. Juvabit etiam indagare, an hoc vel illud peccatum contigerit singulis septimanis, vel omnino singulis diebus, item quoties circiter in die, vel in septimana? &c. 5. His meliori quo fieri potest modo perscrutatis, potissimùm sit sollicitus Confessarius de vero dolore & proposito emendandi emungendo. Tandem sextò moneat pœnitentem, quatenus dein nonnihil se reflectat super vita sua præterita, ut si forsitan quorundam gravium peccatorum, quæ in hac confessione non occurrebant memoriæ, reminiscatur (tametsi in aliis confessionibus invalidis jam semel ea proposuisset Confessario) denuo subjiciat clavibus. Videatur, si placet, Gobat *tr. 7. à n. 259.* la Croix, *à num.* 1220. vel Sporer *nu.* 506. *& seqq.* ubi de hac materia non minùs præclarè, quàm practicè scribit.

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

270 Colliges primò, Pœnitentem de quo audis hactenus non fuisse ritè confessum, vel unum aut alterum peccatum nunquam adhuc subjecisse clavibus, propterea non illico condemnandum esse, & ad repetitionem urgendum, sed ante omnia advertendum, sitnè in præteritis confessionibus validè absolutus, nec ne? si enim validè; nequaquam obligabitur ad repetendum, sed duntaxat ad supplendum defectum v. g. integritatis materialis utì dictum fuit *nu.* 254. At verò si invalidè supponatur fuisse absolutus, urgendus & obligandus est ad repetendum, ob rationem *num.* 252. datam. Ad hoc verò discernendum apprimè juvabit attendere, utrùm pœnitens confitendo bona, an verò mala fide processerit, ita, ut crediderit se mortaliter peccare novo sacrilegio admisso: quo supposito tenebitur repetere confessionem mala fide factam, quandoquidem peccatum mortale in ipsa hujus Sacramenti susceptione admissum certò obstat valori & reconciliationi cum Deo juxta dicta *num.* 251. & *Communem DD.*

271 Colliges secundò, eos qui mala fide quæsierunt Confessarium surdastrum, vel ex proposito peccata sua tam subdolè ac silentiosè expresserunt, ut à Confessario non potuerint intelligi, cogendos esse ad repetitionem confessionis, utpote invalidè, & mala fide factæ. Secus dicendum est, casu quo pœnitens bona fide processit, etsi Confessarius vel ob naturalem distractionem, vel ob surditatem, aliamvè causam unum aut alterum peccatum non percepisset: quia ex hac suppositione absolutio fuit valida, ut proin remaneat sola obligatio supplendi defectum, veluti rursus constare debet ex dictis *num.* 257.

272 Colliges tertiò, homines rudiores, qui ex ignorantia non crassa seu mortali aliquod peccatum mortale non sunt confessi; item qui rudi & crasso modo peccata sua genericè tantùm, vel specificè qui-

quidem, at non singillatim quoad individuum, circumstantias, vel numerum expresserunt; eò quòd ignoraverint hanc obligationem, vel certè non apprehenderint &c. non esse urgendos ad repetitionem, modò bona fide processerint, & cum debita dispositione, dolore scilicet ac proposito efficaci. Ratio est? quia fuerunt validè & directè absoluti à suis peccatis, esto cum onere & obligatione supplendi tales defectus postea forte agnitos, explicando scilicet circumstantias & numerum quoad fieri potest. Interdum tamen, inquit Layman suprà *cit. c.* 9. *n.* 4. si appareat magna hominis ruditas, Confessarius contentus esse potest enarratione peccatorum, à proxima confessione commissorum, ac praecedentium rudi aliqua cognitione, praesertim si aliorum penitentium copia adsit; quia, ut supponitur, homo ille rudis ob ignorantiam non crassam capax est absolutionis: ad perfectiorem autem dispositionem tam facilè adduci non potest, uti pariter supponitur, & multiplici experientia comprobatur. Ita Layman communiter receptus, quem approbat Sporer *nu.* 499. Similiter scrupulosis ordinariè nec permittenda, multò minùs suadenda aut praecipienda est repetitio Confessionum praeteritarum, nisi certò constet, eos fuisse invalidè confessos, & absolutos, simulque repetitio fieri possit sine permagnis difficultatibus, perplexitatibus; & animae periculo, quod vix unquam aberit respectu scrupulosorum; uti jam alibi innuimus, & cum *communi* DD. tradit la Croix *n.* 1220. Ex his ulteriùs.

273 Colliges quartò, non esse cogendum penitentem ad repetendas confessiones, nisi moraliter certò constet, eas fuisse invalidas. Ita cum *communi* DD. Elliuc. Gobat *tract.* 7. *nu.* 275. la Croix *num.* 1221. Ratio est: quia possessio stat pro confessione, cujus valor semper praesumi debet, quamdiu de opposito certò non constat. Atque hinc infertur, non teneri poenitentem quidpiam repetere, quamdiu probabile est, fuisse validè confessum: est autem probabile, inquit la Croix *loc. cit.* hoc ipso, quòd aliquando cum morali diligentia praeteritam vitam recogitarit, & confessus sit.

274 Colliges denique quintò, neque ad repetitionem teneri sequentes. 1. qui bona fide semel confessus est peccatum velut dubium, esto ex post facto recognosceret illud velut certò commissum. 2. Item à fortiori non tenetur, qui bona fide confessus est peccatum velut certum, postea autem reflectens advertit fuisse duntaxat dubium. Item. 3. qui secutus sententiam probabilem confitendo non explicuit peccata dubia, nec circumstantias notabiliter aggravantes, & qui Confessario habenti jurisdictionem solùm probabilem bona fide fuit confessus. Ratio est, quia in his omnibus casibus, si non omnino certum; certò tamen probabilissimum est, absolutionem valuisse: ergo standum est pro valore, & poenitens ab onere repetitionis absolvendus. Vide Sporer *num.* 498.

CONFERENTIA UNDECIMA.

De Ministro Pœnitentiae, Ejusdemque approbatione.

SUMMARIUM.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de approbatione Confessariorum.

QUæres primò, quisnam sit legitimus Minister Sacramenti Pœnitentiæ?

275 R. Est solus Sacerdos, potestate ordinis simul, & jurisdictionis prædictus. Ita Catholici *omnes*. Et habetur decisum in Concil. Trid. *Sess.* 14. *de pœnit. Cap.* 6. & *can.* 10. hisce formalibus: *si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere; aut non* solos Sacerdotes *esse Ministros absolutionis &c. anathema sit.*

276 Dixi: *potestate ordinis simul & jurisdictionis præditus &c.* Quòd enim præter potestatem ordinis simul sit necessaria potestas jurisdictionis, communiter tradunt DD. & Ecclesia, hac ratione: quia absolutio Sacramentalis est actus judicialis: atqui actus judicialis ex parte Judicis essentialiter supponit jurisdictionem in subditos; sententia enim à non Judice suo lata, nulla est: ergo. Hinc idem Concilium Tridentinum *cit. cap.* 7. ait: *persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

277 Pro meliori autem captu dictorum notandum hic venit, potestatem ordinis in ipsa ordinatione tribui, eamque duplicem, scilicet in corpus Christi verum, idest,

idest, ad consecrandum verum corpus & sanguinem Christi in tremendo Missæ sacrificio; & in corpus Christi mysticum, idest, ad absolvendos à peccatis fideles, qui dicuntur corpus mysticum, cujus caput est Christus. Prior potestas confertur per verba Episcopi, dum ait: *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* Posterior verò per illa verba: *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata &c.* Porro inter utramque hanc potestatem duplex intercedit discrimen 1. quòd potestas in corpus Christi mysticum supponat essentialiter potestatem in corpus Christi verum. 2. quòd hæc potestas in corpus Christi verum sit proxima & inimpedibilis; quia Sacerdos ritè consecratus potest semper & ubique locorum, saltem validè, consecrare: è contra potestas in corpus Christi mysticum vi ordinationis collata, est solùm radicalis & remota, ultimatè complenda per approbationem & collationem jurisdictionis, ideoque in actu secundo est impedibilis; quia Sacerdos jurisdictione destitutus nequit validè absolvere à peccatis, ut diximus. Cæterùm quid sit potestas jurisdictionis, dicemus in conferentia proxima *à numer.* 302.

Quæres secundò, quid sit approbatio?

278 R. Est judicium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones, factum ab habente potestatem Episcopalem, vel quasi Episcopalem. Ita cum *communi* DD. Sporer *n.* 668. Rectè autem describitur esse judicium authenticum, factum ab habente auctoritatem legitimam; etenim soli illi possunt approbare Confessarios, qui possunt eisdem designare subditos absolvendos: at, hoc possunt soli illi, qui gaudent potestate Episcopali, vel quasi Episcopali: ergo. Quocirca etiam

279 Advertendum occurrit discrimen inter approbationem & jurisdictionem, seu etiam collationem jurisdictionis; approbatio namque consistit in actu intellectus, quo legitimus Superior judicat, hunc Sacerdotem esse idoneum ad confessiones excipiendas: collatio autem jurisdictionis sita est in actu voluntatis, quo idem Superior, Episcopus scilicet, vel gaudens potestate Episcopali, vult actu dare & conferre potestatem absolvendi fideles Sacramentaliter confessos. Quamvis autem nomine Sacerdotis approbati communiter intelligamus Confessarium præditum jurisdictione; nihilominus in rigore loquendo approbatio & jurisdictio vel collatio jurisdictionis sunt actus omnino diversi & separabiles; posset enim Episcopus judicare, aliquem esse idoneum ad munus Confessarii, & tamen nolle eidem tribuere jurisdictionem. Sic etiam juxta receptam DD. opinionem (cui subscribunt Gobat, Sporer, Sbogar, Mastrius, Reiffenstuel *Theol. mor. tr.* 14. *dist.* 8. *numer.* 15. & declaratum esse à S. Congregatione Concilii, testatur Fagnanus *in c. omnis, num.* 79. *de pœnit. & remiss.*) Regulares exempti jurisdictionem absolvendi sæculares non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi loci, & accedente consensu proprii superioris Regularis, ea statim intelligitur concessa à Sede Apostolica, prout desumitur ex *Clement. dudum*, §. *statuimus. De sepulturis.* Et certè, ut notavit Layman *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *num.* 19. Episcopus loci tam amplam jurisdictionem audiendi confessiones omnium fidelium undecunque advenientium, eosque à censuris etiam Papæ (extra Bullam Cœnæ) reservatis dare non posset: ergo ab Episcopo approbationem duntaxat, jurisdictionem verò à summo Pontifice recipiunt: ergo hi actus sunt omnino separabiles.

Quæres tertiò, quotuplex sit approbatio?

280 R. Est duplex, tacita scilicet, & expressa. Hæc communiter fieri solet verbis expressis, vel rescripto authentico, quo Episcopus declarat hunc Sacerdotem esse idoneum ad curam animarum, propterea que eidem confert jurisdictionem. Illa verò, tacita scilicet approbatio appellatur, quo ipso facto, vel facti conniventia conceditur; ut si Episcopus, vel alius habens facultatem approbandi, dicat Sacerdoti: placeat meam, vel hujus &c. confessionem excipere; vel si dicat: audi quosvis tibi confiteri volentes. Similiter, si Episcopus sciat, hos

hos vel illos Sacerdotes in sua Diœcesi sine sua expressa licentia excipere confessiones, & tamen dissimulet, cùm posset se opponere, censetur hoc ipso tacitè eos approbare. Sic etiam ipso facto approbatur is, cui confertur beneficium parochiale, ut habet *communis* DD. apud Stoz *l. 2. num. 33.* Etsi defacto in pluribus Diœcesibus soleant examinari ante collationem.

Quæres quartò, à quo sit petenda & obtinenda approbatio?

281. R. Est petenda ab Episcopo. Ita enim expressè statuitur in Concilio Tridentino *ss. 23. c. 15. de Reform.* sequentibus verbis: *decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.* Ex quibus patet, etiam Regularibus exemptis opus esse approbatione Episcopi, si (extra articulum vel periculum mortis) velint absolvere sæculares.

282. Dixi: *si velint absolvere sæculares &c.* Enimverò ut rectè notant Lugo, Aversa, Sporer *num. 666.* & La Croix *num. 1487.* circa confessiones Regularium Concilium mox allegatum nihil immutavit, quin immò cùm de solis sæcularibus loquatur, videtur Regulares exclusisse, qui proin sicut jure communi poterant ante Concilium, ita & nunc possunt confiteri cuivis Sacerdoti etiam non approbato ab Episcopo, modò hanc licentiam à suis respectivè Prælatis obtinuerint; quod & ad Novitios extendendum, rectè asserit La Croix *cit.* eò quòd in favorabilibus veniant nomine Religiosorum. Insuper posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium audire confessiones illorum, qui inibi (scilicet in Monasteriis) sunt verè de familia, & continui commensales (uti sunt nostri servitiales) expressè declarat Clemens X. in sua constitutione *superna* §. 4. ut videre est apud la Croix *num. 1505.* & Kazenberger *Supplem. theol. Sacram.* P. Sporer *in Appendice alphabetica. Vers. Privilegiorum declaratio, fol. mihi 917.*

Dices. A quonam igitur Episcopo petenda est approbatio?

283 R. Petenda est, & necessariò obtinenda ab Episcopo illius loci seu Diœceseos, in qua quis vult excipere confessiones. Ita contra non paucos diversimodè sentientes velut probabilius tenent Herincx noster *disp. 5. num. 43. fin.* Navarrus, Barbosa, Lugo, Cardenas, la Croix *cit. num. 1516.* Ratio hujus opinionis (quam & praxis hodie recepta confirmat) est: quia spectat ad Episcopum, ne quis in sua Diœcesi confessiones audiat, quem non judicavit idoneum ad hoc munus: quemadmodum ad Magistratum urbis spectat; ne Medicus absque ejus licentia civibus medicinas præscribat, inquit La Croix *l. c.*

284 Dictum etiam fuit, approbationem esse necessariò obtinendam &c.

Non enim sufficit, fuisse petitam, nisi etiam sit actu obtenta, sive dein justè, sive etiam injustè fuerit denegata; uti defactò cum communiori tenent Reiffenstuel, Lugo, Filliuc. Stoz ubi supra *num. 37.* Ratio desumitur ex Concilio Tridentino superiùs *numer. 281.* allegato; quod clarè decidit, nullum sacerdotem posse excipere confessiones, nisi ab Episcopis approbationem, quæ gratis detur, obtineat. Et ampliùs confirmatur ex Decreto Alexandri VII. damnantis sequentes duas propositiones quarum una ordine decimasexta ita habet: *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem sacerdotem, non approbatum ab ordinario.* Altera, quæ in ordine est 13. ita sonat: *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Quæres quintò. Possitnè Episcopus citra injuriam reprobare Clericum, quem in examine pensatis omnibus pensandis reperit verè idoneum ad curam animarum?

285 R. Negativè. Ratio est: quia Clericus sese subjiciendo examini censetur inire contractum quendam innominatum,

tum, & velut tacitè dicere: *Subjicio me examini ea conditione, ut approber, si dignus inveniar*; quæ conditio censetur etiam acceptari ab Episcopo, supposito quòd illum examinet, aut examinari faciat per alium: ergo dignus inventus citra gravem injuriam reprobari nequit. Ita Lugo, La Croix, Bosco, Henno, eosque secutus Kresslinger *in addit.* 1. *ad tract.* 14. *dist.* 8. P. Reinffenstuel *post num.* 15.

Quæres sextò, possitnè Episcopus Clericos Regulares exemptos ad certum tempus tantùm, vel ad certum duntaxat locum, aut genus personarum approbare, vel etiam approbationem semel datam revocare?

286 R. Sine justa causa concernente ipsas confessiones id nequaquam potest. Ita communissimè DD. & habetur clarissimis terminis decisum in constitutione Clementis X. *Superna magni Patris-familias &c.* edita 21. *Junii* 1670. ubi altefatus Pontifex §. 4. ita loquitur; *illos etiam Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè absque alia limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis Personarum in Diœcesi propria admittendos.* Moxque §. 5. subdit: *Religiosos verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo; secus verò ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat.* Hactenus Pontifex. Idipsum exstat per Congregationem Cardinalium authenticè declaratum apud Barbosam *de potestat. Episc. allegat.* 25. *n.* 30.

287 Dixi: *sine justa causa non potest*: Secus quippe dicendum ubi justa causa occurrit, patet ex clausula constitutionis mox allegatæ. Idcirco si Episcopus rationabiliter dubitet de idoneitate alicujus, multò magis quando inidoneitas alicujus Religiosi ex pluribus ejus actibus vel experientia personarum fide dignarum explorata habetur, licitè talis Religiosus revocatur ad examen. Vid. *DD. mox cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Approbatione Confessariorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus ab uno Conventu in alium alterius Diœceseos, ubi hactenus nunquam adhuc exstitit approbatus, missus fuerat, moxque à suo Superiore pro examine præsentatus Reverendissimo Officio: interea tamen ob magnum pœnitentium concursum, quibus reliqui ejusdem Conventus Confessarii videbantur non sufficere, jussus fuit excipere confessiones. Jam verò dubitatur an Superior id justè præcipere, & Titius mandatum licitè potuerit exequi?*

288 R. si Titius ne quidem tacitè approbatus fuisse supponatur, tunc nec Superior licitè hoc præcipere, nec ipse mandatum sine peccato exequi potuit. Ratio patet: quia nullus Superior habet potestatem aliquid illicitum & peccaminosum præcipiendi: at, si Titius ne tacitè quidem supponatur fuisse approbatus, peccasset mortaliter excipiendo Confessiones & absolvendo sæculares (aliud dicendum foret de Regularibus, quos validè absolvisset vi solius approbationis à Superioribus Regularibus obtentæ) ergo nec Superiori competebat facultas præcipiendi, nec Titio exequendi.

289 Dixi rursus: *ne tacitè quidem approbatus fuisse supponatur* &c. Aliter enim discurrendum & resolvendum foret, si supponatur Titius fuisse missus ad talem Conventum, ubi Episcopus fratres aut Religiosos pro cura præsentatos nunquam solet examinare, sed indulto clementissimè examine idoneitatem præsentati relinquere judicio Superioris præsentantis, ejusdem desuper conscientiam aggravando, prout in nonnullis Diœcesibus nostræ Provinciæ fieri novimus: hoc enim supposito sub-

ſubditi Religioſi legitimè præſentati cenſentur interim ab Epiſcopo tacitè approbati (quod ad valorem ſufficit , ſecundùm dicta *nu.* 280.) ut ſine ſcrupulo confeſſiones ſæcularium audire , & abſolvere valeant , tametſi approbatio in ſcriptis , uti fieri ſolet, diu poſtea ſequatur. Contrarium reſolvendum arbitror in illis Conventibus & locis , ubi Epiſcopi petere ſolent , ut Sacerdotes noſtri de novo adventantes ad Conventum , præſententur examini ; quia non eſt facilè præſumendum , quòd antecedenter ad examen velit actu approbatos , quorum ſufficientiam & idoneitatem prævio examine vult eſſe probatam ; niſi fortè ſacerdos præſentatus talis ſit muneris aut conditionis , ut credatur , vel potiùs ſciatur abſque omni examine remittendus velut approbatus , prout fieri plerùmque aſſolet cum noſtris Superioribus , Lectoribus, & aliis nonnullis Officialibus. Eſt tamen etiam cum ſimilibus cautè procedendum , & niſi urgeat permagna neceſſitas, exponi neutiquam debent priùs, quàm approbationem in ſcriptis obtinuerint ; tum quia hoc facit pro majori certitudine & reverentia Sacramenti, in cujus adminiſtratione pars tutior ſemper eſt eligenda in dubio ; tum etiam quia ex oppoſita praxi de facili poteſt incurri offenſa , & diſgratia Principis, ac Reverendiſſimi Officii , prout experientia compertum eſt . Videatur Sporer *num.* 671.

Dices. At quid , ſi Parochus præfatum Religioſum in itinere conſtitutum roget ut ſuam confeſſionem velit excipere , vel ſe in vinea Domini adjuvare , audiendo confeſſiones ſuorum Parochianorum , an licitè ejuſdem petitioni gratificabit , etſi ſupponatur in tali loco , vel potiùs Diœceſi nunquam fuiſſe approbatus?

290 R. Probabiliter licitè. Ita cenſent Platelius, Taberna , Sporer *numer.* 678. Sannig. *tom.* 3. *diſt.* 11. *qu.* 4. *n.* 15. VVieſtner *lib.* 5. *decret. tit.* 38. *num.* 36. Reiffenſtuel *l.* 5. *decret. tit.* 49. *num.* 259. ac noviſſimè P. Kreslinger *proximè cit. addit.* 7. Ladduſca *V. conſultarius num.* 12. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. RR. qu.* 39. *a.* 5. *in fine* , *& alii plures*. Rationem deſumunt, tum ex tacito Ordinariorum conſenſu , tum etiam ex privilegio , per Eugenium IV. FF. Minoribus , ac per Gregorium XIII. RR. Patribus Societatis JESU (& conſequenter vi communicationis privilegiorum etiam reliquis Mendicantibus) conceſſo, quo permittitur , ut iter agentes , ſeu ubivis locorum peregrinantes poſſint excipere confeſſiones , cum ſequentibus tamen limitationibus & clauſulis bene obſervandis. 1. Ut Confeſſarius ſit ab uno ſaltem Epiſcopo approbatus . 2. Ut non excipiat confeſſiones in loco ubi exiſtit Epiſcopus ; nec 3. ubi Parochus contradicit ; nec 4. in tali loco, ubi ipſe Religioſus ſtabiliter perſeverabit , ſed in itinere duntaxat, ſeu in tranſitu. Huic autem privilegio nec per Bullam Clementis X. mox ſupra allegatam fuiſſe derogatum, veroſimiliter omnino probat Reiffenſtuel *loc. cit.* Nihilominus cùm de facto multi DD. putent hoc privilegium per Pontificem mox allegatum fuiſſe ſublatum ; hinc cenſeo, ſine aliqua neceſſitate , vel urgente cauſa eo non ampliùs eſſe utendum. Videatur noſter Kazenberger *in Supplem.* 2. *P. Sargar n.* 169.

CASUS SECUNDUS.

Quidam Reverendiſſimus Præſul Sempronium ſubditum ſuum Religioſum præſentavit Celſiſſimo Ordinario examinandum pro cura animarum , & approbandum ; qui ob præclara reſponſa & inſignem doctrinam , ab Examinatoribus ad id munus nedum idoneus , ſed & digniſſimus judicabatur. Nihilominus à Celſiſſimo Ordinario limitatè tantùm fuit approbatus , pro excipiendis ſcilicet Confeſſionibus in ſuo Monaſterio duntaxat , non item in Parochiis eidem Monaſterio incorporatis. Quæritur jam 1. *an juſtè.* 2. *An Sempronius juſſu ſui Reverendiſſimi D. Præſulis in quadam Parochia Monaſterio incorporata potuerit licitè ac validè abſolvere pœnitentes ?*

291 R. Ad primum. Videtur Sempronio, utpote abſolutè habili, immò ad animarum curam digniſſimo (uti caſus fert) injuſtè fuiſſe negata approbatio abſoluta Ratio facilè colligetur ex dictis *nu.* 286. quia Clemens X. in ſua *conſtitut.* §. 5. man-

mandativè decernit, *illos Religiosos*, *qui ad confessiones audiendas idonei generaliter inventi fuerint*, *ab Episcopis generaliter quoque & indistinctè absque aliqua limitatione temporis*, *cæterorumque locorum &c. in Diœcesi propria admittendos esse*: ex quibus patet, de voluntate præfati Pontificis, & tacito mandato, Religiosis legitimè præsentatis, & absolutè idoneis repertis, approbationem absolutam & illimitatam deberi: at, quod alicui de jure debetur, citra injuriam negari non potest: ergo &c.

292 R. Jam ad secundum. Si Sempronius fuit approbatus cum expressa restrictione ad Monasterium, tunc invalidè, & hoc ipso etiam illicitè absolvisset in Parochia extra Monasterium sita, etsi eidem incorporata quantùm ad jura Parochialia. Ratio est: qnia absolutio data sine potestate jurisdictionis nulla est, ut diximus *n.* 276. atqui Sempronius non gaudebat potestate jurisdictionis in Parochia, sed in Monasterio tantùm: ergo nulliter, & hoc ipso sacrilegè absolvit. Scio equidem, à Navarro, Lezana, Layman & aliis multis DD. videndis apud nostrum Herincx *n.* 45. doceri, posse Fratres Minores & Prædicatores validè absolvere, quando approbatio ipsis injustè negatur, eò quòd tunc ab ipsa Sede Apostolica pro approbatis habeantur &c. Verùm hoc modernis temporibus nullatenus esse practicandum, rectè monent Sporer, Herincx *cit. n.* 46. aliique plures; tum quia hoc est valdè odiosum & invisum Episcopis; tum quia oppositum est conformius praxi; tum denique, quia aliàs pœnitens tempore paschali satisfaceret, qui tali Religioso confiteretur; quod tamen ab Alexandro VII. damnatum fuit, ut diximus *nu.* 284. suadet proin recta ratio, ut quoad hoc deferamus mandatis Reverendissimorum Episcoporum, sin minùs ex justitia, saltem ex humilitate & reverentia Eisdem debita. Et certè frustra Religiosus se opponet Episcopo; cùm huic sit facilè invenire, vel prætendere causam, ob quam valeat illum revocare ad examen, uti sapienter notat La Croix *num.* 1538 Vide etiam, si placet, Gobat *tr.* 7. *num.* 47.

Dices. At Reverendissimus meus solet non rarò unum aut alterum ex nostris mittere in subsidium, qui alios in Parochiis expositos coadjuvent excipiendo confessiones, & alia Sacramenta administrando: hoc autem profectò nunquam faceret, nisi sciret nos validè fungi tali ministerio: ergo.

293 R. Facilè admitto totum, quod dicis; credo enim, Reverendissimum tuum ideò hoc disponere, quia scit suos Religiosos non limitatè, & cum restrictione ad solos Monasterii terminos fuisse approbatos; aut quia novit per consuetudinem receptam & tacitum Episcopi consensum hactenus id semper fuisse practicatum: quo supposito licitè præcipit, & subditus exequitur mandatum.

CASUS TERTIUS.

Cajus *Franciscanus peragrando Diœcesin Constantiensem, in qua nunquam adhuc fuerat approbatus, pernoctavit in quodam Monasterio Monialium alterius Ordinis. Altera die, cùm esset magna festivitas, requisitus fuerat ab Ordinario Monialium Confessario, ut & suam (Confessarii scilicet) & aliquarum saltem Monialium confessionem vellet excipere. Dubitavit autem Cajus an huic petitioni licitè deferret. Quid judicii?*

294 R. primò. Cajus probabiliter potuit deferre petitioni præfati Confessarii, ipsius confessionem excipiendo, sive Religiosus fuerit, sive etiam sacerdos sæcularis (prout alicubi locorum funguntur officio Confessarii etiam respectu Monialium exemptarum) utrùm autem potuerit deferre quoad absolutionem Monialium, non est ita certum. Ratio prioris hæc est: quia ut Religiosus licitè ac validè absolvatur, sufficit eum habere à suo Prælato licentiam alteri confitendi: hoc ipso enim Prælatus censetur jurisdictionem necessariam (quam respectu suorum potest) delegare tali Confessario electo. Quin etiam à Parocho eligi posse Confessarium, ab aliquo saltem Episcopo (etsi non suæ Diœceseos) approbatum, velut probabile tenent Suarez, Filliucius, Navarrus & alii, quos refert & sequitur Viva *num.* 11. *ad proposit.*

posit. decimam sextam ab Alexand. VII. damnatam, dummodo Episcopi non repugnent: quia hoc supposito habetur, quidquid exigit Tridentinum, scilicet Episcopi approbatio, vel parochiale beneficium, & simul jurisdictio: quippe quæ potest etiam à Parocho aliis delegari, dummodo habeant requisita à Tridentino. Ratio autem posterioris desumitur inde: quia juxta Constitutionem Gregorii XV. Bulla: *Inscrutabili Dei providentia*, emanata 1622. ejusdemque declarationem, nullus omnino Sacerdos, sive Regularis, sive sæcularis, potest confessiones Monialium audire, nisi sit ab Ordinario specialiter pro Monialibus approbatus: atqui Cajus non fuit ab Ordinario specialiter approbatus pro illis Monialibus: ergo &c. non potuit licitè aut validè absolvere.

295 R. secundò non esse de facili & sine valdè urgente causa attentandum, ut Confessarius non approbatus ab Episcopo in hujus Diœcesi confessiones excipiat; esto etiam à Parocho, vel ab ipsis Monialibus requiratur. Ratio est: quia hoc multis Doctoribus, nominatim Cardenas *in Crisi dissert.* 2. *numer.* 271. La Croix *num.* 1512. aliisque non videtur satis tutum: & quòd oppositum velut tutius consultò sit eligendum, minimè dubitare licet. Accedit, quòd ex tali praxi nunquam non sit timenda gravis offensa Ordinariorum, & aliæ plures inconvenientiæ.

Dices adhuc: sed quid si Cajus venisset ad Monasterium Monialium tertii Ordinis, jurisdictioni nostri A. R. P. Ministri Provincialis subjectarum, potuissetnè à Venerabili Matre rogatus excipere confessiones Monialium?

296 R. Cum distinctione. Vel enim habuit licentiam ab A. R. P. N. Provinciale, vel non? si non: tunc neque licitè absolvisset, neque validè. Si autem habuit, potuit petitioni Venerabilis Matris aquiescere, quia Provinciales nullis dant hanc licentiam, nisi quas norunt ab Episcopo saltem tacitè, vel per consuetudinem legitimè receptam approbatos. Cæterùm hæc licentia in nostris statutis provincialibus Augustæ 1720. emanatis solùm conceditur sequentibus. 1. Omnibus Venerabilis Diffinitoril Patribus. 2. Guardianis & Præsidibus respectu Monialium existentium in suis respectivè districtibus; quibus etiam permittitur, ut in casu rationabili alium virum prudentem sui Conventus possint substituere. 3. Item conceditur Patribus terminariis ordinariis, in ordinariis Collecturis existentibus (non verò ob alia negotia extra missis, aut NB. ex obedientia ad alios Conventus destinatus.) ut possint Confessiones sororum Tertiariarum in suo districtu excipere: reliquis omnibus eadem facultas denegatur in tantùm, ut nec validè nec licitè eas absolvant, ut videre licet in Statutis *de Patribus Confessariis cap.* 4. *num.* 13. Ubi insuper *num.* 14. sancitur, ut juxta decretum sacri Concilii Tridentini ter in anno provideatur de Confessario extraordinario quem omnes Moniales accedere debent, saltem petituræ benedictionem, si nolint confiteri. Quisnam autem providere debeat, aut soleat, noverint ipsæ.

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

297 Colliges ex dictis primò, approbationem vel expressam, vel saltem tacitam omnibus omnino Confessariis necessariam esse ad hoc munus. Ita *omnes*. Constat clarè ex Concilio Tridentino *Ss.* 23. *cap.* 15. ubi statuitur, nullum Confessarium etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire &c. nisi *approbationem obtineat*. Excipitur tamen unicus & solus articulus mortis, in quo ab eodem Concilio permittitur omnibus etiam simplicibus Sacerdotibus facultas absolvendi, ne forte contingat, defectu hujus potestatis quempiam salute excidere. Quo circa rectè observat Stoz *l.* 2. *num.* 34. minimè necessum esse, ut Episcopus per se ipsum examinet aut approbet Confessarios, sed satis est, id fieri per Vicarium Generalem vel alium substitutum.

Potest insuper Episcopus examen omninò condonare, ubi de idoneitate Sacerdotis aliunde constat, vel certè neutiquam

dubi-

dubitare licet, ut si sit Doctor seu etiam Professor Theologiæ, vel licentiatus &c. quos non opportet denuo examinari.

298 Colliges secundò, approbatum in una Diœcesi, non eo ipso approbatum haberi in omnibus, ita, ut ubivis locorum valeat confessiones excipere. Ita hodie *communissimè* Doctores, quidquid olim alii senserint. Ratio desumitur ex Constitutione Clementis X. jam sæpiùs allegata, in qua expressè continetur, quòd Regulares in una Diœcesi approbati, non censeantur approbati ubique; quod & Urbanus VIII. & Innocentius X. declarasse feruntur. Nec immeritò; quia ad cujusque Episcopi officium spectat, providere ut idonei duntaxat Pastores & animarum Curatores in sua Diœcesi præficiantur: at per hoc, quòd Confessarius sit ab uno Episcopo approbatus, non cuivis Episcopo constat satis, quòd in sua Diœcesi sit idoneus ad animarum curam; nam diversi subditi diversos non rarò modos regendi & dirigendi postulant, ideoque & diversi Diœcesani diversam scientiam, & qualitates diversas in Confessario.

299 Colliges tertiò, approbationem tacitam etiam per consuetudinem legitimam, & tacitum consensum Ordinariorum obtineri posse. Constat hoc ex praxi satis recepta in nostra Germania, vi cujus tam Parochi, quàm Regulares in confinibus diversarum Diœcesium constituti, tempore indulgentiarum, aliarumque festivitatum & peregrinationum solent concurrere, & in expediendis pœnitentibus pro Sacro tribunali sese mutuò adjuvare, tametsi in illa Diœcesi non sint approbati; atqui hoc non practicant alia ratione, quàm ob jurisdictionem tacito consensu, & legitima consuetudine obtentam. Cùm enim Ordinarii sciant, id esse necessarium, & multipliciter practicari, nec ob id in minimo se opponant, cùm tamen facilè possent, meritò præsumuntur tacitè consentire, & consentiendo approbare talem consuetudinem, vel potiùs ipsos Parochos & Sacerdotes, licèt alterius Diœceseos. Id ipsum sentiendum est de praxi, qua vicini Parochi ad invicem, vel cooperator unius Parochiæ vicino Parocho confitetur, uti rectè observant Sporer, Gobat ubi suprà *n.* 61. Illsung. *tr.* 6. *d.* 6. *n.* 179. Kresslinger *cit. addit.* 6.

300 Colliges quartò, etiam supposita approbatione Episcopi jurisdictionem à summo Pontifice concessam Regularibus, exerceri ab ipsis non posse in alios Regulares sive Religiosos, sive etiam Moniales, nisi de consensu & licentia Superiorum cujusvis Ordinis respectivè. Sic etenim statuit Clemens VIII. Bulla. *Romani Pontificis*, data 1599. 23. *Novemb.* ubi expressè declarat, nunquam fuisse mentem sedis Apostolicæ, ulli Religioso vel Moniali dare licentiam confitendi alicui contra dispositionem suorum Superiorum, sed potiùs, ut *quantùm ad Sacramentum pœnitentiæ seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint*. Ita Pontifex.

301 Colliges quintò, Prælatos Regulares subditis suis jam approbatis & expositis, jurisdictionem à summo Pontifice concessam tollere posse, aut limitare ex rationabili causa etiam non notoria. Ita *communiter* DD. Rodriquez *QQ. R. R. to.* 1. *q.* 60. *a.* 3. Layman *c.* 10. *n.* 19. Gobat. *nu.* 629. Ratio est: quia amplam hanc potestatem absolvendi quoscunque &c. Pontifices immediatè delegarunt Ordini, ejusdemque Prælatis, ut eam possint committere subditis suis Regularibus, quos ad hoc munus idoneos judicaverint: ergo sine horum licentia nec validè, nec licitè uterentur ea potestate etiam respectu sæcularium. Quocirca tamen Gobat, Layman & alii rectè notant, quòd si Prælatus alicui Sacerdoti sibi subjecto interdicat, ne audiat confessiones, non ideò statim existimandus sit, voluisse eidem jurisdictionem omnino tollere, ut ne quidem validè possit absolvere; sed potiùs præsumendum, quòd solum exercitium Confessarii voluerit eidem interdicere in tantum, ut licitè non possit eo munere fungi, nisi contrarium exprimat, vel ex circumstantiis, seu causa prohibitionis id præsumi debeat, uti debet, si ob inscitiam vel aliam indignitatem suspendatur aut deponatur. Vide Lugo, vel Rodriquez *cit. a.* 2. vel Sporer *num.* 684.

CON-

CONFERENTIA

DUODECIMA.

De Jurisdictione in Confessario requisita.

SUMMARIUM.

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Jurisdictione ex parte Confessarii necessaria.

302 Quæres primò, quid sit jurisdictio? R. Jurisdictio (quantùm attinet ad nostrum propositum) est potestas seu facultas jus dicendi, & sententiam ferendi in alium tanquam subditum in foro conscientiæ. Ita in re *omnes*. Ratio hujus descriptionis desumitur ex ipsa nominis etymologia; etenim jurisdictio appellatur à *jure dicundo*: & cùm Confessarius vi sui muneris debeat agere judicem in foro conscientiæ respectu pœnitentis; hinc rectè dicitur indigere jurisdictione, & eandem absolvendo exercere.

Quæres secundò, quotuplex sit jurisdictio?

303 R. Jurisdictio est duplex, ordinaria scilicet, & delegata. Ordinaria appellatur, quæ alicui competit ex proprio officio seu munere suo, id est: qua quis vi proprii officii (utpote cui annexa est cura animarum,) habet subditos judicandos, proptereaque ipsimet officio hæc facultas ordinariè est annexa. Delegata autem jurisdictio dicitur, quæ habetur duntaxat ex commissione alterius possidentis ordinariam jurisdictionem, seu quam quis obtinet absque collatione alicujus beneficii curati, vel habentis annexam curam pascendi &c. animas &c.

Quæres tertiò, quibusnam competat jurisdictio ordinaria, & quibus delegata?

304 R. primò. Jurisdictio ordinaria competit sequentibus. 1. Summo Pontifici in universalem Ecclesiam. 2. Ejusdem Vicariis generalibus & Legatis à latere, nec non supremo Pœnitentiario. 3. Episcopis, Eorumque Vicariis generalibus & Pœnitentiariis, ubi Pœnitentiaria est in officium erecta. 4. Item Parochis, & eorum Vicariis, ubi Vicariæ sunt in officium & beneficium seorsim institutæ, utì sunt Vicariæ Capitulorum, Monasteriorum &c. & aliæ non paucæ. Ad hanc ordinariam etiam reponi & revocari debent potestates Superiorum Regularium; Enim verò quasi Archi-episcopalem potestatem possident Generales respectu totius Ordinis sibi subjecti, quasi Episcopalem obtinent Provinciales respectu suarum Provinciarum; item Abbates exempti respectu suorum Monasteriorum exemptorum. Quasi Parochialem autem possident Guardiani, Priores, Rectores, aliique immediati Superiores Religiosorum Ordinum respectu suorum subditorum sibi commissorum; quippe quorum animas vi sui officii pascere tenentur. Vide Herincx *Disp.* 5. *à numer.* 23. Sporer *numer.* 688.

305 R. secundò. Jurisdictio delegata competit omnibus illis, qui non possident beneficium aut officium cui per se est annexa animarum cura, & nihilominus obtinuernnt potestatem absolvendi ab eo, qui gaudet jurisdictione ordinaria. Talem defectò possidemus nos Religiosi Ordinum Mendicantium; qui, etsi non possideamus beneficium vel officium curatum, nihilominus ex delegatione & privilegiis summorum Pontificum possumus absolvere omnes fideles sæculares, undequaque ad nos confluentes. Tali etiam jurisdictione delegata gaudent Capellani simplices, qui ab Episcopis ad audiendas confessiones exponuntur absque collatione alicujus beneficii vel officii parochialis.

Quæres quartò, quinam jurisdictionem suam aliis delegare possint?

306 R. Omnes illi possunt delegare, qui juxta dicta *n.* 304. gaudent jurisdictione ordinaria: nisi (quod bene notandum) à legitimo suo superiore specialiter sit ipsis prohibitum. Econtra illi, qui jurisdictionem delegatam duntaxat possident, non possunt eam subdelegare, ne quidem ad unicum actum, nisi ordinarius expresè hoc concedat, aut nisi in locum ordinarii cum delegatione universali substituatur, utputa in vices Parochi defuncti. Ita cum aliis multis Coninck, Hurtadus, Stoz *l.* 2. *num.* 47. Herincx ubi supra *nu.* 27. Sporer *num.* 698. Ratio horum est; quia jurisdictio

dependet à voluntate S.Pontificis: atqui summi Pontifices facultatem delegandi jurisdictionem illis duntaxat concessere, qui gaudent ordinaria, non item aliis qui gaudent solùm delegata ergo &c. Videantur *DD. citati*.

Quæres quintò, quamdiu duret jurisdictio delegata?

307 R. Cum distinctione. Vel enim concessa fuit cum aliqua limitatione seu restrictione ad certum tempus; & tunc tempore elapso exspirat ipso facto. Vel est concessa absolutè & illimitatè; & tunc semper durabit, donec expressè revocetur: adeò, ut ne quidem cum morte delegantis v. g. Episcopi exspiret Ratio est: quia talis delegatio se habet per modum gratiæ factæ: atqui gratia semel facta non exspirat cum morte concedentis juxta Regulam generalem in jure fundatam: ergo &c. Vid. *c. si super de offc. & potest. Jud. deleg. in 6*.

At quid, si delegatio fuit facta cum hac vel simili clausula: *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*; vel: *donec revocavero &c.*.

308 R. Neque taliter concessa exspirat cum morte concedentis; tum quia sedes Apostolica non moritur, sed semper manet; tum etiam, quia si vivus non revocet, multò minùs eandem revocabit mortuus, quippe impotens ad revocandum. Ob eandem rationem Castropalao *de Legg. Disp. 15. punct. 16. §. 5. num. 5.* Et Herincx *cit. disp. 5. n. 31.* probabile censent, jurisdictionem non exspirare cum morte, si fuit delegata cum hac clausula: *donec voluero*; vel: *usque ad meum beneplacitum &c.* Ratio est: quia hæc clausula æquivalere videtur priori; tum etiam quia *extra vag. inter cunctas, de privileg.* dicitur: *datam verò licentiam per Diœcesanorum mortem nolumus terminari*. Vide Layman *lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 22.*

Quæres sextò, an, vel qualis jurisdictio sit necessaria ad validam absolutionem impertiendam?

309 R. Est necessaria jurisdictio actualis; eaque vel ordinaria, vel saltem delegata. Ita *Omnes*. Et habetur decisum in Concilio Florent. nec non in Trident. *ss. 14. c. 7.* hisce verbis: *quoniam natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*. Ubi etiam assignatur ratio jam superiùs *n. 302.* à nobis insinuata, videlicet quòd actus judicialis (qualis est absolutio Sacramentalis) in Judice essentialiter requirat auctoritatem seu jurisdictionem super eum, super quem sententia profertur.

Quæres septimò, utrùm ad valorem absolutionis sufficiat jurisdictio, probabilis duntaxat?

310 Ante responsionem suppono, nomine jurisdictionis verè probabilis eam intelligi, quæ nititur verè gravi fundamento, seu quæ rationabiliter creditur actu concessa; etenim juxta alibi dicta: *probabiliter, rationabiliter, & prudenter* sunt synonima: ergo illa jurisdictio tantùm dici debet verè probabilis, & probabiliter concessa, quæ prudenter, id est tum rationum pondere, tum etiam auctoritate fulta creditur ita, ut ad assensum hujus virum etiam prudentem movere valeant; esto uni aut alteri fortè non ita appareat; nam circa ea quæ verè probabilia sunt & non certa, vix aut ne vix quidem reperies omnes DD. unanimiter sentientes. Hoc notato ac supposito

311 R. Probabilissimè licitum est absolvere cum jurisdictione verè probabili; etsi hoc sine justa & verè gravi causa nunquam sit practicandum, præsertim ubi de facili obtineri potest jurisdictio certa. Ita plurimi & gravissimi DD. videndi apud la Croix, Babenstuber & alios plures. Ratio autem prioris est hæc: quia quando Sacerdos juxta verè probabilem opinionem putat se actu possidere jurisdictionem in hunc vel illum pœnitentem, vel in hoc aut illud peccatum &c. tunc (etsi fortè opinio esset re vera erronea & falsa) summus Pontifex censetur, & piè admodum creditur actu concedere jurisdictionem, idque ad vitanda majora incommoda, & animarum pericula, vel etiam ad præcavendas irreverentias Sacramento forsitan irrogandas &c. Profectò, tum praxis communis hoc

ferat,

ferat, & plerique Doctores id doceant, scriptis evulgent &c. sciente Ecclesia, Pontifice, approbantibusque Censoribus librorum Ecclesiastica auctoritate deputatis, Ecclesia deberet non tolerare, nisi supplendo jurisdictionem intenderet connivere pro tali contingentia facti, ait sapienter noster P. Herincx *cit. num.* 30. Inde quodammodo certum evadit, quòd valor Sacramenti subsistat in tali casu, Ecclesia ceu pia Matre defectum jurisdictionis, si quis re ipsa subesset, supplente. Nihilominus cùm multi DD. de hoc dubitent, simulque aliunde notum sit, ubi de valore Sacramenti agitur, consultò ac studiosè sequenda esse tutiora; hinc cum P. Sporer *num.* 717. Marchantio *tract.* 7. *tit.* 3. *quæst.* 4. Bardi, Joan. Sanchez, Gobat, Babenstuber *tract.* 8. *p.* 6. *d.* 6. *a.* 3. *numer.* 8. & aliis pluribus censeo, sine gravi causa, præsertim quando obtineri posset jurisdictio certa, aut Confessarius certa jurisdictione prædítus, nunquam esse absolvendum cum sola jurisdictione probabili: non enim supponi potest aut debet, Ecclesiam supplendo jurisdictionem velle connivere meræ libertati, vel etiam præsumptioni cujuslibet Sacerdotis, sed solùm congruæ necessitati, vel utilitati fidelium, tunc videlicet, quando Sacerdos utitur jurisdictione probabili ex justa causa magnæ utilitatis, aut necessitatis, item quando de facili obtineri non posset jurisdictio certa.

Quæres octavò, utrùm error communis cum titulo colorato tribuat jurisdictionem sufficientem ad validam absolutionem?

312 Ante responsionem rursus suppono, nomine erroris communis intelligi talem, quo Sacerdos exercens actum jurisdictionis vel ab omnibus, vel saltem à plerisque creditur habere jurisdictionem, cùm tamen non habeat ob aliquod occultum impedimentum v. gr. quia est suspensus, vel beneficium obtinuit collatione invalida, utpute Simoniaca &c. Porro talis error aliquando est conjunctus cum titulo colorato, ut si credatur gaudere jurisdictione ob collationem beneficii, quæ tamen fuit nulla & invalida, proptereaque appellatur titulus coloratus, id est, apparens, & putatitius, non autem verus. Aliquando autem error accidit sine titulo: ut si simplex Sacerdos credatur esse præditus jurisdictione, eò quòd falsis litteris aut testibus probaverit se esse approbatum pro cura animarum, esto sine collatione alicujus beneficii curati, vel officii curam animarum habentis annexam, ideoque sine titulo. Hoc notato

313 R. Ubi intervenit error communis cum titulo colorato, Ecclesia certò supplet defectum & confert jurisdictionem, juxta communissimam DD. Quin etiam in casu, ubi intervenit error communis sine hujusmodi titulo colorato, ab Ecclesia defectum jurisdictionis suppleri probabiliter tenent Bonacina, Tamburinus *lib.* 5. *de pœnit. c.* 4. §. 7. *num.* 17. Gobat *cit. num.* 111. Herincx, Stoz, & alii plures contra non paucos. Ratio desumitur ex benigna interpretatione voluntatis Ecclesiæ, quippe quæ in communi errore cum titulo colorato ob utilitatem publicam fidelium, ne scilicet magni, sæpiùs quàm par est, oriantur scrupuli, perturbationes ac difficultates circa hujus Sacramenti administrationem, aliaque ministeria jurisdictionem requirentia, utì est assistentia Matrimonii &c. voluit hunc defectum supplere & dare veram jurisdictionem conformiter *L. Barbarius*, *ff. de officio Prætor*: & quia eadem absurda, pericula animarum &c. possent oriri, ubi intervenit error communis sine titulo; hinc etiam in tali casu Ecclesiam velut piam Matrem voluisse defectum supplere, piè admodum sibi persuadent DD. allegati. Ego sanè cum P. Gobat & Sporer extra mortis articulum non juberem repetere confessiones tali Sacerdoti factas, sicut nec matrimonia tali Sacerdote assistente contracta dissolvi; idque ob probabilitatem hujus opinionis. Vide Sporer *n.* 114. Henno *de pœnit. disp.* 8. *q.* 5. *concl.* 3.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de jurisdictione Confessarii.

CASUS PRIMUS.

Titius Parochus quendam Beneficiatum simplicem, vel potiùs simplex beneficium possidentem in confinia alterius Parochiæ constitutum rogabat, ut suam dignaretur confessionem excipere: noluit Beneficiatus petitioni condescendere, dictitans, sibi à D. Parocho loci esse universaliter interdictum, ne in hac sua Parochia quempiam absolveret. Titius econtra hanc repulsam non passus, reponebat, ego omnem meam potestatem & jurisdictionem delego tuæ dominationi, nec jam video cur meuat mihi hoc Sacramentum administrare. Dubitat proin Beneficiatus, num tuta conscientia potuerit absolvere Titium, non obstante illa probibitione D. Parochi localis.

314 R. Ad hunc Casum cum distinctione. Vel enim Beneficiatus fuit ab Ordinario approbatus, vel non? si non; dicendum quòd non potuerit absolvere Titium Parochum, idque defectu jurisdictionis necessariæ. Nec refert, quòd Titius supponatur voluisse omnem suam jurisdictionem delegare; quia juxta dicta superius *numer.* 284. beneficium etiam curatum habentes non possunt sibi eligere in Confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario. Econtra, si præfatus Beneficiatus semel fuit ab Ordinario approbatus, id est, authenticè declaratus velut idoneus Minister hujus Sacramenti approbatione nondum revocata, etsi defacto Beneficium simplex duntaxat possideat, potuit nihilominus à D. Parocho eligi in confessarium; tum quia generali privilegio, vel potiùs consuetudine generaliter recepta Parochi obtinuerunt potestatem eligendi sibi in Confessarium Sacerdotem ab Episcopo approbatum; tum etiam quia Domini Parochi utpote gaudentes jurisdictione ordinaria absolvendi suos Parochianos, possunt eandem delegare cuilibet alteri Sacerdoti approbato per *cap. Inter cætera, de offic. Ordin.* ergo etiam possunt eandem delegare in ordine ad absolutionem sibi impertiendam ab alio Sacerdote approbato; secus enim Pastor foret deterioris conditionis, quàm oves: ergo Titius Parochus validè fuisset absolutus in hoc casu. An etiam licitè? Attendendum erit 1. utrùm Parochus loci fuerit rationabiliter invitus? 2. utrùm Beneficiato voluerit prohibere ne Clericum vel Parochum vicinum absolveret; quod quidem meo judicio non est credendum aut præsumendum, immo neque attentandum; quandoquidem teste Laymanno *cit. l. 5. tract. 6. cap. 10. num.* 4. omnium fermè Ecclesiarum consuetudine introductum sit, ut Sacerdotes quilibet sæculares cuilibet approbato & exposito confiteantur; propterea, quòd ipsi variis in locis sæpe sacrificantes ejusmodi facultate opus habere videantur. Qua de re videri possunt Navarrus *in cap. placuit, num.* 28. *& seqq. dist. 6. de pœnit.* Suarez *disp. 29. sect. 6.* Viva *ad propos. 16. ab Alexandro VII. damnatam num.* 10. & 11.

315 Dictum tamen fuit: *Si beneficiatus semel fuit absolutè approbatus ab Ordinario approbatione non revocata* &c. Hac quippe rursus adempta, secus resolvendum foret; quia ex hac suppositione æquiparandus esset Sacerdoti simplici; simplicem verò Sacerdotem ne quidem à Parocho eligi posse in Confessarium, constat ex dictis *n. præcedenti*. Cæterùm an dictus Beneficiatus approbatione sua privatus existat per hoc, quòd ad Beneficium simplex sit promotus, colligendum erit ex consuetudine, & modo approbandi in quavis Diœcesi recepto. Et verò, ubi semel approbatus habetur pro approbato simpliciter seu in perpetuum uti habetur in hac Diœcesi nostra Salisburgensi, non videtur dubitandum, quin talis posset eligi ab alio Sacerdote & Parocho in Confessarium, esto etiam defacto non ampliùs possideat beneficium curatum, sed tantùm simplex. Econtra ubi approbatio solùm datur ad tempus certum & limitatum v. gr. cum hac vel simili clausula: *quamdiu perseveraveris*

veris in hoc loco : *in hoc officio &c.* mutato statu loci aut officii ipso facto deperditur approbatio : consequenter taliter approbatus, & postea ad aliud beneficium simplex promotus, ampliùs eligi non posset in Confessarium. Videatur de hac materia Gobat *tr. 7. n. 45. & seqq.* Suarez *de pœnit. d. 26. sect. 1. n. 3.* Clericatus *de pœnit. dec. 37. n. 15.*

Dices. Ego in mea Diœcesi fui semel absolutè & illimitatè approbatus, & pro tali agnoscebar tunc temporis, quando meum beneficium simplex obtinui ; ast modò primùm Reverendissimus meus Ordinarius statuit generaliter, ut, quotiescunque aliquis Clericus sæcularis ab uno loco vel beneficio mutaretur ad aliud, de novo sese præsentaret examini, & denuo obtineret approbationem : possumnè jam in his circumstantiis absolvere Titium Parochum, si me conveniat ?

316 R. Tutò potes absolvere ; tum quia (ut dicis) approbatio tibi semel fuit absolutè & illimitatè concessa ; quæ cùm sit potestas favorabilis, & gratia jam facta, non exspirabit donec expressè revocetur ; etenim gratiam seu *Beneficium Principis decet esse mansurum*, juxta *Reg. 16. de R. J. in sexto*; tum præsertim, quia jam ante, & non primùm post factam Principis seu Ordinarii constitutionem te mutatum fuisse asseris : ergo hactenus nunquam excidisti gratia approbationis tibi semel absolutè & illimitatè concessa, consequenter tutò absolves Titium Parochum, quoties ab eo fueris requisitus. Vide de hoc Stoz *l. 2. n. 39.* Gobat *tr. 7. n. 45.* Sporer *num.* 663.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religiosus Diœcesis Passaviensis cum quibusdam suis amicis & fautoribus devotionis causa profectus Vetero-Oettingam ad B. Virginem Taumathurgam in Archi-Diœcesi Salisburgensi longè celeberrimam, ibidem rogabatur à suis Conviatoribus ut dignaretur eorum confessiones audire ; quod tamen Sempronius recusavit dictitans se in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi nunquam extitisse approbatum. Quia tamen advertit hanc repulsam ægerrimè ferri ab iisdem suis fautoribus & Patronis ; hinc tandem precibus flexus, eosdem confessos absolvit, ast clam seu clancularìò in quadam privata Camera. Quæritur an bene ?

317 R. Videtur Sempronius non bene fecisse. Ratio est : quia juxta constitutionem Clementis X. *Superna*, jam sæpiùs allegatam, Regulares in una Diœcesi approbati, non propterea habentur aut censentur ubique approbati ; consequenter in aliena Diœcesi (uti erat Salisburgensis respectu Sempronii) non poterat licitè excipere confessiones sine approbatione Celsissimi Ordinarii ; id, quod etiam declaratum fuitur ab Innocentio X. apud Dianam *p. 10. tr. 16. resol. 75.* Esto etiam virtute privilegii itinerantibus concessi à Gregorio XIII. probabiliter potuerit validè absolvere ; hoc tamen privilegio sine gravi causa ac necessitate neutiquam utendum esse, cum aliis pluribus rectè docet Viva *ad proposit. 16. ab Alexandro VII. damnatam*, *n. 12.* & nos jam superiùs *n. 290.* admonuimus.

At quid, si Sempronius, supponatur fuisse Pastor seu Parochus respectu suorum Comperegrinantium, nunquid validè eosdem absolvisset, esto in Diœcesi aliena?

318 R. Affirmativè. Ita præter alios multos tenent Illsung *tract. 6. disp. 6. num. 177.* la Croix *numer. 1516.* Ratio est : quia cùm Parochus vi sui muneris sit Pastor suarum Ovium ; hinc pro iisdem audiendis ubique censetur à Tridentino satis approbatus ; quemadmodum Confessarii Principum & Magnatum, qui respectu illorum sunt veluti Parochi, quando per varias Diœceses illos comitantur, eosdem absolvunt ubivis locorum sine approbatione singulorum Ordinariorum. Hac ratione Sanchez, Leurenius & alii apud la Croix *loc. cit.* docent, quòd si Parochus alteri approbato non Parocho (ideoque & tali Religioso itineranti) deleget jurisdictionem in suos, hunc delegatum posse parochianos absolvere etiam extra Diœcesin Parochi delegantis, sicut ipse Parochus posset illos absolvere saltem validè. Vide Viva *proximè cit.*

Dices adhuc: Quidsi autem Religiosus itinerando peragret Diœcesin alienam, vel in ea diutiùs commoretur, poteritne in Confessarium sibi deligere Sacerdotem simplicem, nondum ab Episcopo approbatum?

319 R. Cum Suarez, Tamburino *de pœnit. l. 5. c. 5. §. 2. n. 17.* Sporer & aliis affirmativè (supposita tamen licentia legitimorum Superiorum, quam P. Sporer tacitè saltem permissam, & in ipsa licentia diutiùs extra Conventum commorandi inclusam existimat,) Ratio autem hujus responsionis est: quia ex una parte Tridentinum in suo decreto, ubi ad validam absolutionem requirit Confessarium ab Episcopo approbatum, non comprehendit Confessarios Regularium seu Religiosorum, sed loquitur duntaxat de Confessariis *Sæcularium etiam Sacerdotum:* ex altera autem parte Superiores Regulares dando subditis suis licentiam exteriùs confluendi, non restringunt eam ad Confessarios ab Episcopo approbatos (quo supposito utique Religiosus talis non posset absolvi ab alio non approbato) ergo neque à nobis restringi debent. Videatur P. Sporer *cit. numer.* 685.

CASUS TERTIUS.

Cajus subjit examen pro cura animarum, & vota ab Examinatoribus in scriptis obtenta, clausa seu obsignata detulit Reverendissimo Directori Consilii Ecclesiastici; qui nihil hæsitans de sufficientia & idoneitate Caji quantociùs illum dimisit velut cooperatorem, cum mandatis, ut D. Parochum suum instante proxima festivitate adjuvaret in expediendis pœnitentibus. Abjit Cajus: absolvit plurimos pœnitentes. Verùm reseratis postea in proxima Sessione votis inventus est Cajus velut minus habens, ideoque ab Examinatoribus reprobatus. Quam ob causam mox revocatus, &, usque dum in moralibus ampliùs sese perficeret, suspensus fuit. Jam dubitatur, an Cajus validè absolverit pœnitentes; an verò ii comperto errore teneantur confessiones Cajo factas apud alium repetere?

320 R. Cajus validè absolvit: nec ulla ampliùs repetitione præteritarum confessionum opus est. Ratio hujus facilè ex dictis *nu.* 313. eruetur: quia ubi intervenit error communis cum titulo colorato, Ecclesia velut pia Mater certò supplet defectum, tribuendo jurisdictionem necessariam: atqui in nostro casu intervenit talis error communis, & quidem cum titulo, cooperatoris scilicet approbati, & ab Ordinario expositi &c. qualis credebatur Cajus noster: ergo &c.

Dices. At quid, si Cajus ad mandatum Reverendissimi D. Directoris perexisset, & mala fide, utpote gnarus se non substitisse in examine, propterea que reprobatum fuisse, nihilominus præsumpsisset absolvere: an in hoc etiam Casu Ecclesia defectum jurisdictionis suppleret?

321 R. Affirmativè. Ratio est: quia stante etiam mala fide Caji Confessarii adhuc intervenit error communis cum titulo colorato: at, hoc interveniente Ecclesia vult certò supplere defectum jurisdictionis, nec permittit ut mala fide Sacerdotis plurimorum salus periclitetur, quando ipsa de facili id potest impedire: ergo &c. De quo præter jam allegatos videri possunt. Bosco *p. 4. d. 8. nu. 116. & seqq.* Mezger *tr. 18. disp. 49. a. 1. n.* 32. Babenstuber *tr. 8. p. 6. d. 6. a. 3. n.* 13.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

322 Colliges ex dictis primò, jurisdictionem tam directè, quàm indirectè etiam posse delegari. Directè quidem delegatur, quando ipsimet Sacerdoti immediatè conceditur facultas absolvendi. Indirectè autem; quando pœnitenti datur libera potestas eligendi sibi Confessarium, qua concessione indirectè & mediatè committitur jurisdictio Confessario electo à pœnitente. Porro talis delegatio directa vel etiam indirecta triplici modo fieri amat, scilicet 1. à jure vel privilegio, 2. à consuetudine, & 3. ab homine.

323 Primò modo, à *Jure* scilicet, directè delegata fuit potestas jurisdictionis Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus à diver-

diversis Pontificibus, uti videre est tum in jure communi *Clement. cap. dudum*, *de sepulturis*; tum etiam in extravagantibus Bullis ac privilegiis, quibus permittitur, ut memorati Religiosi possint absolvere Fideles saeculares undequaque ad se accedentes &c.

A consuetudine delegata censetur, vi cujus aliqui communiter (etsi sine jure scripto) consueverunt sibi eligere Confessarios approbatos, scientibus Superioribus, nec prohibentibus, dum tamen facilè possent. Qua consuetudine & tacita Episcoporum approbatione Parochi, aliique Sacerdotes curati eligunt sibi Confessarios, vel sibi invicem, aut aliis sacerdotibus approbatis confitentur, ex consensu tacito Ordinariorum id scientium, & aliud non statuentium haud dubio ob rationes mox supra ex P. Laymanno allatas. Tandem ab homine fit delegatio, quando is, qui possidet jurisdictionem ordinariam verbo, vel scripto, aut alio signo sufficienti committit alicui jurisdictionem in suos subditos. Ad hoc autem necessariò requiritur consensus actualis seu de praesenti, signo aliquo manifestatus, uti communissimè tradunt DD. Navarrus, Suarez, Sanchez, Layman *capit.* 10. *numer.* 16.

Dices iterum. Ergonè consensus praesumptus, vel jurisdictio praesumpta non sufficit ad valorem absolutionis?

324 R. Non sufficit consensus praesumptus de danda primùm jurisdictione, id est, non sufficit, quòd prudenter possis praesumere Superiorem v. gr. Ordinarium desuper requisitum tibi daturum potestatem absolvendi in his circumstantiis. Multò minus sufficit ratihabitio de futuro, id est, quòd Superior id resciens sit approbaturus & ratam habiturus absolutionem à te datam. Ratio hujus communissimae doctrinae redditur haec: quia jurisdictio actualis necessariò est pro illo instanti vel tempore, quo datur absolutio, quandoquidem juxta alibi dicta valor Sacramenti hujus, immò & aliorum (excepto Matrimonio) suspendi nequeat per intentionem Ministri, nec dependere ab alia conditione de futuro: at, qui solùm potest praesumere de ratihabitione, vel de consensu dando aut danda primùm jurisdictione, hic & nunc eandem non habet: ergo invalidè absolvet. Herincx ubi supra *numer.* 29. Lugo, Salmanticenses, quos citat & sequitur Babenstuber *cit. art.* 3. *num.* 5.

325 Dictum tamen fuit, non sufficere praesumptionem de danda primùm jurisdictione &c. secus quippe dicendum foret, si ex certis signis aut indiciis possis praesumere, Superiorem actu tibi voluisse delegatam jurisdictionem; ut si audias confessiones Superiore, Ordinario, aut Parocho actu praesente, nec contradicente, licèt facilè posset. Nihilominus in hoc etiam casu quam cautissimè est procedendum, & ubi fieri potest, expressa licentia postulanda, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis. Etenim si Parochus re vera dissentiret, aut rem ideò solùm dissimularet, ne inde oriantur majora mala vel scandala &c. profectò talis absolutio nulla foret, uti rectè docent Suarez, Laym. *cit. l.* Sporer *num.* 710. omnis enim praesumptio cedere debet veritati juxta *capit. Nuper. De Bigamis.*

326 Colliges secundò, extra casum necessitatis nunquam esse licitum quempiam absolvere cum jurisdictione dubia, vel quomodocunque etiam tenuiter probabili. Ratio est: quia citra verè gravem necessitatem non licet Sacramentum exponere periculo frustrationis: at, qui absolvit cum jurisdictione dubia, aut quomodocunque tenuiter probabili, illud exponit periculo: &c. ergo &c. Nihilominus in casu necessitatis (qualem Babenstuber cit. putat esse 1. si poenitens alioquin celebrare, aut communicare deberet absque confessione; vel 2. si urgeat praeceptum annuae confessionis; vel 3. quando confessio praeter consuetudinem cum nota aliqua infamiae diu esset differenda) licitum erit absolvere sub conditione, stante etiam jurisdictione dubia &c. tum quia talis necessitas praestat, ut absolutio non impertiatur temerè & imprudenter; tum etiam quia conditio adjecta sufficienter excludit irreverentiam,

aliàs fortè irrogandam Sacramento, si revera desiit potestas jurisdictionis. Vide Cardenas *in Crisi theolog. dissert. 2. cap. 6. num. 137.*

327 Colliges tertiò, in mortis articulo quemlibet Sacerdotem, esto nunquam sit approbatus, immò tametsi esset excommunicatus aut degradatus vel hæreticus &c. posse absolvere verè pœnitentem. Ita expressè declarat Tridentinum *ss. 14. de pœnit. cap. 7.* sequentibus omnino verbis: *veruntamen piè admodum, ne aliquis pereat, in Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt. Hactenus* Concilium.

At quid (ais) si contingat præter Sacerdotem simplicem alium curatum, vel etiam proprium Parochum adesse infirmo, an in hoc etiam casu validè absolvet simplex Sacerdos?

328 R. Multi absolutè negant, ducti hac ratione: quia juxta Regulam ab Abbate traditam, *cum aliquid conceditur propter necessitatem; durat concessio quatenus urget necessitas*: atqui potestas absolvendi in mortis articulo conceditur simplici Sacerdoti solùm propter necessitatem, ne scilicet contingat aliquem fidelium defectu absolutionis perire, quæ tamen necessitas non urget, quando adest alius Sacerdos approbatus: ergo &c. Ita sentiunt Navarrus, Suarez, Layman, Sporer & alii plures. Nihilominus Barbosa, Tannerus, Tamburinus, Herincx *disp. 6. numer. 18.* & Illsung *tract. 6. disp. 6. numer. 193. & seqq.* mordicùs defendunt, posse Sacerdotem simplicem, aliàs non approbatum in mortis articulo, vel (quod huic æquiparatur) in mortis periculo absolvere ab omnibus peccatis etiam reservatis, non obstante præsentia alterius Sacerdotis etiam approbati. Rationem dant geminam. 1. quia Concilium Tridentinum generaliter & indistinctè dicit, *in mortis articulo nullam esse reservationem, omnem Sacerdotem quemlibet pœnitentem absolvere posse &c. à quibusvis peccatis &c.* ergo simplex Sacerdos id potest. 2. Quia de facili posset contingere ut moribundus ad illum Sacerdotem approbatum nullam haberet confidentiam: ergo adhuc subesse potest periculum animæ, nisi permittatur eadem facultas simplici Sacerdoti: voluit autem Concilium præcludere animarum pericula: ergo præsumitur concessisse facultatem absolvendi &c. Utraque hæc sententia mihi videtur verè probabilis; priorem tamen velut tutiorem in praxi sequendam existimo & consulo. Idcirco si moribundus erga Sacerdotem approbatum nullam ostendat displicentiam aut diffidentiam, suaviter inducendus est, ut sua peccata sacerdoti approbato potiùs, quàm simplici deponat.

Quæres adhuc, utrùm Sacerdos simplex extra mortis articulum valeat absolvere à venialibus, vel etiam à mortalibus jam semel dimissis?

329 R. Cum P. Herincx *cit. disp. 5. n. 17* Mastr. Babenstuber ubi supra *num. 16.* & aliis communiter, affirmativè: etenim in ipsa ordinatione cuilibet sacerdoti confertur potestas absolvendi: & cùm aliunde constat, venialia peccata non esse materiam necessariam confessionis, sed liberam; hinc videretur talis potestas frustra restringi Sacerdoti simplici; etsi juxta communiorem sententiam ob rationabiles causas Ecclesia restringere posset hanc facultatem. Et quia defacto Innocentius XI. in suo decreto circa communionem quotidianam edito 12. *Febr.* 1679. præcipit Episcopis & Parochis, ne permittant, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo seu Ordinario; idcirco rectè monet Reiffenstuel *cit. dist. 8. numer. 12.* ut Sacerdotes simplices non se immisceant audiendis confessionibus venialium; idque ob plurima incommoda, quæ inde de facili oriri possent.

CON-

CONFERENTIA

DECIMATERTIA.

De Potestate reservandi, & Casibus reservatis.

SUMMARIUM.

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de potestate reservandi Casus, & ipsis Casibus reservatis.

QUæres primò, quid sit reservatio, & quid Casus reservatus?

330 R. Reservatio Casuum idem est, ac negatio jurisdictionis absolvendi ab aliquo peccato, relicta potestate absolvendi à cæteris. Ita in re *omnes*. Ex quo facilè eruitur, quòd Casus reservatus non sit aliud, quàm peccatum mortale, cujus absolutio non est permissa cuilibet Sacerdoti, vel etiam Confessario approbato, sed reservatur, & manet penes Superiorem, vel alium, à Superiore ad id specialiter delegatum. Quòd autem in Ecclesia detur potestas reservandi Casus, perspicuè docet Concilium Trident. *Sess.* 14 *c.* 7. ubi ait, *magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrocia quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur*. Ita Concilium *loc. citat.*

Quæres secundò, quinam sibi possint Casus reservare?

331 R. Omnes illi & soli possunt, qui gaudent jurisdictione ordinaria. Ita *communissimè* DD. Herincx. *Disp.* 6. *num.* 1. Babenstuber. *Disp.* 6. *ar.* 4. *num.* 4. Ratio est: quia hi omnes & soli possunt aliis jurisdictionem delegare: ergo etiam possunt eandem delegare cum certa restrictione & exceptione aliquorum casuum. Ex quo facilè deducitur, potestatem reservandi aliqua peccata residere 1. in Summo Pontifice, qui pro tota Ecclesia; 2. in quovis Episcopo, qui pro sua Diœcesi; & 3. in Prælato Regulari, qui pro suo ordine vel Monasterio. & 4. denique in Parocho, qui (per se loquendo) pro sua Parochia potest jurisdictionem delegatam ad certos casus restringere.

332 Dixi: per se loquendo &c. Non enim est consuetum, ait Herincx, ut Parochi sibi reservent Casus, ne reservatio nimiùm multiplicetur. Quam ob rem Clemens VIII. etiam Superioribus Regularibus potestatem reservandi casus ad certos limites & numerum restrinxit, prout mox videbimus: & præter alios tradunt Lugo *dist.* 20. *Sect.* 1. *num.* 2. Mezger *tr.* 18. *dist.* 49. *art.* 2. *nu.* 2. Illsung. *tract.* 6. *dist.* 6. *num.* 205.

Quæres tertiò, quinam Casus defacto sint reservati?

333 R. Casus defacto reservati pro diversitate Superiorum ac subditorum sunt diversissimi; alios etenim sibi reservarunt summi Pontifices respectu universalis Ecclesiæ; alios Episcopi, pro sua quisque Diœcesi; alios Superiores Regulares pro suis sibi subjectis. Et

334 Primò quidem Casus summo Pontifici reservati sunt quasi innumeri, ut ait Scotus 4. *dist.* 25. *q.* 1. quos omnes & singulos recensere in compendio, videtur impossibile: illud solùm breviter adnotasse sufficiat, alios esse reservatos S. Pontifici in Bulla Cœnæ, suntque numero viginti, è quibus præcipui in nostris hisce partibus contingentes sunt hæresis, & lectio vel etiam retentio librorum hæreticorum; item impositio novorum pedagiorum, seu etiam gabellarum absque sufficienti auctoritate. Rursus alii reservantur eidem summo Pontifici in jure communi; quorum principales meritò censentur 1. Simonia realis. 2. Duellum, vel cooperatio ad illud; 3. procuratio abortus; item 4. percussio Clerici suadente Diabolo facta; de quibus videri possunt Filliucius *in instruct. pro Confessariis c.* 2. *a.* 5. *§.* 1. Item Babenstuber *tr.* 4. *disp.* 2. *a.* 1. §. 4. ubi Casus S. Pontifici reservatos distribuunt in tres classes. La Croix *l.* 6. *p.* 6. *num.* 1609. *& seqq.*

335 Secundò. Casus, quos regulariter assueverunt reservare Episcopi, sunt sequentes. 1. Homicidium voluntarium, tametsi occultum. 2. Falsum testimonium in judicio, sive in gratiam, sive in damnum alterius. 3. Adulteratio, seu corruptio staturæ, mensuræ & monetæ. 4. Libertatis seu immunitatis ecclesiasticæ violatio. 5. Domorum, vel segetum incen-

cendium, vitium, vel arborum alienarum causa damnificandi incisio 6. Blasphemia publica & notoria. 7. Parentum percussio. 8. Abusus SS. Eucharistiæ, sacrarumque rerum ad veneficia, superstitiones, & similia. 8. Abortus procuratio. 10. Expositio infantium in locis piis, cùm commodè ab exponentibus ali possint. 11. Matrimonium in gradibus prohibitis contractum. Ex his jam ulterius

336 In hac nostra Archi-Diœcesi Salisburgensi sunt reservati sequentes Casus. 1. incurrunt reservationem, qui homicidium voluntarium actu exteriori perpetrarunt. 2. Qui infantes secum in lectis detinendo oppresserunt, ac abortum & sterilitatem procurarunt. 3. Qui violentas manus in proprios Parentes seu Clericos injecerunt. 4. Qui in primo vel secundo consanguinitatis seu affinitatis gradu incestum commiserunt, ac in publico adulterio, concubinatu, seu fornicatione vivunt. 5. Qui decimas, aliaque Ecclesiæ jura notabiliter defraudant. 6. Sortilegia, divinationes, incantationes.

337 In Diœcesi Passaviensi sequentia peccata sunt reservata. 1. SS. Eucharistiæ, aut etiam aquæ baptismatis, sicut & sacrorum liquorum ad artes magicas, seu veneficia, aliosque nefarios usu usurpatio. 2. Formalis blasphemia in Deum & Sanctos. 3. Incestus in primo vel secundo consanguinatatis vel affinitatis gradu, aut cum Moniali professa nefaria commixtio. 4. Ecclesiarum sanguinis aut seminis effusione pollutio. 5. Bestialitas, & peccatum Sodomiticum. 6. Parricidium, assassinium, aut aliud quodcumque homicidium voluntariè commissum. 7. Maleficia, aut mortem aut longam, gravemque infirmitatem afferentia. 8. Propinatio veneni viro à Muliere, aut vicissim Mulieri à viro, aut cuicunque alteri voluntariè facta. 9. Sortilegia, divinationes, incantationes, quæ manifestè hæresin sapiunt, aut sive expressum, sive implicitum pactum cum dęmone involvunt: non tamen illæ incantationes, quæ in Germania plurimùm in usu sunt à simplicibus per orationes, quibus imploratur auxilium Dei aut Sanctorum cum devotione, absque alia intrinseca, vel extrinseca observatione; hæ enim vix puniri, & reservationis pęna affici possunt. 10. Violatio immmunitatis ecclesiasticæ. 11. Violenta manuum injectio in Parentes vel Clericos. 12. Publicum incestus, adulterii, concubinatus crimen.

338 In Dięcesi Frisingensi reservata sunt 1. Divinatio, sortilegium, & incantatio, atque magicum exercitium si fuerint peccata mortalia; quod judicio prudentis Confessarii relinquimus. 2. In Parentes proprios violenta manuum injectio. 3. Homicidium voluntarium, aut notabilis membri abscissio. 4. Incestus in primo & secundo consanguinitatis gradu: item stuprum violentum, Raptus, & Sodomia. 5. Procuratio abortus, aut sterilitatis. 6. Absolutio ab hæresi sine speciali nostra commissione.

339 In Diœcesi Augustana sequentia 1. Homicidium voluntarium. 2. Casus habens majorem excommunicationem annexam. 3. Incestus cum Moniali, professa, cum cognata, vel affine in primo & secundo gradu. 4. Veneficium, incantationes magicæ, maleficium, abusus SS. Eucharistiæ & sacrarum reliquiarum ad artes magicas. 5. Violatio sigilli confessionis Sacramentalis.

340 In Diœcesi Constantiensi pro Laicis sunt reservata. 1. Matrimonium conjuge adhuc vivente scienter contrahens. 2. Matrimonium contrahens antequam certificaretur de morte primi conjugis. 3. Matrimonium clandestinè non servata forma sacri Concilii Tridentini contrahens. 4. Sponsalia de futuro contrahens, nec observans. 5. Machinatio in mortem Conjugis si mors sequatur. 6. Baptizatio prolis, excepto casu urgentis necessitatis, vel ejusdem in baptismo vel confirmatione susceptio. Tam pro Clericis, quàm pro Laicis hæc sunt reservata. 1. Homicidium voluntarium, facto, præcepto, consilio, vel consensu deliberato commissum. 2. Procuratio abortus vel sterilitatis. 3. Incendium domorum, Ecclesiarum, aut segetum, malitiosè, & ex proposito factum. 4. Sacrilegium, seu furtum sacræ rei. 5. Peccatum bestialitatis cum brutis commissum. 6. Coitus cum infideli vel Judæo. 7. Commixtio carnalis cum san-

ctimonialibus. 8. Incestus cum consanguineis & affinibus usque ad secundum gradum inclusivè. 9. Adulterium. 10. Raptus. 11. Perjurium in judicio factum. 12. Pollutio Ecclesiæ, vel Cœmeterii sanguinis vel seminis effusione. 13. Immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ violatio. 14. Falsificatio litterarum nostrarum (Episcopalium scilicet) & curiæ nostræ vel Monetæ. 15. Percussio Parentum enormis. 16. Abusus Sacramentorum, & sacrarum rerum ad magicas artes, veneficia, & superstitiones. 17. Rebaptizatio scienter collata & suscepta. 18. Injectio manuum violentarum in Clericos, Monachos, Moniales, vel quamcunque aliam personam Religiosam, aut Ecclesiasticam. Hos omnes Casus esse reservatos testatur P. Babenstuber *tr. 8. p. 6. Disp. 6. a. 4. num.* 17. Itemque apud Gobat *tr. 7. n.* 394. *& seqq.*

341 Tertiò. Casus quos Superiores Regulares ex constitutione Clementis VIII. possunt, si velint & consultum videbitur, reservare, sunt sequentes undecim. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio. 3. Nocturna ac furtiva è Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 6. Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque Personæ. 7. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum, à Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores, 8. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 9. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 10. Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterii aut Conventus. 11. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate quæ sit peccatum mortale. Hos omnes Casus possunt, si velint, sibi reservare; Superiores Regulares: Cæterùm an actu in aliis Religionibus sint reservati, mihi non constat: noverint illi, quorum interest. In nostra Religione Seraphica omnes reservantur; quibus Capitulum generale duos adhuc superaddidit, scilicet 1. pollutiones voluntariè procuratas; & 2. inobedientiam contumacem; qualis esse declaratur, quando quis trina monitione præmissa, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat. Et licèt vi constitutionis Pontificiæ Superiores Regulares aliorum criminum quantumvis enormium absolutionem sibi reservare non valeant, (nisi cum matura discussione & assensu Generalis Capituli pro toto Ordine, & Provincialis pro Provincia) immò prohibeantur confessiones subditorum audire, nisi quando aliquod peccatum reservatum admiserint, aut ipsimet sponte aut proprio motu id petierint; nihilominus possunt determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab hujusmodi perpetrandis cohibere possint. Vide Herincx *Disp. 6. num.* 5. Sporer *num.* 737. KercKhove *in statut. general. cap. 6. §. 22. num.* 2.

Quæres quartò, utrùm Ecclesia possit, aut soleat reservare peccata merè interna?

342 R. Absolutè quidem loquendo posset Ecclesia quodlibet peccatum mortale reservare; attamen defacto sola peccata mortalia externa, & specialem gravitatem continentia reservare solet. Ita cum communi DD. Filliuc. *tr. 7. c.* 10. Layman. *l. 5. tr. 6. c. 12. n.* 3. Ratio prioris est: quia potestas clavium Ecclesiæ concessa se extendit ad omnia peccata nedum in, sed etiam externa: ergo Ecclesia potest Confessariis limitare jurisdictinem respectu quorumlibet, saltem gravium peccatorum. Ratio autem posterioris est: quia Ecclesia velut pia Mater non vult jugum confessionis Sacramentalis reddere nimis difficile: at, videretur nimis difficile, si reservaret peccata merè interna, utpote commissu nimis facilia, & cognitu nimis difficilia: ergo &c. Accedit, quòd peccata merè interna neque aliis sint noxia, neque Rempublicam ecclesiastidam perturbare valeant: ergo

ergo Ecclesia satis providet bono regimini ecclesiastico, reservando peccata merè externa, & quidem opere consummata, esto nullum merè internum defacto reservatum velit.

Quæres quintò utrùm Ecclesia velit reservare peccata externa, tametsi sint dubia?

343 R. Peccatum dubium quodcunque sive dubio juris, sive facti, esto etiam externum sit, Ecclesia non vult esse reservatum. Ita rursus cum communi Sanchez *lib. 1. mor. cap.* 10. Bonacina, Tambur. Diana, Lugo, Sporer *nu.* 733. Reinffestuel &c. Ratio est: quia reservatio utpote odiosa, tam Confessariis, quibus jurisdictionem restringit, quàm pœnitentibus, quibus usum hujus Sacramenti reddit difficiliorem, non debet extendi ad casus dubios & incertos: at hoc ipso, quòd peccatum supponatur dubium sive dubio juris sive facti, est incertum omnino, quòd sit commissum & reservatum: ergo potiùs est standum pro reo, & favendum tam Confessario, quàm ipsi etiam pęnitenti, nec præsumendum quòd Ecclesia in tali dubio velit ademptam jurisdictionem Confessarii.

Quæres sextò, utrùm ignorantia quempiam excuset à reservatione?

344 Ante responsionem advertendum, aliam esse reservationem pœnalem, aliam non pœnalem. Pœnalis dicitur, quando delictum reservatum simul specialiter prohibetur, & punitur pœna reservationis: non pœnalis censetur, quando Legislator reservat quidem delictum, non tamen illud simul specialiter prohibet, utì tradunt Stoz, eumque secutus Babenstuber *cit. d.* 6. *a.* 4. *n.* 3. Utrùm ergo reservatio sit pœnalis vel non, colligendum erit ex decretis cujuslibet Diœceseos, quibus Casus reservantur. Hoc notato

345 R. Ignorantia excusat à reservatione pęnali, id est, tali, quæ fuit facta in odium & pęnam criminis, non item à reservatione non pęnali, id est, tali, quæ tantùm fuit facta in bonum fidelium rectamque Ecclesiæ gubernationem. Ita satis communiter DD. Stoz *lib. 2. nu.* 59. Illsung. *tr. 6. d. 6. n.* 223. Palao *tr. 2. d. 1. punct. 17. n.* 8. Bosco *Disp. 8. Sect. concl.* 6. Ratio prioris est: quia ignorantia, saltem invincibilis aut non affectata excusat à pœna: atqui reservatio merè pęnalis est pęna: ergo. Atque hinc certum videtur, quòd Casus summo Pontifici reservati, utpote habentes semper annexam pœnam censuræ non incurrantur ab ignorantibus; quia ad censuram incurrendam requiritur contumacia: atqui ignorans invincibiliter legem, nequit dici contumax: ergo non incurrit censuram, & consequenter nec reservationem, quippe quæ non fertur à Papa, nisi propter censuram annexam, utì observant Herincx, Navarrus, Layman, Reinffestuel *tr.* 14. *dist.* 9. *n.* 5. Ratio autem posterioris datur hæc: quia reservatio non pęnalis importat meram & absolutam ablationem jurisdictionis: ergò quemadmodum ignorantia Confessario non reddit jurisdictionem; ita nec excusat ab eadem pęnitentem, prout etiam declarat communis praxis Confessariorum tum Regularium, tum aliorum sæcularium.

346 Hoc tamen non obstante Gobat *theol. exper. tr. 7. nu.* 306. eumque secutus Sporer *n.* 735. probabile censent, posse talem ignorantem à Confessario absolvi pro prima vice cum admonitione tamen & inculcatione reservationis; tum quia multi DD. videndi apud mox citt. id probabile censent? tùm etiam quia piè præsumere licet, Ecclesiam velut piam Matrem non voluisse cum tanto rigore constringere fideles, ne bona fide procedentes & confessi, teneantur idem peccatum bis confiteri. Consultius tamen videtur, suaviter hujusmodi pęnitentem inducere, ut vel statim, vel saltem in proxima confessione velit idem peccatum confiteri alicui habenti potestatem directam in peccata reservata. Vid. Kreslinger *addit. quarta ad dist.* 9. P. Reinffestuel.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Casibus reservatis.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus perlegendo materiam moralem, sed lubricam, utputa de debito conjugali, aliisque nonnullis actibus Conjugum partim licitis, partim etiam illicitis, sensit se vehementer commoveri ad libidinem, ita, ut ex vehementissima ac vivacissima repræsentatione phantastica talium tandem fuerit subsecuta pollutio, in quam etiam plenariè consensit. Quæritur jam, an Titius incurrerit Casum reservatum?

347 R. Si Titius supponatur esse professus Religionem nostram Seraphicam, non incurrit reservationem. Ratio est: quia vi statutorum nostrorum solùm reservantur pollutiones voluntariè *procuratæ*, id est, voluntaria emissio seminis extra concubitum, procurata per aliquem actum externum mortaliter peccaminosum, ad quem ipsa seminis emissio nata est sequi, utì cum communissima DD. rectè docet noster P. KercKhove *in statuta generalia cap. 6. §. 22. n. 70.* Sporer &c. atqui lectio moralistica non est actus externus mortaliter libidinosus, ex quo per se nata est sequi effusio seminis. Quin immò, tametsi intervenisset quidam actus externus libidinosus, ex natura tamen sua leviter duntaxat provocans ad libidinem uti est v. g. aspectus fœminæ in facie, aut osculum transitorium, vel etiam tactus manus muliebris &c. non idcircò Titius incurrisset casum reservatum; esto enim hujusmodi actus sint externi & libidinosi, non tamen habent talem ordinem vel connexionem cum pollutione, ut voluntariè eos exercens mereatur dici procurasse pollutionem: ergo Titius non incurrisset casum reservatum, tametsi mortaliter peccaverit consentiendo in illam delectationem libidinosam &c. Videatur de hoc KercKhove *cit.* vel Sporer *part. 4. de Matr. n. 638.* At quid (ais) si Titius Religiosus nostri Ordinis in alieno corpore procurasset pollutionem, vel eam ab alio quopiam in proprio copore procurari admisisset, incurrissetnè casum reservatum?

348 R. Videtur mihi certum, quòd admittendo procurationem pollutionis corporis sui præsertim per tactus &c. incidat casum reservatum; Nam si juxta opinionem P. KercKhove *cit.* ille incidit casum reservatum, qui solo aspectu alterius personæ v. g. feminæ fortiter influente in pollutionem, utì censetur aspectus partium verendarum, procurat sui corporis pollutionem, quidni & ille casum reservatum incurrat, qui eandem procurat aliena manu? profectò parum interesse videtur, utrùm quis propria, vel verò aliena manu pollutionem in se procuret. Ob eandem rationem mihi videtur probabilius incurrere casum reservatum, qui in alieno corpore procurat pollutionem, esto ipse tangens non polluatur: quia talis cum omni veritate potest, immo tenetur in confessionali sese accusando dicere: ego procuravi pollutionem: atqui statuta nostra reservant pollutiones voluntariè procuratas indifferenter, non distinguendo utrùm in proprio, an verò in alieno corpore: quam ob rem testatur P. KercKhove *cit. num. 71.* in sua Provincia hunc Casum esse reservatum sub his terminis: *reservamus pollutionem voluntariè procuratam in proprio vel alieno corpore.* Nihilominus cùm de rarò contingere soleat ut Religiosus in alieno corpore procuret pollutionem, simulque leges non soleant ferri pro casibus raris; hinc cuipiam fortè posset videri probabile, statuta nostra noluisse comprehendere procurationem pollutionis in alieno corpore; præsertim cùm aliunde constet, odiosa esse restringenda, & interpretationem faciendam contra eum, qui potuisset legem clariùs dicere: mihi tamen oppositum videtur verosimilius ob rationes jam datas, & certè P. KercKove in exposit. S. Regulæ de casibus reservatis testatur, nostra statuta generalia semper fuisse intellecta in hoc sensu, quòd scilicet comprehendant pollutionem etiam in alieno corpore procura-

ratam. Vid. la Croix *l. 6. p. 2. n. 1655.* Gobat *tr. 7. n. 677.*

Dices adhuc: at quid, si Novitius nostri Seraphici Ordinis procuraret pollutionem incurretne reservationem ita ut absolvi non posset nisi à Confessario pro Novitiis deputato &c.

349 R. Probabilus potest absolvi à quolibet Confessario. Ita contra P. Bosco & nonnullos alios Herincx noster *disp. 6. n. 12.* KercKhove *cit. c. 1. §. 7. n. 4.* Portel *V. Novitii absolutio n. 36.* Rodriquez aliique plures. Ratio est: quia reservationes, sicuti & cæteræ leges & obligationes Religionum censentur loqui de professis, & hoc modo intelligi commodè possunt: Et licèt sit fatendum, quòd Superiores Religionum absolutè loquendo possent reservationem extendere etiam ad Novitios, eos obligando quasi conditionatè, ut si velint gaudere favoribus S. Religionis, pariter portent onus Reservationis; quòd tamen defacto ita voluerint extendere non satis constat. Quapropter cùm hìc versemur in materia odiosa, potiùs eam restringere oportet, quàm extendere.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia Mulier conjungata fatetur 1. se procurasse abortum, sed prius quàm fuerit fætus animatus. 2. Ait, se aliquoties sumpsisse medicamina ad procurandam sterilitatem, ne singulis annis (uti hactenus) prolem conciperet, attamen medicamina non habuisse effectum, quandoquidem actu gestet uterum. 3. Fatetur, se haud pridem puerulum tota nocte mirum in modum ejulantem, cunis tandem exemptum penes se in lecto collocasse, animo illum sublevandi & quietandi, de mane autem reperisse illum oppressum ac mortuum, etsi ignoret an à se, an verò à Marito sit oppressus. Quæritur jam, utrùm Sempronia incurrerit Casum reservatum?

350 Resp. primò. Sempronia ex procuratione abortus incidit Casum reservatum. Ratio est: quia, uti casus supponit, abortus voluntariè procuratus, & effectivè secutus fuit. Nec refert, quòd fætus nondum fuerit animatus; quia constitutio Diœcesana Salisburgensis non distinguit inter fætum animatum, & non animatum, sed simpliciter reservat procurationem obortus: atqui expulsio fætus etiam immaturi & nondum animati est propriissimè procuratio abortus: ergo Sempronia incurrit reservationem Episcopalem & Diœcesanam, etsi non incurrerit Casum Summo Pontifici reservatum, quippe qui ex constitutione Gregorii XIV. non incurritur ex procuratione abortus, nisi fætus fuerit animatus.

351 Resp. secundò. Sempronia non incidit casum reservatum ex eo, quòd sumpserit medicamina procurandæ sterilitatis causa, quæ tamen non fuit subsecuta. Ratio est: quia delicta ut sint reservata, debent etiam esse opere consumata, uti cum communissima DD. tenent Bosco, Herincx, Sporer, Layman *mor. l. 5. tract. 6. c. 12. n. 3.* Etenim crimen non intelligitur, nisi sit consummatum, juxta *cap. hæc autem. juncta Glossa dist. 2. de pœnit.* At, ubi medicina suo frustratur effectu, & fæmina fæcunditatem non deperdit, non censetur consummata procuratio sterilitatis; sicut non censetur procurata pollutio v. g. tactibus quantumvis lascivis, nisi subsequatur effusio seminis; nec procuratus abortus, nisi sequatur ejectio fætus; nec denique procuratum homicidium, nisi v. g. ex propinatione veneni, aut ex inflicto vulnere lethali mors effectivè subsequatur: ergo &c. Aliter discurrendum foret, si alicubi sola attentatio procurationis, vel alterius criminis reservaretur, uti rectè advertunt Layman & Sporer.

352 Resp. tertiò. Sempronia nostra ex suppressione infantis præfato modo facta non incurrit casum reservatum. Ratio est: quia reservatio ceu pœna gravis non incurritur nisi ob crimen grave commissum: atqui Sempronia infantem penes se collocando in lecto non peccavit, aut certè non graviter; cùm id nullatenus fecerit animo illum necandi & supprimendi, sed potiùs sublevandi & quietandi: ergo &c. Accedit, quòd ignoret, sitnè infantulus à se, vel verè à suo Marito

rito oppressus in somno, ideòque laborat ignorantia & vero dubio facti: atqui secundùm dicta *nu.* 343. tam juris quàm facti dubium excusat à reservatione ergo &c. Vide Lugo *disp.* 20. *sect.* 2. Bonac. *de pœnit. q.* 7. *prop.* 5. §. 4. Tamburinus *lib.* 2. *Sacram. tract. de Casib. reserv. cap.* 4. *num.* 8.

CASUS TERTIUS.

Cajus faber ferrarius à Carnifice obtinuit annulum catenæ è qua pependit fur quidam suspensus, quem etiam suo inseruit malleo eo fine, ut cæteros omnes dexteritate ac velocitate laborandi superaret. Similiter ab eodem carnifice obtinuit quandam lorulam è pelle cujusdam malefactoris decisam qua velut præsentissimo remedio contra spasmum & scabiem aliquoties fuit usus. Quæritur jam an Carnifex, vel Cajus faber ferrarius inciderint reservationem?

353 Ante responsionem breviter adverto cum P. KercKhove *cit.* §. 22. *nu.* 3. Portel *vers. Veneficia n.* 1. hæc tria: *veneficia*, *incantationes*, & *sortilegia* (quæ communiter solent reservari) non differre specie, sed solùm ex parte materiæ, seu modi, quo fiunt, ita scilicet; ut *veneficium* dicatur, quando sine aliis verbis aut ceremoniis applicantur res naturales inefficaces ad aliquem effectum, ad quem nec ex natura sua, neque ex aliqua institutione divina habent proportionem; ut si quis ungulam Equi mortui projiciat in ignem, eo fine, ut saga quæ æquum interfecit, eodem igne torqueatur &c. *Incantatio* appellatur, quando quis utitur verbis inofficiosis & inutilibus (etsi secundùm se fortè sanctis) ad aliquem effectum improportionatum, ut ad eorum prolationem mediante ope dæmonis mirabilia operetur, &c. Tandem nomine *sortilegii* intelligitur usus sortium vel figurarum ad aliquid occultum præteritum vel futurum cognoscendum ope dæmonis. Ex quo facile patebit pensanti, veneficia, incantationes & sortilegia convenire in malitia formali, quippe quæsita est in eo, quòd ex pacto sive explicito sive implicito saltem procuretur, aut certè intendatur aliquis effectus insolitus, prout latiùs explicant *DD. cit.* Hoc notato.

354 Resp. Ad Casum primò. Carnifex præbendo præcisè annulum in finem jam nominatum, non incidit casum reservatum, esto graviter peccaverit. Ratio est: quia Casum veneficii ii duntaxat incurrunt, qui vel veneficium componunt, vel eo utuntur; lex enim quæ punit facientem, non simul afficit mandantem aut consulentem, vel etiam approbantem &c. nisi specialiter exprimat: atqui Carnifex nec composuit maleficium in nostro casu, neque eo usus fuit: ergo non incurrit reservationem, licèt à peccato mortali minimè sit excusandus eò quòd præbendo annulum in hujusmodi finem aliquo saltem modo dederit ansam maleficio, & ad hoc quodam modo concurrerit. Videatur Portel *cit. nu.* 30. Fagundez *in* 2. *præcept. Ecclesiæ l.* 8. *c.* 4. *num.* 9. KercKhove *c.* 6. §. 22. *num.* 4.

355 R. secundò. Cajus faber ferrarius inserendo annulum suo malleo, eodemque utendo ad præfatum finem, incurrit casum reservatum, saltem per se loquendo. Ratio patebit ex jam dictis: quia annulus catenæ est res naturalis, & medium omnino improportionatum ad hunc effectum dexteritatis scilicet in laborando &c. ergo Cajus hanc insolitam dexteritatem, & velocitatem non potuit prudenter exspectare vel intendere virtute solius annuli: ergo debuit eam exspectare ope cujusdam altioris virtutis: atqui non ope DEI, utpote qui nullibi legitur hujuscemodi annulis promisisse hanc vim & dexteritatem; neque virtute aut ope cujusdam hominis, aut etiam boni Angeli: ergo virtute & ope solius dæmonis hunc insolitum effectum exspectare potuit, & exspectasse convincitur, utique non sine gravissimo vitio superstitionis.

356 Resp. Jam tertiò. Cajus non incurrit Casum reservatum propterea, quòd lorula illa è pelle malefactoris abstracta usus fuerit contra spasmum ac scabiem. Ratio est: quia nequaquam il-

illicitum est adhibere media naturalia ad effectus naturales, respectu quorum saltem probabilem, sin minùs certam habent virtutem ac proportionem: atqui pellis humana ad curandum spasmum aut etiam tabiem videtur habere proportionem saltem probabilem, esto non certam: ergo Cajus licitè eam adhibuit in hunc finem; tunc præsertim, si adhibendo fuisset usus protestatione, quòd hunc effectum, sanitatem scilicet, non desideret ope dæmonis, sed virtute pellis seu lorulæ. Rectè proin notarunt Victoria, Delrio, Sporer, & alii, non semper effectus, qui nobis videntur mirabiles procedere à dæmone; nam possunt procedere à causa naturali nobis incognita, maximè per magiam naturalem, quæ cognitis secretis virtutibus rerum naturalium, illasque miscendo, producit effectus mirabiles, & nihilominus naturales.

357 Hac eadem ratione non peccat, nec incurrit casum reservatum, qui utitur signis de se indifferentibus, ut iis positis destruat pactum initum cum dæmone, v. g. repercutiendo vetulam, ne ab eadem inficiatur, aut eruendo ollam humo suffossam, in quo latebat maleficium &c. Ratio est: quia per hoc non initur pactum cum cacodæmone, sed potiùs pactum à Saga cum illo initum destruitur, ut ab inferendo vel etiam continuando maleficio abstinere cogatur; quod utique nullus dixerit illicitum, multò minùs pœna reservationis dignum. Vid. Suarez *lib. 2. cap. 17. n. 16.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

358 Colliges ex dictis primò, neminem incurrere reservationem; nisi peccet mortaliter. Ratio est; quia omnium opinione reservatio censetur pœna gravis: at, pœna gravis necessariò supponit culpam gravem: ergo. Et certè peccatum veniale frustra reservaretur, quippe quod nullus tenetur confiteri, & multis aliis modis potest expiari. Hinc quacunque demum de causa aliquis excusatur à culpa mortali, sive dein ob ignorantiam, inadvertentiam, indeliberationem, sive etiam ob materiæ parvitatem &c. eadem ratione excusandus est à pœna reservationis; quod pro praxi est bene notandum; hac quippe de causa non incurrunt reservationem simplices illi, qui utuntur invocationibus per diversas orationes, quibus implorant auxilium DEI, & Sanctorum cum devotione absque alia intrinseca vel extrinseca observatione (uti sæpissimè fit in hisce nostris partibus) similia enim vix puniri, & reservationis pœna affici possunt, inquit Rituale Passaviense suprà *n.* 337. allegatum?

359 Colliges secundò, nec illum incurrere reservationem, qui conatus quidem fuit perpetrare peccatum reservatum v. gr. homicidium, aut incestum &c. sed defectu occasionis, vel ob aliud impedimentum non perpetravit. Ratio est: quia attentatio homicidii non est homicidium, neque attentatio incestus per tactus & similia &c. est incestus: reservatio autem, utpote odiosa debet intelligi de ipso crimine perpetrato, non autem de solo conatu perpetrandi, nisi ipse conatus etiam solus expressis verbis reservetur. Stoz *lib. 2. num.* 58. Abbas Rassler, Layman ubi supra. *n.* 3.

360 Colliges tertiò, actiones externas leves, tametsi ex affectu mortaliter malo proficiscantur, non cadere sub reservationem. Ratio est: quia non reservantur delicta nisi sint externa, graviter mala, & quidem opere externo completa: at si actio externa non sit nisi levis, hoc ipso non est graviter peccaminosa in foro externo: ergo &c. Hinc si quis v. g. Religiosus animo furandi magnam summam, reipsa tamen non est furatus nisi materiam levem, non incurrit casum reservatum: idipsum tenendum est de eo, qui voluit alterum graviter lædere aut percutere, reipsa tamen non læsit, nisi leviter. Lugo, Rassler, Salmanticenses, quos citat & sequitur Babenstuber *cit. art. 4. num.* 14.

361 Colliges quartò, multò minùs reservationem incurri ab eo, qui solo actu interno peccat, esto gravissimè, v. g. hæresi

resi merè mentali. Ratio desumi debet ex dictis *num.* 342. quia Ecclesia sola crimina externa, quippe quæ sola nata sunt perturbare Rempublicam Ecclesiasticam, reservare voluit: at, hæresis merè mentalis non est crimen externum: ergo &c. Aliter discurrendum foret de eo, qui v. g. hæresin mente conceptam exteriùs verbis, signis, aut factis manifestaret, etsi in occulto, nemine præsente vel audiente. Ratio est: quia talis jam opere externo, hæresi scilicet de se sensibili, graviter peccaret, esto per accidens hujusmodi peccatum non percipiatur ab aliis. Ita cum communi Sanchez *lib.* 2. *decal. c.* 8. *nu.* 6.

Petes adhuc, quomodo Casus reservati superiùs relati sint intelligendi?

362 Resp. Breviter, esse intelligendos in hoc sensu. 1. Per *Apostasiam* intelligitur defectio à vera fide ad hæresin. 2. Per *Relapsum in hæresin* intelligitur relapsus post hæresin publicè ejuratam. 3. Per homicidium intelligitur mors alteri illata &c. unde non sufficit sola actio occisiva. 4. Per Sodomiam intelligitur perfecta; hinc etiam probabilius videtur nomine Sodomiæ non venire bestialitatem, aut coitum cum dæmone. 5. Per sacrilegium intelligitur violatio loci sacri, per effusionem sanguinis aut seminis humani. 6. Per stuprum intelligitur violenta defloratio virginis sub cura Parentum constitutæ. 7. Per Raptum intelligitur abductio invitæ Virginis cum intentione peccandi, aut etiam matrimonium ineundi cum illa. 8. Per Incestum intelligitur copula perfecta cum seminatione intra vas naturale cum consanguinea, vel etiam cum affine, ubi id specialiter exprimitur, utì fit in Diœcesi Passaviensi. 9. Per Sanctimonialem intelligitur quælibet Religiosa in aliquo Ordine approbato professa. 10. Per violentam injectionem manuum in Parentes intelliguntur etiam trusiones pedum, item verberationes factæ &c. 11. Per manifestum perjurium intelligitur juramentum falsum, factum in judicio &c. Reliqui Casus quo sensu intelligendi sint, partim colligere licebit ex jam dictis, partim etiam videri potest apud la Croix *l.* 6. *pag.* 2. *nu.* 1646. Tambur. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 7. §. 6. Chapeav. *tota pag.* 2. Gobat *tract.* 7. *à num.* 670.

CONFERENTIA
DECIMAQUARTA.

De Potestate absolvendi à Casibus reservatis.

SUMMARIUM.

363 *Quibusnam competat jurisdictio ordinaria absolvendi à Casibus reservatis;*
364 *Et quibus jurisdictio delegata.*
365 *Episcopi possunt absolvere suos subditos à Casibus Summo Pontifici reservatis &c. &c.*
366 *Excipiuntur tamen Casus Bullæ Cœnæ.*
367 *Et quidnam valeant Superiores Regulares respectu suorum subditorum.*
368 *Mendicantes an possint absolvere à Casibus S. Pontifici reservatis.*
369 *A Casibus Episcopo reservatis absolvere non valent sine speciali hujus approbatione.*
370 *In mortis articulo vel etiam periculo cessat omnis reservatio.*
371 *Unde pœnitens taliter absolutus, etiam cessante periculo non amplius tenetur hujusmodi peccatum alteri confiteri, nisi fortè casus habuisset annexam censuram.*
372 *An & quando Confessarii non deputati pro reservatis, valeant ab illis saltem indirectè absolvere etiam extra mortis articulum.*
373 *Et quid sit indirectè duntaxat absolvi.*
374 *Resolvitur Casus I. de quodam magno peccatore, deferente Casus reservatos alicui Confessario non habenti potestatem in illa;*
375 *Qui propterea bello modo debuisset induci ut quæreret alium hac potestate præditum.*
376 *Pœnitens habens casum in sua Diœcesi reservatum, in alia Diœcesi, ubi non est reservatus, potest à quolibet*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de absolutione à Casibus reservatis.

Quæres primò, quibusnam competat potestas ordinaria absolvendi à Casibus reservatis?

363 R. Potestas ordinaria, per se ac directè absolvendi à reservatis, competit 1. ipsimet reservanti. 2. hujus in officio successori, & 3. utriusque in jurisdictione spirituali Superiori. Ita *unanimiter DD.* Ratio est: quia cui competit potestas ligandi, etiam competit potestas solvendi, perque easdem causas res dissolvitur, per quas nascitur: atqui reservatio nascitur a voluntate legitimi Superioris; qualis supponitur esse reservans, hujus successor, & utriusque in jurisdictione Superior: ergo per eandem voluntatem potest denuo tolli. Ex quo sequitur 1. summum Pontificem posse absolvere à quibusvis peccatis cuivis demum Episcopo reservatis. 2. Generales Ordinum posse absolvere à Casibus per Provinciale Capitulum reservatis. Bonacin. *de pœnit. Disp. 5. q. 7. pu. 5. §. 2.* Herincx *Disp. 6. n. 14.*

Quæres secundò, quinam gaudeant jurisdictione delegata absolvendi à casibus reservatis?

364 R. Omnes illi dicuntur gaudere jurisdictione delegata, quibus hæc concredita est ab aliquo habente jurisdictionem ordinariam. Tales sunt 1. in nostro Seraphico Ordine omnes Superiores locales, utputa Guardiani, Præsides, & in absentia Guardianorum Vicarii, modò talis absentia non sit exspectata in fraudem. Hisce omnibus per Capitulum generale delegata fuit potestas absolvendi suos subditos à Casibus reservatis: & quia talis delegatio semper manet annexa officio eorum, eoque ipso quodammodo transiit in ordinariam, hinc consequens est, quòd eandem possint aliis subdelegare, tam directè, quàm indirectè, tam passivè, quàm activè 2. Eandem potestatem, per A. R. P. Ministrum

Provincialem sibi delegatam defacto possident Confessarii Conventuum nostrorum, in hunc finem specialiter deputati pro fratribus. Item 3. qui ab Episcopis obtinent potestatem absolvendi suos subditos à reservatis, & 4. qui Roma obtinuerunt quinquennalem licentiam absolvendi ab hæresi &c. Vid. Rodriquez *QQ. RR. tom. 1. qu. 11. art. 8.* Sanchez *l. 4. mor. cap. 27. num. 41.* Layman *cap. 10. num. 17.*

Quæres tertiò, utrùm Episcopus possit absolvere à Casibus summo Pontifici reservatis?

365 R. Possunt Episcopi absolvere suos subditos à quibuscunque casibus occultis (exceptis casibus Bullæ Cœnæ,) etiam Sedi Apostolicæ reservatis, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, at in foro conscientiæ tantùm, idque in casibus duntaxat occultis, id est, nondum deductis ad forum contentiosum. Ita statuitur ac permittitur in Concilio Trident. *Sess. 24. de reform. cap. 6.* ubi insuper Episcopis tantùm, non eorum Vicariis, permittitur, ut valeant absolvere ab hæresis crimine in eodem foro conscientiæ. Vid. Babenstuber *tract. 8. pag. 6. dist. 6. art. 4. nu. 32.*

366 Dixi per parenthesin: exceptis casibus Bullæ Cœnæ &c. Etenim quod ab his absolvere nequeant (nisi in casu necessitatis) patenter deducitur ex decreto Clementis VIII. damnante sequentem propositionem: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de criminibus occultis sermo est, anno 1629. dist. 18. Julii, in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum, Cardinalium visa, & tolerata est.* Accedit, quòd ipsi quoque summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. declaraverint, Episcopos non ampliùs uti posse facultate illa à Tridentino concessa, quemadmodum ex testimoniis gravissimorum virorum refert Sanchez *lib. 2. Decal. cap. 11. numer. 26.* Nihilominus quantum attinet facultatem absolvendi ab hæresi occulta, eam adhuc ab Episcopis exerceri testatur Mezger *tract. 18. dist. 49. art. 2. num. 12.* quod haud dubiè fit, vel quia habent speciale indultum à summis Pontificibus impetratum; vel quia existimant probabile concessioni Tridentini per Bullam Cœnæ non derogari; vel denique quia in hisce partibus nostris plerùmque reperitur in pœnitentibus moralis impossibilitas adeundi summam sedem, quo Casu certum esse debet, Episcopis competere facultatem absolvendi. *cap. Mulieres. cap. Quamvis, & cap. de cætero. de Sentent. excom.*

367 Cæterùm quod Episcopis, idem & Prælatis Regularibus respectu suorum duntaxat subditorum, in quos possident jurisdictionem quasi Episcopalem, diversis summorum Pontificum indultis, permissum esse, ostendit Rodriquez *QQ. RR. tom. 1. quæst. 20. artic. 4.* Videatur Herincx *Disp. 7. num. 14.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. numer. 9.*

Quæres quartò, utrùm etiam nos Mendicantes valeamus absolvere à Casibus summo Pontifici reservatis?

368 R. Confessarii nostri (Mendicantium scilicet) à Superioribus suis legitimè præsentati, & approbati possunt absolvere, undequaque advenientes ab omnibus Casibus papalibus occultis, sed NB. *sæculares tantùm*, non item Religiosos. Ita ex diversis Pontificum decretis ac privilegiis latè ostendunt DD. mox citandi, aliique plures. Excipiuntur tamen rursus Casus Bullæ cœnæ, à quibus nullus Regularis per se loquendo potest absolvere, nisi obtinuerit specialem licentiam, quam A. R. P. Minister Provincialis communiter pro certis quibusdam Patribus in singulis Conventibus nostris deputatis Roma procurare solet, quatenus libros hæreticos legere, atque ab hæresi absolvere valeant. Videatur Bosco *Disp. 8. Sect. 5. nu. 251.* Herincx *Disp. 7. num. 9.* Illsung. *tr. 6. Disp. 6. n. 220.* Sporer *num. 740. & seqq.*

Quæres sextò, an Mendicantes valeant absolvere à Casibus Episcopalibus, seu Episcopo reservatis?

369 R. Olim quidem poterant vi suorum privilegiorum à diversis Pontificibus indul-

dultorum, uti videre licet apud Bosco *cit. nu.* 255. At verò hodie non ampliùs posse ab illis absolvere sine speciali licentia Reverendissimorum Ordinariorum, jam communissimè fatentur Doctores; idque luculenter deducitur ex damnatione sequentis *num.* 12. propositionis facta ab Alexandro VII. 1665. die 24. Septembris. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Unde oppositam sententiam practicè non ampliùs esse probabilem, rectè inferunt Illsung. *cit. num.* 222. Babenstuber *ubi suprà ar.* 4. *num.* 31. Reinffestuel *tract* 14. *dist.* 9. *num.* 11.

Quæres sextò, utrùm in mortis articulo cesset reservatio, ita, ut quilibet Confessarius valeat absolvere ab omnibus peccatis?

370 R. Affirmativè: Ita enim statuit Concilium Tridentinum supra *num.* 327. relatum. Et quia articulo mortis æquiparatur probabile seu moraliter propinquum mortis periculum, id est, tale, in quo frequenter contingit mors; hinc cum communi DD. inferunt Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 13. Stoz *l.* 2. *trib. num.* 65. à quibusvis peccatis à quolibet Confessario posse absolvi sequentes. 1. qui lethali decumbunt infirmitate. 2. Capitali sententia damnati à Judice. 3. Milites prælium ingressuri. 4. Mulieres appropinquantes partui periculoso. 5. item qui periculoso sese exponunt navigio, etsi alii limitent hanc doctrinam, volentes quòd tales non possint absolvi à quolibet, nisi dum jam actu versantur in periculo, utputa partus, aut naufragii &c. 6. Item degentes in urbe vel alio loco peste infecto &c. 7. Quin ulteriùs etiam extra mortis articulum vel periculum, quotiescunque ex parte pœnitentis occurrit impedimentum perpetuum, aut saltem magna difficultas adeundi Pontificem, (vel Episcopum pro absolutione à Casibus eidem reservatis) uti censetur esse in Mulieribus, impuberibus, valetudinariis, & pauperibus &c. cessat reservatio in tantùm, ut à quolibet alio Confessario, etsi non deputato pro reservatis, valeant absolvi, & quidem directè, sine onere denuo confitendi. Ratio horum desumitur ex benignitate S. Matris Ecclesiæ, quæ voluit in hisce casibus & circumstantiis omni reservatione sublata cuivis Sacerdoti committere potestatem absolvendi à quibusvis peccatis, ne fortè contingeret aliquem defectu absolutionis in tali periculo æternaliter perire. Vide Gobat. *tract.* 7. *à num.* 126.

Dices. At nunquid si tales postea evadant feliciter periculum; tenebuntur eadem sua peccata deferre ad alium, pollentem potestate in reservata?

371 R. Quòd non: tum quia peccata sua jam sunt confessi tam quoad numerum, quàm quoad speciem; tum etiam quia ab iisdem jam fuerunt directè absoluti. Excipe tamen & limita: *nisi Casus reservatus habuisset annexam censuram;* uti habent Casus reservati summo Pontifici; tunc enim juxta communiorem sententiam tenetur pœnitens cessante periculo se sistere Superiori, sub pœna ipso jure relabendi in eandem censuram, idque non eo fine, ut novam absolutionem obtineat, sed ut frangatur ipsius contumacia, & ut recipiat mandatum de satisfaciendo parti injuriatæ. Immo verò ne hoc quidem ampliùs necessarium existimant Gobat *tr.* 7. *num.* 145. & Sporer *num.* 752. casu quo absolutio fuit obtenta ab aliquo delegato Papæ, quales sunt Episcopi, & Regulares privilegiati, item omnes Confessarii tempore jubilæi expositi; quia hi omnes gaudent potestate in eo articulo absolvendi, & quidem directè, non verò indirectè tantùm.

Quæres septimò. An, vel quando etiam extra mortis articulum detur potestas indirectè saltem absolvendi?

372 R. Possunt non rarò Confessarii, etsi non deputati pro reservatis, ab illis casibus absolvere, sed indirectè tantùm, idque potissimùm tunc, quando intervenit impedimentum saltem temporale, ita ut Confessarius pro reservatis deputatus vel omnino non, aut certè non sine magna difficultate, seu etiam incommodo adiri possit simulque occurrit vel necessitas, vel saltem, rationabilis causa confitendi, utputa quia obstrictus

ca.'· reservato debet celebrare aut communicare, aut quia est magna festivitas, vel magnæ indulgentiæ lucrandæ &c. his enim circumstantiis concurrentibus (etsi fine illis pro mero libitu id facere, nefas foret) potest Confessarius inferior absolvere pœnitentem, sed indirectè tantùm, & cum onere, ut data oportunitate eadem peccata denuo confiteatur alteri prædito potestate in peccata reservata. Ita cum *communi* Suarez, Conink, Layman *cit. c. 12. num.* 10. Ratio paulò ante fuit data: quia videlicet nec Ecclesia, nec alius Superior Ecclesiasticus præsumitur voluisse obligare ad aliquid vel moraliter impossibile, vel quod in grave detrimentum animæ aut corporis cederet: atqui negatio facultatis etiam indirectè absolvendi in his circumstantiis, sæpe sæpius posset vergere in grave detrimentum animarum, vel honoris aut famæ, seu etiam corporis: ergo piè omnino asseritur, Ecclesiam in tali casu præbere potestatem indirectè saltem, & cum præfato onere absolvendi, quemadmodum etiam ob vitandam infamiam excommunicato permittit, ut possit celebrare, vel Eucharistiam sumere.

373 Dictum tamen fuit, quòd in his casibus liceat *indirectè* absolvere; pro cujus meliori intellectu notandum, tunc peccatum directè remitti, quando remittitur ratione sui & independenter ab alio, è contra tunc indirectè duntaxat dicitur remitti, quandò solùm dimittitur dependenter ab alio, non verò ratione sui, eo quòd vel non fuerit subjectum aut cognitum à Sacerdote, & sic quia peccatum reservatum non remittitur ratione sui in hoc casu nostro, cùm supponatur Sacerdos non habere jurisdictionem in illud, sed solùm dependenter ab aliis in quæ habet jurisdictionem; hinc dicitur solùm indirectè remitti. Vide la Croix *lib. 6. p. 2. num.* 597.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de absolutione à Casibus reservatis.

CASUS PRIMUS.

Titius subditus Archi-Diœcesis Salisburgensis, casu venit in Passaviensem, ubi etiam suam exonerando conscientiam fatebatur 1. se aliquoties Deum blasphemasse ac Sanctos. 2. se bis cum quadam bestia 3. semel verò cum sua affine in secundo gradu peccasse; quod, ubi Confessarius inaudiit, noluit Titium absolvere; tum quia eundem velut maximum peccatorem reputavit indignum beneficio absolutionis; tum etiam quia prætendit se non gaudere potestate in reservata; cui tamen Titius illico reposuit, in sua Diœcesi nec blasphemiam esse reservatam, nec bestialitatem, tametsi non ignoraret incestum esse reservatum, idcirco instanter postulavit absolvi. Quæritur jam an Confessarius recusando absolutionem bene fecerit? & quidnam in hoc casu fuerit agendum?

374 R. 1. Certum videtur, quòd Confessarius non bene fecerit recusando absolutionem ex eo præcisè capite, quia judicavit suum pœnitentem esse maximum peccatorem; certum quippe est, absolutionem de jure dandam esse cuivis, licèt maximo peccatori, confesso, modò supponatur cæteroquin verè contritus ac dispositus; quandoquidem in hunc finem (reconciliationis scilicet cum Deo Sacramentum pœnitentiæ sit singulariter institutum à Christo, qui nullum omnino peccatorem verè contritum legitur repudiasse, aut à suis repudiari voluisse. Secus utique discurrendum foret, dato quòd Confessarius judicasset Titium non esse satis dispositum; vel etiam hanc denegationem absolutionis esse necessariam pro ipsius salute, quatenus gravitate suorum scelerum inde magis apprehensa, disceret deinceps cautiùs ambulare & cavere peccata; quod tamen rariùs videbitur expedire, & eo ipso non, nisi cum magna cautela, prudentia & circumspe-

ſpectione eſt practicandum, utì Doctores communiter monent.

375 R. Ad ſecundum. Si Confeſſarius bello modo potuit Titium perſuadere & is de facili accedere alium, gaudentem poteſtate in reſervata, bene fecit, illum non abſolvendo. Ratio eſt: quia Titius certò incidit reſervationem ſaltem ratione inceſtus in ſecundo gradu, qui cum tam in Salisburgenſi, quàm etiam Paſſavienſi Diœceſi ſit reſervatus, non potuit per ſe loquendo dimitti, niſi ab habente poteſtatem in reſervata. Cæterùm an potuerit velut extraneus in Diœceſi Paſſavienſi abſolvi à blaſphemia & beſtialitate, utpote reſervatis in illa Diœceſi, diſputant hinc inde Doctores; idque abſolutè negant noſter Henno, Marchant, Lugo, Suarez & alii; quia Epiſcopus reſervando ſibi Caſus, aufert Confeſſariis ſuæ Diœceſeos poteſtatem ab illis abſolvendi: ergo Epiſcopus Paſſavienſis reſervando blaſphemiam &c. vult Confeſſariis ſibi ſubjectis hanc facultatem denegatam; conſequenter &c. Econtra Fagundez & Stoz apud P. Kreſslinger in *addit. 2. ad* P. Reinffeſtuel *tract. 14. diſt. 9. poſt num.* 10. Babenſtuber *tract. 8. p. 6. d. 6. a. 4. num. 26.* probabile cenſent, poſſe quemlibet Confeſſarium, etſi non ſit expoſitus pro reſervatis, abſolvere ſubditos alienæ Diœceſis, tunc, quando peccatum non eſt reſervatum in propria Diœceſi pœnitentis (prout in hac noſtra Salisburgenſi non eſt reſervata blaſphemia formalis, neque beſtialitas. Rationem reddunt geminam: 1. quia Epiſcopus non reſervat peccata niſi in bonum propriæ Diœceſeos, & conſequenter non, niſi peccata ſuorum ſubditorum Diœceſanorum. 2. quia Confeſſarius hujuſmodi ſubditum peregrinum abſolvit per juriſdictionem vel à ſummo Pontifice (ſi ſit ex Ordine Mendicantium) vel ab ipſomet pœnitentis Epiſcopo obtentam, quippe qui cùm noluerit reſervare tale peccatum, eo ipſo ſaltem tacitè & interpretativè præſumitur cuivis Confeſſario approbato delegaſſe poteſtatem abſolvendi ſuos ſubditos pœnitentes. Et hæc ſententia utpote magis benigna & favorabilis poterit ſervire Confeſſario in caſu, ubi videt pœnitentem non, niſi admodum ægrè diſceſſurum ad alium pro obtinenda abſolutione.

Dices. At quid, ſi pœnitens afferat mihi Caſum in ſua quidem, non tamen in hac noſtra Diœceſi reſervatum ut ſi ſubditus Epiſcopi Paſſavienſis hìc Salisburgi confiteatur blaſphemiam formalem aut beſtialitatem &c. num licitè abſolvetur à me, qui non habeo poteſtatem in Caſus reſervatos?

376 R. Licitè ac validè, modò pœnitens ſupponatur non in fraudem, ad eludendam ſcilicet legem reſervationis, demigraſſe in noſtram hanc Diœceſin. Ita expreſsè ſtatuit, & Confeſſariis Regularibus indulſit Clemens X. Bulla: *Superna &c. §. 7.* Sequentibus omnino verbis: *poſſe autem Regularem confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi, à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſin pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Utrùm autem idipſum valeant alii Sacerdotes ſæculares dubitari meritò poſſet, eò quòd memorata conſtitutio expreſsè loquatur de ſolis Regularibus Confeſſariis. Quocirca cenſeo eſſe obſervandam conſuetudinem locorum. Profectò in noſtris hiſce partibus vix credam, ullum eſſe Confeſſorem, qui vereatur abſolvere pœnitentem à peccatis in hac Diœceſi non reſervatis, vel qui multùm inquirat, an pœnitens non ſit fortè alterius Diœceſeos, in qua Caſus eſt reſervatus &c. adeoque inveterata jam conſuetudine & tacito ſaltem Ordinariorum conſenſu videtur hìc idipſum permiſſum Sacerdotibus ſæcularibus.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius concubinarius nuper in feſto Portiunculæ confeſſus alicui Regulari gaudenti poteſtate in caſus etiam reſervatos, depoſuit ingentem peccatorum ſuorum ſarcinam, plurimos ſcilicet lapſus carnales, nec non beſtialitates, inceſtus &c. & alia plura peccata reſervata; at, non habuit propoſitum efficax deſerendi occaſio-

nem proximam. Modò autem defuncta jam concubina cogitat tandem aliquando seriam agere pęnitentiam, sed dubitat, an à peccatis reservatis nuper invalidè confessis nunc possit à quolibet Confessario absolvi?

377 R. Affirmativè. Ratio est: quia per ejusmodi confessionem pęnitens jam satisfecit fini reservationis, qui erat, se sistere Superiori, vel ejus delegato, à quo posset in via salutis meliùs dirigi, & salutarem pęnitentiam accipere: cessante autem fine reservationis non est, cur maneat ulteriùs reservatio. Quare licèt talis pęnitens postea agnita nullitate confessionis, teneatur iterum clavibus subjicere eadem peccata, pro absolutione tamen à reservatis non tenetur recurrere ad Superiorem; cùm non ampliùs sint reservata. Bonacin. Castropal. Salmant. Mezger, quos citat & sequitur Babenstuber ubi *suprà Disp. 6. a. 4. n. 27.*

Dices. At quid, si Sempronius in proxima illa coofessione fuisset quorundam peccatorum reservatorum oblitus inculpabiliter?

378 R. Nihilominus juxta probabilissimam sententiam Lugonis *Disp. 20. n. 89.* Tambur. *lib. 2. de exped. confess. c. 10. §. 3. num. 55.* Illsung. *cit. num. 225.* Viva *q. 11. ar. 4. & 6.* & aliorum plurium, adhuc posset absolvi ab illis à quolibet Confessario, idque hac ratione: quia quilibet Confessarius censetur pœnitentem velle liberare ab omni vinculo peccatorum, quo potest: atqui potest in nostro casu pęnitentem liberare etiam à reservatione peccati, cujus inculpabiliter fuit oblitus: ergo.

379 Dixi tamen: *inculpabiliter oblitis*; secus enim dicendum foret, si pęnitens supponatur malitiosè & culpabiliter aliquod, vel plura peccata reservata subticuisse; quia, utì rectè advertunt Suarez & Bosco *cit. sect. 5. nu. 72.* talis nullatenus satisfecit intentioni Superioris reservantis; tum etiam quia non præsumitur fuisse intentio Confessarii, talem liberare à vinculo illorum peccatorum, quæ malitiosè & in fraudem tum Sacramenti, tum ipsius etiam Confessarii reticuit. Vide etiam la Croix *n. 1695.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Religiosus dum in culina vi sui officii condiendis pro suis fratribus ferculis totus quantus insudasset, dolenter notavit, unum aut alterum ferculum à se gustuosè præparatum, ab aliis suis coadjutoribus (quorum unus Laicus, alter pariter Religiosus existit) fuisse (ex ignorantia vel malitia, nescio) redditum insipiens: quare Cajus iracundia excandescens, apprehenso veru utrumque graviter percussit ac læsit: alterâ verò die ductus pęnitentia venit ad suum Confessarium, qui noluit impertiri absolutionem Cajo. Jam quæritur, utrùm is inciderit casum reservatum. 2. Utrùm à suo ordinario Confessario potuerit, aut etiam debuerit absolvi?

380 Resp. Ad primum quæsitum. Si Cajus supponatur fuisse alumnus Religionis nostræ Franciscano-Seraphicæ, per se loquendo incidit duplicem casum reservatum; nam primò percussio gravis cujuscunque personæ reservatur in nostris statutis generalibus, utì superius *num.* 341. jamjam annotavimus. 2. Percussio autem Religiosi, sicut & cujusvis clerici, reservatur Summo Pontifici *can. si quis suadente Diabolo &c.* ubi nomine Clericorum veniunt Religiosi, tametsi non initiati sacris Ordinibus, prout communissimè tradunt Theologi: ergo Cajus saltem per se loquendo (nisi scilicet impetus iracundiæ, fortè præveniens usum rationis, eundem excusset) incidit duplicem casum reservatum.

381 Resp. Ad secundum. Cajus à suo Confessore Ordinario ab hac percussione, in quantùm tangebat confratrem Religiosum: non potuit absolvi. Ratio jam debet constare ex dictis: quia scilicet percussio Religiosi est Casus Summo Pontifici reservatus. Esto etiam Confessarii nostri vi privilegiorum valeant absolvere ab omnibus Casibus S. Pontifici (extra Bullam Cœnæ) reservatis, hæc tamen facultas non se extendit ad Religiosos, sed ad sæculares duntaxat absolvendos, veluti superiùs *numer.* 368. advertimus. Idcirco Cajus pro abso-

absolutione obtinenda remittendus fuit ad Superiorem suum, vel si hunc sine magno gravamine convenire non potuit, suadente charitate, Confessarius ipse debuit accedere Superiorem, petiturus ab illo licentiam (suppressa persona, vel nomine pœnitentis) cum his terminis: *est aliquis indigens potestate vestra quoad absolutionem, placetnè dare?* vel, si mavult, utendo aliis terminis dicat: *petitur facultas pro aliquo, ut absolvi possit à reservato*. Videatur Sporer *n*. 762. Marchant. *dub*. 4. & 9. vel la Croix *n*. 1688.

Dices forsitan: Quid si autem Superior Confessario petenti hanc licentiam denegaret, & velit ut subditus ad se dirigatur?

382 Resp. Juxta constitutiones Summorum Pontificum Superiores non debent esse rigidi vel difficiles in deleganda hujusmodi facultate; secus quippe agerent contra charitatem, non sine periculo animarum. Nihilominus Superiore justè eam negante, ob graves scilicet, & valde urgentes rationes, utputa quia rationabiliter judicat esse necessarium, aut certè admodum expediens pro bono regimine Conventus vel subditorum, ut ipsusmet discernat, & delinquenti remedeatur &c. Confessarius inferior, utpote jurisdictione necessaria destitutus, jam nihil ampliùs posset, sed tenetur pœnitentem arbitrio Superioris relinquere. Econtra quando Superior omnibus ritè ponderatis certò agnoscitur injustè contrarius, & sine causa sufficienti petitam facultatem denegare (quod tamen à subditis de facili non est credendum vel præsumendum) potest talis Confessarius Ordinarius, id est, deputatus pro hujusmodi pęnitente in Conventu (non item alius quicunque non deputatus, etsi de se prudens ac doctus) pro hac vice duntaxat absolvere pęnitentem, prout expressè declaravit Congregatio Cardinalium, jussu Urbani VIII. edita, & videnda in Bullario *edit. Rom. tom*. 4. *fol*. 372. teste Lugo *disp*. 20. *sect*. 4. & Pellizario *tom*. 2. *tr*. 8. *c*. 2. *n*. 52. Sporer *n*. 768. & *seqq*.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

383 Colliges ex hactenus dictis primò, quòd si pęnitens afferat Casum reservatum, non illico sit inferendum, eum incidisse reservationem, ideoque esse dimittendum sine absolutione; multæ etenim dantur causæ excusantes ab incursu reservationis, utputa indeliberatio, inadvertentia, vel etiam ignorantia reservationis, veluti superiùs jam dictum fuit. Rursus dantur multi Casus, in quibus Confessarius aliàs non approbatus pro reservatis, potest ab illis absolvere, idque directè utì in articulo vel periculo mortis, vel impedimenti perpetui &c. aut saltem indirectè & cum onere eadem peccata reservata denuo aperiendi alteri, præsertim tunc quando pęnitens bona fide suam conscientiam jamjam exoneravit, aut sine magno gravamine alium accedere hìc & nunc non valeat. Cautè igitur, & ne nimis gravetur pœnitens, cum magna circumspectione examinandus est 1. utrùm interea dum illud peccatum perpetravit, non fuerit alicui habenti potestatem in reservata confessus? utrùm verè deliberatè & mortaliter peccaverit? 3. utrùm non laboraverit aliqua ignorantia juris aut facti? &c. Et his bene pensatis primò decidendum, quid pro DEI gloria, & salute pęnitentis magis expediat. Videatur Kresslinger *in addit. post numer*. 20. *ad tract*. 14. *dist*. 9. *Theol. mor*. P. Reiffenstuel.

384 Colliges secundò, quid agendum pęnitenti habenti casum reservatum, qui urgente necessitate celebrandi vel communicandi non habet copiam Confessarii approbati pro reservatis. Nam vel talis pœnitens præter peccatum reservatum adhuc gravatur alio peccato mortali velut materia necessaria hujus Sacramenti, vel non? si habet adhuc aliud, certò obligatur confiteri; tum quia peccatum mortale, etsi non reservatum, est materia necessaria; tum etiam qua saltem ab hoc potest directè

rectè absolvi à quolibet approbato Confessario: quam ob rem non satisfaceret neglecta confessione præcisè contritionem præmittendo sacræ communioni, ut jam alibi dictum. Si autem præter peccatum reservatum non habeat aliam materiam necessariam, simulque supponatur destitutus copia Confessarii pro reservaris approbati, tunc etsi secundùm probabilissimam & tutissimam opinionem Doctorum adhuc teneatur omnia peccata confiteri; tum ut servet confessionis integritatem; tum etiam ut Confessarius velut Judex spiritualis intelligat statum delinquentis; nihilominus juxta aliam sententiam Suarezii *disp.* 30. *sect.* 3. Laymanni *cit. cap.* 11. *numer.* 11. Sporeri *num.* 757. verè probabilem ac tutam, satisfacit vel sola venialia confitendo, reticitis peccatis reservatis, vel omnino prætermissa confessione, coram solo Deo sese humiliando, & perfectam contritionem eliciendo; quia in tali casu potest se gerere, ac si non haberet copiam Confessarii, cùm revera non habeat Confessarium, jurisdictioue in reservata præditum, & aliàs per se loquendo nemo teneatur contra voluntatem suam idem peccatum bis confiteri: ergo neque confiteri tali Sacerdoti jurisdictione in illa destituto, ideoque cum onere postea eadem peccata apud alterum exponendi.

385 Excipiendus tamen est casus, quo pœnitens esset tam rudis, ut non sciret elicere contritionem perfectam; tunc enim vi præcepti divini teneretur per accidens hujusmodi Sacerdoti confiteri unum aut alterum peccatum saltem veniale, quatenus hoc modo à mortalibus reservatis indirectè absolutus restituatur in statum gratiæ, & dignus evadat participatione Eucharistiæ; prout præter alios plures rectè notavit Sporer cit. n. 758.

Dices adhuc: At quid, si pœnitens bona fide accessit Confessarium non approbatum pro reservatis, & huic non deferat, nisi unum vel alterum peccatum merè reservatum?

386 R. Vel remittendus erit ad alium præfata potestate præditum, vel si hoc non possit sine magna difficultate, obligandus, ut præter illa peccata reservata subjiciat unum vel alterum non reservatum, secus enim velut destitutus materia directè remissibili, à tali Confessario absolvi nequaquam posset; quandoquidem omnis omnino absolutio cadere debet in aliquam materiam directè remissibilem, à cujus dependentia alia peccata dicuntur indirectè remitti, prout proximè visum est. Palao *tr.* 23. *punct.* 15. §. 7. Gobat

387 Colliges tertiò, reservatione semel legitima auctoritate sublata, sive per Superiorem, sive per alium inferiorem delegatum, peccatum dein à quolibet Confessario approbato posse dimitti. Idem dicendum, casu quo Superior pœnitenti concedit licentiam cuilibet confitendi peccatum reservatum; quia hoc modo indirectè delegat potestatem absolvendi ab illo. Denique idipsum dicendum est, quando pœnitens ab inferiore fuit absolutus priùs quàm incidit reservationem, ut si quis ab adulterio clam perpetrato fuit absolutus, postea ubi innotuerit aliis, non ampliùs tenebitur illud confiteri apud habentem jurisdictionem in reservata; quia cùm illud peccatum tunc temporis non fuerit publicum seu notorium sive notorietate juris sive facti, potuit pœnitens à quovis absolvi, & quidem directè, & sine onere postea accedendi alium. Gobat, Herincx, la Croix *n.* 1694. & alii *communiter*.

388 Colliges quartò, potestatem absolvendi à reservatis veluti favorabilem esse latè interpretendam; tum quia juxta Regulam Juris notissimam *favores convenit ampliari*; tum etiam quia hæc potestas datur in commune bonum animarum. Qua ratione ductus, reminiscor me olim cuidam Religioso ex me sciscitanti respondisse, quòd facultate à reservatis absolvendi sibi pro Parochia exposito concessâ, posset adhuc uti, licèt revocatus ad monasterium; cùm hæc potestas favorabilis velut privilegium personale intuitu Personæ & non loci concessum, ubique comitetur personam. Econtrario ipsa reservatio est strictæ interpretationis, eò quòd sit pœnalis & odiosa, prout jam superiùs insinuavimus. Videatur Herincx *disp.* 6. *n.* 7. Castropalao *tr.* 3. *d.* 4. *pu.* 11. *n.* 2. la Croix *n.* 1684.

Dices tandem: quid agendum, si Confessa-

fessarius post confessionem jam auditam dubitet, an habeat jurisdictionem in hoc vel illud peccatum clavibus subjectum?

389 R. Non obstante tali dubio validè absolvet pœnitentem saltem à reliquis non reservatis. Quin immò, cùm confessio jamjam facta supponatur, & quidem bona fide; hinc si pœnitens sine gravamine nequeat alium quærere Confessorem, & ex altera parte vel deberet sacram synaxin sumere, aut certè, nisi absolveretur, diutiùs abstinere ab hoc Sacramento, stantibus hisce circumstantiis nedum validè, sed & licitè absolveretur, etsi cum admonitione ut postea data opportuna occasione accedat alium, gaudentem certa potestate directè absolvendi à reservatis, veluti rectè tradunt Gobat *theol. exper. tract. 7. numer.* 20. la Croix *l. 6. p. 2. numer.* 1573. Reiffenstuel *tract. 14. dist. 9. n.* 20.

390 Tandem pro clausula hujus Conferentiæ operæ pretium duxi recensere certas quasdam festivitates, in quibus tam in hac nostra Archi-Diœcesi Salisburgensi, tum etiam in Passaviensi omnibus Confessariis conceditur facultas absolvendi à peccatis Episcopo reservatis: ut sequitur juxta tenorem decreti à nostro Celsissimo edito anno 1727. 29. Octobris,

Designatio

Festorum & locorum, in quibus Curati hujus Salisburgensis Diœcesis à supra dictis Casibus suæ Celsitudini reservatis (quos vide *numer.* 336.) absolvendi specialem licentiam habent, annuatim per illos de novo requirendam, & abhinc renovandam.

Pro tempore paschali, quod in hac Metropolitica Diœcesi Dominica Lætare incipit, & Dominica tertia post Pascha finitur.

In Mense *Januario*. In Circumcisione Domini, & Festo Trium Regum. Item in Festo S. Sebastiani.

Februario. Festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

Martio. Festo S. Josephi, & Annuntiationis B. V. Mariæ.

Majo & Junio. Festis Ascensionis Domini, Pentecostes, SS. Corporis Christi, & Apostolorum Petri & Pauli, & S. Joannis Baptistæ.

Julio. Festo Visitationis B. V. Mariæ.

Augusto. Assumptione ejusdem B. M. Virginis.

Septembri. Festo Nativitatis Ejusdem.

Novembri. Festo Omnium Sanctorum.

Decembri. Festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Item in Festis Nativitatis Domini usque ad novum annum.

Item in Dedicationibus, Patrociniis Ecclesiarum, Peregrinationum, ac concursuum.

Item Festis principalibus Confraternitatum.

Item in die Horæ à confratribus electæ.

Item in Casu extraordinario Pusillanimitatis.

Denique in Festo Ordinum: hæc autem licentia (in Festo Ordinum scilicet) tantum concernit Religiosos, & Eorum Ecclesias. Hactenus Decretum Celsissimi nostri *Leopoldi*. In Diœcesi verò Passaviensi vi Decreti à Moderno Celsissimo an. 1727. 2. Aprilis emanati cuivis Confessario in Diœcesi Passaviensi approbato potestas absolvendi à Casibus Episcopo reservatis concessa fuit in sequentibus Festivitatibus.

1. In Festo Nativitatis. 2. Circumcisionis. 3. Epiphaniæ. 4. Paschatis, & 5. Pentecostes. 6. In omnibus Festis B. Virginis Mariæ. 7. In Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli. 8. Joannis Baptistæ. 9. S. Josephi. 10. In Patrociniis Ecclesiarum, & 11. Octava omnium Sanctorum.

CON-

CONFERENTIA

DECIMAQUINTA.

De Probitate & Scientia in Confessario requisita.

SUMMARIUM.

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Probitate & scientia in Confessario requisita.

QUæres primò, quænam generaliter loquendo sint necessaria ex parte Confessarii ad hoc, ut dignè & licitè suo fungatur officio?

391 R. Ut Confessarius ritè suo fungatur officio, Doctores communiter tria requirunt, scilicet 1. Probitatem vitæ. 2. Scientiam competentem, & 3. Prudentiam. De Prudentia agemus Conferentiâ proximè subsecutura. De Probitate verò & scientia in hac breves (quantùm Moralistæ sufficit) dabimus resolutiones. Non me quidem latet, à multis Doctoribus plures

res

res adhuc qualitates ex parte Confessarii desiderari, quas S. Thomas, 4. *dist* 17. sequentibus versiculis comprehensas refert.

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis:

Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

Hæ tamen omnes ad illas tres à nobis jamjam relatas facilè possunt reduci, prout consideranti patebit. Unde.

Quæres secundò, quænam probitas in Confessario desideretur?

392 R. Requiritur probitas vitæ, eaque duplex, legalis scilicet, & moralis. Prior in eo consistit, quòd Confessor non sit obstrictus aliquo impedimento canonico ab hoc officio retardante, utputa ut non sit excommunicatus excommunicatione majore, aut suspensus ab officio &c. secus enim gravissimè peccaret, aliquem (extra casum necessitatis) absolvendo, etsi non in casu necessitatis. Posterior autem, moralis scilicet probitas, in statu gratiæ est sita; in quo Confessarius volens dignè suo fungi officio, consistere debet. Cujus ratio desumitur ex ipsa S. Ordinatione, in qua Christus Dominus voluit conferri gratiam Spiritus Sancti ad hoc sublimissimum ministerium dignò obeundum; quam proin gratiam Sacerdos in hunc finem conservare, vel etiam perditam recuperare tenetur secundùm *Omnes*.

Quæres tertiò, quæ, & quanta scientia requiratur in Confessario;

393 R. Requiritur scientia competens, id est saltem mediocris eorum, quæ attinent hoc ministerium. Ratio inde desumitur: quia Confessario vi sui officii incumbit agere Judicem, Medicum, & Doctorem spiritualem: ergo necessum omnino est, ut competenti scientia eorum quæ officium Judicis, Medici, ac Doctoris spiritualis concernunt, sit imbutus; secus quippe & se, & pœnitentes suos exponeret periculo errandi, & quidem in materia gravi, concernente animarum salutem; quod, utinam non jam sæpiùs, quàm par est, contigisset.

Dices. Quænam ergo Confessarius qua Judex, Medicus, & Doctor spiritualis in particulari nosse debet?

394 R. 1. Qua Judex nosse debet 1. quænam sint peccata saltem ex suo genere venialia, & quænam mortalia; 2. peccatorum species & circumstantias speciem mutantes, vel alias necessariò explicandas in confessione. 3. Onera ex peccatis consequentia, utputa, an quid, aut quantum sit restituendum in bonis famæ aut fortunæ &c. 4. Casus reservatos & censuras saltem eas, à quibus absolvere non valet, nec non ea delicta, quibus incurritur irregularitas vel suspensio &c. 5. Principaliter nosse debet ea, quæ ex parte pœnitentis requiruntur ad legitimam dispositionem, & absolutionem dandam, uti sunt contritio, confessio, & propositum.

395 R. secundò. Confessarius ut Medicus nosse debet peccatorum, & tentationum remedia, nec non modos, quibus pœnitens à peccatis resurgere, commissa diluere, & deinceps committenda evitare valeat, singulariter in quantùm attinet consuetudinarios, vel etiam constitutos in occasione proxima peccandi.

396 R. tertiò. Confessarius ut Doctor spiritualis debet scire communes saltem resolutiones casuum, & obligationes, quæ ex peccatis oriuntur: quò spectant impedimenta Matrimonii, status clericalis & Religiosi, uti advertit Sporer *n.* 780.

397 Quocirca tamen DD communissimè notant, non esse necessarium, ut Confessarius prædicta omnia sciat exactè, resolutè, vel memoriter, sed sufficit ea scire mediocriter & in habitu, ita scilicet, ut quando à pœnitente proponuntur, Confessarius de qualitate & gravitate criminum noverit prudenter discernere, aut saltem *prudenter* dubitare, non quidem solo & mero dubio ignorantiæ, quo omnes etsi nunquam studuerint moralibus, dubitare solent; sed dubio fundamentali, inde scilicet concepto, quòd simile quidquam legerit in Auctoribus, proptereaque moveatur ad illos inquirendos, vel etiam alios Doctiores consulendos. Certum tamen esse debet, majorem, minoremvè scientiam requiri pro diversitate locorum ac pœnitentium; minor enim scientia sufficit pro Confessario audituro simplices, Rusticos, vel alios devotos homines &c. quàm pro Confessario audituro pœnitentes gravioribus peccatis intricatos, quales sunt,

qui

qui gravioribus negotiis occupantur in Civitatibus &c. &c. prout bene notarunt Navarrus & alii apud Layman *l. 5. tr. 6. c. 13. num. 1.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de probitate & scientia Confessariorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos partim ob continuas, easque injustè excitatas lites in puncto decimationis, partim etiam ob inobedientiam erga Reverendissimum suum Ordinarium exhibitam, tandem fuit suspensus à suo beneficio; quo non obstante perrexit ut ante suum administrare officium in cura animarum, aliisque divinis. Insuper contigit ut in auditis cujusdam pœnitentis lascivis sibi complacendo & libidinosè delectando, priùs quam prædictam suam oviculam mediante absolutione mundaret ab animæ sordibus, ipse Pastor sordesceret. Dubitatur jam, an vel quomodo Titius deliquerit excipiendo confessionem in eo statu.

398 R. Titius non peccavit ex eo præcisè, quòd in statu prædictæ suspensionis confessionis exceperit; quandoquidem supponitur fuisse suspensus à beneficio duntaxat, vi cujus suspensionis solùm privatur jure administrandi redditus beneficiales, non item fuit suspensus ab officio. Quin immo probabilius mihi videtur cum Henriquez, Aversa, Diana & aliis, Titium nostrum præcisè excipiendo confessiones, etsi in statu disgratiæ, non peccasse mortaliter, eò quòd sola peccatorum auditio non sit administratio Sacramenti, nec opus Ministri, sed potiùs ipsius pœnitentis: certò tamen peccavit graviter in statu disgratiæ absolvendo. Verùm an tot comittat peccata mortalia, quot pœnitentes absolvit in eo statu, jam superiùs *n.* 198. diximus.

Dices. Quid ergo Titio nostro agendum fuit ut declinaret Sacrilegia?

399 R. Ante absolutionem dandam pœnitenti tenebatur ipse pœnitere de suo peccato, eliciendo contritionem perfectam; quod utique sine difficultate potuit; neque enim opus est longo temporis tractu ad hoc, ut Sacerdos recenter & graviter lapsus toto ex corde dicat: *quid miser feci? utinam, ò utinam te summum bonum meum non ita nequiter offendissem! absit, ut quidquam ejusmodi admittam in æternum!*

400 Quin immo, ubi Confessarius vel temporis angustiis coarctatus, vel attentione necessaria ad audiendam ritè confessionem, aut alio impedimento distraheretur in tantum, ut non valeret sese tam citò recolligere ad concipiendam perfectam contritionem, probabiliter satisfaceret concipiendo, ante absolutionem dandam, saltem actualem aversionem ab omni peccato, & voluntate peccandi per pium motum, & conversionem in Deum, cum proposito, opportunè confitendi; hoc quippe sufficit, ut dicatur se verè præparare ad gratiam, & facere, quantum in se est, juxta præsentem obligationem: sicque revera non actu, etsi adhuc habitu existit in statu peccati mortalis. uti notat Marchantius noster *tribun. p. 2. tr. 2. tit. 5. q. 2.* Hæc tamen, inquit Sporer *num.* 776. secundùm indulgentiam dicuntur, ad solatium Sacerdotum infirmorum, & occasionibus expositorum, minimè verò consuluntur, præsertim Religiosis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos exceperat confessionem cujusdam sese accusantis de peccatis carnalibus cum propria consanguinea, nec non de alio quodam lapsu carnali cum aliqua maritata commissis, quem proin injuncta priùs salutari pœnitentia absolvit. Verumtamen quia ante absolutionem non se reflexerat, peccata illa cum consanguinea commissa fuisse meros incestus, lapsum verò carnis cum maritata fuisse adulterium; hinc bonus Sempronius multum anxius sciscitabatur ex alio quodam Theologo, quid de valore datæ absolutionis sibi jam tenendum, aut quid agendum? Cui Theologus ille respondit, absolutionem quidem valuisse, nihilominus necessum fore, ut si idem pœnitens denuo

recen-

reconciliationis causa rediret, ipse Sempronius ad incestus & adulterium nuper commissa expressè se reflectendo, intenderet illum rursus absolvere ab iisdem peccatis. Quæritur jam, an hoc judicium Theologicum sit approbandum?

401 R. Rectè quidem præfatus Theologus respondit, absolutionem valuisse; quia, cùm omnia essentialia ad Sacramentum concurrerint, neutiquam de hujus valore dubitandum est. At verò, quòd pœnitente denuo redeunte Confessarius debuerit sese reflectere, vel etiam de novo illum absolvere ab incestibus nuper commissis, non mihi Theologicum, sed scrupulosum videtur judicium; etenim secundùm communissimam & sanam Theologorum doctrinam, uti videre licet apud Dicastillo *Disp.* 10. *dub.* 12. *nu.* 34. Suarez *part.* 3. *tom.* 4. *Disp.* 28. *Sect.* 2. *num.* 2. Lugo, Marchant, Reiffenstuel &c. ad validam & legitimam hujus Sacramenti administrationem sufficit, à pœnitente peccata quoad speciem & numerum cum debito dolore & proposito exprimi (id quod etiam in nostro casu fecit pœnitens) eaque à Confessario attentè percipi: neque necessum est, ut is de omnibus auditis determinatè judicet, v. g. hoc esse peccatum mortale, illud veniale, hoc peccatum incestus, illud adulterii &c. multò minus opus est, ut priùs quàm Confessarius formulam absolutionis profert, super omnia peccata sese distinctè reflectet; hæc quippe ne quidem à Viris doctissimis absque evidentissimo errandi periculo præstari possent, tum ob memoriæ labilitatem, tum ob peccatorum multitudinem; tum præsertim quia Casus ipsi in individuo valde alterantur quoad majus & minus ex materia, indeliberatione, passione, multisque aliis circumstantiis, ratione quarum quandoque peccatum ex genere mortale fit veniale, & è contra: noluit autem Christus Dominus hoc Sacramentum instituendo obligare ad impossibilia: ergo &c. &c.

Dices: quidsi autem Confessarius determinatè judicet hoc vel illud esse peccatum mortale, quod reipsa est veniale tantùm, aut vicissim, eritne absolutio nihilominus valida?

402 R. Erit valida. Ratio est: quia cujusvis Confessarii intentio esse prudenter præsumitur, quòd pœnitentem pro quanto hic & nunc opus habet, & se accusavit, velit absolvere. Neque enim opus est, ut Sacerdos eundem judicet scientia divina, sed solùm ut auctoritate divina absolvat. Eapropter quando Confessarius percipit peccatum, de cujus gravitate discernere nequit, an scilicet sit mortale, vel verò veniale, illud tale, quale est, dimittere cogitet, suspendendo de cætero judicium suum de ipsius quantitate; & certè non raró quidquid denuum inciperet, non posset semper de quolibet peccato dubio determinatum ferre judicium, immo nec statim dubia super eorum gravitate concepta deponere: ergo oportet eos absolvere pro quanto indigent, & sese accusant: nec convenit per nimias interrogationes hoc Sacramentum reddere odiosum. Attamen si pœnitens certò agnosceret, Confessarium non percipere gravitatem mortalem peccati expositi, eundem de hac tenetur informare; quia tenetur facere quod in se est, ut Confessarius in causa tam gravi rectè judicet. Castropalao *tr.* 23. *disp. un. punct.* 6. *n.* 8. Reinffest. Babenstuber &c.

CASUS TERTIUS.

Cajus natione Italus aliquoties reconciliationis causa accessit Confessarium natione germanum, in lingua italica aliqualiter, non tamen plenè & perfectè versatum. Hinc aliquoties probè advertit, se quoad omnia sua peccata à Confessario non fuisse bene intellectum. Quæritur itaque, utrùm Cajus tuta conscientia possit hunc protinus accedere, & utrùm Confessarius hoc advertens, possit eundem admittere, an verò teneatur illum ablegare ad alium in eadem lingua magis peritum?

403 R. Cum distinctione ad primum quæsitum: Si enim Cajus non sit sibi conscius alicujus peccati mortalis, liberè accedet talem Confessarium; quia cùm venialia non sint materia necessaria, sufficit à Confessario, pro danda valida ac licita absolutione, unum saltem vel alterum peccatum

catum

catum intelligi. Econtra si Cajus portet conscientiam mortalibus onustam, eaque à Confessario non satis intelligi notavit, tunc si possit sine magno suo incommodo accedere alium in italico idiomate magis peritum, tenetur; quia vi præcepti divini quisque sua peccata tenetur ita exprimere ut à Confessario intelligantur. Secus discurrendum foret, si vel sine magno incommodo non posset accedere alium, aut certè alium exspectando deberet diu carere hoc Sacramento; tunc quippe morali impossibilitate excusaretur æquè ac alii, qui ob linguæ balbutiem, vel aliud dentium aut gutturis vitium sua peccata exprimere nequeunt; de quibus revide superiùs *n.* 148. dicta. Ex his verò prudens lector facilè colliget, quid ad alteram quæsiti partem sit respondendum: est enim quantum ad hoc par utriusque, tam pœnitentis scilicet, quàm Confessarii ratio; nam quemadmodum pœnitens tenetur sua peccata ita exponere, ut à Confessario intelligantur, ita & Confessarius per se loquendo tenetur nullum admittere ad suum tribunal, nisi de illius causa & peccatis (utique intellectis) valeat ferre sententiam; ergo etiam tenetur illum, quem non intelligit quantùm ad materiam necessariam, ad alium in hac lingua magis versatum dimittere. Vide Herincx *disp.* 5. *num.* 52. Bonacin. *de Sacram. d.* 5. *q.* 5. *pu.* 5. §. 4. *n.* 6. Reginald. *lib.* 6. *n.* 155. Ludov. Lopez *in Instructorio p.* 1. *c.* 27.

Dices. At quid si Confessarius hujusmodi defectum non prævidens jam excepit Confessionem, sed sine intellectu unius vel alterius peccati?

404 R. Cum P. Gobat *tr.* 7. *n.* 487. Si peracta jam Confessione Confessarius aliqua probabiliter mortalia non intellexit, potest quidem, immò debet impertiri absolutionem, attamen monere pœnitentem ut in proxima Confessione non intellecta aperiat alteri.

Dices iterum. At verò mihimet jam sæpiùs contigit, ut intentus Confessionibus excipiendis non quidem extraneorum, sed germanorum etsi minùs germanizantium, utputa Rusticorum Pinzgoviensium, Algojarum, Suevorum & Bavarorum &c. plures phrases, dialectos, vel veriùs loquendo, barbarismos, non potuerim intelligere, an mihi propterea abstinendum à sacro tribunali?

405 R. Nequaquam. Illud tamen oportet, ut priùs quàm te hujusmodi occasioni exponas, alios bavarici idiomatis magis expertos consulas, & eorum terminos intellectu difficiliores pro praxi inquiras. Audi in hoc non meum, sed sapientissimi Gobati judicium: quia video (inquit ille *tr.* 7. *n.* 486.) nostræ Societatis, aliorum-„ que Ordinum Religiosos liberè, & sine „ scrupulo exponi à Superioribus ad exci-„ piendas Confessiones Rusticorum — & „ excipiunt illas Confessiones etiam com-„ munibus per annum festis, cùm tamen „ sit certum, quòd primis mensibus quan-„ doque errent, intelligentes quid pro „ quo, immò nulla ratione possint extor-„ quere explicationem sufficientem non-„ nullorum, quia, inquam, video, au-„ dio ista factitari à tot Superioribus, tot „ inferioribus, virtute & doctrina spectan-„ dis, judico, nullum inferiorem debere, „ non dico, detrectare, sed nec depreca-„ ri, si peritus tantùm unius dialecti in „ illa lingua, exponatur ad excipiendas „ Confessiones utentium alia admodùm, „ non tamen extremè diversa &c. Ita Go-„ bat. l. cit.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

406 Colliges ex dictis primò, gravissimè peccare Sacerdotem, qui absque sufficienti scientia tam sublimi functioni sese ingerit: tunc autem judicio P. Sporer *n.* 784. & aliorum judicandus est insufficiens, quando superiùs à *n.* 394. enumerata ita ignorat, ut de illis sibi propositis communiter & rationabiliter nequeat dijudicare, aut saltem prudenter dubitare, ad consultationem vel studium necessarium; quia talis verè idoneus Judex censeri non potest, ideoque perversè tam sublimi ministerio sese ingerendo, peccaret mortaliter, nisi aliunde propter necessitatem vel defectum alterius magis idonei excusetur. Quare nequaquam à mortali neglientia excusandos censeo illos duos Sacerdotes, quo-

quorum unus in cura animarum cooperator, ignorabat formulam absolutionis, alter verò, scilicet ipse Pastor hac super re admonitus à Francisco Suarez, ne scilicet tolleraret tam ignarum Cooperatorem, respondit, sibi de tali defectu jam pridem constitisse, proptereaque jam sæpiùs eidem suo Cooperatori demandasse, ut ipse duntaxat auscultet pœnitentium peccata, pro absolutione verò obtinenda ad se (Pastorem scilicet) remitteret eosdem. Veluti ex Josepho Masseo refert Clericatus *de pœnitentia decis.* 31. *n.* 17.

407 Colliges secundò, Confessarium ex hujusmodi ignorantia crassa absolvendo pœnitentem, quem vel ob reservationem peccati, vel ob aliam indispositionem absolvere non poterat, committere duplex peccatum mortale, unum quidem propter sacrilegam administrationem Sacramenti, alterum verò propter culpabilem ignorantiam eorum, quæ ad suum officium spectant, ratione cujus versatur in continuo statu peccati mortalis omissionis, quamdiu necessariam scientiam sibi comparare culpabiliter negligit: quin immò, nisi congruam diligentiam sincerè proponat, ipsemet confitens ab alio Confessario absolvi non potest, utpote indispositus defectu necessarii propositi emendandi negligentiam illam mortalem, quod (inquit P. Sporer) amore Dei & suæ saluti notent Confessarii, qui ignorantiæ suæ conscii, nihilominus omne prorsus studium casisticum negligunt. Et certè plerùmque experientia discimus, eos, qui minùs intelligunt, minùs etiam esse sollicitos de aquirenda sufficienti doctrina, idque fieri credo, vel quia aliis temporalibus inhiantes, studium & scientiam contemnunt, vel etiam quia stulta præsumptione superbientes, se omnia intelligere existimant, decisionesque suas circa casus conscientiæ datas velut è tripode dictas esse volunt, nihil aut certè parùm anxii, an bene vel verò malè processerint, quorum errores tantò utique sunt perniciosiores, quantò minùs se errasse, aut errare potuisse credunt, vel agnoscunt.

408 Colliges tamen tertiò pro solatio debiliorum, quòd, quemadmodum in aliis materiis; ita & in hac subinde, & forsitan non rarò, possit dari ignorantia, vel etiam error inculpabilis, aut certè non graviter peccaminosus; & primò quidem fieri potest subinde ob parvitatem materiæ, præsertim quando concernit peccatum, vel etiam circumstantiam quæ non est materia necessaria &c. 2. Potest dari error ex aliqua inadverrentia humana, vel etiam labilitate memoriæ, proptereaque Confessariis timoratis & diligentibus non est multùm scrupulizandum. Quo modo autem errores corrigi debeant, dicemus paulò inferiùs à n. -- 3. Excusari potest Confessarius ignarus, quando Confessiones (etsi non sine errore saltem accidentali) excepit solùm in casu necessitatis, ubi alius sufficienter doctus non adfuit; quia meliùs est à Confessario minùs docto absolvi, quàm omnino non absolvi, & quidem cum periculo vel detrimento animæ. 4. Denique Confessarius minùs doctus potest licitè Confessionem excipere, quando agnoscit pœnitentem tam eruditum, & in moralibus versatum esse, ut Confessarii instructione, vel etiam directione minimè opus habeat; veluti communiter advertunt Layman, Gobat, Marchantius noster & alii.

409 Colliges quartò, etiam Episcopos & alios Prælatos, quorum interest, graviter peccare, si absque ulla urgente necessitate ad excipiendas subditorum suorum Confessiones exponant inidoneos. Ratio est: quia tenentur Populo sibi subdito providere de bonis pastoribus, quam obligationem graviter violant, si vel ineptos eligant, vel electos & constitutos non amoveant, dum possunt: Secus dicendum fateor, casu quo non possent alios magis idoneos, & verè capaces exponere; ubi tamen moneri debent de doctrinæ defectu, eisdemque seriò inculcari, quatenus diligenti studio sese magis perficere, & ad idem munus capaces reddere nitantur. Castropal. *tr.* 23. *Disp. un. pu.* 16. *n.* 10. Bonacin. *Disp.* 5. *q.* 7. *pu.* 4. §. 2. *num.* 6. Babenstuber *tr.* 8. *p.* 6. *Disp.* 6. *a.* 6. *n.* 3.

At quid, si subditus de sua idoneltate ad hoc munus dubitat, tenebiturnè parere suo Superiori, volenti se exponere?

410 R. Affirmativè. Ita cum D. Thoma, Navarro & aliis Laym. *cap.* 13. *num.* 1. Ratio est: quia in dubio parendum est Superiori quamdiu scilicet non certò constat eum illicitè præcipere; ergo & in hoc casu subditus tenetur deponere suum dubium practicum, etsi forsitan omne dubium speculativum, vel timorem excutere non valeat: poterit autem facilè hujusmodi dubium practicum deponere, tum ob præceptum sui Superioris, tum etiam ob approbationem ab Episcopo obtentam, vi cujus manet quasi in possessione suæ idoneitatis, & idcircò potest se tutò resolvere, modò faciat, quantum in se est: secus iterum dicendum foret, casu quo subditus non merè dubitaret, sed certò agnosceret suam inidoneitatem; tunc enim (extra casum necessitatis) à Superiore suo exponi aut obligari neutiquam posset ad hoc officium: certum quippe, & ab omnibus exploratum habetur, nec Superiorem præcipere, nec subditum licitè obedire posse in materia peccati: atqui peccaret talis subditus: ergo &c.

Dices adhuc. Equidem fui approbatus ab Episcopo, nihilominus in praxi me sæpiùs errasse, & hallucinatum fuisse comperi.

411 R. Ergo ampliori studio & diligentia te ipsum perficere teneris, quod quidem facillimè fieri poterit præ primis legendo & relegendo materiam illam, circa quam te errasse comperis, 2. sæpiùs te reflectendo super auditis, & decisiones à te datas, modumve procedendi examinando juxta regulas sanæ Theologiæ, 3. denique alios te doctiores consulendo, & frequentiùs cum ipsis de similibus materiis conferendo &c. &c.

CONFERENTIA

DECIMASEXTA.

De Prudentia Confessarii.

SUMMARIUM.

Confessarius sciat non unam duntaxat, sed diversas opiniones etiam contrarias.

431 *Quibus ex fontibus practica prudentia à Confessario sit haurienda, breviter insinuatur.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria circa prudentiam Confessarii.

QUæres primò, an, & qualis Prudentia in Confessario sit necessaria?

412 R. Prudentiam saltem mediocrem in Confessario necessariam esse ad hoc sublime ministerium, omnes clamitant. Suadet & ratio, nam Confessario vi sui officii incumbit, agere Judicem, Medicum, & Doctorem spiritualem: ergo si in Judice & Medico corporali præ primis desideratur prudentia, idest, circumspectus & discretus modus procedendi in suo munere, idipsum vel maximè in Confessario ceu Medico animarum desiderandum est. Hac de causa Innocentius Papa III. *cap. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss. ait: Sacerdos sit mansuetus ac cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati; quibus prudenter intellectis intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.*

Quæres secundò, ad quænam prudentia Confessarii generaliter loquendo debeat se extendere?

413 R. Generaliter loquendo debet se extendere 1. ad Personam propriam 2. ad alias personas sacro tribunali fortè adstantes. Et denique 3. præcipuè ad personam ipsius pœnitentis. Ratio horum facilè colligetur ex jam dictis, paritate desumpta à Medico corporali; qui, si sit prudens, circumspectè se geret 1. ad seipsum, 2. ad alios, & 3. ad ipsum infirmum; hoc quippe suadet recta ratio, & præcipit ordinata charitas. Verùm

Quæres tertiò. Quomodo prudentia Confessarii sit exercenda erga propriam personam?

414 R. Erga propriam personam prudentia Confessarii vigilare debet, ut candorem animæ propriæ seu conscientiæ illibatè conservet, ne fortè dum aliis prædicat, vel à peccatis exonerare nititur, ipsusmet peccatorum fecibus inquinatus, reprobus efficiatur. Quem in finem juvabit devotis precibus exorare Spiritus Sancti gratiam ceu summè necessariam ad hoc sublime munus. Juvabit insuper, sæpiùs intra se excitare zelum ardentem, ac desiderium procurandi salutem animarum, Deique gloriam adaugendi; id, quod in ipso Confessario nonnullis suspiriis, & actibus, ut vocant, jaculatoriis in cœlum emissis haud difficulter præstari poterit. 2. Insuper prudentia Confessarii invigilare debet saluti proprii corporis, præcipuè in excipiendis Confessionibus infirmorum, contagiosis morbis decumbentium, ne scilicet indiscreto zelo sese exponat periculo infectionis. 3. Denique prudentia suadet, ut ne Sacerdos miris utendo gestibus corporis, aliorum ludibrio & contemptui se exponat, prout se exposuit ille, de quo supra Conf.

Quæres quartò, quænam Confessario circa adstantes sint observanda?

415 R. Prudentia circa adstantes Sacro tribunali vigilare debet circa sequentia 1. ut uniformiter circa omnes ad Confessionem admittendos se habeat, sive pauperes sint, sive divites, nisi infirmitas, vel particularis dignitas, seu conditio personæ aliud suadeat. 2. Ut non nimis latè loquendo faciat peccata pœnitentis aliis innotescere, vel certè præbeat ansam suspicandi de graviori lapsu &c. hoc enim modo ageret contra Sigillum, utique non sine scandalo & tædio audientium.

Quæres quintò, quomodo Prudens Confessarius erga pœnitentem se habere debeat?

416 R. Prudentia circa pœnitentem exercenda est potissimùm in sequentibus punctis, 1. ut eos cautè examinet, si opus fuerit 2. & charitativè instruat. 3. dubia ipsorum solidè resolvat, & 4.

oportuna consilia iisdem subministret. 5. Item ut si adverterit necessarium, eos discretè corrigat, & salubria suggerat media, quibus ad veram peccatorum suorum detestationem inducantur, & ab ulteriore lapsu præserventur. 6. Præcipuè magna cautela & prudentia opus est circa eos, qui videntur esse constituti in occasione proxima, vel qui larvata solùm pœnitentia ducti, veniunt ad confessionem animo seducendi vel saltem aliquid obtinendi &c. prout ampliùs patebit ex resolutione Casuum, proximè adferendorum.

Quæres sextò, an, vel quænam dentur Regulæ prudentiales, Confessario singulariter observandæ, & præ oculis habendæ?

417 R. Dantur utique, & quidem plurimæ, quas omnes libelli hujus angustiæ non caperent. Unde aliquas solùm, quæ principaliores videntur, ego referam, quas solertissimus Gobat *in sua Theologia exprimentali tract. 7. numer. 322. & seqq.* partim ex aliis Doctoribus, partim etiam propria industria & ingenii sui acumine inventas tradit, & sunt sequentes.

I. Aliqua Confessione audita, præsertim in principio, Confessarius apud se consideret, num in re aliqua deliquerit, ut postea caveat.

II. Semper intendat sive instruendo, admonendo, consulendo &c. sive absolvendo, sive etiam pœnitentias injungendo, facere id, quod judicat magis expedire ad salutem pœnitentis, & DEI gloriam.

III. Caveat Confessarius facilè aliquid pronunciare seu decidere esse mortale, quod certò non scit esse tale.

IV. In dubiis quoad restitutionem & similia onera partem benigniorem eligat.

V. Posterior Confessarius præsumere debet, priorem esse bene functum suo officio, utpute examinando, instruendo, &c. nisi clarè deprehendatur errasse.

VI. Primis præcipuè annis hujus ministerii caveat Confessarius, ne illud obeat festinanter, sed potiùs cum mora & maturitate judicii: sic enim faciliùs comparabit sibi notitiam illius admirandæ œconomiæ, quam DEUS partim permittit, partim etiam operatur, exercetque in conscientiis hominum.

VII. Sæpiùs recordetur, se esse Medicum animarum, non corporum, itemque directorem conscientiæ, non familiæ, vel rei domesticæ &c. unde similibus numquam prorsus se immisceat, nisi ad conscientiæ directionem opus sit. Videatur Gobat *l. cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, in quibus prudentia Confessarii singulariter vigilare debet.

CASUS PRIMUS.

Titio Sacerdoti quidam parentes adduxerant puellam, quam à dæmone obsessam dictitabant; quam juvandi causa Titius persuadere nitebatur ad Confessionem deponendam. Verùm ad hanc nullatenus adduci potuit: quin potiùs in mirabiles gestus membrorum, clamores inconditos prorupit, tandemque post plurima & gravia scommata in Sacerdotem ignominiosè prolata, eundem pugnis percutere tentabat. Titio hæc res mira videbatur & suspecta: quare ut evidentius caperet experimentum de vera vel potiùs ficta obsessione puellæ, ejusdem capiti rem profanam, carthæ scilicet folium, sub prætextu sacrarum reliquiarum imposuit; quo facto cùm puella ampliùs & vehementius furere incœpisset, Titius conclusit, eam esse impostricem, quæ falsa & mendosa fictione obsessionis sibi, aliisque illudere attentasset: quare jam non exorcismis sacris, sed baculo hunc dæmonem expellendum existimans, eandem gravissimis verberibus affectam, à se repulit. Quid jam judicii de hoc facto? an prudentiæ regulis conforme?

R. Priùs, quàm ad hunc casum directè respondeam, placuit adnotare aliquot quasi regulas, à Confessario prudenti circa hujusmodi personas observandas. Et certè cum hujusmodi hominibus quàm cau-

cautissimè incedere oportet, ne vel per nimiam credulitatem & confidentiam decepti, aliorum ludibrio exponamur, nevè per nimiam diffidentiam miseros repellendo, oportunis destituamus remediis, sicque afflictis addamus afflictionem, non sine scandalo populi. Itaque Confessarius notet sequentia documenta.

418 I. Hominibus à dæmone obsessis succurrendum est non profanis, sed spiritualibus remediis, uti sunt conjurationes dæmonum & exorcismi ab Ecclesia in hunc finem præscripti. Quia verò sæpe sæpiùs prudenter dubitare licet, an hæc vel illa persona sit revera à dæmone obsessa, vel potiùs fingat se talem; hinc

II. Confessarius, ubi tempus & circumstantiæ permittunt, diligenter expiscetur vitam & mores illius personæ, quæ dicitur obsessa, id quod commodissimè fieri potest per illius parentes, aut alios familiares fide dignos.

III. Accuratè attendat modum agendi, inclinationes, phlegma, & passiones talis personæ.

IV. Advertat studiosè, utrùm in illa non possit deprehendere unum vel alterum signum veræ obsessionis, cujusmodi (juxta mentem Candidi Prognoli & aliorum) sunt sequentia. 1. Si talis homo antea cognitus velut rudis & illiteratus, disputet subtiliter de arduis quæstionibus theologicis, vel philosophicis &c. 2. Vel si perfectè intelligat ea, quæ Confessarius latinè proponit; vel 3. ipse perfectè loquatur linguis peregrinis, quas antea nunquam audivit, vel didicit. 4. Si delirio, phrænesi, vel alio corporis dolore, tumore &c. affectus, vel etiam lumine oculorum privatus, alteriusvè sensus usu destitutus &c. illicò menti vel sanitati restituatur. quamprimùm Exorcista in nome JESU præcipit dæmoni, ut desinat nocere, quintò: cum quis scitur non tantùm per unum, alterumvè, sed per plures etiam dies nihil comedisse aut bibisse, & nihilominus fortis existat, atque pinguis. 6. Si homo de repente, sine ulla præcedenti causa velit sibi mortem inferre, ita, ut se saxis collidat, in ignem mittat, pugnis aut alio instrumento percutiat, nec tamen lædatur vel saltem læsus illicò sine alio remedio sanitati restituatur. 7. Si imaginativæ potentiæ inhonestissima quæque circa Christum, ejusque Sanctissimam Matrem, aliosvè Beatos repræsentent, eodemque tempore vel in phantasia quasi plumbum, aut ferrum candens residere, vel dolor hinc inde per corpus instar formicarum discurrere videatur, atque ad signum crucis illicò aufugiat, seu recedat. 8. Cum quis contra suam voluntatem radicato odio habet Sacramenta, Reliquias Sanctorum &c. Ubi tamen rectè monet Kresslinger *in suo supplemento theolog. mor. R. P. Reiffenstuel ad tr. 14. dist. 8. addit. 3. fin.* cavendum semper esse, ne in similibus interveniat simulata malitia, aut tentatio & suggestio diabolica illicò pro signo obsessionis reputetur.

V. Quodsi autem Confessarius deprehendat aliquod signum dubium & incertum de obsessione, excitata priùs in se firma fide ac fiducia in DEUM, præcipiat dæmoni in nomine JESU Christi, ut det aliquod signum certum suæ præsentiæ. Quando autem huic præcepto etiam repetito nullus correspondet effectus, meritò Confessario ista res poterit esse suspecta, ait idem Doctor.

419 At verò, ubi certis, aut quasi certis indiciis constat, hujusmodi hominem esse verè obsessum à diabolo, poterit Confessarius, excitata priùs tum in se, tum in ipso etiam pœnitente firma fide atque fiducia in DEUM, & procurata conscientiarum puritate, procedere ad conjurationem dæmonis, utendo hac vel simili formula: *In Nomine Domini nostri JESU Christi Ego velut Minister Christi & S. Ecclesiæ præcipio tibi dæmon, & vobis dæmonibus, si aliqui hic estis, ut illicò ab hac Creatura DEI fugiatis, nec revertamini imposterum &c.* Hoc enim modo fieri poterit (si fraus non lateat, & adsint debitæ dispositiones) ut brevi negotio plures liberet, ait idem Kresslinger *cit. addit. 6.*

420 Qui tamen immediatè priùs *addit. scilicet 5. fin.* sapienter monet, ut nullus Sacerdos progrediatur solemniter ad exorcizandum sine licentia Ordinarii, aut,

aut, si est Regularis exemptus, & intra locum exemptum exorcismos publicè adhibere cogitet, absque legitima facultate Superioris: foret enim aliàs magnum periculum, ne effectu optato non secuto, apud præsentes præter se ipsum etiam Sacramentum exorcistatus exponeretur ludibrio, vel saltem minori æstimationi. His jam notatis

421 R. Ad Casum proximè præmissum. Si Titius facta priùs adjuratione dæmonis juxta modum proximè præscriptum puellam nullatenus potuit adducere ad confessionem, sed hujus loco non, nisi convitia, immo & pugnos reportavit, meritò velut suspectam à se repulit; non enim videtur verosimile, quòd DEUS dæmoni tantam relinqueret potestatem, ut is Sacerdotem ritè ac sanctè suo munere fungentem valeat prostituere & quidem cum indigna etiam verberatione. Utrùm autem prudenter egerit, eandem graviſſimè verberando, aliorum judicio relinquo: mihi saltem hic modus videtur minùs conformis mansuetudini Christi, quam quivis Sacerdos, & maximopere Confessarius præseferre deberet. Esto etiam puella ad impositionem reliquiarum fictitiarum cœperit magis furere, ex hoc tamen universaliter, seu etiam infallibiliter non licuit inferre, quòd non fuerit verè obsessa; quia dæmon utpote astutissimus agnitis etiam reliquiis fictitiis, posset nihilominus personam torquere ex eo fine, ut inexpertem decipiat Exorcistam, sicque ab eo exorcismis sacris nunquam ampliùs exagitatus, quiete permittatur in sua possessione. Cautè igitur, & cum multa circumspectione agendum est Confessario cum similibus, veluti ex dictis quisque prudentum facilè colliget.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia post enarrata quasi innumera, eaque gravissima peccata præsertim contra primum, quintum, & sextum præceptum, tandem fassa est, se subjcripsisse diabolo, eique sua addixisse servitia ad tempus 20. annorum, quod proximè exspiraret; insuper conquesta est, se ab illo suo Domino dirissimè, & verè tyrannicè exagitari ad omne nefas, ita, ut diu noctuque nunquam haberet requiem; proptereaque à Confessario nonnullas efflagitavit reliquias sacras, quibus se contra diabolicos insultus muniret. Quid cum tali Persona aget Confessarius?

422 R. Suadet prudentia, etiam cum hujusmodi personis quàm cautissimè, procedendum esse; tum quia aliquæ solùm fingunt se esse tales, & in tam miserando statu, quatenus Confessarium flectant ad commiserationem, sicque ab eo aliquid impetrent; tum etiam quia si re ipsa diabolo subscripserunt, & tot, ac tanta scelera commiserunt, rarissimè redeunt ad Confessionem cum vero dolore & animo se reconciliandi, sed potiùs seducendi Confessarium, aut saltem inducendi in tentationes, vel certè Sacramenta injuriandi, iisdemque abutendi; id quod tunc vel maximè suspicari licet, quando non ostendunt veram displicentiam suorum peccatorum, ita, ut quoties Confessarius satagit eos disponere ad veram contritionem, ipsi vicissim graviora semper ac fædiora peccata reponant, nil volentes audire de dolore. 2. Quando peccata sua, præsertim contra sextum præceptum, tam fædè, physicè, ac luxuriosè, sinè fronte & sine omni verecundia explicant, ut vel audire solùm horrendum sit, neque ad integritatem Confessionis necessarium. 3. Quando consiliis aliorum Confessariorum hactenus non aquieverunt, sed dæmoni potiùs &c. Hæc atque his similia ubi in tali pœnitente deprehenderis, mi bone Confessarie, noli frustra vexari: oleum quippe & operam perdes, in cassum lavando Æthyopem: insuper te ipsum expones evidenti periculo incidendi laqueos diaboli, aut certè gravissimarum tentationum, prout multi Confessarii suo damno docti & experti sunt. Dimittere proin oportet hujusmodi non veraces, sed fictitios pœnitentes, injecta priùs una vel altera Sacræ Scripturæ sententia fulminatrice in peccatores obstinatos.

Econ-

423 Econtra tamen, quando Confessarius pensatis omnibus pensandis prudenter existimat, hujusmodi personam ad se recurrisse cum vero animo se reconciliandi DEO, & excutiendi jugum diabolicum (quod quidem extra articulum aut periculum mortis meo judicio rarissimè contingit) charitas utique Christiana (proprio Pastori etiam justitia) suadebit, ut eidem omni possibili medio ac modo succurrat, & afflictam conetur eripere è faucibus Inferni; quod quidem difficillimum fatentur omnes experti; quia tamen non impossibile, hinc Confessarius, (examinata priùs persona de modo & qualitate superstitionum, præsertim utrùm ex animo fidei christianæ renuntiarit, diabolum adorarit? &c. & utrùm pœnam ab Ecclesia latam non ignoraverit? &c.) conetur adhibere omnem operam circa sequentia. 1. Ut talis persona agnoscere incipiat hostis infensissimi mendacia, fraudes, & falsa promissa. 2. Ut abjurato diabolo fidem, ac spem in DEUM concipiat, quippe qui peccatores omnes ultrò invitat, & ad se reverti volentes recipit, immò amplectitur: eximenda enim est persuasio, multis valdè impressa, quòd propter pactum cum dæmone initum, ab eo ampliùs liberari non valeant. 3. Ut frequenter orent, præsertim lytanias Sanctorum, & alias collectas; quæ, vel si ab ipso pœnitente, vel alio præsertim Sacerdote coram ipso, spiritu fidei fervente recitentur, maximam vim habent ad diabolum repellendum. 4. Etiam frequenter utatur signo crucis; sacrarum imaginum, & S. reliquiarum, item aqua benedicta, agnis DEI, & similibus. 5. Persuadeat eidem, ut sæpiùs confessionem deponat, præsertim apud eundem Confessarium. 6. Ut faciat frequenter professionem Catholicæ fidei, & recitet devotè symbolum Apostolorum. 7. Advertat singulariter, an persona incurrerit excommunicationem, vel alios casus reservatos, ideoque eam valeat absolvere vel non? Et si hoc non valeat, eam vel remittat ad alium tali potestate gaudentem, vel sibi provideat de eadem potestate. Videantur de hac materia Bartholomæus Spineus *de strigibus*, *quæst.* 32. Lessius *libr.* 2. *cap.* 44. *numer.* 5. Delrius *libr.* 6. *disquisit. mag. sect.* 3. *§. quoad interrogatoria*. Layman. *theol. mor. libr.* 3. *tract.* 6. *cap.* 5. *§. un. ubi à num.* 19. per extensum docet, quomodo, & quanta cum cautela cum sagis, à Judice jam captis, vel etiam condemnatis ad mortem sit procedendum.

Dices. At quid si talis persona post factam abrenuntiationem diaboli denuo relabatur, & relapsa sæpiùs redeat ad eundem Confessarium, num deserenda erit velut incorrigibilis?

424 Esto etiam pluries relapsa revertatur, non tamen ob id statim velut incorrigibilis est abjicienda, modò revertatur verè contrita, cum firmo proposito deinceps abstinendi &c. Hæc tamen dispositio colligenda erit ex circumstantiis personæ, conditione sexus, gravitate tentationum, & occasionum labendi &c. Certum quippe est, hujusmodi personas à maligno hoste cæteris graviùs tentari, & nedum minis, sed etiam falsis pollicitationibus atque illicitis vehementiùs infestari, diabolo sæpe sæpiùs etiam in humana specie eis apparente; quorum miserrimæ conditioni utique compatiendum est, &, si pœnitentes revertantur, potiùs compassivo affectu tractandi, & in spem divinæ misericordiæ, in hunc finem particulari devotione exorandæ sunt erigendi, quàm severiori animadversione repellendi, juxta illud piissimi Ascetæ *de imitat. Christi*, *lib.* 1. *cap.* 13. *cum tentato noli duriter agere, sed consolationem ingerere sicut tibi optares fieri*. Secus dicendum foret, quando nulla ampliùs spes probabilis alicujus emendationis apparet, vel quia media à Confessario præscripta nolunt amplecti, vel quia sponte reverti solent velut canes ad vomitum, vel denique quia ipsimet jam omnem abjecerunt spem evadendi laqueos diaboli &c. tunc enim meritò ipsis improperare licet illud Jerem. 59. v. 19. *curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Cumque similibus procedendum est eodem prorsus modo, quo superiùs jam *conferent.* 4. *n.* 107. procedendum diximus.

cum aliis in occasione proxima constitutis; quae si placet, revide.

CASUS TERTIUS.

Cajo Religioso Confessario occurrit (qua sorte nescio) persona, de qua murmur multum exstat in populo; aliis dicentibus, quia bona est, immò sancta; aliis, quia pessima, & Saga. Bona quidem videtur praesumenda; tum 1. quia multo tempore solet vacare orationibus, 2. communicat quasi omni die, 3. subinde abstinet ab omni cibo, tribus aut quatuor diebus, 4. tum quia asserit se non paucas animas è purgantibus flammis liberasse, in cujus testimonium exhibet strophiola semiusta, palmas ac digitos manuum repraesentantia, quae ab animabus illis opem à se efflagitantibus stigmatizata refert. Econtrario non desunt motiva, sanctitatem hujus personae dubiam & suspectam reddentia; eò praesertim, quòd multis inordinatis passionibus, utputa iracundiae, invidiae, garrulitatis foemineae noscatur subjecta. Quaeritur jam, quid Cajo Religioso agendum?

425. Resp. Etiam cum talibus Cajo (immo cuivis Confessario) quàm cautissimè est procedendum, ne per nimiam & indiscretam credulitatem condescendendo & connivendo, se, suamque S. Religionem prostituat, prout incautis jam saepiùs contigisse novimus. Certè non adeò multis abhinc annis persona aliqua mox relata sanctitatis indicia cuncta praeseferebat: vacabat orationibus; sed ut aliis appareret devota: saepissimè communicabat; verùm hostiis consecratis ori sacrilego denuo exeptis, nefandas ad superstitiones abutebatur: abstinebat coram aliis ab omni cibo; at in occulto sese reficiebat: strophiolis, quas ipsa ferrea & ignita manu stigmatizaverat, probare nitebatur, se pluribus animabus purgantibus tulisse opem &c. Tandem verò re meliùs examinata, inventa est Saga, propthereaque vivo combustio enecata, non sine permagna confusione plurium, qui priùs fictitiam hanc sanctitatem super astra extollere gestiebant. Itaque si Caja noscatur certò esse subjecta praefatis passionibus inordinatis, prout fert casus, meritò ipsius sanctitatem licet revocare in dubium, ac proinde Confessario attendendum, ne falsis elusionibus decipiatur; quem in finem juvabit spiritum talis personae probare, & ad sequentes regulas, quae juxta Ascetas & SS. Patres ac DD. probati Spiritus index sunt, velut ad lapidem lydium tentare.

426 Primum igitur veri & probati Spiritus indicium est vera ac solida humilitas, non oris duntaxat, sed cordis potiùs atque operis, vi cujus homo sese vilem reputat, & indignum supernaturalibus & extraordinariis hujuscemodi donis; quo fit, ut talia dona, visiones & gratias pro viribus coram aliis abscondere nitantur, neque plus manifestare solent, quàm pro gloria Dei & animarum salute fit necessarium. Secundum indicium est charitas tum Dei, tum proximi etiam, vi cujus homo verè Sanctus solius Dei gloriam in cunctis quaerit & desiderat, proximumque suum ad virtutum exercitium & omnimodam sanctitatem non verbis solùm, sed etiam operibus excitare nititur. Tertium est obedientia prompta & exactissima qua veraciter sancti moventur ad exequenda incunctanter omnia Superiorum, vel Directorum spiritualium mandata, & quidem ad amussim, nec propriam nituntur explere voluntatem multò minùs proprio judicio pertinaciter inhaerent. Quartum est quaedam solidissima mentis tranquillitas, vi cujus in prosperis aequè ac in adversis semper iidem manent, nec norunt aliis inordinatè indignari multò minùs irasci, aut invidere quodcunque demum bonum. Quintum est patientia in quibusvis adversitatibus tum animae, tum corporis etiam. Sextum amor solitudinis, & silentium tam in- quàm externum. Septimum est quidam Zelus indefessus, & studium magis semper ac magis proficiendi, atque per omnia, & in omnibus Deo placendi.

Plura hujusmodi verae ac solidae sanctitatis indicia in Ascetis passim inveniet prudens & solers Confessarius, juxta quorum normam tum in proprio, tum etiam in poenitentium Spiritu discernendo, sese regulare poterit, immò dictante pru-

prudentia debebit. Videatur P. Kresslinger *in appendice 2. ad tract. 14. dist. 8. theol. mor.* P. Reinffestuel, ubi non minùs eruditè, quàm solidè docet, quomodo à Confessario prudenter tractandi sint illi, qui in confessionali proponunt, se habere extases apparitiones, ac revelationes divinas.

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

427 Colliges ex dictis primò, nec omnem pęnitentium spiritum esse mox reprobandum, neque omnem approbandum; hinc enim Christus ipse *Matth. 7.* nos adhortatur, ut *nobis attendamus à falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*; mox subjungens: *à fructibus eorum cognoscetis eos*. Itaque prudentia & charitate ordinata dictantibus, tam in administratione hujus Sacramenti, quàm etiam in modo conversandi cum pęnitentibus, vel in consiliis dandis, oportet semper habere primum oculum ad majorem Dei honorem & gloriam, & 2. ad salutem propriam, & 3. ad salutem proximi.

428 Colliges secundò, Confessario prudenti vel maximè attendendum esse ad conditionem & statum pęnitentium; aliter quippe exminando, instruendo, admonendo &c. tractandi sunt rudes, aliter doctiores: alia pariter remedia præscribenda sunt hominibus sceleratis, & in vitiis quasi enutritis, alia verò pęnitentibus bonæ indolis; ferè, quemadmodum recta ratione & pruddentia dictantibus, à bonis & peritis Medicis alia medicamenta applicantur, ubi status morbi jamjam invaluit, & matura est debilitata, alia verò ubi morbus advertitur primùm esse in procinctu, & natura adhuc robusta &c. Quare S. Chrysostomus *homil.* 30. rectè ait: *imitandi sunt* (Confessariis) *boni medici, qui non uno curationis modo utuntur, sed cum viderint, primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant.* Quem in finem consuli potest la Croix *lib. 6. part. 2. num. 1794. & seqq.* ubi per extensum docet quidnam observare debeat Confessarius Puerorum; quid Confessarius Adolescentum; quid Rusticorum, & aliorum diversissimorum statuum. Vide etiam dicta superiùs *conf. 2. nu.* 39. & 47.

429 Colliges tertiò pœnitentes bonæ mentis, & salutis suæ admodum cupidos ac studiosos, qui scilicet parati sunt ad amplectenda tutiora, dirigendos esse ad amussim sententiarum rigidiorum: è contra mitiores opiniones, modò adhuc verè probabiles sint, sunt amplectendæ, quando pęnitens advertitur esse vel scrupulosus, vel pluribus sceleribus, animæ periculis, aliisvè obligationibus v. g. restituendi obnoxius, ita ut sapienter credi possit, eum non præstiturum, quæ secundùm rigidiorem DD. opinionem essent præstanda. Ratio horum est: quia Sacramentum pęnitentiæ principaliter institutum est in salutem pęnitentium: ergo ubi Confessarius advertit ad salutem hujus magis profuturum, si dirigatur juxta opinionem minùs rigidam, prudenter omnino aget ita dirigendo Coninck *de Sacram. tom. Disp.* 10. *num.* 71. Bonacin. *de pœnit. Disp. 5. Sect. 3. part. 2.*

430 Colliges quartò, nedum perutile, sed propè necessarium esse, ut Confessarius volens utiliter & fructuosè suo officio fungi, sit non unius duntaxat sententiæ Doctor, qui videlicet illam solummodo norit opinionem, quam forsitan in Schola à suo Professore aliquando didicit, sed etiam sciat plures opiniones inter Doctores controversas, & quænam inter eas rigidior, quænam laxior, quænam item plus, minusvè probabilitatis possideat. Hoc Corollarium sequitur clarè ex proximè dictis: si enim Confessarius non sciat plures opiniones contrarias, quomodo suos pœnitentes secundùm diversas opiniones, magis scilicet vel minùs laxas juxta eorum exigentiam diriget? Vid. Lessius *in præfat. sui operis de Jur. & Just.* Vel Gobat *tract. 7. nu.* 325. qui *eodem tr. nu.* 23. rectè ait, *admodum imperfectè, vel etiam malè & culpabiliter suo fungi officio illos Confessarios, qui vix unquam faciunt vel explicitè vel implicitè hanc reflexionem: quo pacto curabo hunc pœnitentem? quod aut quænam*

nam remedia erunt huic animæ magis proficua?

431 Colliges tandem quintò, hanc practicam prudentiam quærendam, & hauriendam esse sequentibus ex fontibus. 1. ex Unctione S. Spiritus, quam ferventibus precibus exposcere necessum est. 2. ex reflexione super auditis confessionibus, & diligenti inquisitione dubiorum inde conceptorum. 3. ex colloquiis, repetitionibus seu etiam discursibus cum peritis hujus ministerii. 4. ex lectione non perfunctoria Authorum, qui breviter atque practicè tractant de hoc ministerio, quales sunt Polancus, Fornarius, Loartes, Reginaldus *lib. 2. fori pœnit.* item *in peculiari libello, quem scripsit de prudentia Confessarii*. Ludovicus de ponte *tom. 4. de perfect. christiana tract. 5.* aliique plures etiam Moralistæ; quos inter haud postremum locum sibi vendicat noster P. Sporer utpote maximè practicus.

CONFERENTIA

DECIMASEPTIMA.

De Modo examinandi pęnitentem, & de defectibus emendandis, in Confessionali fortè commissis.

SUMMARIUM.

432 *Confessarius subinde tenetur examinare pœnitentem;*

433 *Idque regulariter loquendo statim, quando advertit defectum.*

434 *Examen tamen prudens & discretum sit, oportet.*

435 *Subinde dissimulatis interrogationibus prudenti præsumptioni potest dari locus.*

436 *Errores alii contingunt circa essentialia, alii verò circa accidentalia, seu extra essentialia tantùm.*

437 *Quid Confessario agendum, quando erravit circa essentialia cum invaliditate Sacramenti?*

438 *Et quid, si stante valore solùm erravit accidentaliter, sine damno tertii.*

439 *Quid, si errando culpabiliter exstitit causa positiva alicujus damni tertio secuti?*

440 *Quid denique agendum incumbat Confessario, ubi negativè solùm damnificavit tertium v. gr. non monendo pœnitentem de obligatione satisfaciendi &c.*

441 *Resolvitur Casus I de Confessario, examinante juvenem de pollutione &c.*

442 *Qui propterea minùs cautè quàm oportuisset, videtur processisse.*

443 *Et quomodo interrogandi juvenes, se accusantes de tactibus impudicis, deliberatè quidem, sed ex curiositate tantùm factis?*

444 *Resolvitur Casus II. Confessarii, qui ex errore resolvit matrimonium valere, non obstante copula carnali perfecta, habita cum consanguineo sponsi in secundo gradu.*

445 *Quænam observanda, ut Confessarius hunc errorem prudenter corrigat?*

446 *Et quid agendum, si Confessarius non agnoscat talem personam, vel agnitam non possit convenire aut monere.*

447 *Resolvitur Casus III. alterius Confessarii, qui erroneè jussit pecuniam furtivè ablatam expendi ad piam causam superstite adhuc hærede defuncti.*

448 *Quomodo talis error practicè sit emendandus.*

449 *Onus examinandi primariò incumbit ipsi pœnitenti, Confessario verò secundariò duntaxat;*

450 *Quocirca Confessarius potest dupliciter errare, scilicet 1. vel per excessum, vel 2. per defectum.*

451 *Circa modum examinandi pęnitentes nequit tradi una regula universalis.*

452 *Semper tamen terminis honestis utendum est, præsertim cum personis honestis & innocentibus.*

453 Et

433 *Et 454 Quid agendum, ubi Confessarius scit pœnitentem commisisse aliquod crimen, quod tamen ipse non exprimit.*
455 *Errores à Confessario commissi, quamprimùm emendandi sunt, saltem per se loquendo.*
456 *Ab onere correctionis excusat moralis impossibilitas.*

§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de modo examinandi pœnitentem, & errores emendandi.

QUæres primò utrùm Confessarius teneatur aliquando examinare pœnitentem?

432 R. Tenetur sine dubio, idque vel maximè tunc, quando advertit pœnitentem ex ignorantia vel oblivione non satis expressisse numerum aut species vel circumstantias peccatorum, vel non adhibuisse diligentiam debitam in examinando propriam conscientiam &c. Ita *communissima* DD. Herincx *de pœnit. disp. 5. num. 55.* Et habetur clarè decisum *cap. omnis utriusque sexus. de pœnit. & remiss.* Ubi dicitur: *si pœnitens numerum, & species, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.* Ratio autem hujus constitutionis fuit hæc: quia Confessarius tenetur procurare integritatem hujus Sacramenti quantum moraliter potest, idque tum propter reverentiam hujus Sacramenti, tum etiam propter salutem ipsius pœnitentis: ergo pariter tenetur prudenter interrogare, quando pœnitens deficit &c. Et quoniam doctiores, utputa Theologiæ præsertim moralis studiosi, Clerici item ac Religiosi, regulariter sese satis explicant; hinc nunquam sunt examinandi aut interrogandi, nisi ex circumstantiis manifestè appareat contrarium, quòd scilicet numerum & speciem non satis expresserint, prout subinde nonnulli faciunt, qui nomen quidem doctorum præseferunt, rem verò minimè. Similiter personæ, etsi non doctæ, nihilominus in rebus salutem animæ concernentibus satis versatæ, uti regulariter esse solent civitatenses, non sunt multis quæstionibus exagitandæ, sed potiùs præsumendum, quòd sint dispositæ; secùs enim non accederent ad hoc Sacramentum. Nihilominus rudiores, quales regulariter esse solent rustici ac plebei (nisi constet ex modo confitendi, eos esse satis instructos) communiter debent examinari & adjuvari circa expressionem suorum peccatorum; quandoquidem ordinariè loquendo soleant imperfecto duntaxat modo sua peccata exprimere quantùm ad numerum & species.

Quæres secundò, quando sint interrogationes faciendæ?

433 Resp. Cum Lugone *Disp. 22. Sect. 2. num. 15.* & aliis, communiter & ordinariè (præsertim in confessionibus è scripto factis vel longioribus, ubi Confessarius meritò timere potest, ne differendo interrogationes forsan plurium obliviscatur, vel certè pœnitentem non sine magna molestia cogat repetere longam confessionem) satiùs esse, ut Confessarius suaviter eum interpellando, successivè ubi opus est, adjuvare studeat, & ejusmodi necessarias interrogationes quoad numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantes, immediatè singulis peccatis substituat. Et hoc eò magis: quia frequenter ipsemet pœnitens post longius intervallum non statim de singulis peccatis confessis se potest reflectere; vel saltem de novo confunditur, si jubeatur eadem peccata repetere atque enumerare singillatim. Videantur dicta superiùs *conf. 10. n. 258.*

Quæres tertiò, quomodo interrogationes sint formandæ à Confessario?

434 Resp. Prudenter ac discretè; ita enim præscribit Innocent. III. *cap. omnis utriusque sexus &c.* Itaque 1. examen non debet esse curiosum, nec interrogari ea, quæ non concernunt numerum substantialem, peccatorum species, vel circumstantias speciem mutantes, aut saltem notabiliter aggravantes. 2. Debet esse ordinatum, & accommodatum statui atque conditioni pœnitentis, ita scilicet,

ut

ut is examinetur 1. per præcepta decalogi, 2. per præcepta Ecclesiæ, & 3. per septem peccata capitalia &c. & quidem quoad eas solùm species, quas incidisse prudenter credi potest, vel suspicari licet. 3. Non debet examen esse nimis molestum, nec nimis scupulosè indagandum est in quaslibet species & numerum peccatorum, tum præsertim, quando pœnitens multis peccatis est obnoxius, vel à longo tempore non fuit confessus &c. modò Confessarius statum ipsius habeat satis perspectum. Quartò, denique examen circumspectum debet esse, & verecundum, præsertim circa materiam lubricam, ne Confessarius semetipsum exponat periculo, vel saltem pœnitentem, & is inde addiscat, quod meliùs ignorasset, de quo mox infra pluribus.

Quæres quartò, utrùm Confessarius aliquando (dissimulatis interrogationibus) solis præsumptionibus innixus licitè procedat ad dandam absolutionem?

435 R. Potest subinde prudenti præsumptioni locus dari. Ratio est: quia si Confessarius omnia & singula tam exactè & ad amussim teneretur examinare, Sacramentum redderetur nimis odiosum tam pœnitenti, quàm etiam Confessario: non est autem verosimile, quòd Christus cum tanto rigore voluerit hoc Sacramentum instituere. Atque hinc quando mulier fatetur fornicationem, juxta Sanchez & alios prudenter præsumitur seducta, & non seduxisse; etenim ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio. Ob eandem rationem studiosus accademicus confessus fornicationem, prudenter præsumitur non esse illigatus aut matrimonio, aut voto castitatis, nisi occurrat peculiaris causa de hoc dubitandi & consequenter interrogandi. Similiter quando pœnitens abhorrens à mortalibus confitetur, se turpi cogitationi, habenti turpem motum, negligenter restitisse bis aut ter, prudenter præsumitur, hanc negligentiam non fuisse mortalem; quemadmodum è contrario, quando pœnitens certò agnoscitur esse valdè lubricus homo, & de tali negligentia se accusat, prudenter præsumeretur eam negligentiam fuisse mortaliter peccaminosam, sine ulteriori scrupuloso examine, an illa negligentia habuerit adjunctam complacentiam in ea voluptate; uti advertit Gobat *tract. 7. num. 338. fin.*

Quæres quintò, an, vel quando Confessarius teneatur corrigere errores in confessionali fortè commissos?

436 Ante responsionem advertendum est, errores posse committi vel 1. circa substantiam seu ipsa essentialia ad hoc Sacramentum requisita, ideoque cum invaliditate & nullitate ipsius, ut si Sacerdos obliviscatur formulæ absolutionis, aut eam substantialiter mutet, vel si careat potestate jurisdictionis in pœnitentem &c. Vel 2. potest error committi præcisè circa accidentalia seu non essentialia, v. g. circa integritatem materialem; utpute si Confessarius non interrogavit, vel non intellexit numerum, aut species peccatorum, vel quando non monuit, aut non debitè, instruxit pœnitentem ubi debuisset, vel vicissim, quando eum omnino sinistrè docuit v. g. declarando matrimonium esse validum quod revera propter impedimentum dirimens non subsistit; vel quando dixit aliquid esse licitum, quod revera sine peccato fieri nequit, vel vicissim &c. Quocirca specialiter notandum, hujusmodi errores fieri posse cum, vel sine præjudicio & damno pœnitentis, aut alterius tertii; item fieri possunt bona, aut mala fide. Hoc notato

437 R. primò. Quando error contigit cum invaliditate Sacramenti, & quidem cum gravi culpa vel ignorantia culpabili & vincibili, tenetur Confessarius etiam cum gravi suo incomodo illum corrigere, & (petita priùs licentia loquendi aliquid concernens præteritam confessionem & animæ salutem) pœnitentem desuper admonere. Ratio est: quia Confessarius hìc supponitur sua culpa graviter damnificasse pœnitentem, eundem fraudando gratia Sacramentali, & non sine periculo animæ in statu disgratiæ relinquendo: ergo sibimet imputare debet, quòd cum gravi suo incommodo, vel etiam confusione hoc onus correctionis subire cogatur. Econtra quando talis error

ror contingit inculpabiliter, utputa ex invincibili ignorantia, vel naturali oblivione, aut distractione, tunc non adstringitur Confessarius ad illius emendationem cum suo gravi incommodo (quale juxta multos censetur illa confusio & infamia in Confessarium inde redundans) Excipiendum tamen est: nisi pœnitens propterea esset expositus periculo æternæ damnationis, utputa si constitutus in statu disgratiæ, simul versaretur in articulo vel periculo mortis, in quo nunquam amplius percipiet absolutionem, vel aliud Sacramentum; in hoc quippe casu Confessarius salutem æternam pœnitentis teneretur præferre proprio honori, famæ, vel alteri etiam incommodo temporali, licèt gravi, prout jam suprà *Confer.* 2. *num.* 34. dictum fuit, & cum *communi* aliorum docet Babenstuber *tr.* 8. *pag.* 6. *dist.* 6. *art.* 6. *num.* 14.

438 R. secundò. Quando stante valore Sacramenti error contigit duntaxat circa accidentalia (sine omni alio damno tertii) tunc non tenetur Confessarius ad corrigendum hunc errorem cum suo gravi incommodo vel prostitutione. Ratio est: quia pœnitens nihilominus saltem indirectè fuit absolutus à suis peccatis, hoc ipso, quòd error supponatur fuisse duntaxat accidentalis. Tenebitur tamen ad agendam pœnitentiam si culpabiliter erravit; Uti Lugo, Aversa, Sporer *de pœnit. num.* 803. la Croix *cit. num.* 1779. Tambur. & alii communiter docent.

439 Dixi tamen per parenthesin; *sine omni damno tertii* &c. Etenim quando talis error contingit cum præjudicio alterius, tunc potissimùm attendendum est, an Confessarius culpabiliter vel inculpabiliter erraverit? item an hujus damni exstiterit causa positiva, veluti contingit, quando positivè influit v. g. dicendo, pœnitentem non teneri ad restitutionem, ubi is tamen verè teneretur: an verò solùm exstiterit causa negativa damni, veluti contingit, quandò non monet pœnitentem, vel illum non obligat ad satisfaciendum parti læsæ, ubi revera teneretur satisfacere vel restituere. Itaque dicendum, quòd Confessarius, qui positivè & culpabiliter influxit in damnum tertii, teneatur cum suo etiam non exiguo incommodo errorem corrigere, & quidem ex justitia, ita, ut in defectum pœnitentis ipse maneat obligatus ad reparandum hujusmodi damnum. Ratio est: quia omnis positivè & culpabiliter alium damnificans peccat contrà justitiam, & ipso facto contrahit obligationem compensandi damnum illatum: at supponitur Confessarius culpabiliter positivè & graviter damnificasse: ergo tenetur damnum reparare. Secus dicendum foret, ubi error contigisset solùm inculpabiliter, tunc enim (esto adhuc probabiliter ex justitia, & cum aliquali suo incomodo) non teneretur cum tam gravi incommodo errorem corrigere, ac si mala fide errasset.

440 Econtra quando Confessarius non influxit positivè in damnum tertii, sed negativè duntaxat, idque ex inculpabili errore, ignorantia, vel oblivione &c. non tenetur errorem corrigere cum gravi suo incommodo vel erubescentia, multò minùs ipse restituere aut damnum compensare, quippe cujus causa positiva non exstitit: licèt secundùm multorum opinionem ex justitia, aut certè ex charitate cum suo incommodo non levi teneatur errorem corrigere meliori modo, quo potest, v. gr. saltem admonendo pœnitentem suæ obligationis contractæ &c. quando culpabiliter erravit & causa negativa damni exstitit. Babenstuber ubi supra. La Croix *numer.* 1781. Sporer *cit. numer.* 805. Kreslinger *additione secunda ad dist.* 8. P. Reinffestuel *post numer.* 26.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de modo examinandi, & errores commissos corrigendi.

CASUS PRIMUS.

Titius Juvenis conscientiam suam exonerando accusabat se in hunc modum: aliis turpia agnomina imposui: in Ecclesia garrivi: sacrum neglexi: distractus etiam fui sub precibus, meisque Parentibus & Praeceptori non semper obtemperavi: in Ecclesia aliquoties circumspexi, & me ipsum tetigi; aliàs nihil. Audita hac narratione peccatorum. Confessarius quaesivit ex ipso, utrùm ad hujusmodi tactus fuerit etiam subsecuta pollutio? An bene? vel quid facto opus in tali casu?

441 R. 1. Interrogatoriis opus esse in hoc casu, nemo non videt, at cautè formandis, utì mox patebit. Et in primis quidem interrogandus erat Titius, utrùm sacrum neglexerit in die feriali tantùm, an verò in die festivo? Et si hoc culpabiliter, tenebatur etiam fateri numerum, an scilicet semel tantùm, an verò saepiùs id contigerit. Reliqua allata non videntur excedere culpam venialem, aut certè practicè loquendo communiter fieri solent ab hujusmodi juvenibus sine gravi peccato; quam ob rem non erat opus illorum numerum ac species scrupulosiùs indagare. Illud ultimum tamen, quòd scilicet se ipsum tetigerit non caret difficultate. Cùm enim potuerit peccare mortaliter, hinc necessariò indaganda erit veritas: & quia simul ex modo accusandi videtur adhuc innocens juvenis, hinc pariter timendum ne ex interrogatoriis, minùs cautè formatis sumeret ansam aliquid tentandi, quod hactenus nunquam tentavit. Atque ideò

442 R. secundò. Confessarius non bene fecit illicò formando hanc quaestionem, *utrùm scilicet ex tactibus fuerit subsecuta pollutio?* Quid si enim talis juvenis re vera adhuc innocens ignoret & rem & nomen pollutionis, nunquid audiens à Confessario, ex tactibus natam esse sequi pollutionem, mox sumet occasionem vel à Confessario ipso, vel ab aliis indagandi, quid sit pollutio? aut quo modo nata sequi? aut certè hanc rem experiri volens tentabit: expertus autem quot, putas, committet peccata? Utinam hoc non saepiùs jam, quàm par est contigisset, & quidem cum summo animarum detrimento. Cautè igitur mi Confessarie! immò quàm cautissimè procedendum est in modo interrogandi cum iis, qui adhuc sunt, aut saltem videntur innocentes; quod, ut debitè fiat, interrogatoria ita formes oportet, ut penitens semper cogatur se ipsum explicare, & edicere ea, quae jam novit, non autem ex modo interrogandi discat aliquid, in hac materia quod hactenus sanctè ignoravit; & deinceps meliùs ignoraret. Meliùs itaque fecisset Confessarius in nostro hoc casu, si interrogasset Titium juvenem, quare, vel ex quo fine se ipsum tetigerit? tunc enim procul dubio ex responsione penitentis facilè potuisset colligere, an is peccaverit graviter; vel non. Caeterùm quod hìc de modo examinandi juvenes diximus, idipsum de modo examinandi puellas intelligas velim.

Dices. At quid, si talis juvenis respondeat, se hujusmodi tactus deliberatè quidem, sed ex curiositate tantùm exercuisse?

443 R. Ergo interroga, utrùm non simul habuerit malas seu etiam lascivas cogitationes? si hoc neget, tu fidem adhibe. Simul tamen dehortare ab hujusmodi mala curiositate, ne fortè majora peccata incidendo, gravius animae damnum inde incurrat. Si autem fateatur, se simul habuisse cogitationes lascivas, ulteriùs insta, quaerendo, an etiam desideraverit aliquid mali perpetrare? Et si hoc: praeter numerum, quoties scilicet id contigerit? etiam tenebitur fateri speciem & circumstantias objecti concupiti, an scilicet concupiverit personam solutam, vel ligatam &c. Item interroga, an praeter solas illas cogitationes & desideria nihil aliud opere ipso perpetraverit aut deliquerit? Quo facto haud difficile erit ex.

ex responsionibus pœnitentis colligere, species & numerum peccatorum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia petiit à Confessario utrùm validè posset nubere suo sponso Causam dubitandi allegabat sequentem: quòd scilicet jam sæpiùs peccaverit carnaliter cum consanguineo sponsi in secundo gradu, etsi inde nunquam evaserit gravida; cui Confessarius respondit, posse nubere; tum quia crediderat copulam non esse perfectam, nisi mulier concipiat itaut evadat prægnans; tum etiam quia putaverat impedimentum affinitatis non se extendere ultrà primum gradum; sed paulò post non nihil anxius & dubius de veritate hujus resolutionis inquisivit in authoribus, moxque deprehendit, se errasse, quare jam dubitat, quid sibi agendum.

444 R. Si Sempronia habuit copulam perfectam (pro qua in foro externo stat præsumptio, & in interno pariter præsumendum est, nisi de opposito constet, utpute quia data opera impedivere conceptionem &c.) Confessarius utique erravit, & quidem errore valde crasso ac culpabili. Idcirco ex hac suppositione (copulæ scilicet perfectæ) tenetur omni modo moraliter possibili corrigere hunc errorem.

At quo modo hunc emendabit?

445 R. Ante omnia advertat, sitnè matrimonium jam contractum, aut certè proximè contrahendum, vel non? si jam est contractum, vel contrahendum proximè, relinquat sponsos in bona fide, & interea laboret quantocyùs vel Romæ, vel ab Episcopo procurare dispensationem: qua obtenta petat à Sempronia licentiam aliquid loquendi cum ipsa ratione præteritæ confessionis &c. Hac rursus impetrata eidem intimet nullitatem matrimonii, simulque dispensationem jam actu obtentam, moxque conetur eam inducere ad revalidandum matrimonium eo modo, quem dedimus *parte tertia de Matrim. Confer.* 14. *num.* 349. Nec enim oportet aut consultum est, ut ante obtentam dispensationem de nullitate matrimonii admoneantur; quia versantur in evidentissimo periculo peccandi formaliter, & certò certiùs non exspectata dispensatione peccabunt formaliter, qui in bona fide relicti interim utendo matrimonio putaticio solùm peccassent materialiter. Attamen si matrimonium nondum sit contractum, neque proximè contrahendum, Confessarius tenebitur candidè fateri, se rem aliter invenisse indagando in authoribus, ideòque matrimonium fore nullum, nisi priùs obtinuerint dispensationem.

Quodsi neque hoc possit facere, moneat saltem & suadeat Semproniæ, quatenus hæc circa dubium conscientiæ nuper sibi propositum velit consulere alium Confessarium, virum doctum; à quo procul dubio mox edocebitur de contracto impedimento, & nullitate matrimonii inde consecutura; vel etiam juvabitur consiliis, aut impetratione necessariæ dispensationis. Videatur Layman *theol. mor. l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *n.* 6. *&* 7.

Dices adhuc. Sed quid, si Confessarius supponatur non nosse Semproniam, aut certè ignoret ubi moretur, vel ob aliam causam v. g. ob periculum infamiæ, suspicionum, aut læsionis sigilli Sacramentalis &c. nequeat eidem intimare nullitatem?

446 R. Hoc supposito rem totam commendet Deo, eundem instanter rogando, quatenus velut bonus pastor errantem oviculam velit dirigere ad alium, à quo juvetur, sicque peccata etiam materialia impediantur. Meritò tamen de suo hoc tam crasso & culpabili errore aget pœnitentiam, &, ne deinceps simile quid contingat, satagat diligentiori lectione moralium sese perficere, & deinceps cautiùs resolvendo procedere in simili casu.

CASUS TERTIUS.

Cajus cuidam Principi notabilissimam summam, scilicet ultra bis mille florenos clam subtraxerat; & quia dictus Princeps diem suum jamjam obierat, etsi relicto hærede necessario, hinc Confessarius

rius eundem obligavit, ut præfatam summam expenderet ad piam causam, nempe ad restaurationem certi cujusdam Monasterii; quod & factum. Haud multò post idem Confessarius hoc consilium vel potiùs mandatum à se datum cuidam alteri narravit, à quo mox audivit, se graviter errasse. Jam verò dubitatur, an Confessarius teneatur, hunc errorem corrigere?

447 Resp. Procul dubio tenetur etiam ex justitia hunc errorem corrigere. Ratio est: quia obligando Cajum ut pecuniam hanc impenderet ad piam causam, hæredem, cui erat debita, positivè damnificavit, & licèt supponatur id fecisse bona fide, credendo se per hoc opus sanctissimum præstitisse, nihilominus de facto ubi jam scit se errasse cum damno hæredis &c. non ampliùs est in bona fide: ergo ex justitia tenetur errorem corrigere, secùs enim meritò præsumeretur, immo & convinceretur velle damnum injustè causatum continuare, veluti rectè docent cum Lugone la Croix *lib. 6. part. 2. num.* 1780. & rursus ex professo *lib. 3. p. 2. num.* 353. Navarr. Sanchez, Cajetanus & alii.

At, quo modo (inquies) emendabit hunc errorem?

448 R. Practicè sic procedat: petat à Cajo licentiam loquendi cum ipso aliquid ob præteritam confessionem; qua obtenta doceat eundem, quod præfata pecunia non ad piam causam sit, seu etiam fuerit expendenda, sed hæredi restituenda, ideoque à Monasterio repetenda. Et certè tenetur Monasterium illam nondum expensam seu moraliter consumptam restituere, vel si jam sit expensa in fabricam, tenetur refundere tantum, quantum evasit ditius ex illa. At verò si pecunia non ampliùs possit repeti ab illo Monasterio, persuadeant saltem, aut curent persuaderi hæredem, quatenus is velit gratis condonare, utpote bona fide jam expensam ad piam causam. Quodsi si ne hoc quidem fieri valeat absque periculo diffamationis, aut fractionis sigilli, rem totam commendent Deo, diligenter orando, ut is largiori sua benedictione velit hæredi innocenti damnum resarcire. Confessarius enim non tenetur illud damnum resarcire; cùm suadendo supponatur processisse bona fide, nec commisisse culpam theologicam gravem: etsi juxta probabiliorem opinionem adhuc teneatur Cajus: & in hujus defectum teneretur Confessarius, si mala fide & temerè cum culpa Theologica gravi pœnitentem obligasset &c. Videatur la Croix *ll. citt.* Cardenas *in 2. Crisi Diss.* 23. *num.* 141.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

449 Colliges ex dictis primò, onus examinandi per se ac primariò incumbere ipsimet pœnitenti: econtra Confessario solùm incumbit, suis interrogationibus supplere ignorantiam, seu etiam defectum pœnitentis. Unde, quemadmodum pœnitens non obligatur ad exquisitissimam industriam in examinanda sua conscientia; ita & Confessarius non tenetur exactissimè, sed suavi & humano modo, statui pœnitentis accomodato inquirere in speciem & numerum delictorum. Videatur de hoc Clericatus *de pœn. dec.* 36. *n.* 6.

450 Colliges secundò, in modo interrogandi dupliciter errari posse à Confessario. 1. per excessum. 2. per defectum. Priori modo errant, qui strictissimè examinant omnia peccata etiam venialia, eorumque circumstantias: & à fortiori, qui quadam curiositate ducti subinde interrogant ea, quæ non pertinent ad integritatem confessionis, utputa domum, familiam, nationem, nomen &c. Secundo modo, per defectum scilicet errant quidam alii rudes & indocti Confessarii, dum vel nihil omnino, vel generaliter solùm inquirunt in species aut numerum peccatorum. Ratio est clara: quia tales non satis, aut certè non debito modo provident reverentiæ, vel integritati hujus Sacramenti.

451 Colliges tertiò, circa modum interrogandi pœnitentes præscribi non posse unam aliquam regulam universalem omnibus pœnitentibus accommodatam. Ratio est: quia non omnes pœnitentes re-

reperiuntur æqualiter instructi, neque eodem modo sese explicare consueverunt: hac de causa diximus, strictius examinandos esse homines rudes; quàm alios cultiores de plebe; iterumque majori cum cautela & circumspectione, præsertim in materia lubrica procedendum esse cum juvenibus ac puellis innocentibus, quàm cum aliis adultis, in materia satis, forsitan etiam nimium quantum versatis & practicis. Ratio clara est: quia circa hos posteriores non est tantum periculum scandali, quantum est circa priores, scilicet innocentes. Qua ratione ductus Coninck *Disp. 7. de Sacram. dub. 7. numer. 56.* rectè dixit, præstare aliquando, Sacerdotem peccatum minùs perfectè intelligere, quàm vel pœnitenti, vel sibi aliquod scandalum creare, aut esse nimium. Vid. D. Bonaventuram *in Confession. cap. 2. part. 1.* Herincx *disp. 5. num. 57.*

452 Colliges quartò, in examine quoad materiam lubricam semper incipiendum esse à cogitationibus, an scilicet hujusmodi cogitationibus pœnitens præbuerit consensum? quando autem pœnitens negat se eisdem præbuisse consensum, non est ulteriùs examinandus, utrùm non peccaverit ipso opere carnali; si enim immunis sit à consensu in aliquid turpe, multò magis immunis erit ab ipso opere turpi seu carnali: nisi forsitan pœnitens ita rudis sit, ut non credat lasciva desideria aut cogitationes esse malas &c. nisi opus ipsum subsequatur, prout revera aliqui credunt, uti experientia jam sæpius didici. At verò quando pœnitens fatetur, se pravis hujuscemodi cogitationibus assensum præbuisse, ulteriùs interrogandus est, an desideraverit opere ipso peccare? & si hoc fateatur, rursus tenetur exprimere objectum saltem quoad substantiam, uti jam sæpiùs fuit inculcatum. Ex quo patet in modo examinandi hanc materiam quasi gradatim esse procedendum, scilicet de cogitationibus ad desideria, de desideriis ad oscula, de osculis ad tactus impudicos, & de his tandem ad ipsum opus carnale, sed intra limites honestatis ac modestiæ. V. de Reiffenstuel *Theolog. mor. tr. 24. dist. 18. nu. 38.*

Quocirca etiam sapienter advertit Sporer *num. 794. fin.* consultum esse, ut personæ de aliquo crimine, sive in materia carnis, sive in alia priùs examinentur generalioribus terminis v. gr. utrùm nihil turpe commiserint? etiam secum ipsis? &c. an nulla superstitione usi sit? an non gerant inimicitias? an non possideant alienum? an Uxor in justis rebus obedierit suo Marito? &c. quia honestæ Matronæ de actu conjugali specificè interrogandæ non sunt, & certè vix unquam sine offensa de hoc possent interrogari.

Dices adhuc. Sed quid agendum, ubi pœnitens reticet, vel etiam interrogatus omnino negat peccatum, quod tamen Confessarius certò novit, ab eo fuisse commissum?

453 R. Cum distinctione. Si enim Confessarius supponatur illud agnovisse ex sola confessione complicis, potest quidem, & debet saltem indirectè, & quasi à longè inquirere in illud peccatum; ne forsitan clariùs inquirendo manifestet, se hujusmodi notitiam jam comparasse ex confessione complicis; quod utique sine læsione sigilli fieri nentiquam posset. Unde etiam dum pœnitens negat se hoc aut illud peccatum perpetrasse, absolvendus est, saltem sub conditione, uti jam diximus *part. 1. de Ministro Sacram. conf. 2. num. 44.* quia cùm pœnitens in hoc foro sit actor simul & reus, eidem tam pro, quàm contra se ipsum loquenti fides est adhibenda, uti rectè cum *communi* DD. tradunt Herincx *cit. disp. 5. de pœnit. num. 56.* Tannerus *tom. 4. d. 6. qu. 7. num. 99.* Gobat & alii.

454 Secus dicendum foret, casu quo Confessarius hujusmodi peccatum non ex confessione complicis, sed aliunde, utputa ex certa relatione, vel quia ipse præsens interfuit peccanti, novit: hoc enim supposito si pœnitens interrogatus peccatum suum sine causa protervè & malitiosè neget, velut indispositus & indignus beneficio absolutionis est privandus, secundùm *omnes*.

455 Colliges quintò, errores à Confessario, sive culpabiliter, sive etiam inculpabiliter admissos, quàm primùm moraliter fieri potest, esse corrigendos. Quare

dum Confessarius ante prolatam absolutionis formulam advertit, se non satis intellexisse numerum aut speciem peccatorum, tenetur adhuc priùs quàm absolvat, interrogare; quod tamen cautè faciendum, ne alii rem intelligentes & audientes vel videntes &c. malè suspicentur de pœnitente. Similiter ubi advertit, se non monuisse in iis, quæ erant admonenda, tenetur monere priusquàm è confessionali discedit pœnitens. At verò si primùm recordetur talis defectus, posteaquam pœnitens jam discessit, communiter loquendo ad nihil aliud tenetur, quàm ad agendam pœnitentiam, si culpabiliter erravit. Ratio est: quia sententia semel prolata velut Judex spiritualis jam functus est suo officio: ergo non ampliùs tenetur causam examinare, & statum rei cognoscere; etsi Lugo & Dicastillo apud Gobat *tract.* 7. *num.* 296. velint, quòd si idem pœnitens posteà redeat, in alia confessione debeat admoneri de defectu commisso; eò quòd omnis Confessarius teneatur dare operam, ut pœnitens fateatur omnia confitenda. Vide Suarez *disp.* 23. *Sect.* 6. Lugo *disp.* 22. *nu.* 73. Dicastillo *disp.* 10. *n.* 529.

456 Colliges tandem sextò, ab onere corrigendi, seu emendandi errores admissos excusare moralem impossibilitatem, quemadmodum hæc excusat ab aliis oneribus juxta vulgarem & receptissimam regulam *VI. Juris in 6. de R. J. Nemo potest ad impossibile obligari*. Et certè, si Christus ad hoc obligasset non obstante morali impossibilitate, videri posset nimiùm aggravasse jugum Confessariorum, aliunde satis onerosum. Cæterùm an, vel quando interveniat moralis impossibilitas, prudenti judicio discernendum relinquitur, pensata ex una parte reverentia Sacramenti, & ex altera parte periculo, seu etiam damno animæ, nec non periculo confusionis ac prostitutionis subeundæ à Confessario: quo fit, faciliùs excusari Confessarium ab hoc onere, quando Sacramentum fuit validè administratum, quàm ubi fuit frustratum, non sine periculo pœnitentis. Cavvendum nihilominus est, ne mentiatur iniquitas sibi, & dicendo grave periculum, ubi revera tale non subest.

CONFERENTIA

DECIMAOCTAVA.

De Obligationibus, & officio Confessarii.

SUMMARIUM.

457 *Generatim loquendo Confessario incumbit triplex obligatio, & quæ illa?*

458 *Confessarius tenetur procurare rectitudinem judicii, idque tribus potissimùm modis, scilicet 1. examinando, modo explicato mox præcedenti conferentia;*

459 *Item 2. instruendo ignorantes;*

460 *Et 3. adhortando salubriter eos, quos ex parte voluntatis advertit vel indispositos, aut saltem minùs dispositos.*

461 *Insuper obligatur Confessarius ex justitia pœnitentem ritè confessum & dispositum absolvere, at non indispositum.*

462 *Resolvitur Casus I. de quodam pœnitente satis malitioso, at non satis versato in iis, quæ sunt ad salutem necessaria; quem propterea Confessarius dimisit sine absolutione.*

463 *Quo modo tales adjuvandi sint, & instruendi à Confessario.*

464 *Resolvitur Casus II. cujusdam Mulieris, cui Confessarius ob impotentiam Mariti interdixit omne commercium carnale.*

465 *Utrùm hæc à Judice condemnata potuerit viro suo cohabitare, eidemque licitè reddere, vel etiam petere debitum.*

466 *Occurritur cuidam instantiæ in contrarium allatæ.*

467 *Resolvitur Casus III. cujusdam Confessarii, qui multos pueros atque puellas sine absolutione cum sola benedictione dimisit.*

468 Rur-

468 *Rursus alteri personæ, sæpiùs redeunti sine emendatione, absolutionem negavit.*

469 *Econtra Clericum, qui videbatur Concubinarius, absolvit.*

470 *Et quid agendum, si talis sæpiùs revertatur cum iisdem peccatis.*

471 *Esto Confessarius per se loquendo teneatur instruere ignorantes; nihilominus per accidens aliquando prudenter dissimulatur instructio, vel admonitio;*

472 *Vel etiam differtur in aliud commodius tempus.*

473 *Similiter pœnitenti consulenti, dubitanti seu etiam sciscitanti de veritate, candidè est respondendum; quo non obstante non rarò expedit plus non respondere, quàm ipse interrogat.*

474 *Absolutio pœnitenti confesso ne quidem differenda est sine multùm rationabili vel urgente causa;*

475 *Benè verò ubi talis occurrit; etsi hoc rariùs sit practicandum.*

476 *Sacerdos quando teneatur audire Confessionem pœnitentis, & dare absolutionem?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de Officio & Obligationibus Confessarii.

QUæres primò, quænam obligationes generaliter loquendo incumbant Confessario?

457 R. Generatim loquendo triplex obligatio cuivis Confessario incumbit; primò enim obligatur procurare rectitudinem hujus judicii, disponendo pœnitentem in tantum, ut is validè, & fructuosè hoc Sacramentum recipiat. 2. Obligatur dispositum ac confessum absolvere; & non alium. 3. Obligatur strictissimè ad servandum sigillum Sacramentale. Ita ex *communi* Sporer *n.* 788.

Quæres secundò, quo modo rectitudo hujus judicii Sacramentalis procuranda sit?

458 R. Est procuranda tribus modis. 1. Examinando pœnitentem, nisi se ipsum satis explicet. 2. Instruendo illum, quando advertitur errasse, vel etiamnum laborare ignorantia graviter culpabili. 3. Monendo & exhortando ad veram peccatorum detestationem, propositumque efficax emendandi &c. Ratio est: quia hæc omnia ad validam & fructuosam susceptionem hujus Sacramenti sunt necessaria: ergo de his omnibus oportet Confessarium esse sollicitum; secus quippe peccaret mortaliter; utpote exponens Sacramentum periculo nullitatis. Quia verò de modo examinandi velut particulariter concernente prudentiam Confessarii jam in conferentia proximè præcedenti diximus, ideò impræsentiarum specialiter agemus de secunda obligatione, quo modo scilicet Confessarius, teneatur pœnitentem monere, atque instruere, item, quomodo teneatur absolvere dispositum, & non alium. Tertiam verò obligationem de servando sigillo, utpote majoris indaginis & difficultatis, discutiendam reservamus sequentibus duabus conferentiis. Unde ulteriùs

Quæres tertiò, quando, vel in quibus Confessarius obligetur instruere pœnitentem?

459 R. Confessarius tenetur per se loquendo instruere pœnitentem 1. quando advertit eum laborare ignorantia vincibili, in quacunque demum materia gravi seu mortali, utpute si ignoret, rem alienam esse restituendam Domino suo; debitum esse, reddendum alteri parti, justè ac rationabiliter petenti &c. ignorantem ea, quæ sunt de necessitate medii, utpute Deum esse unum & trinum, Christum esse Redemptorem ac Mediatorem Deum inter & hominem &c. 3. Etiam tenetur instruere pœnitentem culpabiliter ignorantem illa, quæ sunt necessitate præcepti credenda, & scienda omni Christiano; utì sunt symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, præcepta decalogi & Ecclesiæ, nec non ea, quæ sunt necessaria ad fructuosam confessionem & communionem, utpute quid ex parte pœnitentis requiratur ad Sacramentum pœnitentiæ

tentiæ, quid contineatur, vel suscipiatur in Sacramento Eucharistiæ &c. Ratio horum jam fuit insinuata: quia scilicet Confessarius tenetur procurare, ut pœnitens dignè & cum fructu animæ suscipiat Sacramenta: atqui non susciperet illa dignè, si perseveret in statu culpabilis ignorantiæ prædictorum: ergo Confessarius ceu Minister fidelis & Doctor tenetur hujusmodi ignorantes instruere.

Quæres quartò, de quibus Confessarius teneatur monere penitentem?

460 R. Tenetur monere & salubriter adhortari quando advertit, eum ex parte voluntatis esse indispositum, utputa quando non vult satisfacere suæ obligationi quantùm ad restitutionem bonorum famæ, vel etiam fortunæ &c. item quantùm ad gubernationem familiæ, subditorum &c. Vel etiam quoad administrationem sui Officii &c. Et præsertim tunc quando advertitur non seriò dolere & detestari sua peccata, nec firmiter proposuisse eorum emendationem, vel fugam occasionis proximæ &c. Ratio hujus obligationis est eadem, quæ proximè præcedentis: quia scilicet pœnitens non esset capax absolutionis, & sic Sacramentum eidem indignè administraretur, velut patebit rem conferenti.

Quæres quintò, Utrùm Confessarius teneatur sub gravi culpa & obligatione absolvere penitentem?

461 R. Penitentem confessum & ritè dispositum tenetur Confessarius ex justitia & sub gravi culpa absolvere: econtra indispositum tenetur non absolvere. Ita *Omnes*. Ratio est: quia penitens ritè confessus & dispositus habet jus ad absolutionem vi cujusdam contractus innominati: *facio ut facias* &c. id est: *confiteor mea peccata, ut me absolvas &c.* quo jure, utpote concernente salutem animæ ceu rem gravissimam, sine gravissima injuria privari nequit. Idque (uti rectè præter alios advertit Sporer *nu.* 799.) etiam verum est, quando penitens vult sequi opinionem verè probabilem, esto contra opinionem Confessarii forsitan probabiliorem; quia hoc non obstante, adhuc est verè dispositus & confessus: ergo adhuc habet jus ad absolutionem sibi dandam; Atque hoc præcipuè verificatur de Pastore proprio penitentis, quippe qui ratione sui officii tenetur absolvere suos subditos legitimè dispositos, & confessos, quoties id rationabiliter postulant. Vid. DD. *cit.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de concernentibus officium, & obligationem Confessariorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Confessarius nactus est pœnitentem, quem in malitia maximos, in doctrina autem Christiana nullum prorsus progressum fecisse animadvertit: etenim vix, aut ne vix quidem sciverat recitare symbolum Apostolorum cum oratione dominica & angelica salutatione, in cæteris rudissimus, ignorabat quænam ad confessionem essent necessaria, quidvè sub hostia consecrata communicans reciperet; quare Titius non sine indignatione multa eundem sine absolutione dimisit ad suum R. Dominum Parochum ut ab Eo meliùs instructus tandem reverteretur, petiturus & impetraturus beneficium absolutionis. An factum hoc Confessarii approbandum?

462 R. Tametsi supponatur dictus penitens hactenus laborasse vincibili & culpabili ignorantia; nihilominus factum Titii Confessarii mihi videtur non approbandum, idque hac ratione: quia cùm penitens fuerit valde malitiosus, & incurius suæ salutis, meritò timendum erat, ne in sua iniquitate obstinatè perseverans, nunquam capiendæ instructionis causa suum Dominum Parochum adiret, præsertim cùm hoc sine aliquali timore & confusione facere non potuerit. Multò minùs sperare licuit, fore ut ad eundem Confessarium Titium

tium scilicet revertatur, sed potiùs credere, eum protinus denegata absolutione cursurum viam iniquitatis, jam strenuè cœptam, quam, si mitiori modo à Confessario fuisset tractatus & eruditus, forsitan reliquisset. Profectò hujusmodi indiscretos Rigoristas petit illa de Pastoribus Israel apud Ezechielem *cap.* 34. querela Domini: quod infirmum fuit non consolidastis.

Dices forsitan. At quo modo homo tam malitiosus simulque rudis in tam brevi temporis spatio poterit sufficienter instrui?

463 R. Poterit sine dubio saltem in tantùm erudiri (modò non deficiat patientia Confessarii) ut hic & nunc sit capax absolutionis; siquidem adhoc necessum non est, ut fidei nostræ mysteria sciat doctrinaliter vel memoriter, sed sufficit, ut ea rudi quodam modo hic & nunc capiat, assensumque præbeat cum proposito ea meliùs addiscendi in posterum: talem verò notitiam & instructionem Confessarius patiens ac prudens eidem poterit ingerere proponendo principales fidei articulos, ita, ut is ad singulos actum fidei exerceat v. g. hoc aut simili modo: credis, quòd Deus sit unus in Essentia, & Trinus in Personis &c. sicut ego & Ecclesia credit? *Credo*. Credis, Filium DEI pro nobis fuisse incarnatum; passum, mortuum, & esse, Redemptorem nostrum? *Credo*. Tandem in genere dicat: credis, quidquid credit sancta Romana Ecclesia, & vis mori in hac sancta fide? *Credo*. Ulterius instet: doles de tuis peccatis tam gravibus, deque tua socordia, negligentia & incuria salutis, eò quòd hisce Dominum DEUM nostrum ceu summè & infinitè bonum tam graviter offenderis? *Ita*, *doleo*. Porro eidem dicat: at mi bone &c. necessum jam est, ut firmiter proponas emendare vitam, occasiones fugere, & tandem etiam meliùs addiscere à Parocho tuo, vel ab aliis &c. ea, quæ sunt ad salutem necessaria, & ad debitam susceptionem Sacramentorum &c. Quòdsi & hoc promittat seriò, & omnes præfatos actus elicuerit, poterit Confessarius eidem hìc & nunc acquiescere, atque beneficium absolutionis tuta conscientia impartiri. Ita Sporer *num.* 790. de quo etiam videri potest Gobat jam sæpiùs *cit. tract.* 7. *numer.* 455.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia ultrà triennium à Viro suo carnaliter cognosci nunquam potuit, membro virili semper flaccescente & subitò corruente, quamprimùm actum conjugalem attentaverat. Rem hanc Sempronia aliquando consilii causa retulit cuidam Confessario, qui mox eidem respondit, matrimonium esse nullum, propterea que separandos esse, vel saltem ab omni commercio carnali ipsis deinceps perpetuò ac simpliciter abstinendum. At verò res hæc velut invisa Marito Semproniæ persuaderi haudquaquam potuit, quin potiùs eandem ob denegatum aliquoties debitum durissimè tractavit; quam ob rem hæc tandem omnino discessit ab illo. Non multò post re ad Consistorium delata conjux uterque à medicis & obstetricibus fuit visitatus; & quia de Mariti impotentia non satis constitit, præsertim cùm is jam antecedenter per plures annos fuisset alteri maritatus, etsi sine prole, Sempronia sub pœna carceris condemnata fuit ad cohabitandum suo Marito, debitumque reddendum &c. Quæritur jam 1. utrùm Confessarius benefecerit illico insinuando ac decidendo nullitatem matrimonii, usumque interdicendo? 2. Utrùm defacto, post latam Sententiam tenentur adhuc prohibere usum matrimonii, an verò illum permittere?

464 R. Ad primum. Confessarius non bene fecit mox decidendo, & insinuando nullitatem matrimonii, & interdicendo usum (quod utinam bene notarent multi vel nimiùm rigorosi, vel certè minùs cauti, quàm oporteret) Ratio autem hujus resolutionis est: quia meritò timere licuit ne talis decisio & prohibitio Confessarii plus obesset, quàm prodesset tum honori divino, tum etiam saluti animarum: nam esto matrimonium cum impotentia perpetua, & antecedente contractum certissimò nul-

lum sit, propterea que talibus personis velut merè solutis, per se loquendo veritas sit aperienda præsertim quando dubitant, vel quærunt; nihilominus cùm separatio matrimonii jam contracti non nisi difficillimè (præsertim ubi conjuges jam diu cohabitarunt) impetrari possit ob prætensam impotentiam & vix unquam fieri valeat sine magnis incommodis, utputa sine scandalo publico, rixis, & dissensionibus, aut detrimento in bonis famæ, ac fortunæ (prout in hoc casu revera facto & satis lamentabili contigit) hinc meritò timendum, ne tales conjuges etiam post agnitam veritatem perseverent in statu sui conjugii, ac proin eodem utentes peccent formaliter, qui, si Confessarius rem dissimulasset, materialiter duntaxat deliquissent. Quare cùm constet, semper ex duobus malis minus esse eligendum; hinc præstat in simili casu dissimulata veritate permittere peccata materialia, quàm mox decisa & intimata nullitate præbere ansam innumeris peccatis formalibus, prout jam dictum fuit *part. 3. de Matrim. Confer. 11. num. 275.* itemque *Confer. 14. n. 338.* Melius proin fecisset Confessarius rem maturiùs & cum majori deliberatione tractando, cautè simul & castè inquirendo, an vel qua ratione à suo Marito non potuerit cognosci? an nulla adhibuerint media naturalia, vel etiam spiritualia? an aliàs bene ac pacificè cohabitent? & interim consulendo, ac disponendo Semproniam, ut tempore opportuno, post aliquot dies vel etiam septimanas, rediret consilii causa, qua redeunte, si interea invenisset revera subesse impedimentum, potuisset eidem consulere id, quod saluti animæ in Domino magis expediens visum fuisset. Unde ulteriùs

465 Resp. Ad secundum. Confessarius Semproniæ utpote sub gravissimis pœnis ac comminationibus condemnatæ ad cohabitandum, nedum permittere, sed etiam obligare eam potest, ut sententiæ judiciali aquiescens, suo Marito cohabitet matrimonialiter. Ratio est: quia sententia consistorialis fuit justa; quandoquidem non solùm in foro externo, sed etiam in interno præsumendum & standum sit pro valore matrimonii, ubi de impedimento dirimente certò non constat: atqui hic non constabat certò de impedimento, impotentia scilicet Mariti; immò potiùs a Medicis judicabatur potens ad actum conjugalem. Et certè pro potentia hac stat præsumptio, quamdiu de opposito non constat certò: ergo. Accedit, quòd hæc impotentia (si qua re ipsa intercedat) potiùs ex maleficio, quàm à natura proficisci, censenda sit: & eo ipso non constat certò utrùm fuerit antecedens, vel verò primùm subsequens matrimonium, at, quando de hoc dubitatur, eo ipso non constat certò de impedimento: ergo ex hoc etiam capite potiùs standum est pro valore, quàm pro nullitate matrimonii, in casu allato.

Dices. Quando Conjux est certus de nullitate sui matrimonii, etsi hæc in foro externo non constet, nec probari possit, in nullo tamen casu potest petere, vel etiam reddere debitum, uti dictum fuit *de Matrim. confer. 17. num. 417.* atqui Semproniæ certò constat de impotentia Mariti, & nullitas matrimonii eidem pariter fuit intimata à Confessario: ergo nullatenus licet aquiescere huic sententiæ, vel Marito conjugaliter cohabitare, reddendo scilicet debitum.

466 Resp. Negando suppositum minoris, quòd scilicet hic certò constet de impotentia Mariti, præsertim de antecedente matrimonium, quæ sola reddit matrimonium nullum. Unde non est, cur potiùs fidem adhibeat Confessario ex cœca relatione asserenti matrimonium esse nullum, quàm Medicis de visu testantibus de potentia Mariti, Judicibusque Ecclesiasticis, declarantibus, matrimonium esse validum: & hoc ipso non video, quare, Sempronia ita condemnata nequeat se practicè resolvere circa licitam redditionem, immò & petitionem debiti. Profectò cùm sine gravissimis incommodis, utputa scandalis, rixis, diris tractationibus, etiam usque ad incarcerationem, amissione dotis &c non possit declinare cohabitationem Mariti, habet justissimam causam per-

permittendi hujusmodi actus, utpote materialiter duntaxat, & non formaliter malas, etsi matrimonium forte sit à parte rei nullum. Videatur Aversa *q. 21. Sect. 2. §. ul.* Sanchez *lib. 1. Disp. 18. de Matr. à num. 5.* la Croix *lib. 6. part. 3. à num. 297.* Cardenas *Dissert. 9. Crisis Theolog. num. 107.*

CASUS TERTIUS.

Cajo Sacerdoti pro sacro tribunali nuper exposito occurrerunt diversi pœnitentes & Casus, de quibus modo non parum angitur. Primò namque pluribus puellis ac pueris, quorum maturitas videbatur suspecta, non administravit hoc Sacramentum, sed cum sola benedictione (ne se multùm cum talibus detineret) dimisit eos ad mensam Domini. Secundò. Denegavit absolutionem alicui personæ, quam noverat fatales inimicitias & aversiones gerere erga suam matrem, eamque diutina infirmitate graviter afflictam, gravius adhuc tum verbis tum operibus etiam afflixisse, sæpiusque in infernum devovisse. Tertiò, quendam Clericum, qui videbatur Concubinarius, imposita priùs salutari pœnitentia, sine ulla alia admonitione, etsi non sine trepidatione ac timore, ne forte indispositum sacrilegè absolveret, nihilominus absolvit. Jam verò conscientiæ stimulis exagitatus sciscitatur, an bene fecerit? quid Cajo respondendum?

467 Resp. Ad primum. Cajus non videtur saltem graviter culpandus ex eo, quòd puellas ac pueros de sufficienti maturitate suspectos (rationabiliter uti supponendum) cum sola benedictione dimiserit; tum quia tales non censentur, immò nec possunt sub gravi obligatione, prætendere beneficium absolutionis; tum etiam, quia in ipsis velut suspectis de sufficienti maturitate, non subest periculum animæ, bene verò, & quidem sæpe sæpius, periculum irreverentiæ Sacramento irrogandæ. Secus resolvendum existimo, casu quo puella aut puer advertitur esse doli capax, ita, ut prudenter dubitare liceat, an non peccaverint graviter, etsi de cætero in spiritualibus, aliisque concernentibus salutem animæ & necessitatem Sacramentorum, minùs quàm oporteret versati, atque instructi reperiantur; tales enim non statim dimittendi sunt sine absolutione sed potiùs adjuvandi ac disponendi ad verum dolorem; nam præterquam quòd talis dimissio pœnitenti sit onerosa & periculosa, simul etiam Sacramento est indecens, si non perficiatur quando potest: atqui potest perfici in hoc casu, & ex hac suppositione, quòd puer aut puella sint capaces usus rationis, ita ut dubitare liceat, an non graviter deliquerint: ergo Confessarius sine verè gravi causa tales dimittendo absque beneficio absolutionis, revera malè agit. Quodsi adhibita omni diligentia nihilominus de dispositione talis pœnitentis prudens dubium relinquatur, debet absolvi sub conditione, saltem in mente retenta, *si scilicet sit verè dispositus & capax Sacramenti*, veluti jam dictum fuit suprà *Confer. 2. num. 46. & 47.* Vide Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num. 7.* Dicastillo *Disp. 9. num. 758.* Lugo *Disp. 17. num. 22.* Gobat *tract. 7. num. 444. & seqq.*

468 Resp. Ad secundum. Si persona illa sæpiùs rediit non emendata, neque hac vice specialia signa futuræ emendationis vel efficacis propositi edidit, Confessarius sine læsione justitiæ potuit, denegare absolutionem. Quin immo, si ex circumstantiis vel conditione ipsius pœnitentis advertit, hanc denegationem esse necessariam ad salutem ipsius, vel ad resipiscentiam, eo quòd timore percussa mitiùs & cautiùs deinceps procederet cum sua Matre omnino prudenter egit Confessarius recusando beneficium absolutionis. Verùm quia denegatio absolutionis plerùmque parum, aut nihil omnino fructificat apud peccatores obstinatos, quin potiùs eosdem magis indurat, hinc ego existimo, Confessarium fuisse facturum meliùs talem personam suaviter, inducendo ac disponendo ad verum dolorem, & efficax propositum, præscriptis in hunc aliquibus mediis particularibus, utpute pia recordatione de Christi Domini passione, de obedientia, à Christo suis Parentibus præstita & aliis Sanctorum exemplis &c. &c. quibus pro-

cul dubio plus profecisset, quàm denegando absolutionem. Unde & Gobat de hoc scribens *tr. 7. nu. 320.* sapienter ait: *quia forte ex centum Confessariis non est, qui utatur hoc medio emendationis* (denegatione scilicet absolutionis) *& probabilissimè plerique, qui sunt usi, usu ipso didicerunt, parum, aut nihil profuisse, idcirco doctus ipse experientia, nollem adhibere.* Profectò neque ego vellem: etsi in praxi non rarò cum hominibus rudioribus consuetudinariis, vel in occasione proxima peccandi constitutis, ad inculcandam eis gravitatem criminum suorum, fuerim aliquantulum quasi tergiversatus, vel etiam comminatus, quòd si deinceps non emendati redirent, nollem eos ampliùs absolvere, neque ab alio quocunque demum Confessario, possent absolvi.

469 Resp. Ad tertium. Cajus Confessarius de Clerico, utpote de quo (nisi aliunde contrarium constet) præsumere licuit, quòd sit doctus: & intelligens suam obligationem, potuit pariter supponere quòd sit dispositus, & paratus ad relinquendam occasionem proximam, si in tali versaretur, aut certè ad eam pro possibili removendam, & convertendam in occasionem remotam; secus enim frustra confugisset ad remedium pœnitentiæ; quare ex hac suppositione prudenti licitè eum absolvit, excusso priùs dubio practico. Sed dices:

Quid si autem talis sæpiùs redeat cum iisdem peccatis?

470 Resp. Ergo dic eidem breviter: suppono quòd R. S. D. intelligat obligationem suam, fugiendi scilicet occasionem proximam, & ejiciendi concubinam, si quam fortè domi retineat, vel certè ex occasione proxima faciendi remotam: & si quidem hoc seriò proponat, valebit mea absolutio, secus non valitura, prout aliunde noverit. Juvabit insuper tali pœnitenti injungere pœnitentiam medicinalem, præsertim renovationem efficacis propositi, dietim faciendam ante crucifixum, vel piam meditationem, aut saltem lectionem spiritualem, brevem tamen v. gr. per quadrantem horæ continuandam singulis diebus, usque ad proximam confessionem. De quo vide dicta superiùs *Conferentia quartâ à num. 93.*

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

471 Colliges ex dictis primò, quòd licèt per se loquendo Confessarius teneatur instruere & admonere pœnitentem, laborantem aliqua ignorantia, præsertim vincibili & culpabili; nihilominus per accidens quandoque prudenter dissimulari posse, immò debere, idque toties, quoties prævidetur, hujusmodi admonitionem vel instructionem aut nihil profuturam, vel omnino nocituram pœnitenti, eò quòd inde non nisi peccata formalia vel dissensiones, aut scandala in populo oritura credantur; unde *can. si quis. 2. de pœnit. dist. 7.* S. Augustinus dixisse fertur; *si scirem, tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerem.* Hoc autem in duobus præcipuè Casibus prudenter timendum esse, rectè notat Sporer, videlicet 1. quando advertitur pœnitens invincibiliter ignorare nullitatem sui matrimonii; & secundò, in materia justitiæ, quando noscitur bona fide alienum possidere, quod sine scandalo aut alio gravi incommodo nunquam ampliùs potest restituere, aut certè nunquam ampliùs restituet. Ratio hujus jam superiùs insinuata fuit: quia scilicet è duobus malis semper illud, quod minus, est eligendum: minùs autem malum est peccatum materiale, quàm formale: ergo &c. Lugo, Tamburinus *de exp. Confess. lib. 2. cap. 4.* & alii apud Busemb.

472 Colliges secundò, subinde etiam admonitionem prudenter à Confessario, differri posse, tunc præsertim, quando pœnitens ignarus obligaretur ad aliquid adeò difficile, ut credi possit, hic & nunc æquo animo id non acceptaturus &c. quo casu Confessarius prudenter faciet, relinquendo illum in bona fide, & differendo admonitionem, in aliud tempus commodius, quo majorem in de effectum, & animæ fructum sperare

rare licet. Ratio est: quia si Confessarius hìc & nunc stat in intimaret talem obligationem, de facili fieri posset, ut pœnitens fictè solùm promittat se satisfacturum suæ obligationi, sicque sacrilegè duntaxat absolvatur; vel etiam territus deinceps omnino abstineat à confessione, non sine graviori detrimento animæ, prout sapienter monent Lugo *disp.* 22. *n.* 37. Tamburin. *cit. c.* 14. & Busenbaum *ad dub.* 5. *Resp.* 1. *n.* 9. Quam ob causam fatetur Sporer *num.* 798. se quandoque hujusmodi pœnitentes priùs excitasse ad dolorem generalem de peccatis, & ad firmum propositum satisfaciendi suis obligationibus, quantum in conscientia tenerentur, postea verò primùm, data jam absolutione, eisdem specificè insinuasse valdè graves obligationes v. gr. restituendi &c.

473 Colliges tertiò, Pœnitenti sciscitanti de aliqua re, vel interroganti, an hoc aut illud licitum sit? aperiendam esse veritatem. Ita fanè *communissimè* fatentur omnes. Et ratio est: quia aliàs Confessarius dissimulando veritatem, censeretur quodammodo approbare falsitatem, vel etiam dicere, esse licitum, quod re ipsa illicitum est; nam qui tacet ubi loqui & contradicere teneretur & posset, censetur fictione juris consentire. Nihilominus prudenter quandoque aget Confessarius, præcisè & non plus respondendo, quàm rogatur. Unde si pœnitens quæret, an Matrimonium cum voto simplici castitatis contractum valeat, & in hoc statu possit reddere debitum, respondeat quòd sic; cætera dissimulando, & nihil dicendo de hoc, quòd non possit debitum petere ante impetratam dispensationem in hoc voto. Ita Lugo, Layman, hìc. Vide etiam dicta *part.* 3. *de Matrim. Confer.* 14. *num.* 340.

474 Colliges quintò, sine multùm rationabilis, vel omnino urgente causa, absolutionem non solùm minimè negandam, sed ne quidem differendam esse. Ratio est clara; nam pœnitens devotus & bonæ indolis sine causa privaretur: apud obstinatos verò & induratos peccatores meritò timendum est, ne talis dilatio vergat in detrimentum animæ: quidsi enim talis homo, utpote induratus in malitia ac perversus, nunquam ampliùs reverteretur? quidsi in omnimodam desperationem prolaberetur? Et certè nec unum, nec alterum est inauditum.

Accedit, quòd pœnitens post peractam confessionem jam obtinuerit jus ad absolutiomem sibi dandam: ergo hæc sine verè gravi & urgente causa nunquam est differenda.

475 Dixi tamen: sine verè gravi causa &c. ad innuendum, quòd si talis interveniat, dilatio ad certum tempus (attamen cum multa circumspectione, & vix unquam sine consensu pœnitentis) fieri possit; quippe quæ his stantibus non erit injuriosa pœnitenti; nam Confessarius debet agere Judicem simul & medicum: ergo quemadmodum medicus corporalis minimè lædit jus infirmi differendo medicinam in aliud tempus, quo rationabiliter creditur magis profutura ad ipsius salutem; ita fanè medicus spiritualis minimè lædit jus pœnitentis, differendo absolutionem pro eo tempore, quo prævidet ac credit, eam fore magis proficuam ad animæ salutem; nam vix non ex hoc solo & unico fine rationabiliter differretur; utpote 1. quia pœnitens advertitur se ipsum non satis examinasse; vel 2. non satis doluisse aut apprehendisse gravitatem suorum peccatorum; aut 3. non satis firmum concepisse propositum; vel denique 4. quia Confessarius dubitat, an ab hoc vel illo peccato valeat absolvere, proptereaque priùs debet se informare consulendo libros, aut alios doctiores se; uti advertunt Navarrus, Suarez, Layman, Sporer *nu.* 800.

476 Colliges quintò, quemlibet Sacerdotem vinculo charitatis Christianæ stringi ad excipiendam Confessionem periclitantis de salute, nisi absolvatur &c. Quin etiam extra periculum salutis animæ Pastor obligatur (sive per se, sive per alium) suorum subditorum Confessiones excipere, idque toties, quoties rationabiliter postulant.

Ratio

Ratio est: quia ratione curæ pastoralis & beneficii, tenetur procurare salutem ovium sibi concreditarum, præsertim administrando Sacramenta magis necessaria &c. ita, ut secus faciendo graviter peccet. Aliter dicendum foret, si subditi nimis frequenter, vel importunè id postularent; vel etiam si sacerdos curatus solùm ad breve tempus differat satisfacere eorum petito, idque sine periculo animæ, vel scandalo; quod tamen in hoc puncto facillimè posset oriri, ideoque vel maximè cavendum est; veluti rectè docent Aversa *q. 16. sect. 11.* Vasquez, Lugo, & alii plures, quos refert & sequitur Busenbaum *cit. post dub. 5. ad quæsit. Resol. 1. 2. & 3.* Illud autem apud omnes certum est, quemlibet scilicet Sacerdotem, etsi non fuisset obligatus audire pœnitentem, nihilominus post auditam Confessionem graviter adstringi ad dandam absolutionem pœnitenti legitimè confesso ac disposito, modò habeat potestatem absolvendi. Ratio jam superiùs *n. 461.* data fuit: quia talis pœnitens per ipsam Confessionem obtinuit jus ad absolutionem, quo citra gravem injuriam nec potest, nec debet privari. Ita DD. *mox. cit.* Vide etiam dicta *part. 1. de Ministro Sacram. Confer. 2. n. 42.* item *Confer. 10. n. 44. & 64.*

CONFERENTIA

DECIMANONA.

De Sigillo Confessionis Sacramentalis, ejusdemque obligatione, & Materia.

477 *Quid nomine Sigilli Sacramentalis intelligatur.*

478 *Hujus obligatio tam in jure naturali, quàm divino positivo, & humano fundata est, ita quidem, ut*

479 *In nullo casu licitum sit frangere illud.*

480 *Oritur autem obligatio sigilli Sacramentalis ex omni & sola confessione Sacramentali.*

481 *Generatim loquendo omnia illa sub sigillum cadunt, quæ confessionem rationabiliter odiosam reddere possent.*

482 *Utrùm, vel quando de consensu pœnitentis liceat aliis revelare ea, quæ Confessarius novit ex sola confessione.*

483 *Resolvitur Casus I. de quadam Nobilissa, quæ ex fornicatione impraegnata graviter decumbens, rem aperuit Confessario, nolens eam ulli alteri manifestare &c.*

484 *Quo casu si Confessarius fuisset vocatus consilii causa duntaxat, non tenebatur servare sigillum Sacramentale.*

485 *Utrùm taliter decumbentem licuerit absolvere, etsi cum periculo prolis noluerit rem manifestare aliis.*

486 *Et quidnam Confessario in his circumstantiis fuerit agendum?*

487 *Resolvitur Casus II. de quadam Persona inhonestè vivente cum aliquo Religioso exposito, cui Confessarius mandavit, ut eadem peccata alteri Religioso, vel ipsimet Superiori ejusdem Monasterii confiteretur.*

488 *Unde Religiosus alter id audiens, voluit rem sibi extra Confessionem manifestari, quatenus eam Superiori posset deferre.*

489 *An hoc licitè potuerit exigere, vel obligare personam.*

490 *Et quid in his circumstantiis fuerit specialiter observandum.*

491 *Resolvitur Casus III. de Confessario, cui tempore paschali occurrit pœnitens indispositus, & incapax absolutionis.*

492 & 493. *An huic schedulam Confessionis negare licuerit?*

494 *Et quid in simili casu foret agendum in hac nostra Diœcesi Salisburgensi, ubi ex mandato Reverendissimi Consistorii Confessarius debet scripto testari, se Sacramentum pœnitentiæ administrasse pœnitenti.*

495 *In praxi semper sectandae sunt sententiæ magis favorabiles sigillo; quod*

496 *Duplici modo frangi potest, scilicet 1. directè, & 2. indirectè.*

497 *Re-*

497 *Referuntur diversi modi, quibus saltem indirectè violatur sigillum.*
498 *An liceat peccatori negare Eucharistiam, cujus indispositio scitur ex sola confessione Sacramentali.*
499 *Quibus modis Confessarius se exponat periculo violandi sigillum.*
500 *Coram hominibus, rudioribus præsertim, nihil loquendum aut discurrendum est de auditis in Confessione.*
501 *Et quid respondendum sit, ubi Confessarius interrogatur an non hoc vel illud peccatum audiverit ab hoc vel illo pœnitente &c.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de sigillo Sacramentali, ejusdemque obligatione, & materia.

Quæres primò, quid intelligatur nomine sigilli Sacramentalis?

477 R. Per sigillum Confessionis Sacramentalis intelligitur obligatio, vi cujus in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali Confessione cognita. Aptissimè autem hæc obligatio appellatur sigillum, sumpta appellatione metaphorica à sigillo materiali, quo solent obsignari res illæ, quas volumus omnino esse occultas, & secretas, utì DD. communiter observant.

Quæres secundò, quo jure oriatur hæc obligatio sigilli, & quanta sit?

478 R. ad primum. Hæc obligatio oritur ex triplici jure, videlicet 1. ex jure naturali, 2. ex jure divino positivo, & 3. ex jure ecclesiastico. Ita Scotus 4. *dist.* 21. *q.* 2. & Theologi *communiter*. Ratio primi est; quia lumen naturaliter congenitum dictat, ea, quæ sub secreto commissa sunt, etiam sub secreto esse servanda, præsertim quando ex revelatione orietur ingens damnum, prout hic fieret. Ratio secundi desumitur ex voluntate Christi, qui instituendo hoc Sacramentum, voluit simul Confessariis imponere obligationem sigilli, prout satis constat tum ex perpetua traditione, & sensu Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum; tum etiam ex eo: quia aliàs præceptum Confessionis non esset accommodatum fragilitati & conditioni humanæ, & spirituali Fidelium, quippe qui adduci nunquam possent ad confitenda quæcunque etiam gravissima crimina, licèt in occulto commissa, nisi scirent, Christum Confessariis imposuisse strictissimam obligationem, omnia in Sacramentali Confessione audita perpetuo silentio involvendi. Ratio tertii constat ex *cap. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ubi dicitur: *caveat autem omnino (Confessarius) ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Unde

479 Resp. Jam ad secundum. Obligatio servandi sigillum est gravissima, ita, ut in nullo casu, nulliusvè periculi, etiam vitæ, vel Republicæ vitandi causa, fas sit illud infringere. Ita unanimis *omnium DD.* sententia. Ratio autem hujus strictissimæ obligationis inde deducitur: quia alioquin fieret injuria huic Sacramento, simulque confessio Sacramentalis in bonum Supremi Ordinis instituta redderetur nimis odiosa, ita, ut fideles, scientes sua peccata Confessario delata in aliquo casu revelari posse, meritò inde absterreri possent, non sine ingenti damno animarum: quemadmodum ergo ob idem periculum habituale communitati fidelium, vel etiam toti humano generi imminens, communiter Doctores deducunt & inferunt v. gr. mendacium, pollutionem &c. esse intrinsecè mala, ideoque in nullo casu cohonestabilia; ita etiam de revelatione Sigilli Sacramentalis, discurrendum est. Videatur la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 1936.

Quæres tertiò, ex qua Confessione oriatur hæc obligatio Sigilli?

480. Resp.

480 Resp. Oritur ex omni & sola confessione Sacramentali, id est, tali, quæ fuit facta in ordine ad absolutionem Sacramentalem obtinendam; inde enim appellatur sigillum Sacramentale, seu etiam confessionis Sacramentalis. Dictum tamen fuit: ex omni confessione Sacramentali &c. ad innuendum, quòd non solùm oriatur ex confessione Sacramentali legitima & completa, verùm etiam ex illegitima & incompleta: quarum descriptionem dedimus superiùs *Confer. 5. num. 116.* Ratio autem est: quia in confessione Sacramentali etiam inchoata duntaxat revelatio peccatorum fit, & supponi debet facta intuitu hujus Sacramenti: ergo adhuc meretur dici Sacramentalis, & per consequens parere obligationem sigilli; secus enim homines vel maximè absterreri possent à Confessione, ne forsitan negata sibi absolutione, postea à Confessario diffamarentur coram aliis ratione factæ confessionis, sicque fieret adhuc injuria Sacramento, veluti rectè notarunt Suarez, Diana *part. 5. tr. 11. resol. 25.* Sporer *num.* 809. & alii..

Quæres quartò, quænam cadant sub sigillum Sacramentale, seu quænam Confessarius teneatur servare sub Secreto?

481 Resp. Generaliter loquendo sub sigillo Sacramentali cadunt *omnia illa, quorum revelatio Sacramentum rationabiliter redderet odiosum.* Hanc velut universalem regulam sigilli communiter tradunt DD. Ex qua consequitur 1. sub sigillum cadere omnia peccata mortalia, tam in genere, quàm in specie 2. item omnia venialia in specie, ita, ut nullum specifice sumptum fas sit revelare, 3. item peccata complicis, nec non 4. peccatorum circumstantiæ, aliquo modo ad confessionem spectantes, 5. ulteriùs pœnitentia injuncta. 6. negatio absolutionis, sicut & schedæ seu testimonii peractæ confessionis, 7. scrupuli, & alii defectus naturales, vel morales ex sola confessione Sacramentali cogniti. Ratio horum omnium jam fuit insinuata: quia scilicet revelatio similium sæpesæpiùs confessionem redderet odiosam, & invisam fidelibus: ergo cùm Christus Dominus tam arctam obligationem sigilli imposuerit Confessariis ex eo fine, ne fidelibus redderetur odiosa, meritò concluditur, hæc omnia voluisse sub secreto conservari.

Quæres adhuc quintò, utrùm aliquando, saltem cum consensu pœnitentis, licitum sit, audita in confessione Sacramentali aliis revelare?

482 Resp. Negant hoc plerique ex antiquioribus, & singulariter Scotus 4. *Dist.* 21. *qu.* 1. cum suis, ducti hac potissimùm ratione: quia tametsi pœnitens possit in hoc cedere suo juri, non tamen potest cedere juri Sacramenti, in cujus favorem obligatio sigilli principaliter est introducta: ferè quemadmodum Clericus non potest cedere privilegio canonis, eò quòd hoc non tam intuitu hominis privati, quàm intuitu ipsius status clericalis sit introductum. Econtra S. Thomas *in supplemento part.* 3. *q.* 11. *a.* 4. relatus à Reiffenstuel hic *num.* 35. cum suis communiter affirmat id esse licitum, modò pœnitens liberè consentiat, & Confessarius non dicat plus, quàm à pœnitente sibi fuit permissum. Rationes dant sequentes, 1. quia quando pœnitens propria sponte & liberè Confessario dat licentiam loquendi de confessis, cessat ratio secreti naturalis, quippe quod solùm servandum est, quamdiu non consentit alter: & hoc ipso, inquiunt, Confessio reddi non potest odiosa, consequenter cessat irreverentia Sacramenti, & finis, propter quem obligatio sigilli fuit instituta. 2. Quia *cap. significasti, de adulter.* legitur, quòd de licentia mulieris Sacerdos dixerit, eam sibi confessam esse adulterium, nec tamen in hoc casu vel minimùm reprehensus fuit à Papa: ergo Ecclesia non judicat hoc esse illicitum. Utraque hæc opinio est probabilis: quia tamen prior videtur tutior, & magis cavere reverentiæ Sacramenti, hinc in praxi omnimodis sequendam censeo, nisi multùm rationabilis & urgens causa contrarium postulet; immò etiam tali interveniente, inducendus est pœnitens, ut rem & causam suam potiùs extra confessionale velit concredere; tum quia Confessario alleganti notitiam è confessionali desumptam non crederetur, aut certè malè audiret ubique; tum etiam quia hoc modo

Con-

Confessarius magis consulit & reverentiæ hujus Sacramenti, & suo nomini. Non tamen necessum est, ut pœnitens extra Confessionem omnia sua peccata denuo singillatim enarret, sed sufficit dicere, se ea, quæ in Confessionali jam exposuit, hisce velle extra Confessionem dicta & nota, cum licentia de his, vel de hoc aut illo &c. loquendi alteri; nam per hoc censetur etiam extra Confessionem sufficientem notitiam ingerere Confessario, quemadmodum si post peractam Confessionem rediens diceret Confessario, se dolere de omnibus suis peccatis proximè Confessis, eidem sufficientem ingereret memoriam eorum ad hoc, ut denuo ab iisdem possit absolvi, sine expressa recapitulatione singulorum, veluti rectè observat Herincx noster *de pœnit. Disp. 8. num. 34.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione Sigillis, ejusdemque materia.

CASUS PRIMUS.

Titia Domicella nobili stemmate nata & graviter decumbens, vocavit ad se Confessarium, quem etiam illico comparentem affata est in hunc modum. Pater Reverende, non intendi vos vocare confessionis, sed consilii causa in hac mea extrema afflictione, quam nulli mortalium unquam manifestare possem, & vobis solùm quasi in confessione concreditam volo. Ego ab aliquo seducta fui & impraegnata, ad evadendam verò infamiam meam, immo & totius meæ familiæ, sumpsi medicinam, volens illa mediante procurare abortum: at verò pro dolor! comperto hanc medicinam non proli, (quippe quam adhuc vivere sentio in meo utero) sed mihi duntaxat nocuisse. His auditis Confessarius consuluit Titiæ utpote periculosè decumbenti, ut ante omnia per veram ac sinceram confessionem conscientiam suam exoneraret in tanto periculo. 2. Ut statum suum vel Medico, vel honestæ saltem Matronæ aperiret, quatenus tum suæ, tum vel maximè etiam prolis saluti prospiceretur: & primùm quidem, S. scilicet confessionem facilè persuasit, alterum verò neutiquam persuadere potuit Titiæ, quippe constanter protestanti, se malle mori, quàm cum tanta sua infamia vel Medico, vel alteri cuicunque demum mortalium statum suum aperire; quam ob rem Confessarius eam velut indispositam noluit absolvere. Quæritur jam 1. Utrùm in hoc casu fuerit obligatus ad servandum sigillum? 2. Utrùm Titiam potuisset aut debuisset absolvere?

483 Resp. Ad primum. Confessarius in hoc casu fuit obligatus ad servandum strictissimum silentium, esto etiam Titiam, quam indispositam credidit, non absolverit. Ratio est: quia secundùm omnes obligatio sigilli oritur ex confessione Sacramentali etiam inchoata tantùm, utì dictum mox suprà *nu.* 497. atqui Titia ad instantiam Confessarii deposuit confessionem Sacramentalem saltem inchoatam, utì casus fert: ergo &c.

484 Non tamen fuisset obligatus ad servandum Sigillum sacramentale ex eo præcisè, quòd consilii, & non Confessionis causa audiverit hoc delictum à Titia, esto hæc addiderit, se quasi in Confessione id revelare, & dictum velle. Ratio facilè deducitur ex dictis suprà: quia obligatio Sigilli oritur ex sola Confessione Sacramentali: At, si Titia solius consilii gratia rem manifestavit, non fecit Confessionem Sacramentalem, hoc ipso, quòd non fecerit in ordine ad Sacramentum: Ergo ex tali manifestatione non fuisset orta obligatio Sigilli, esto etiam Titia hoc modo intendisset obligare; quia hæc obligatio non dependet ab arbitrio humano, sed ex institutione Christi, qui eam soli Confessioni Sacramentali annexuit, utì communiter tenent DD. idque Romæ in casu cujusdam Cardinalis fuisse declaratum testatur Bassæus *V. Confessio VII. numer. 6.* apud nostrum Herincx *disp. 8. numer. 10.* Ubi tamen is rectè advertit, etiam in simili casu Confessarium frequenter obligari posse ad tacendum, non solùm ex secreto seu Sigillo naturali, sed etiam ratione scandali, eò

li, eò quòd rudens plerùmque existiment, ea, quæ simili intentione dicuntur, cadere sub sigillum.

485 R. Jam ad secundum, vel maximè à Confessario inquirendum & attendendum fuisse, an certò probabilis saltem, sin minùs certa omnino spes affulserit, de salute æterna prolis, seu gratia baptismi obtinenda, casu quo Titia rem manifestaret? Et siquidem nulla, vel certè exigua effulsit spes, utputa quia primùm conceperat ante quatuor, quinque vel etiam sex menses &c. non tenebatur Titia cum tanta infamia manifestare rem, sed poterat tuta conscientia permittere suam mortem, quippe quam minus malam & tolerabiliorem existimaverat, quàm infamiam: Quo supposito Confessarius tenebatur Confessam velut legitimè dispositam absolvere, & de cætero servato sigillo strictissimo, rem totam Deo precibus commendare. At verò, si apparuit spes probabilissima de vita prolis, & baptismi gratia eidem conferenda, utputa quia jam exstitit satis matura, & partui propinqua, utique Mater tenebatur infamiam postponere saluti spirituali prolis, veluti in simili casu diximus *part. 1. Conf. 4. nu. 18. & cum communi* DD. tradit La Croix *l. 3. p. 1. n. 776.* Quare si hoc Titia etiam post agnitam veritatem & obligationem suam noluisset facere, velut indisposita absolvi non potuisset.

486 Dixi: *si post agnitam obligationem noluisset, &c.* Etenim si bona fide credidisset, se nequaquam obligari ad hanc sui ipsius manifestationem, etiam non obstante periculo prolis, simulque Confessarius prævidit, nunquam fore ut hoc eidem persuaderi valeat, melius utique fecisset omnino tacendo de hac obligatione, & Titiam bona fide confessam absolvendo, mittere ad cœlestem patriam, quàm sine absolutione mittere, vel saltem permittere ut vadat in infernum, prout paulò superiùs *n. 472.* jam animadvertimus ex P. Sporer & aliis DD.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia hactenus inhonestè vixerat cum aliquo Religioso exposito, cui propterea Confessarius mandavit, ut eadem peccata denuo confiteretur vel Superiori ejusdem Religiosi, vel saltem alteri ejusdem Monasterii Alumno; quod posterius etiam factum: At verò Religiosus iste inaudiens talia à suo Confratre perpetrata, illico demandavit Semproniæ, ut sibi hæc crimina extra Confessionem aperiret, complicemque nominaret, quatenus hunc ad suum Superiorem posset deferre, sicque infamiam S. Religioni inde imminentem præcludere. Quæritur jam 1. an prior Confessarius justè obligarit Semproniam, ad eadem crimina denuo confitenda vel Superiori, vel alteri Religioso? 2. Utrùm posterior Confessarius rectè egerit, postulando complicem nominari, sibique licentiam fieri extra Confessionem eadem crimina deferendi ad suum Superiorem. 3. Denique an ad hoc Semproniam potuerit obligare?

487 Resp. ad primum. Confessarius nullatenus potuit Semproniam obligare ad iteratam Confessionem eorundem peccatorum. Ratio est: Quia secundùm communissimam DD. sententiam nemo tenetur (saltem per se loquendo) eadem peccata bis confiteri: Ergo nec Sempronia ad id valuit obligari. Et dato etiam, quòd Confessarius tum saluti animæ illius, tum etiam honori S. Religionis aliter prospicere non potuisset, vel potiùs non scivisset, satis certè fuisset obligare pœnitentem, ut vel Superiori, vel alteri Religioso ejusdem Monasterii, quasi genericè intimaret statum & consuetudinem illam pessimam alterius expositi, absque eo, ut omnia sua peccata singillatim ac specificè denuo enarraret: Profectò tali manifestatione nec Superior indiget ut honori suæ Religionis consulat in simili casu: Ergo ne quidem per accidens Sempronia obligari potuit ad iteratam & specificam Confessionem suorum criminum, quam utique sine gravi onere facere nunquam potuit. Unde Marchantius noster in suo *Tribunal. Tom. I. tr. 4. tit. 6. q. 6. Append.*

2. Con-

2. *Concl. 3. §. infero tertiò*, ait, *horribili & nefando sacrilegio culpabiles esse, qui licentias & facultates loquendi, vel agendi de dictis in Confessione tum circa pœnitentem, tum circa tertiam personam extorquent, & harum licentiarum prætextu sacrilegè utuntur scientia accepta in Confessione ad corrigendos, immò & apud Superiores accusandi complices, & tertias personas.*

488 R. Jam ad secundum. Posterior Confessarius non minùs imprudenter & peccaminosè egit, quàm prior, dum jussit eadem crimina extra Confessionem sibi manifestari, complicemque nominari, quatenus hunc posset ad Superiorem deferre. Ratio hujus facilè colligetur ex modò dictis; tum scilicet 1. quia nulla fuit necessitas omnia crimina extra Confessionem denuo revelandi, ideoque pœnitentem injustè gravavit; tum etiam quia maturiori deliberatione præmissa oportuisset priùs pensare, utrùm Monasterium & Religio versarentur in tanto, tamque certo ac evidenti periculo infamiæ, ut sine denuntiatione huic præcaveri fuerit impossibile. Videatur Henno *de pœnit. disp. 10. quæst. 5. Concl. 1. & 2.*

489 Resp. Ad tertium. Etsi per se loquendo Sempronia non potuerit obligari ad manifestanda sua crimina extra Confessionem, vel ad dandam licentiam Confessario eadem manifestandi; Supposito tamen, quòd honori Religionis ac Monasterii aliter præcaveri non potuisset, potuit obligari saltem ad hoc, ut vel ipsa Superiorem accederet, vel Confessario daret licentiam rem & statum illius expositi genericè saltem intimandi Superiori, idque non accusationis, vel vindictæ causa, sed potiùs correctionis aut emendationis, & scandali vitandi. Ratio hujus responsionis est: quia ordinata charitas dictat, bonum totius communitatis præferendum esse bono famæ alicujus hominis privati, aliisvè incommodis non adeò gravibus: atqui obligatio, vel personaliter Superiorem accedendi, vel saltem Confessario dandi licentiam, rem & statum expositi illius Religiosi quasi genericè duntaxat deferendi Superiori non videtur tam grave incommodum, ut huic postponi debuerit bonum Religionis, vel totius Monasterii: Ergo si aliter huic malo non potuisset remederi, Confessarius licitè imposuisset hoc onus. Videatur de hoc Marchant. *loc. cit.* Gobat *tract. 7. numer.* 249. vel Lugo *disp. 16. sect. 8. dub. 12. n.* 946.

490 Dictum tamen fuit: Supposito, quòd honori Religionis ac Monasterii aliter præcaveri non potuisset. Etenim in hoc casu vel maximè etiam attendendum fuit, an non detur fraternæ correctionis locus, priùs quàm res denunciaretur Superiori; id enim exigit præceptum fraternæ correctionis à Christo ipso præscriptum *Matth. 18.* Cui per institutionem hujus Sacramenti nullatenus præjudicare voluisse, credendum est. Meo judico haud ineptè ageret talis Religiosus, si cum bona venia complicis pœnitentis alterum suum Confratrem errantem partim obsecrando, partim etiam increpando, opportunè ac importunè instando hortaretur ad resipiscendum, & si noluerit, minitetur eidem graviora incommoda, confusiones publicas, depositionem ab officio &c. Quòdsi Confessarius non libenter vellet scribendo prodere se ipsum, expediat litteras illas suppresso suo nomine, velut à quodam bono & sincero amico missas. Juvabit insuper persuadere Semproniæ, ut post aliquot septimanas denuo redeat, relatura qualem effectum habuerit hæc admonitio. Et his demum omnibus tentatis deliberet, sitnè res deferenda ad Superiorem, vel non?

CASUS TERTIUS.

Cajo Confessario tempore Paschali occurrit quidem Concubinarius, qui, etsi nullis rationibus adduci potuerit ad deserendam suam Concubinam, cujus amore se captum asseruit, nihilominus prætendebat schedulam testimonialem peractæ Confessionis Paschalis; quam tamen idem Confessarius absolutè negavit, sicut & ipsam Absolutionem. Non multò post idem Confessor audivit alios de eodem pœnitente ceu homine scandaloso & concubinario notorio discurrentes; quibus Cajus discursus promovendi gratia reposuit: novi & ego,

& ego, quòd talis sit: utinam tandem DEUS illum convertat. Quia verò Casus hec noverat ex sola Confessione Sacramentali saltem inchoata, etsi alii non adverterint eum ex Confessione loqui; hinc conscientiæ stimulis agitatus quærit I. an memorata verba præcisè proferendo, egerit contra obligationem Sigilli Sacramentalis. 2. An tuta conscientia licuerit pœnitenti negare testimonium peractæ Confessionis, seu schedulam Paschalem?

491 Resp. Ad primum. Cajus hæc dicendo fregit Sigillum. Ratio est: Quia dicere aliquod peccatum, specificè seu in individuo, cujus notitia habetur ex sola Confessione Sacramentali, repugnat reverentiæ hujus Sacramenti, & juri ipsius pœnitentis, qui, si sciret, hoc à Confessario fieri posse impunè, meritò absterreretur à Confessione, & hoc ipso Sacramentum redderetur exosum: Ergo hoc nullatenus licet. Nec refert, quòd alii non adverterint, Cajum loqui ex sola notitia Confessionis; nam per hoc solùm excluditur scandalum aliorum, minimè verò injuria tum pęnitenti, tum etiam ipsi Sacramento principaliter irrogata, uti mox ostensum fuit: Ergo. Videatur Layman *Lib. 5. tr. 6. c. 14. n. 9.* Gobat *tr. 7. n. 801.* La Croix *n. 1962.*

492 Resp. Ad secundum. Si pœnitens adiit Confessarium vero animo confitendi, & quidem in loco publico, ubi omnibus aliis pœnitentibus dare solebat schedam, probabilius etiam huic tenebatur eam dare. Ita contra Tamburinum & alios multos tenent Diana, Stoz *Lib. 2. num. 235.* Illsung. *tr. 6. d. 6. num. 258.* aliique plures. Ratio est: Quia in his circumstantiis negare schedam, idem esset, ac indirectè dicere, pęnitentem non esse ritè confessum, nec dispositum, aut absolutum. Quocirca tamen rectè monet Sporer, nunquam esse scribendum, quòd pęnitens *sit absolutus*, sed solùm, quòd *sit Sacramentaliter Confessus*; hoc enim cum veritate semper poterit testari Confessarius: neque per hoc cooperatur peccato pęnitentis, aut indignæ susceptioni Eucharistiæ, nam ab utroque debet illum potiùs dehortari; quo facto si nihilominus accedat ad S. Communionem, Confessarius censebitur solùm permissivè se habere ad hujusmodi peccata, quippe quæ hìc & nunc aliter impedire nequit.

493 Dictum fuit rursus: Si pęnitens adiit Confessarium vero animo confitendi &c. Etenim si venisset animo duntaxat simulato, utputa vel pęnæ vel solùm infamiæ vitandæ causa &c. non tenebatur Confessarius eidem dare testimonium peractæ Confessionis. Neque in hoc erat periculum frangendi sigillum, quippe quod secundùm dicta oritur ex sola Confessione Sacramentali; qualem non facit, qui animo simulato tantùm venit ad Confessionem: Ergo &c. Cavendum tamen esset, ne alii id advertentes inde scandalizentur, & arguant Confessarium fregisse sigillum, utpote ignorantes, pęnitentem animo ficto duntaxat accessisse sacrum tribunal.

Dices adhuc: Sed quid cum tali pęnitente indisposito agendum foret in hac nostra Dięcesi Salisburgensi, ubi Confessarius de Mandato Reverendissimi Consistorii schedulam impressam subscribere & scripto testari debet, se pęnitenti Sacramentum pęnitentiæ administrasse?

494 Resp. Certum esse debet, quòd Confessarius subscribendo testari nequeat, se administrasse Sacramentum pœnitentiæ huic pœnitenti, utpote quem velut indispositum supponitur non absolvisse; nam mentiretur dando hujusmodi testimonium. Quare si talis simulatus pœnitens confiteatur in loco privato, ubi nullus mortalium advertere aut scandalizari potest, eidem scheda Confessionis absolutè & rotundè est deneganda: quo casu supposito probabilissimam judico opinionem Bonacinę, Lugonis, Sporer *n.* 840. & aliorum, asserentium hujusmodi pœnitenti indisposito testimonium peractæ Confessionis negari posse: & certè in his circumstantiis nullo jure prætendere potest testimonium de absolutione sibi data, seu administrato Sacramento pęnitentiæ.

At verò quando pęnitens etiam fictus publicè in tali loco ubi aliis omnibus scheda Confessionis tradi solet ac debet, confitetur, res hæc difficultate non caret ob periculum scandalizandi circumstantes. Ego

Ego (salvo meliori judicio) censeo, hujusmodi homini mox in confessionali intimandum esse, ut abeat sine strepitu, & , ni velit se disponere ad absolutionem validè percipiendam, nullatenus prætendat testimonium de administrato sibi Sacramento Pœnitentiæ, quippe quod salva conscientia dari nunquam poterit in hoc statu. Quodsi his non obstantibus coram aliis publicè prætendat schedam dari solitam, Confessarius eidem permittat, ut schedulam impressam sibi tollat, sed vel non subscribat suum nomen, multò minùs quòd illum absolverit, vel certè non debet inscribere nomen ipsius confessi, sed loco hujus poterit inscribere nomen alterius, quem jam absolvit. Et certè si quam prostitutionem aut infamiam pœnitens pateretur in tali casu, eam non Confessario, sed suæ indispositioni culpabili, & pertinaci importunitati debebit imputare, veluti rectè advertunt Busembaum *hic cap.* 3. *Resp.* 1. *n.* 4. Sporer *loc. cit.* & alii.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

495 Colliges ex hactenus dictis 1. In praxi semper sequendas esse illas opiniones, quæ magis favent Sigillo. Ratio est: Quia, hoc magis removet à peccato; nam oppositæ opiniones plerùmque exponent Confessarium periculo scandali, aut certè periculo impingendi, & lædendi sigillum naturale: Ergo cùm aliunde notum sit, semper esse magis inclinandum & favendum causæ piæ, etiam hic non oportet facilè recedere. Diana Stoz *Lib.* 2. *num.* 205. La Croix *num.* 1945.

496 Colliges secundò, Sigillum duobus modis, scilicet 1. directè, & 2. indirectè frangi posse. Ratio clara est: Quia peccata pœnitentis non tantùm expressis verbis possunt revelari (quod iniquissimum foret, & directa fractio sigilli) sed etiam factis vel operibus; quod est indirectè frangere Sigillum: id quod satis innuitur *cap. omnis utriusque sexus*, suprà *num.* 478. recitato, ubi cavetur, ne Sacerdos *verbo aut facto* ullatenus prodat peccata pœnitentis Herincx *Disp.* 8. *num.* 22.

497 Colliges hinc tertiò, Confessarium (duplici semper peccato) frangere Sigillum 1. Si nimis strepitosè & altè pœnitentem examinet, vel reprehendat illum ita, ut ab aliis circumstantibus id possit notari: Qua ratione jam superiùs *à num.* 148. dictum fuit, hujusmodi periculum excusare ab integritate materiali Confessionis. 2. Frangit indirectè Sigillum Confessarius, si pro peccatis merè occultis injungat pœnitentiam publicè peragendam, & quidem gravem. De quo vide dicta superiùs *Confer.* 9. *num.* 236. & 238. 3. Si de aliqua communitate non adeò magna dicat, in ea committi hæc & hæc crimina &c. 4. Si dicat, se huic aut illi pœnitenti in particulari dictasse magnam pœnitentiam v. g. rosarium, jejunium &c. 5. Si dicat, v. g. Petrum sibi tot ac tot horis, aut diebus subsequentibus fuisse Confessum &c. nisi ab aliis tanto tempore confitens fuisset visus &c. 6. Si dicat se non absolvisse v. g. Petrum aliis notum. 7. Si ex duobus aut pluribus sibi Confessis unum singulariter laudando & extollendo dicat, eum nunquam graviter peccasse, aut gratiam in baptismate susceptam nunquam perdidisse &c. Quia hoc ipso videtur indirectè & tacitè innuere, alios sibi Confessos non esse tales. Esto etiam Confessarius id solùm dixisset præscindendo ab aliis, quorum conscientias non habet plenè sibi perspectas, nihilominus fatendum est, hujusmodi discursus malè in aliorum auribus sonare, proptereaque abstinendum esse ab illis. 8. Lædit insuper Sigillum Confessarius, si pœnitentem quem ex sola Confessione novit indispositum, vel etiam non satis instructum sive per se, sive etiam per alium removeat à scamno Communicantium, ne inter alios sacro pabulo reficiatur, prout ego alicubi factum fuisse scio. 9. Item si extra Confessionem cum pœnitente de peccatis Confessis loquatur sine ipsius licentia etiam implicitè data; quam tamen censetur dedisse, quando cum Confessario extra

Confessionem incipit discursum de peccatis confessis, vel desuper consulit, aut petiit instrui, &c. Etsi juxta probabilissimam doctrinam non lædatur Sigillum Sacramentale, si Confessarius immediatè post impertitam absolutionem pœnitenti adhuc existenti in Confessionali det consilium aut admonitionem de emendanda vita, fugienda occasione &c. Quia censetur per hæc complere judicium Sacramentale. Similiter licitum esse in actu Confessionis loqui cum pœnitente de peccatis jam pridem depositis, quando Confessarius prudenter judicat, hoc esse necessarium ad intelligendum præsentem statum, prout subinde fieri oportet cum consuetudinariis, & aliis, de quibus suspicari licet, quòd in occasione proxima peccandi versentur. 10. Violatur insuper Sigillum Sacramentale, quando Confessarius pœnitentem coram aliis interrogat, vel (prout fieri potest apud moribundos) adhortando acclamat, ut de suis *peccatis gravissimis* doleat, vel ut doleat, quòd Dominum Deum suum tam *graviter* offenderit, prout ego aliquando audivi quendam Zelotem, moribundo taliter acclamantem, &c. Ita communissimè sentiunt DD. Mastrius, Bosco, Stoz, Gobat, Babenstuber, Clericatus *de pœnit. decis.* 49. *num.* 10.

Dices. Ergone pœnitenti publicè accedenti administranda est S. Eucharistia, etsi Sacerdos ex sola Confessione certò sciat eum esse indispositum & indignum?

498 Resp. Si supponatur publicè in Ecclesia cum aliis accedere ad sacram mensam, certum & exploratum habetur ab omnibus sine sacrilegio eidem negari non posse Eucharistiam, nisi esset publicus peccator ita, ut constet aliis quòd sit indignus; tali enim sine scandalo administrari non posset sacrum pabulum.

At verò, quando peccator occultus, re vera tamen indignus, à solo Confessario Sacerdote, nemine alio præsente (quod certè rarissimè continget) petit Sacramentum Eucharistiæ, censet Illsung *cit. num.* 254. Illud & posse, & debere negari, eò quòd irrationabiliter hoc prætendat pro illo statu. Neque ex hoc Confessio possit reddi odiosa fidelibus, tametsi scirent id impunè fieri posse à Confessario, præsertim cùm ipsusmet pœnitens teneatur abstinere à peccato, seu sacrilega communione: pro hac opinione refertur S. Thomas, D. Bonaventura, aliique gravissimi DD. Nihilominus ego cum P. La Croix *Lib* 6. *p.* 2. *nu.* 1974. aliisque pluribus censeo probabilius, id esse contra intentionem Christi, & contra immunitatem Sigilli Sacramentalis. Ratio est: Quia Confessarius ipso facto, quodammodo objiceret & exprobaret pœnitenti suum peccatum: at hoc Christus noluit fieri extra Confessionem: Ergo. Certè ipsusmet Illsung *l. cit. num.* 258. fatetur, non esse licitum pœnitenti soli, esto nullus mortalium advertat, peccata confessa exprobrari verbis, vel alia actione, etsi Confessarius per hoc intenderet emendationem, vel solùm impedire peccatum quod ipse per se teneretur evitare: quare ergo ex hoc fine liceret Eucharistiam eidem negari?

499 Colliges quartò, periculo frangendi Sigillum sese exponere illos Confessarios, qui de suis pœnitentibus ita incautè loquuntur, ut alii audientes ex combinatione circumstantiarum possint venire in notitiam alicujus personæ determinatæ; veluti fieri potest 1. si Confessarius dicat v. g. primus pœnitens mihi confessus fuit adulter, vel fuit Concubinarius &c. 2. Si dicat: hodie, vel hac aut illa die &c. Confessi sunt mihi tres Clerici, è quibus unus satis gravem deposuit sarcinam &c. Item 3. si dicat Confessarius: hodie me unus pœnitens multùm detinuit, eò quòd habuerit intricatissimam conscientiam, vel multa, eaque gravia peccata &c. In his, inquam, & similibus loquendi modis est periculum frangendi Sigillum: quid si enim ex post facto immemor priorum dictorum coram aliis referat, quisnam fuerit primò sibi confessus? Quid si alii aliunde id nossent? Quid si vidissent illos Clericos confessos, & ex illis unum aut alterum moribus innocentissimum scirent aliunde v. g. ex Confessione aut familiariori conversatione cum ipsis? Quid denique si hodie notassent illam personam; quæ tamdiu

Con-

Confessarium illum detinnit ? Nunquid illico venirent in notitiam peccatorum gravium confessorum ? Ergo cùm talis modus loquendi habeat annexum periculum agendi contra Sigillum Sacramentale, semper ab eo abstinendum, & cane pejus ac angue fugiendus est, veluti rectè notant Gobat *cit. num.* 820. La Croix *num.* 1694.

500 Colliges quintò, coram hominibus sæcularibus, præsertim rudioribus, & rem minùs intelligentibus, nunquam esse discurrendum de peccatis in Confessione auditis, vel si ipsimet hujusmodi discursum incipiant, ab eo quantocyus abstrahendum vel abrumpendum esse. Ratio est: Quia hujusmodi hominibus de facili præberi potest scandalum, qui hoc ipso, quòd audiant Sacerdotem loquentem de sibi confessis, putant eum frangere Sigillum, proptereaque absterrentur à Confessione, veluti jam superiùs Confer. Casu vero & non ficto narravimus. Dictum tamen fuit, *coram rudioribus & rem minùs intelligentibus* nihil discurrendum esse &c. Nam apud prudentes ac doctos non est tantum periculum scandali, tametsi ne quidem coram istis aliquid de auditis in Confessione sit propalandum sine verè gravi causa, utpute ad dandam, vel etiam ab alio capiendam instructionem aut consilium; quo quidem casu convenit, ut Confessarius quantum potest abstrahat à circumstantiis particularibus non necessariò exprimendis, neque dicat, sibi hunc vel illum casum obtigisse, sed potiùs quærat, quidnam agendum, si hic casus contingeret ? Ita Formarius *c.* 3. apud Gobat *cit. n.* 816.

Dices adhuc. Sed quid agendum, vel respondendum si interrogetur Confessarius de aliqua persona privatim, an hoc vel illud peccatum fuerit confessa ?

501 Resp. Consultissimum est, ut paucis se expediat, respondendo: *fecit pœnitens quod suum, & ego quod meum erat.* Quin etiam casu quo interrogans ulterius instaret, quærendo de aliquo peccato confesso, posset Confessarius tuta conscientia etiam cum juramento negare, se aliquid scire de hoc vel illo crimine (modò ex tali responsione alii non concludant pœnitentem sacrilegè fuisse confessum) intelligendo semper cum restrictione mentali, in hoc casu vel maximè permissa: *Nihil scio scientia tibi communicabili*, quam solam interrogans potest prætendere: hoc autem semper dici potest cum veritate, esto Confessarius notitia Sacramentali, ideòque incommunicabili illud optimè noverit. Vel denique dicat: Sacrilega est hæc tua interrogatio, ad quam non, nisi sacrilegè responderem & ideo non habeo, quod tibi dicam. Vide Bosco *de Ministro pœnit. disp.* 8. *sect.* 7. *nu.* 30. Sporer *n.* 817. Lugo *sect.* 3. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *resol.* 43.

CONFERENTIA

VIGESIMA.

De iis, qui tenentur ad Sigillum Sacramentale, & quo modo liceat uti notitia ex sola Confessione comparata.

SUMMARIUM.

502 *Quinam obligentur ad servandum Sigillum Sacramentale?*

503 *An etiam ille, qui peccata alterius in cartha annotata legit?*

504 *Pœnitens an teneatur ad servandum Sigillum?*

505 *Et quid, si in Confessionali sollicitetur ad peccandum?*

506 & 507 *An sit licitum uti notitia ex sola Confessione comparata?*

508 *Quasnam pœnas incurrat Confessarius violando Sigillum?*

509 *His tamen affici neutiquam debet, nisi fuerit convictus & confessus crimen.*

510 *Resolvitur Casus I. de quadam persona, quæ Religiosum Confessarium apud Superiorem iniquissimè & mendosè accusaverat de crimine sollicitationis.*

511 *Quænam Superiori id audienti fuerint observanda?*

512 *Et quidnam agendum fuerit alteri Confessario, cui sassa fuit hanc iniquissimam & falsissimam delationem.*

513 *Onus revocandi & restituendi famam loco talis personæ, non debet de facili in se suscipere Confessarius.*

514 *Resolvitur Casus II. de Sacerdote ex Confessione percipiente, famulam in sua domo à suo proco fuisse impraegnatam, cui propterea licitè praecepit in actu Confessionis, ut è domo sua discederet sponte.*

515 *Qua tamen postea non abeunte, debet se gerere, ac si de hoc nihil omnino audivisset, aut mandasset in Confessione.*

516 *An tali Sacerdoti liceat deinceps diligentiùs custodire & occludere domum, vel invigilare eidem suæ famulæ, controvertunt DD.*

517 *Probabiliùs videtur id non esse licitum vi solius notitiæ ex Confessione haustæ.*

518 *Resolvitur Casus III. De quodam Sacrista, qui sub crepusculo advertens, sagam suo Confessionali appropinquare subitò surrexit, & alios quoque Confessarios surgere faciens, conclusit januas Ecclesiæ*

519 *Qui si sagam ex sola Confessione Sacramentali novit, probabiliùs illicitè egit, tametsi nec saga, neque alii adverterint; id ipse factum vi solius notitiæ Sacramentalis;*

520 *Quod confirmatur ex Decreto Clementis VIII. prohibentis ne Superiores Regulares ad gubernationem exteriorem utantur notitiâ comparata ex Confessione suorum subditorum.*

521 *Præter Confessarium etiam ille tenetur ad Sigillum Sacramentale, qui præter, vel contra voluntatem confitentis peccata ipsius intellexit.*

522 *Secus dicendum foret, si pœnitens sponte sua eadem peccata manifestasset aliis.*

523 *Confessarius licitè utitur notitia Confessionis ad propriam instructionem & cautelam, modò id faciat sine gravamine pœnitentis.*

524 *Et quid agendum, ubi Confessarius ex sola Confessione audit, sibi parari insidias, aut mortem intentari?*

525 *Concionatores in Cathedra, an, vel quando possint uti notitia Sacramentali sine sacrilegio?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debitè resolvendos casus de usu notitiæ ex sola Confessione comparatæ.

QUæres primò, quinam obligentur ad servandum Sigillum?

502 Resp. Præter Confessarium, qui Sigillo Confessionis principaliter ac primariò tenetur, obligantur insuper omnes illi, ad quos notitia Sacramentalis Confessionis immediatè pervenit, vel etiam mediatè, utputa 1. ad stantes confessionali, & præter intentionem pœnitentis peccata audientes &c. 2. Interpres, quo mediante facta fuit Confessio. 3. Ille, cui pęnitens bona fide confessus fuit, existimans illum esse Confessarium legitimum, esto revera talis non sit. 4. Item Superiores à quibus postulata fuit licentia absolvendi à casibus reservatis, sicut & 5. alii viri docti à Confessario super peccatis, & statu pœnitentis consulti, casu quò per accidens venissent in notitiam talis pœnitentis. Ita post Scot. 4. *d.* 21. & alios Reiffenstuel *Theol. Moral. tr.* 14. *dist.* 9. *num.* 36.

Quæres secundò, utrùm etiam ille teneatur ad servandum Sigillum Sacramentale, qui peccata alterius memoriæ causa in charta annotata reperit & legit?

503 Resp. Multi id affirmant, ducti hac ratione: quia illa Scriptura est quædam quasi internuncia peccatorum, & re ipsa vel est inchoata confessio, vel Confessionem jam factam gerens: Ergo quisquis eam repertam legit, tenetur ad Sigillum Sacramentale quemadmodum tenetur, qui alterius sui amici non valentis scribere Confessionem scripto excipit. Hoc tamen non obstante multi alii probabilissimè negant, talem teneri

Si-

Sigillo Sacramentali, licèt fateantur quemlibet gravissimè obligari ad non legendam Confessionem alterius, vel si jam legit, ad servandum de iis Sigillum naturale, vi cujus quivis tenetur ad non diffamandum proximum injustè. Ita Navarrus, Sotus, Layman ubi supra *num*. 19. Sporer *num*. 858. Reinffestuel cit. *num*. 37. Ratio autem hujus resolutionis negativæ datur hæc: quia obligatio Sigilli Sacramentalis oritur ex sola Confessione Sacramentali: Atqui talis Scriptura non est confessio, nequidem inchoata, sed solùm continet materiam præparatam ad faciendam Confessionem: Ergo &c. Aliter discurrendum foret, si quis hujusmodi Scripturam legeret, quando vel pœnitens eam actu prælegit Confessario, aut quando sibi porrectam Confessarius ipse legit, vel denique sive casu eam amittendo aut etiam illicito modo ex professo alteri communicaret &c. quia tunc eam legens teneretur ad servandum Sigillum Sacramentale; Siquidem manifestatio facta per Scripturam Sacerdoti in ordine ad obtinendam Absolutionem Sacramentalem est verissima Confessio Sacramentalis, ideoque parit obligationem Sigilli, veluti tradunt Layman, & Sporer *ll. citt.*

Quæres tertiò, utrùm etiam pœnitens teneatur sub Sigillo conservare ea, quæ à Confessario dicta audivit?

504 Resp. Quòd non. Ita Gobat *tr*. 7. *num*. 862. Laym. *cit. num*. 20. Babenstuber ubi supra *disp*. 6. *art*. 4. *num*. 23. Ratio est: Quia obligatio Sigilli Sacramentalis oritur duntaxat ex confessione pœnitentis, & in hujus favorem introducta fuit à Christo: At, quæ Confessarius loquitur, non sunt Confessio pœnitentis: Immo tametsi de peccatis ipsius pœnitentis loqueretur, posset tamen pœnitens renunciando suo favori ac famæ ea aliis propalare, præsertim occurrente aliqua causa honesta: Ergo non obligatur ad hæc reticenda & conservanda sub Sigillo Sacramentali; etsi omnes DD. fateantur, eum vi legis naturalis constringi, ne aliquid de auditis à Confessario in Confessione postea revelet, quo vel se ipsum sine justa causa infamare, vel etiam famæ aut bonæ existimationi ipsius Confessarii detrahere posset.

505 Excipiunt rursus iidem DD. nisi Confessarius (horribili utique sacrilegio) pœnitentem, sive marem, sive fœminam in confessionali sollicitasset ad turpe vitium, in materia scilicet luxuriæ &c. quia pœnitens in tali casu teneretur Confessarium illum denunciare vel Officio sacræ inquisitionis, vel, ubi hæc non viget, Ordinario suo, scilicet Episcopo. Ita statuit Gregorius XV. *Anno* 1622. 30. *Augusti* Bulla: *Universi Dominici gregis &c. ubi §*. 4. Ita loquitur: *Statuimus, decernimus, & declaramus quòd omnes & singuli Sacerdotes* (sæculares & Regulares, tam exempti, quàm non exempti) *qui personas, quæcunque illa sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante vel post immediatè, seu occasione vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè puniantur &c.*. Denique §. 7. mandat idem Pontifex omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis: *Quod si hoc Officium intermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra dictum, iidem locorum Ordinarii & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant*. Unde liquet, satis tutum non esse, asserere simpliciter, quòd hæc constitutio in Germania non obliget, præsertim cùm etiam Alexander VII. damnarit sequentes duas Propositiones. Prima *nu*. VI. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione*, ac

ac proinde non est denunciandus. Altera *n. VII. modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi:* Etsi pariter haud ignorem, multos DD. Germanos, nominatim Sporer, & Gobat *tr. 7. n.* 577. non contradicente La Croix, docere, Decreta illa Pontificia in plerisque Germaniæ Episcopatibus non esse usu recepta.

Et Viva *ad proposit. 5. ac sextam ab Alexandro VII.* damnatas, etiamnum probabile censet v. g. fœminam excusari à denunciando sollicitantem, si grave malum inde timeat, aut si ea proximè eventura probabiliter credat suis consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum. Vide Viva *loc. cit.*

Quæres quartò, utrùm Confessario aliquando liceat uti notitia ex sola Confessione comparata?

506. Resp. Notitia ex sola confessione comparata (sine speciali, voluntaria, libera & expressa licentia pœnitentis; de qua suprà *n.* 482.) nunquam licet uti sic, ut alii possint advertere, pœnitentem hoc vel illud peccatum incidisse, aut grave peccatum fuisse Confessum &c. Immò neque præfata notitia licitum est uti sic, ut solus pœnitens illud advertens, inde cogatur subire aliquam confusionem, damnum, aliudve gravamen. Ita sanè communissimè DD. Henno *de pœnit. disp.* 10. *q. 6. Concl.* 1. Kresslinger *in Addit. ad Theol. Moral.* P. Reiffenst. *post n.* 33. La Croix *n.* 1977. Ratio autem generalis est illa jam superiùs insinuata; quia alias Confessio fidelibus meritò redderetur odiosa ac formidabilis, non sine maximo animarum detrimento; quod Christus ceu Auctor hujus Sacramenti certò numquam intendit. Hinc Innocentius XI. in Congregatione generali universalis Inquisitionis expressè inhibuit, ne Confessarii utantur scientia Confessionis cum aliquo gravamine pœnitentis, etsi abesset violatio Sigilli; immò verò tametsi majus gravamen ex non usu, quàm ex usu talis scientiæ pœnitenti secuturum prævideatur; ergo non licet &c. Videatur.

507. Dictum tamen fuit: *Si pœnitens inde cogeretur subire aliquod gravamen, damnum, vel confusionem &c.* Non enim illicitum est uti tali notitia etiam extra Confessionem &c. quando pœnitens vel omnino non advertit Confessarium illa uti; vel si etiam illud advertat, inde tamen nullum prorsus gravamen, sed potiùs favorem ac commodum sentit. Qua ratione communissimè tenent DD. uti videre est apud Sporer *n.* 869. & alios jam citt. licitum esse Confessario, pœnitenti, quem ex confessione novit verè pauperem, dare eleemosynam, vel etiam abstinere à verbis aut factis, quibus novit pœnitentem fuisse provocatum ad iracundiam aut indignationem &c.

Quæres quintò, quasnam pœnas Confessarius sigillifragus incurret?

508. Resp. Vi antiquorum Canonum Confessarius convictus de hoc delicto debebat deponi, & ad peregrinationem perpetuam condemnari *cap. Sacerdos de pœnit. dist. 6.* Verùm quia hæc pœnitentia videbatur cedere in dedecus ordinis Sacerdotalis, hinc à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. omnis utriusque sexus &c. de pœnit. & remiss.* commutata fuit in aliam, scilicet hanc, ut sigillifragus detruderetur in Monasterium, ibidem tota vita sua arctam penitentiam acturus. Quin etiam ubi talis fractio Sigilli contigisset cum magnis scandalis, aliisvè detrimentis notabilibus pœnitenti inde emersis, iniquus Confessarius esset degradandus, ac brachio sæculari tradendus, puniendusque morte corporali, prout olim factum fuisse Venetiis, testatur Felicianus *de degradatione cap.* 14. apud Gobat *Quin. tr. 5. cap.* 42. *n.* 183. & Clericatum *decis.* 49. *n.* 18. & 19. quos vide, si placet.

509. Dixi: *Confessarius convictus &c. de delicto.* Nefas quippe foret omni juri & æquitati contrarium, hujuscemodi pœnis animadvertere in Confessarium non satis convictum, immo & confessum de crimine, prout ex casibus mox proponendis ampliùs colligetur. Cæterùm quo modo Episcopus vel Judex Ecclesiasticus debeat procedere ad formandum processum contra hujusmodi Confessarium quærela

relatum, & diffamatum de hoc crimine, videri potest apud Doctores mox citatos: neque enim meæ intentioni aut fori mei est, paucis hisce pagellis Episcopos, vel Iudices Ecclesiasticos instruere, sed Tyrones duntaxat Confessarios minùs expertos in praxi. Illud solùm cum Gobat *in Quinario tr. 5. c. 42. sect. 7. n. 181. & seqq.* & Clericato *loc. cit.* breviter adnotare libuit, quòd scilicet Judex Ecclesiasticus, volens formare processum in hac causa, ante omnia debeat à pęnitente petere, & obtinere licentiam inquirendi, & testes examinandi &c. ita, ut si non præcedat dicta licentia, & testes id deponant in judicio, ac Confessarius hoc ipsum fateatur, totus processus sit nullus, neque ex eo Confessarius possit puniri, veluti ostendunt Menochius, Baldus, Gomezius, quos refert & sequitur Dicastillo *de pęnit. disp. 12. n. 60.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de usu notitiæ, ex sola confessione acquisitæ.

CASUS PRIMUS.

Titia à quodam Confessario Religioso se graviter offensam existimans, vindicandi ergo ficta infirmitate in lectum decubuit, dictumque Religiosum Confessionis causa ad se vocari fecit; qui etiam nil mali suspicans, mox comparuit. Non multò post Titia è lecto surgens adivit Superiorem Monasterii, & Religiosum illum effrontèr accusando mendaciter dictitavit, se ab eodem nuper Confessionis causa vocato fuisse sollicitatam ad turpissimum carnis flagitium. Tandem conscientiæ stimulis adacta venit ad alium quendam tertium Confessarium, & sese de hac iniquissima diffamatione dolenter accusavit. Jam quæritur 1. quidnam Superiori, audita hac delatione Titiæ? & 2. quidnam tertio illi Confessario audita hac Confessione fuerit agendum?

510 Resp. Ad primum Superior audiens hujusmodi delationem, non debet esse nimium facilis credendo Mulierculæ, immò nec alteri Confessario ex sola Mulierculæ assertione rem fortè deferenti, nisi aliunde contra diffamatum subditum extarent indicia gravia. Ita Marchantius mox suprà relatus *Tom. 1. tr. 4 tit. 6. quæst. 6. Append. 2. Concl. 3.* quem sequitur Henno *ubi suprà quæst. 7. Concl. 2.* Ratio est: Quia hujusmodi mulierculæ nonnunquam tam vehementibus invidiæ ac vindictæ passionibus agitantur, ut nihil non moliantur perdendi, vel certè graviter affligendi causa viros etiam Religiosos ac devotos, eò quòd suis inclinationibus eos invenerint contrarios, ait Henno *loc. cit.* Placet referre & alterum testem, sanè omni exceptione majorem, nostrum scilicet Marchantium, qui *loc. cit.* præclarè disserens de hac materia, fatur in hunc modum: *Ego ipse, qui hæc scribo, expertus sum, dum apud me, ubi Superior fui à Confessariis etiam contra hunc ordinem ad me delatæ fuerunt quærimoniæ contra aliquos innocuos subditos, quas filiæ quædam, quæ devotæ finguntur, in Confessione effutiverant cum licentia & facultate facta Confessariis suis, ut per illos denuntiarentur mihi: quas postea falsas ipse in primis Confessarius deprehendens, ad me venit, deceptionem suam agniturus, & famam innocuorum sacrilego Confessionis sacræ abusu sublatam restituturus.* Ita Marchantius mox subjungens: *Fugite quæso pestem illam, non tantùm ut malorum originem: sed ut per se illicitam, & Christi institutioni contrariam &c.* Hujus testimonio & ego tantò faciliùs adstipulor, quantò certiùs compertum habeo, falsissimam accusationem in nostro hoc casu non fictam, sed factam esse: novi ego Superiorem, cui subditum qui delatus fuit, & personam quæ posteà sua dicta revocavit.

Itaque in hoc casu delatrix à Superiore quàm cautissimè, & accuratissimè examinari debet, de tempore, loco, occasione, verbis, factis, aliisque circumstantiis, an scilicet in his non inveniatur aliqua contradictio: debet insuper priùs bene ponderatis tum personæ deferentis, tum ipsius etiam delati circumstantiis cum multa deliberatione rem coram DEO

discutere & conferre: & siquidem delatio aliquam veritatis speciem præseferre videatur, non statim publicè coram aliis, sed potiùs in secreto examinandus est subditus delatus, tandemque quod coram DEO justum, & tum bono animarum, tum etiam bono ipsius delati magis proficuum judicaverit, decernere. Videantur de hoc KercKhove *in statuta generalia cap. 6. §. 2. à nu. 113.* Rodriquez *Tom. 2. qu. 18. art. 1.*

512 Resp. Jam ad secundum Confessarius ille tertius tenebatur Titiam obligare, ut coram eodem Superiore (si tamen fieri poterat) falsam suam delationem revocaret, sive per se, sive per alium, idque verbis, vel saltem scriptis. Ratio est clara: quia omni jure tenetur restituere bonum famæ injustè ablatum, etiam cum æquali suo periculo diffamationis & confusionis, secus enim velut indispositia & incapax Absolutionis, dimittenda foret. Neque satisfaceret præcisè apud Superiorem intercedendo, ne accusatum puniret: quia per hoc subditus non recuperaret famam injustè sibi ablatam. Ratio autem hujus resolutionis jam fuit insinuata: siquidem Confessarii vel maximè est attendere, ne indigno & indisposito administret Sacramentum pœnitentiæ. Nec sibi timeat de fractione Sigilli per hoc, quòd imponat & jubeat pœnitentem restituere famam &c. non enim contra, sed potiùs juxta voluntatem Christi aget, declarando eidem obligationem cui jure naturali tenetur satisfacere, si tamen velit absolvi vel salvari.

513 Quocirca bene notat Henno *cit. q. 5. Concl. 3. fin.* Quòd Confessarius non debeat de facili hujusmodi onus (revocandi scilicet, & restituendi famam) in se suscipere, etiamsi pœnitens illum enixè deprecetur; quia non desunt alii, qui id exequi possint: & ubi non videtur aliter, nisi per Confessarium ipsum id fieri posse, non debet is aquiescere, nisi pœnitens extra Confessionem, immò etiam extra Confessionale velit aperire rem, & (si tamen scribere sciat) dare schedulam in testimonium notitiæ extra Confessionem exhibitæ cum licentia ea utendi, quantum necesse fuerit ad restituendam famam integrè.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius excepit Confessionem famulæ suæ inopinatò periculosè decumbentis, quæ inter alia candidè fatebatur, se tempore nocturno sæpissimè procum suum admisisse in domum Sacerdotalem, & actu ab eo portare uterum; itemque de esculentis, poculentis, aliisque utensilibus plurima eidem impendisse, non sine magno conscientiæ suæ remorsu, & damno ejusdem Sacerdotis; qui audita hujuscemodi Confessione prorsus obstupuit, multùm sollicitus, qua via hinc evaderet violationem secreti Sacramentalis, illinc verò præcluderet infamiam sibi certò imminentem, casu quo famula in domo sua pareret, simulque alia damna ex occulta subtractione imminentia. Unde jam quæritur in hoc casu 1. An Sempronio licuerit in ipso actu Confessionis præcipere famulæ, ut recuperata valetudine sponte abiret è sua domo Sacerdotali, sibique damna illata recompensaret? Utrùm postea nolentem cedere è domo, licuerit expellere ad vitandam infamiam, vel etiam diligentiùs custodire domum; aliasque reculas, ne deinceps simile, vel omnino gravius damnum subire cogeretur?

514 Resp. Ad primum. Licuit Sempronio in ipso actu Confessionis famulam suam obligare, & præcipere, ut abiret è sua domo, ad avertenda & prævenienda scandala, itemque, ut sibi pro damnis ex occulta subtractione illatis satisfaceret: etsi charitas, fortè etiam periculum scandali vitandi, suadere videantur, ut quoad restitutionem mitiùs cum illa procedat, aut omnino condonet. Ratio hujus resolutionis facilè deducetur ex jam dictis: quia tantum abest, ut sacerdos agat contra voluntatem aut institutionem Christi, vel etiam contra reverentiam hujus Sacramenti, sub ipso actu confessionis injungendo pœnitenti obligationem jure naturali debitam, etsi post seu extra Confessionem implendam, ut potiùs vi sui officii teneatur eidem talem injungere, etsi eam de-

detrectet, omnino negare absolutionem, ne hanc indispsito administret cum irreverentia Sacramenti, veluti proximè dictum fuit: atqui famula in nostro casu tenebatur abire è domo sacerdotali ad avertendam gravissimam infamiam, quæ sine dubio in eam redundasset, si in eadem diutiùs perseverans parturisset; similiter tenebatur ad compensanda damna Hero suo injusta subtractione illata: Ergo &c. Et certè alius quicunque demum Confessarius id inaudiens, debuisset eam ad hoc obligare: quidni ergo Sempronius Confessarius potuisset id ipsum facere sine peccato? Unde prorsus non video, cur La Croix *num.* 1977. doceat, Confessarium frangere Sigillum, si famulo infideli in confessione præcipiat reddere clavem, aut sponte discedere, eò quòd talis jussio non sit actus spectans ad confessionem: nunquid enim ad confessionem vel maximè spectat, monere, immò & obligare pęnitentem (faltem per se loquendo) ad omne id præstandum, sine quo non esset capax absolutionis? atqui famula in hoc casu nostro nolens restituere vel discedere è domo sacerdotali, etsi posset, foret certò incapax absolutionis: Ergo &c.

515 Resp. Ad secundum. Si famula post recuperatam valetudinem noluit discedere è domo sacerdotali, & Sempronius de ipsius delictis non habuit notitiam aliunde extra confessionem, non licuit postea eam propter hujusmodi delicta confessa domo ejicere, neque sponte discedenti compensationis ergo subtrahere mercedem, seu salarium debitum, immò nec propterea solito austeriorem vultum exhibere. Ratio hujus jam suprà *num.* 506. data fuit: quia Confessario non licet extra confessionem uti notitia sola confessione comparata cum gravamine, damno, vel confusione pęnitentis, at, sine dubio famula confunderetur, si Sempronius eam vi solius notitiæ ex confessione adeptæ domo sua ejiceret, vel sponte discedere volenti salarium debitum subtraheret: Ergo hoc non licet: Consequenter deberet se gerere ac si prorsus nihil unquam de delictis famulæ audiisset, non obstante quocunque damno aut periculo infamiæ; quia multò majus foret periculum animarum saluti impendens ex fractione Sigilli, vel etiam ex hoc solùm, quòd homines scirent, aliquando licitum esse Sigillum frangere, aut aliam confusionem extra confessionale sibi irrogari ob delicta in Confessione m expofita, utì Doctores sanè communiter advertunt.

Dices: At nunquid licuisset saltem Sempronio nostro deinceps accuratiùs custodire res suas, aut domum serare &c. ne infamis ille procus rursus intraret tempore nocturno?

516 Resp. In primis certum & exploratum haberi ab omnibus, hoc non esse licitum, si vel procus, vel alii domestici possint animadvertere, hujusmodi custodiam accuratiorem rerum domesticarum fieri ob Confessionem famulæ. At verò supposito, quòd præter solam famulam confessam nemo alius prorsus id posit advertere, multi Doctores existimant illud haudquaquam illicitum esse; eò quòd Confessarius in hoc casu non exerceat aliquam actionem immediatè erga ipsum pęnitentem, sed solùm erga res suas meliùs custodiendas, ad quod, cùm aliunde jus habuerit, pęnitens nequit esse rationabiliter invitus, nec gravatè id ferre, præsertim cùm ipsemet sponte teneatur abstinere ab hujusmodi actibus, vel occasionibus.

517 Nihilominus mihi cum P. Marchantio & aliis multò probabilius videtur, etiam hoc non vacare culpa sacrilegii, ideòque nunquam attentandum à Confessario. Ratio est: Quia hoc modo pœnitenti extra confessionale indicatur peccatum suum ex sola confessione notum: Ergo fit revelatio Sigilli, vi cujus pœnitentiæ Sacramentum posset reddi exosum, contra mentem Christi Domini, qui ad evitandum hoc absurdum voluit, ne Confessarius extra Confessionem vel cum ipso solo pœnitente unquam loqueretur de peccatis confessis. Qua de causa Congregatio Cardinalium universalis inquisitionis declaravit, usum notitiæ ex sola Confessione haustæ, cum gravamine pęnitentis omnino pro-

prohibendum esse, etsi aliud multo majus commodum ex non usu ipsi etiam pœnitenti aut aliis sequeretur. Vid. Viva *in Append. ad Propositiones damnatas §. 6.* La Croix *num.* 1970. & 1977. Henno *cit. quæst.* 6.

CASUS TERTIUS.

Cajus Confessarius noverat ex sola Confessione quandam personam; quæ ex instinctu diaboli (erat enim saga) assueverat circuire Confessionalia, ut Confessarios narrando spurcitias suas cum diabolo commissas induceret in tentationes, aut certè sacrilega Confessione quovis demum modo impetrata, iisdem remorsum conscientiæ infigeret? Quare cùm eam aliquando tempore verspertino suo Confessionario imminentem, immò jam proximè intraturam conspexisset, illico à sua sede surrexerat, & ne præfata persona alium forte infestaret, aut molestaret, dato mox signo ad claudendas Ecclesiæ januas (erat enim Custos Ecclesiæ) omnes ac singulos Confessarios surgere fecit. Quæritur jam an bene ac licitè?

518 Resp. Si Cajus Confessarius ex eadem confessione scivit, præfatam personam non animo confitendi, sed seducendi duntaxat, vel cum sacrilegio frustrandi Sacramentum, Confessarios convenire, haud illicitè egisset surgendo è confessionali, & excitato tumultu alios quoque provocando è suis sedibus, etsi forsitan persona illa potuisset animadvertere, totum illud sui causa factum esse. Ratio est: quia ex hac suppositione non fecisset Confessionem Sacramentalem, & per consequens inde nunquam potuit oriri obligatio Sigilli Sacramentalis: Ergo his suppositis bene fecisset, surgendo, aliosque à periculo præservando. Cavendum nihilominus est, etiam in tali casu, ne alii advertant id fieri duntaxat propter hanc aut illam personam; tum quia aliàs eam posset injustè diffamare, aut certè periculo gravium suspicionum exponere; tum etiam quia alii hoc advertentes possent facilè scandalizari, credentes Confessarium frangere Sigillum, præsertim cùm ipsis non constet, id fieri ex confessione non Sacramentali; veluti rectè monet Marchantius noster aliique plures.

Dices: at quid, si persona illa nuper Cajum convenisset vero animo confitendi, etsi ob indispositionem sine absolutione dimissa, licuissetné vi hujus notitiæ Cajo ad avertendum periculum tum proprium, tum reliquorum etiam, è Confessionario surgere, & excitare tumultum, ita tamen cautè, ut nec alii, nec ipsa hæc persona potuissent animadvertere, id esse factum ob notitiam peccatorum ex sola confessione Sacramentali cognitorum.

519 Resp. Non desunt Authores asserentes id esse licitum; quibuscum etiam sentit Henno, modò Confessarius ita cautè se subducat, ut neque pœnitens, neque alii advertere valeant, illud fieri intuitu indispositionis ex sola confessione Sacramentali cognitæ: quia, inquiunt, talis actio nequit Confessionem rationabiliter reddere invisam & odiosam, quandoquidem ex hac suppositione pœnitens nullum inde patiatur incommodum, nullam confusionem, nec aliud damnum. Non ausim improbare hanc opinionem, utpote & ratione & authoritate gravissimorum DD. fulsultam.

Nihilosecius cum P. Herincx aliisque censeo multo probabilius, id esse illicitum: esto enim nec pœnitens ipse nec alii advertant, Confessarium se subtrahere præcisè ob notitiam nuper in confessionem comparatam, hoc ipso tamen quòd sciret, licitum esse Confessario ob solam confessionem deinceps se subducere, immò & alios provocare è suis sedilibus sacris, quando nemo advertet eum hoc facere ob confessionem &c. hoc ipso, inquam, confessio videri posset formidabilis, atque odiosa. Vide Babenstuber *tr. 8. part. 6. disp. 6. art. 5. n.* 39. Kreslinger *in Addit. ad tr. 14. d. 9. post n.* 29. *Theolog. Moral.* P. Reinffestuel.

520 Confirmor ampliùs in hac mea opinione ex illo famosissimo Decreto Clementis VIII. edito 26. *Maij anno* 1593. *Ubi Regularibus præcipit, ut tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad externam gubernatio-*

-*nem utantur*. Ex quo Viva, Herincx, Illsung, aliique satis communiter inferunt, non licere Superiori alicui, subdito votum seu suffragium negare ex eo, quòd illum vi confessionis noverit esse indignum ad tale officium: idque verum ac certum existimant, etiamsi eligendus nunquam agnosceret, votum sibi esse denegatum propter indignitatem ex confessione notam: ergo similiter in nostro casu neutiquam licuisset Confessario surgere è confessionali, supposito, quòd vitia hujus personæ non aliunde, quàm præcisè ex confessione sacramentali habuerit sibi perspecta; eadem quippe ratione, qua Superiores Regularium prohibentur uti notitia solius confessionis, omnes alii Confessarii tenentur abstinere ab hujusmodi usu cum præjudicio, aliovè quocunque demum gravamine pœnitentis, non necessariò connexo cum confessione sacramentali. Et certè si pœnitens prævideret hujusmodi gravamen ex sola confessione sacramentali sibi imminens, excusaretur ab integritate materiali confessionis, ita ut huic Confessario non teneretur similia peccata exponere: ergo evidens signum est, Christum noluisse, pœnitentem ejusmodi onere extrinseco confessionis gravari, ideòque noluisse Confessarium uti hujusmodi notitia Sacramontali, tametsi nec pœnitens, nec alii id animadverterent. Videatur Herincx *disp.* 18. *n.* 45. Viva *l. cit.* Illsung. *tr.* 6. *disp.* 6. *n.* 258. & seqq.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

521 Colliges ex hactenus dictis primò, præter Confessarium, & alios superiùs *n.* 502. relatos, ad sigillum sacramentale teneri illos etiam, qui præter, vel contra voluntatem confitentis, sive dein casu, sive etiam ex industria, utpote stando prope confessionale & auscultando &c. ejusdem peccatum audivere. Ita *communis* DD. Ratio est: quia talis notitia supponitur acquisita ex sola confessione sacramentali: atqui hac nunquam licet uti contra voluntatem pœnitentis: ergo &c. Neque incuria Sacerdotis, altiùs fortè quàm oportuisset clamantis aut loquentis, vel injuria aliorum adstantium debet obesse Sacramento, quòd certè redderetur valde odiosum, si notitia confessionis ita comparata uti liceret.

522 Dixi temen; *Contra aut præter voluntatem confitentis &c* Etenim casu quo ipse pœnitens, sive majoris confusionis, sive etiam consilii causa ante confessionem vel postea sua peccata aliis sponte revelaret, hi non tenerentur ad sigillum sacramentale, sed duntaxat ad naturale, vi cujus unusquisque adstringitur proximum suum coram aliis non diffamare sine justa causa. Ratio autem est: quia enarratio vel revelatio peccatorum aliis facta, non fuit confessio sacramentalis: ergo nullatenus potuit introducere obligationem sigilli sacramentalis. Vide Babenst. *tr.* 8. *disp.* 6. *p.* 6. *a.* 5. *num.* 28.

523 Colliges secundò, Confessarium licitè uti notitia ex confessione hausta ad propriam suam directionem & instructionem, modò id fieri possit sine ullo gravamine pœnitentis. Hinc dum audit v. g. pœnitentem in hac vel illa occasione fuisse expositum gravi periculo, aut omnino graviter fuisse lapsum &c. licitè ac prudenter ipse effugiet & cavebit hujusmodi pericula, hanc vel illam societatem, familiaritatem, domum, personam &c. Profectò experientia constat, Confessarios ex auditis in sacro tribunali discere civium mores &c. & consequenter modum, quo cum iisdem est conversandum: ergo licitè omnino ac prudenter hac notitia utuntur. Ratio autem fundamentalis est hæc: quia per hujusmodi notitiam nulli omnino mortalium præjudicatur, & hoc ipso Sacramentum pœnitentiæ nullatenus odiosum, aut formidabile redditur. Sporer *n.* 873. Babenstuber *cit. n.* 35.

Dices. Quidsi autem Confessor ex sola confessione sacramentali resciat, sibi parari insidias vitæ, aut animæ, ita, ut moraliter certò prævideat ac credat se lapsurum graviter, si denuo exciperet confessionem hujus aut illius personæ: poteritnè in hoc casu subterfugere confessionale, aut se subtrahere?

524 R. Licitum hoc asserunt multi etiam insignissimi DD. ut si v. g. Sacerdos ex sola confessione agnoscat, sibi parari insidias in nemore, vel in hac aut illa domo &c. vel etiam

etiam vinum pro sacrificio subministrandum esse veneno infectum &c. possit sub alio prætextu non ingredi nemus, vel domo non egredi, vel etiam abstinere à celebratione sacri, etiamsi pœnitens, aliivè complices suspicaturi, aut omnino sibi persuasuri credantur, id ab eo fieri intuitu notitiæ ex confessione aquisitæ, modò (inquit Scotus *l. cit.*) omnibus attentis circumstantiis actio non sit de se revelativa sigilli. Ratio datur hæc: quia hoc ipso, quòd actiones illæ etiam in his circumstantiis maneant de se indifferentes, non est, cur pœnitens, aut alii complices credant, eas fieri potiùs ad revellationem sigilli, aut ex notitia confessionis, quàm ex alio motivo vel fine. At verò hoc esse licitum, etiam causa mortis vitandæ, mordicùs negant alii, præsertim moderni DD. utì Stoz *cit. n.* 252. Viva ubi suprà §. 9. Babenstuber relatus *art.* 5. *n.* 40. Et certum mihi videtur, quòd si Confessarius nesciat reperire aliquem prætextum, ita, ut siquidem velit vitam salvare, aut confessionale, vel sacrum celebrandum vitare &c. cogatur propterea pœnitentem prodere ac manifestare, id nullatenus liceat, quin potiùs teneatur sustinere mortem: quia, utì jam suprà insinuavimus, revera nullum est tam grande malum, sive temporale, sive etiam spirituale, quod præponderet fractioni sigilli: neque fas est facere malum, ut eveniat bonum. Ita præter jam *cit.* tenent Lugo *disp.* 23. *Sect.* 5. Cardinalis de Lauræa *de pœnit. disp.* 21. *ar.* 11. *n.* 316. Clericatus *de pœnit. decis.* 49. *n.* 14. Neque in hoc dissentit Scotus, utì rectè advertunt Herincx & de Lauræa seu Brancatus *l. cit.*

525 Colliges tertiò, licitum esse præterea uti notitia confessionis ad concionandum in aliqua Communitate ampla aut Civitate, modò non dicat Concionator, ejusmodi peccata sibi esse nota ex confessione, neque ita specificè aut circumstantionate loquatur, ut quempiam sibi confessum erubescere faciat, neque auditores de aliqua persona in particulari fundatam suspicionem concipere valeant. Ratio est: quia his observatis nulla prorsus fit revelatio confessionis, nec inde ullum incommodum adfertur pœnitenti: ergo non agitur contra immunitatem sigilli, nec contra mentem Christi Domini. Ita Bonacina *disp.* 5. *q.* 6. *Sect.* 5. *pu.* 4. *n.* 3. Stoz *lib.* 2. *nu.* 249. Cautè nihilominus Concionatoribus, immò quàm cautissimè procedendum est, præsertim in Communitatibus non adeò magnis: quia in his facillimè natum est oriri scandalum præsertim coram simplicioribus, utique non sine maximo animarum detrimento. Hìc tandem Conferentiam de Sacramento Pœnitentiæ ad animarum salutem, & majorem illius, qui verè pœnitentibus peccata dimittit gloriam eito

FINIS.

THEO.

THEOLOGIÆ MORALIS SACRAMENTALIS PARS III.

De sponsalibus & Matrimonio, nec non de Adulterio & Abortu.

CONFERENTIA PRIMA.


De Natura, & Obligatione Sponsalium.

SUMMARIUM.

1 *Sponsalia sunt promissio voluntaria futuri Matrimonii, &c.*
2 *Ad eorum valorem requiritur libertas perfecta.*
3 *Gravi metu extorta injustè, probabilius ipso jure naturæ sunt nulla.*
4 *Promissio sponsalitia debet esse mutua; unde*
5 *Sinè repromissione non dantur vera sponsalia.*
6 *Verba vel signa debent sufficienter exprimere consensum.*
7 *Quando sunt dubia, attendenda est mens proferentis; &c.*
8 *Quænam Personæ censeantur habiles ad sponsalia?*
9 *Liberi sine consensu Parentum validè contrahunt sponsalia.*
10 *Plerùmque tamen ita contrahentes peccant saltem venialiter;*
11 *Immò, & mortaliter, si contrahant Parentibus graviter, & rationabiliter invitis.*
12 *Resolvitur Casus I. de eo, qui desloravit Puellam sub ficta promissione Matrimonii.*
13 *Talem tenetur ducere. Et quare?*
14 *Nec satisfacit præcisè dotando eam.*
15 *Resolvitur Casus II. de Puella, quæ Hæretico promiserat Matrimonium cum offensa Parentum.*
16 *An talis promissio valeat, si sponsus velit amplecti fidem veram?*
17 *Resolvitur Casus III. de eo, qui contra fidem priorum, contraxit secunda sponsalia.*
18 *Hæc secunda non valent, tametsi prima fuissent solùm conditionata;*
19 *Vel, etiamsi secunda sponsa jam fuisset impregnata.*
20 *Sponsalia inita ex errore circa substantiam Personæ, sunt irrita, & nulla.*
21 *Nulla etiam sunt si sponsa, vel etiam sponsus sit ligatus voto castitatis, aut alio impedimento irretitus.*
22 *Nec valent, licèt Puella jam concessisset usum corporis.*
23 *Sponsalia ante septennium completum inita, sunt nulla.*
24 *Sub conditione inita non valent simpliciter ante, bene autem post conditionem adimpletam.*
25 *Sub conditione impossibili inita, sunt nulla.*
26 *Sub conditione turpi celebrata, obligant post adimpletam conditionem, non autem ante.*
27 *Ad valorem sponsalium non requiritur præsentia Parochi & testium.*

AR-

ARBOR CONSANGUINITATIS.



§ I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria, ad ritè decidendos casus circa valorem Sponsalium.

Quæres 1. Quid sint Sponsalia?

1 R. Sponsalia (à spondendo, seu sponte promittendo sic dicta) sunt promissio voluntaria, libera, & mutua, signo aliquo sensibili expressa, futuri Matrimonii, inter Personas habiles. Ita Illsung. *tract. 6. Disp. 9. quæst. 1. art. 1. cum comm. DD.* Ex hac descriptione facilè colligetur, quænam conditiones requirantur ad valorem Sponsalium. Verùm ut res tota amplius dilucidetur

2 Quær. 2. Quæ & quanta libertas, & deliberatio requiratur ad valorem sponsalium? R. cum P. Sanchez *lib. 1. de Matr. disp. 8. nu. 5.* Sporer *de Matr. n. 158.* Tanta requiritur, & sufficit, quanta requiritur ad mortaliter peccandum, scilicet libertas perfecta cum deliberatione saltem virtuali. Ratio est: tum quia obligant sub mortali; tum etiam quia promissio sponsaliorum debet esset Actus moralis, & simpliciter humanus: ad talem autem actum sufficit, & requiritur advertentia, libertas, & deliberatio saltem virtualis: ergo, &c.

Hinc qui in amentia, ebrietate &c. contrahunt, non conficiunt sponsalia, ut *communiter tenent DD.*

Dices: Quid igitur de sponsalibus ex metu contractis tenendum?

3 R. Si metus fuerit levis solùm, valent; quia talis metus notabiliter non minuit libertatem, & facilè contemni potest, ac debet: ergo qui ex tali metu consentit, satis liberè consensisse præsumitur; quamvis DD. communiter fateantur, etiam hæc sponsalia esse suo modo infirma, & de facili rescindibilia per eum, qui metum passus est. Si autem metus fuit gravis, & ab extrinseco injustè incussus ad extorquendum sponsalia, Doctores diversimodè sentiunt.

Nonnulli satis graves DD. videndi apud P. Kugler *de sponsal. part. 1. n. 34.* tenent, sponsalia ex tali metu inita valere, quantùm est de jure naturæ. La Croix *verò de sponsal. lib. 6. part. 3. à n. 106.* putat, esse valida ex jure naturæ, ex jure autem positivo esse probabiliter nulla, per *c. Ex litteris. de Desponsat. Impub.* mihi tamen cum Kugler *l. cit.* & Illsung *cit. disp. 9. n. 2. atque aliis* probabilius videtur, talia sponsalia esse de jure naturæ nulla, nec inde oriri ullam obligationem, nec impedimentum publicæ honestatis. Ratio satis bona est hæc: quia ex jure naturæ repugnat, aliquem obligari ad actum irritum, & saltem per leges impossibilem: atqui matrimonium (ad quod sponsalia obligant) ex gravi metu injustè incusso initum, est nullum, saltem per leges positivas: ergo & sponsalia obligantia ad tale matrimonium, sunt de jure naturæ irrita.

Quær. 3. Quomodo promissio sponsalium debeat esse mutua?

4 R. In hoc sensu, quatenus promissio unius partis v. gr. Sponsi non solùm debet esse acceptata ab altera, Sponsa scilicet, sed insuper ab hac facta repromissio. Ratio est: quia sponsalia consistunt in contractu oneroso: ad onerosum verò contractum requiritur nedum utriusque partis consensus, sed etiam obligatio mutua ad aliquid faciendum, vel dandum: ergo. *Communis* apud Laym. *lib. 5. Tract. 10. part. 1. c. 1. nu. 2.*

Dices. Quid si autem sponsa acceptet quidem promissionem sponsi, absque eo, quòd repromittat, tenebiturne illum ducere?

5 R. cum distinctione. Si enim promisit animo verè contrahendi sponsalia, non tenebitur; quia contractus sponsalitius nullus est, si non sit mutuus: unde communiter dicunt DD. *Contractum sponsalitium claudicare non posse.* Si autem merè liberaliter promisit, tenebitur, non quidem vi contractus verè sponsalitii, sed vi gratuitæ promissionis. Tandem si dubitet, quo animo promiserit, præsumendus erit promisisse animo contrahendi vera sponsalia; quia *in obscuris & dubiis inspiciendum & præsumendum*

est

est id, quod plerùmque fieri consuevit: at plerùmque sponsi non aliter se obligant, quàm dependenter ab alterius reciproca promissione, & animo efficiendi vera sponsalia: ergo. Ita rursus cum *communi* Layni. cit. Bonacin. Sporer. *nu.* 152. *& alii*.

Quæres quartò. Quænam signa consensus expressiva requirantur?

6 R. Talia signa, vel nutus, vel etiam verba requiruntur, quæ hìc & nunc sufficienter exprimant, & indicent, loquentem seriò, & verè intendere promissionem reciprocam futuri matrimonii. Ratio est: quia sponsalia sunt contractus humanus civilis: homines autem non possunt verè contrahere, nisi per signa sensibilia animum verè contrahendi manifestent: ergo. Sanchez, Castrop. *de sponsal. disp.* 1. *punt.* 4. *num.* 1. Babenst. *Tract.* 8. *part.* 7. *dis.* 1. *art.* 2. *num.* 33. Dixi *requiri talia signa, vel verba, quæ significent, loquentem seriò & verè intendere, &c. &c.* Enim verò si sponsus aut sponsa satis manifestet, se non seriò loqui, sed tantùm jocari; ut si quis alicui vetulæ dicat: promitto me ducturum te, si aliquando junior evaseris, &c. contractus erit nullus: sicut enim nuptias non concubitus, sed consensus facit *L.* 30. *ff. de R. J.* ita etiam sponsalia non facit locutio per verba vel signa quæcunque demum, sed consensus; qualis hìc non supponitur. *vid.* Babenstuber *loc. cit.*

Dices iterum: Sed quid, si promittens fuerit usus verbis dubiis?

7 R. In foro interno à Confessario attendenda erit mens proferentis. In externo autem à Judice proceditur sic: si verba vel ex se, vel ex circumstantiis loci, aut ex communi modo loquendi significent promissionem mutuam, pronuntiantur valida: sin minùs invalida: denique si verba ita sint dubia, ut ex iis non possit probabiliter conjici mens utentium, declarari solent ut invalida, juxta Perez, Diana, Gobat *tract.* 10. *num.* 73. & Sporer *nu.* 178. Ratio est: quia standum est pro libertate possidentium illam, nisi jus aliquid in contrarium statuat: atqui hìc jus nihil statuit in contrarium: ergo.

Quæres quintò. Quænam Personæ habiles, vel inhabiles censeantur ad contrahenda sponsalia?

8 R. Illæ solùm Personæ censentur habiles ad contrahenda sponsalia valida, quæ matrimonium ipsum aliquando validè & licitè poterunt contrahere, quæ verò matrimonium ipsum validè aut licitè contrahere nunquam possunt, vel aliunde ex juris dispositione ad spondendum inhabilitatæ sunt, nequeunt valida conficere sponsalia. Ratio est: quia sponsalia sunt promissio futuri matrimonii: ergo illi tantùm ea possunt contrahere, qui sunt habiles ad matrimonium suo tempore ineundum, idque validè simul, & licitè, nam universim promissio de aliquo impossibili, vel inhonesto, seu illicito faciendo non valet, tametsi juramento fuisset confirmata: quia juxta *Reg.* 58. *Jur. in* 6. *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. Ita *cum Com.* Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 15. Illsung. *tract.* 6. *disp.* 9. *quæst.* 1. *artic.* 1. *num.* 9. Reinffest. *Theolog. mor. tract.* 14. *dist.* 14. *num.* 26. Ubi tamen advertendum, sponsos pro eo solùm tempore inhabilitari ad contrahenda sponsalia, quo manent irretiti impedimento sive dirimente, sive etiam impediente solùm matrimonium; unde si suam promissionem referant ad tempus, quò impedimentum fuerit legitimè sublatum, valebunt sponsalia. Ratio est clara: quia pro tunc licitè contrahunt matrimonium: ergo pro nunc validè promittunt. *Vid. DD. citt.*

Quæres sextò. An Liberi licitè, vel saltem validè contrahere queant sponsalia, Parentibus irrequisitis?

9 R. 1. *Cum communi DD.* Eos validè contrahere. Ratio est: quia in electione status, maximè matrimonialis, ipso jure naturæ quilibet est liber, & nulli alteri, ne quidem Parentibus subjectus. Hinc meritò *Concil. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. decidit, *valida esse matrimonia Liberorum sine consensu Parentum contracta*: ergo etiam valida erunt sponsalia, saltem per se loquendo, modò tale matrimonium aliunde non sit prohibitum.

10 R. 2. Liberos irrequisitis Parentibus contrahentes communiter peccare, sed

per

per se loquendo, venialiter tantùm. Ratio est: quia liberi, præsertim Filiæ, debent id honoris Parentibus, secùs enim Parentes meritò judicabunt, se contemni. Diximus tamen, quòd *per se loquendo venialiter tantùm peccent*; nam per accidens, si nimirum prævideant, se Parentibus non requisitis daturos occasionem magni mæroris, gravis atque diuturnæ offensæ, aliorumve peccatorum, excusari haud quaquam poterunt à mortali peccato. Sanchez. *lib.* 4. *disp.* 23. *à n.* 9. Babenst. *cit. disp.* 1. *art.* 2. *n.* 48.

Dices. At quid, si contrahant Parentibus invitis, & contradicentibus?

11 R. cum distinctione. Vel enim contrahunt cum dignis, vel indignis, id est, talibus, qui sunt vitæ perditæ, criminosi, vel aliàs malæ famæ, è quibus infamiæ nota, aliudve dedecus in familiam redundet; si primum, non peccabunt, saltem si consensum à Parentibus modestè petierint, & aliunde nullum immineat incommodum; quia quantùm ad electionem status sunt sui juris, ut dictum est. Quin potiùs Parentes peccabunt, si absque justa, & gravi causa nitantur impedire Filium aut Filiam ab honesto, & sibi utili connubio. Si secundum, id est, si cum indignis contrahant, vix excusabiles erunt à peccato mortali. Ratio est: quia ex talibus connubiis regulariter, & quasi semper sequi solent gravia mala, utputa, scandala, odia, rixæ, ac dissensiones, dedecus denique Parentum, & totius Familiæ: ergo similia connubia & sponsalia vix, aut certò rarissimè contrahi possunt sine peccato mortali. Vide de hoc puncto optimè differentem P. Sporer à *n.* 204. La Croix *n.* 570.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Sponsalibus.

CASUS PRIMUS.

T*Itius, ut usum corporis impetraret, fictè promisit matrimonium Titiæ, quæ primò quidem tergiversata, tandem verò acceptata conditione futuri matrimonii, petitum concessit. Ast Titius facti jam pœnitens; quærit: 1. An sponsalia valeant? An Titiam defloratam teneatur ducere?*

12 R. Ad primum. Sponsalia reipsa non valent. Ratio est: quia ad valorem sponsalium requiritur promissio vera, & seria: atqui ficta promissio nec vera est, nec seria, proindéque nihil operatur, prout bene probat Mastr. 4. *disp.* 7. *de Matr. n.* 288. *&* Kugler *part.* 1. *de spons. n.* 22. ergo sponsalia reipsa non valent.

13 R. Ad secundum. Titium obligari ad ducendam Titiam, non quidem vi promissionis sponsalitiæ, quippe quæ consensu destituta, reipsa nulla fuit, sed titulo justitiæ; nam, ut ait Laym. *tom.* 2. *l.* 5. *tr.* 10. *c.* 1. *n.* 10. Mulier copiam sui corporis faciendo, instituit contractum innominatum: *Do tibi corpus meum ea lege, ut postea Matrimonium mecum contrahas* (quod & factum in nostro casu) quare si mulier ex sua parte promissum impleat alter acceptare non potest, nisi ex naturali æquitate & justitia contrahendo obligationem implendi etiam id ipsum, cujus causa pars altera impleverat. Et licèt talis in animo suo protestetur, nolle se sponsionem facere, attamen externa illa spontanea acceptatio copulæ, tali, & non alia conditione oblatæ, est contraria protestationi, eamque morali æquitatis ratione elidit. Quam ob rem deceptor in omni foro (inquit idem Layman) ad id compelli potest: nec dubito, quin in foro externo compelleretur.

Dices. Ergonè suæ obligationi non satisfaceret, dotando præcisè Titiam defloratam?

14 R. cum Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 10. Mastr. *Theol. mor. disp.* 20. *n.* 76. *& La Croix. lib.* 6. *part.* 3. *n.* 69. probabiliùs non satisfacit. Ratio est: quia justitia commutativa exigit non tantùm, ut reddatur æquale, sed ut (per se loquendo) idemmet, quod ex justitia debetur, reddatur in individuo: at Titius debet puellæ defloratæ ex justitia corpus suum in Matrimonio tradendum: ergo non satisfaciet præcisè dotando illam; præsertim si per justam Judicis Ecclesiastici sententiam fuerit adactus ad matrimonium. Vide etiam Gobat *tr.* 10.

10. *n.* 290. Ubi mox datam responsionem sapienter limitat, resolvendo, quòd non teneatur ducere defloratam, *primò*. Casu quo mulier advertit fictionem promittentis, ut si promittens fuisset ex nobili sanguine, puella verò ignobilis, & de infima plebe; tunc enim videtur noluisse illum obligare, immò voluisse decipi potiùs, quàm sit decepta, *secundò*. Non tenebitur eam ducere, si ex tali matrimonio oritura sint gravia scandala, *tertiò*. Si promissor falsò putarit, puellam, cui ficté promisit, esse virginem, qualis tamen non fuit; & sine dubio cessat obligatio, si puella patiatur se ab alio corrumpi post factam promissionem; quo casu ne quidem tenebitur quidquam ei dare pro dote, sicut nec tenetur, si illa respuit fictum promissorem; quia non promisit dotem, sed matrimonium. Ita post Sanch. Lugo. Gobat. cit.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia sponsalia fecit cum Sempronio, quem probè noverat, esse Acatholicum; hinc Parentum suorum nedum offensam, sed & disgratiam incurrit. Dubitat ergo, & quærit, an sponsalia obligent ita, ut teneatur stare promissis?

15 R. Semproniæ sponsalia videntur non valere, ideòque non tenebitur stare promissis. Ratio autem est: quia, ut cum *Communi DD.* tenent Gobat *cit. n.* 101. Babenst. Illsung. Kulger *part.* 1. *n.* 114. matrimonium Catholicæ cum hæretico, regulariter saltem loquendo, est illicitum, adeòque moraliter impossibile: nemo autem ad impossibile obligari potest, ut habetur *Reg. VI Jur. 6.* ergo.

Deinde, ex tali connubio Semproniæ meritò timeri debent scandala, diuturna Parentum offensa, & alia inconventia: atqui sponsalia ex quibus hujusmodi mala rationabiliter timentur, sunt nulla, utpote repugnantia pietati, aut charitati: ergo. Vide la Croix *n.* 646. Spor. *n.* 203.

Dices. Quid si autem Sempronius spondeat, quòd velit veram, seu Catholicam fidem amplecti?

16 R. Si hoc spopondit, dum sponsalia contraxit, & Parentum offensa, periculum subversionis &c. non sint timenda, probabilius valida sunt. Ita cum aliis pluribus Kulger *proximè cit.* Verùm, quia multiplici experientia comprobatum est, quòd (presertim sponsi hæretici) matrimonio semel contracto non stent promissis, in illis saltem locis, ubi hæretici vivunt permixti cum Catholicis, quin potius nitantur & mulieres, & liberos forté susceptos pervetere; hinc bene monet Gobat *tract.* 9. *num.* 220. cum Tannero, Laym. & *aliis*, ut DD. Parochi, quoad possunt, sese opponant talibus conjugiis.

CASUS TERTIUS.

Cajus sponsalibus cum Caja clandestinè contractis, postea facti pænitens, cuidam alteri promisit matrimonium, promissumque jurejurando confirmavit coram pluribus testibus, proprio etiam sanguine subscribens. Hinc quærit, an hæc secunda sponsalia prioribus non prævaleant, an verò prioribus potiùs stare teneatur?

17 R. Non prevalent secùnda, sed tenetur stare prioribus. Ita cum *Communi la Croix. lib. 6. part.* 3. *n.* 73. Ratio est hæc: quia cùm priora fuerint valida, non ampliùs licet ei contrahere matrimonium cum alia, sinè consensu prioris sponsæ: ergo promissio matrimonii alteri facta, fuit de re illicita, & per consequens nulla, ut constat ex dictis *n.* 8. Dato tamen, quòd Cajus cum secunda contraxerit matrimonium ratum (quod subin vocatur sponsalia de præsenti, sed impropriè tantùm) hoc velut fortius vinculum tribuens jus in re, prævaleret prioribus sponsalibus de futuro, tribuentibus solùm jus ad rem, prout habet *communissima Doctorum*.

Dices. Sed quid, si prima sponsalia fuissent inita sub conditione tantùm de futuro, secunda verò absoluté, sine ulla conditione, nunquid hæc prævalebunt.

18 R. Non prævalent: quia vi priorum tenetur expectare eventum conditionis, quo nón exspectato illicité contraheret cum alia, ergo etiam invalidé promittit tale matrimonium contrahendum. Navarr.

varr. Sanchez *lib. 5. disp. 6. nu. 8.* Clericatus *de Matr. decis. 30. num. 22.* Et est *communis DD.*

Dices iterùm. At Cajus, secundam sponsam ignaram priorum sponsalium jam imprægnavit, tenebiturne nihilominùs ducere priorem?

19 R. Per se loquendo tenetur ducere primam, si cum prima contraxit sponsalia absoluta, aut conditionata quidem, sed conditione modò jam adimpleta. Ratio est: quia per hoc, quòd secundam imprægnaverit, non tollitur jus prioris sponsæ: & homines solent insistere juri suo, non curando de injuria, vel damno, quod aliis inde infertur. Si tamen ex violatione priorum sponsalium exiguum incommodum sit obventurum priori sponsæ, secundæ autem grave; & præsertim si hoc aliter vix reparari queat à Cajo, tunc æquitas saltem aliqua, aut certè charitas postulabit, ut prior sponsa cedat juri acquisito, potestque tunc Judex compellere ad ducendam posteriorem, ait la Croix: *c. n. 74. referens* pro hac sententia Sanchez, Krimer, Kugler & alios plures: Addit Gobat *tr. 10. num. 327.* quòd si secunda sponsa fuisset consanguinea primæ in secundo gradu, teneretur Sponsus propriis expensis procurare dispensationem.

§. III.

Corollaria nonnulla ex dictis inferenda.

20 Colliges primò: sponsalia inita ex errore vel fraude, versante circa substantiam contractus, aut circa qualitatem per se intentam, seu redundantem in ipsam substantiam, esse nulla. Ratio est: quia ubi intervenit talis error vel fraus, deficit cognitio, & per consequens consensus in substantiam: ergo etiam contractus, utpote consistens essentialiter in consensu. Deinde talis error invalidat ipsum matrimonium, ut dicemus infrà *nu. 88.* ergo à fortiori sponsalia de futuro; quippe quæ longè faciliùs dissolvuntur, quàm matrimonium. Contra verò, si error; aut deceptio solùm versentur circa qualitates, aut circumstantias sponsi, aut sponsæ, sponsalia quidem valent; attamen si qualitates sint tales; quæ sponsalibus contractis supervenientes, sufficerent ad ea rescindenda, tunc errans aut deceptus habebit jus ad rescissionem sponsalium. Ratio est: quia, ut notavit Lessius *lib. 2. de just. c. 42. dubit. 7.* in jure paria censentur *non esse*, & *non apparere: aliquid supervenire, & præcedens ignorari*. Vide Sporer. *n. 167.* Herincx *part. 4. de sponf. disp. 1. n. 20.*

21 Colliges secundò: sponsalia ab habente votum castitatis perpetuæ contracta (vel aliud quodcunque impedimentum matrimonii) irrita esse, & nulla, saltem regulariter loquendo. Ratio jam suprà data fuit: quia ad impossibile, aut illicitum aliquid faciendum nemo se obligare potest: at habens votum perpetuæ castitatis (vel aliud quodcunque demum impedimentum matrimonii) licitè nunquam potest contrahere matrimonium: ergo. Reinffestuel *Theol. mor. tr. 14. dist. 14. n. 27.*

Dices. At nunquid valebit talis promissio facta ab habente votum castitatis, si Puella intuitu talis promissionis concesserit copiam corporis?

22 R. Non valet, nec obligat, præsertim si Puella supponatur fuisse conscia voti; tunc enim sibi debet imputare, quòd consenserit. Esto etiam, quòd fuerit voti ignara, nihilominus, si votifragus aliter damnum Puellæ illatum compensare valeat, tenebitur abstinere à matrimonio: sin minùs, per accidens quidem obligabitur eam ducere, at non vi promissionis, sed titulo justitiæ: nec licebit ei petere debitum quamvis reddere teneatur. Ita cum *communi* Perez, Gobat, Sporer *n. 200.*

23 Colliges tertiò: sponsalia ante septennium completum inita, irrita esse & nulla per *c. litteras de desponsat. Impub.* Quia in talibus nondum supponitur usus rationis, consequenter nec consensus sufficiens. Si tamen septennium egressi, spondeant matrimonium, quamvis annos pubertatis nondum attigerint, sponsalia quidem valebunt, infirma tamen erunt, quia rescindibilia post pubertatem adeptam, ut dicetur *n. 30.*

24 Colliges quartò: Sponsalia sub conditione de futuro inita (aliud est de initis

sub conditione de præterito vel præsenti; quia hæc, subsistente conditione statim valent, etiam sine novo consensu, non subsistente autem non valent) non obligare absolutè, nec inducere impedimentum publicæ honestatis; quousque conditio sit adimpleta, ita expressè statuitur *c. 1. de sponsal. in 6.* Ratio est hæc: quia ante eventum conditionis non merentur dici simpliciter sponsalia, eo quòd adhuc deficiat consensus perfectus in matrimonium. Nihilominùs, ut jam dictum est, hujusmodi sponsi tenentur expectare eventum conditionis: qua adimpleta statim valebunt; quia tunc consensus transit in absolutum: proindèque inducent dictum impedimentum publicæ honestatis. Ita *Communis* DD. ut videre est apud Sanchez. *lib. 5. disp. 5. n. 24. &* Sporer *n. 213.* Krimer *lib. 4. n. 869.* la Croix *n. 85.*

Dices. Sed quid de sponsalibus sub conditione impossibili contractis tenendum?

25 R. Non sunt valida, nec ullam pariunt obligationem. Ita Schmier. *tom. 3. lib. 4. tr. 1. c. 3. n. 131.* Illsſ. *cit. disp. 9. n 14.* Babenst. *cit. art. 3. n. 7.* Ratio est: tum quia ad impossibile nemo se obligare valet: tum etiam quia talia sponsalia ob impossibilitatem conditionis nunquam poterunt transire in absoluta: & hoc ipso, quòd contrahens adjiciat conditionem impossibilem, satis ostendit, se non habere animum contrahendi; sine animo autem contrahendi irritus, & nullus est contractus. Quòd verò conditio impossibilis contractui matrimoniali adjecta habeatur pro nulla, fit ex speciali dispositione juris, quæ, cùm non pugnet pro sponsalibus, ad hæc extendi non debet.

26 Denique, si conditio turpis, & inhonesta sponsalibus adjiciatur, ante impletam conditionem nullatenus obligabunt, sed rescindi debent: *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*, ait Papinianus *in L. Filius 15. ff. de condition. institut.* Conditione autem semel adimpleta obligant; quia per eventum conditionis transeunt in absoluta, & cùm tale matrimonium honestè contrahi possit, omnino obligabitur promittens, ut huic satisfaciat. *arg. L. 4. §. sed quod 3. ff. de condict. ob turpem causam.* Vid. Babenst. *cit. n. 9.*

27 Collig. denique quintò: ad valorem sponsalium non esse necessariam præsentiam Parochi, & Testium: unde sponsalia clandestinè contracta de facto valent secundùm communem DD.; quia nulla lege vel jure sunt irrita.

Nec dicas. Vi Concilii Trid. *Sess. 24. de reform. Matr. c. 1.* De facto non valet matrimonium clandestinum in locis, ubi Concilium hoc promulgatum est: ergo nec valent sponsalia.

R. enim Negando consequentiam: clandestina quippe matrimonia per Concilium Trident. irritata sunt ob gravissimas causas, & ad præcavenda irremediabilia mala utputa perpetuos concubinatus, & adulteria aliquorum, qui priùs clandestinè cum una, & postea in facie Ecclesiæ cum altera contraxerant; quæ mala, cùm ex sponsalibus clandestinis non immineant Ecclesiæ, hinc dicta constitutio nullatenus extendi debet ad sponsalia, præsertim cùm de his Tridentinum nullam fecerit mentionem, & de solo matrimonio loquatur. *Vid.* Reiffenst. *dist. 14. n. 30. & 31.*

CONFERENTIA

SECUNDA.

De Sponsalium dissolutione, & Causis ea dissolvendi.

SUMMARIUM.

28 *Sponsalia etiam legitimè celebrata possunt dissolvi.*

29 *Immò ipso jure cessant per mutuum dissensum sponsorum.*

30 *Non tamen Impuberum, quamdiu sunt tales.*

31 *Cessant per susceptionem Ordinis Sacri.*

32 *Item*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus circa dissolutionem Sponsalium.

Quæres primò. Sintne sponsalia semel legitimè & validè contracta rursus dissolubilia?

28 R. Sunt omnino: quia eorum dissolutio neque jure naturæ, neque divino, neque Ecclesiastico est prohibita, si justis de causis fiat. Quin etiam tum ex jure Ecclesiastico, *c. Præterea de sponsal.* tum etiam ex praxi, & consuetudine in Ecclesia passim recepta constat, quòd dissolvi valeant. Sunt tamen causæ nonnullæ, ex quibus ipso jure cessant; aliæ verò, quæ solum dant jus resiliendi, prout observat Babenstuber *cit. disp. 1. art.* 4. Unde

Quæres secundò. Quibus de causis sponsalia ipso jure cessent, & dissolvantur?

29 R. primò. Prima causa est mutuus sponsorum puberum consensus, vel potiùs dissensus. Ratio est: quia omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur *C. omnis res. 27. q. 2.* Et *c. 1. de Reg. Jur.* atqui sponsalia nascuntur mutuo contrahentium consensu: ergo per mutuum dissensum dissolvuntur. Mastr. 4. *disp. 7. num.* 297.

Dixi, primam causam esse *mutuum sponsorum puberum dissensum*. Nam si sponsalia sint contracta à sponsis, quorum vel uterque, vel unus saltem impubes erat (puta à masculo ante annum decimum quartum, aut à fæmella ante annum duodecimum completum) non possunt sponsalia dissolvere per mutuum dissensum, nisi post annos pubertatis adeptos, prout expressè statuitur *c. de illis. 7. de desponsat. Impub.* item *c. à Nobis. 8. eod. tit.* & alibi. Ratio hujus dispositionis est: quia ob fragilitatem ætatis nondum censentur habere maturam deliberationem,

& ideò tempus pubertatis est exspectandum. Vid. *Mastr. l. cit. n.* 298.

31 R. secundò. Sponsalia etiam dissolvuntur per susceptionem Ordinis Sacri (id est majoris, non item minoris) Ratio est: quia constitutus in sacris est perpetuò inhabilis ad matrimonium. Ita *communis*. Utrùm autem sponso absque consensu sponsæ liceat Ordines suscipere, major est quæstio. Affirmant plures; eo quòd contractus sponsalium semper tacitè saltem involvat hanc conditionem: *nisi elegero statum perfectiorem* (qualis est susceptio Ordinis, vel etiam cœlibatus) Plurimi autem negant, ut videre est apud La Croix *num.* 200. Rationem reddit Krimer. *cit. num.* 298. & Schmier. *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 65. quia hæc conditio: *nisi ad statum meliorem transivero*: contractui sponsalitio nec ex natura rei, nec ex jure positivo inest; secùs enim pariter liceret eligere statum cœlibatus: ergo. *Vid.* Babenst. *art.* 4. *num.* 8.

32 R. tertiò. Sponsalia item dissolvuntur per professionem Religionis approbatæ. Ratio est: quia Professio dirimit matrimonium ratum, *c. ex publico. de convers. Conjug.* ergo à fortiori dirimit sponsalia. Cæterùm, an solus ingressus dirimat sponsalia, controvertunt DD. Sanchez, Bonac. *& alii* volunt, dissolvi absolutè per solum etiam ingressum: econtra D. Thom. Durandus, & alii apud Clericat. *Decis.* 17. *num.* 12. contendunt, non dissolvi, nisi per professionem. Tertia tandem opinio est media, quam tenent Palaus, Pont. Mastr. *cit. num.* 300. asserentes, quòd per solum ingressum dissolvantur ex parte remanentis in sæculo, ita, ut non teneatur protinus exspectare professionem ingressi: & hæc videtur verosimilior. Ratio autem, quòd ex parte remanentis in sæculo dissolvantur, est: tum quia ingrediens eo ipso censetur cedere juri suo ad sponsam acquisito: tum etiam quia nimis immutat statum. Quòd verò ex parte ingressi non solvantur per solum ingressum, datur hæc ratio: ne scilicet via aperiatur fraudibus: facile enim quisque sponsalium, vel sponsæ potiùs pertæsus, Religionem ad tempus ingrederetur, ut sic ab onere sponsalium sese eximeret, & aliam ducere posset. *Vid.* Clericat. *cit. l.*

33 R. quartò. Insuper sponsalia ipso jure dissolvuntur per matrimonium validè contractum cum alio, vel alia sponsa. Ita cum communissima DD. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 4. *num.* 30. Reinffest. &c. Ratio jam fuit superiùs insinuata: quia nimirum matrimonium est fortius vinculum, quàm sponsalia, tribuens jus in re: ergo huic sponsalia, tribuentia solùm jus ad rem, debent cedere. Deinde stante hoc matrimonio, jam impossibile evadit matrimonium cum priori sponso, vel sponsa contrahendum: ergo hoc ipso cessat obligatio contrahendi matrimonium cum illa.

Dices. Sed quid si tale matrimonium solvatur per mortem conjugis, eritne tunc obligatio ducendi priorem sponsam, si hæc supponatur urgere sponsalia olim contracta?

34 R. Sanchez, Laym. Filliuc. Babenstub. aliique sat multi negant; eo quòd per matrimonium obligatio priorum sponsalium nedum suspensa, sed penitùs extincta fuerit, adeòque non ampliùs revivisca. Affirmativa tamen opinio, quam tenent Sporer, Haunold, Mastr. Herincx, Schmier, Kugler *part.* 3. *num.* 77. aliique plures, videtur probabilior; tum quia tale matrimonium nec ex jure naturæ, nec ex jure positivo probatur habere vim simpliciter irritandi sponsalia priùs contracta, prout benè probat Schmalzgr. *cit. nu.* 35. tum etiam, quia obligatio sponsaliorum consistere potest cum matrimonio, in tantùm, ut post dissolutum tale matrimonium cum priori contrahere teneatur: quemadmodum ergo qui habet votum ingrediendi Religionem, vel castitatem servandi, non liberatur simpliciter per matrimonium, sed hoc dissoluto tenetur illud servare; ita pariter in nostro casu tenetur talis obligationi sponsalium semel contractæ satisfacere. *Vid. DD. citt.*

35 R. sextò. Sponsalia porrò dirimuntur per quodlibet impedimentum dirimens, immò probabiliùs etiam impediens, quod de novo supervenit. Et quidem de impedimentis dirimentibus consentiunt Sanchez, *lib.* 1. *disq.* 56. Palao, Laym. Herincx

rinck *de sponf. disp.* 1. *nu.* 35. Quoad impedientia tantùm tenet Sporer *à nu.* 274. Ratio autem est: quia per hujusmodi impedimenta matrimonium redditur, vel invalidum, vel certè illicitum: ad actum autem illicitum, seu moraliter impossibilem, quamdiu talis est, nulla datur obligatio: ergo. Mastr. 4. *disp.* 7. *num.* 322. Caspens. *& alii.*

36 Quæstio tamen non inanis movetur, utrum per hujusmodi impedimentum superveniens simpliciter ex parte utriusque sponsi solvantur, an verò ex parte innocentis solùm, qui causam impedimento non dedit? Quocirca omnes tenent, dissolvi sponsalia ex parte innocentis, ita, ut ne quidem teneatur acceptare dispensationem ab altera parte fortè procuratam; quia per hoc, quòd compars culpabiliter dederit causam impedimento, renuntiasse censetur sponsalibus, & innocenti dedisse jus resiliendi, quod per dispensationem non amittitur. Probabiliùs tamen videtur, ex parte nocentis sponsalia non solvi; quia ex suo delicto non debet reportare commodum immunitatis à servando fidem alteri datam.

Quare cum ex justitia teneatur reparare jus læsum, pariter obligabitur mediis saltem ordinariis procurare dispensationem, si compars acceptare velit. Schmier. *lib.* 4. *tr.* 1. *c.* 5. *nu.* 71. Castrop. Babenst. *cit. num.* 13.

37 R. Tandem sextò. Sponsalia subinde cessant ipso jure per elapsum temporis, quando tempus est præfixum ad finiendam obligationem; ut si contrahant hoc modo: *promittimus matrimonium, hoc tamen anno adhuc contrahendum:* quo dato cessabunt sponsalia, si elapso anno matrimonium non fuerit celebratum. Ita *Communis*. Ratio redditur hæc: quia tali modo contrahendo quivis ex sponsis sibi tacitè reservat jus resiliendi, si matrimonium non sequatur intra annum, ne ultra talem terminum cum incommodo, & præjudicio suo teneatur abstinere à nuptiis.

38 Dictum tamen fuit, cessare sponsalia, si terminus fuit præfixus *ad finiendam obligationem;* nam si fuisset præfixus solùm ad *sollicitandam obligationem*, ne scilicet diutiùs differretur, ut si contrahendo dixissent: *volumus, ut nuptiæ celebrentur tempore Pentecostes:* tunc elapso hoc termino non solvuntur sponsalia. Ratio est: quia in isto casu intervenit duplex obligatio, nempe una celebrandi Nuptias, altera celebrandi tali tempore; hinc quamvis elapso tali tempore cesset hæc secunda obligatio, non tamen cessat prima. Laym. Bonac. Salmant. & alii apud Babenst. *cit. n.* 15.

Quær. tertiò. Quibus de causis liceat resilire à sponsalibus.

39 R. Licet ob tres sequentes præcipuè. Primò. Si Sponsus post sponsalia, (idem de sponsa dicendum) in Regionem longinquam se transferat, animo mutandi domicilium, vel si absque hoc animo quidem discessit, certò tamen constet, quòd diu non sit reversurus, præsertim si abiit sine necessitate, vel sine consensu alterius. Ita deciditur in *c. de illis* 5. *de sponsal* Et meritò: quia sponsus ita discedendo, tacitè saltem renuntiavit sponsalibus. Bonacin. *de sponf. q.* 1. *punct.* 6. *n.* 8.

40 Secundò. Licet resilire ob fornicationem alterius, præsertim sponsæ, tametsi vi fuisset oppressa; quia per hoc redditur notabiliter vilior, atque deterior: nec censentur aliter sibi promittere fidem, nisi cum hac conditione: *Si altera quoque pars fidem servat*, prout habetur *ex cap. Quemadmodum de jurejur.*

41 Quodsi uterque sponsus fuerit fornicatus, censent nonnulli DD. neutrum posse resilire; eoquòd delicta compensentur: alii tenent solum sponsum, non item sponsam, ùtpote cujus fornicatio est multò fœdior & detestabilior, posse resilire. Probabilius tamen existimo cum Palaq, Kugler *de sponsal. part.* 3. *num.* 89. Illsung & aliis, quemlibet salva conscientia resilire posse. Ratio potissima hæc est: quia si v. g. sponsus priùs fornicetur, cessat immediatè obligatio in sponsa, ita, ut jus acquirat immediatè resiliendi, nec ea obligatio reviviscit per hujus subsequentem fornicationem: ergo etiam cessat, si uterque fornicetur eodem tempore; nam subsequens fornicatio sponsæ non facit sponsum fidelem, aut inculpabilem, adeoque

Aa 4 nec

nec sibi illa aufert jus resiliendi. *Vid. cit.* Kulger.

42 Tertiò. Licitum est resilire à sponsalibus ob aliquam mutationem notabilem, vel circumstantiam supervenientem, quæ, si à principio exstitisset, vel cognita fuisset, meritò à sponsalibus absterruisset. Ita *cum communi* Sanchez *lib. 1. disp. 62.* Laym. hic *n.* 18. Ratio est: quia neutrius contrahentis intentio præsumitur se extendisse ad talem casum, qui quemvis prudentem à promissione matrimonii absterruisset.

Dices. Quænam autem circumstantiæ, vel mutationes reputantur notabiles?

43 R. Illæ reputantur notabiles, quæ statum matrimonialem respectu talium Personarum reddunt notabiliter difficiliorem: possuntque accidere in triplici bonorum genere, nempe animi, corporis, & fortunæ, prout notarunt Laym. Sporer, Ronig, Kugler *part. 3. n. 24. & alii.*

44 Primò itaque ex parte animi notabilis mutatio censetur, si sponsus (idem dic de sponsa) deficiat à fide: aut si incurrat notabilem infamiam v. g. propter furtum, adulterium, vel homicidium commissum; item si post sponsalia contracta noscatur esse inclinatus ad vitia v. g. lusus inordinati, potus excessivi, libidinis, sævitiæ, aut asperitatis nimiæ, &c. Secus dicendum foret, si sponsa jam aliunde nosset, sponsum hujuscemodi criminibus infectum, & nihilominùs contraxisset; quia tunc meritò præsumeretur consensisse; ut notant *D.D. communiter.*

45 Secundò. Ex parte corporis censetur notabilis mutatio, si sponsus, vel etiam sponsa incidat in morbum perniciosum, præsertim incurabilem, uti sunt lepra, paralysis, morbus gallicus, & epilepticus: item si sponsa evadat notabiliter deformis, aut mutiletur aliquo membro corporis, manu, pede, vel naso, &c. &c.

46 Tertiò. Ex parte fortunæ reputatur mutatio notabilis, si sponsus vel sponsa in paupertatem incidat: vel si Parentes ære alieno graventur, ut dotem solvere nequeant; vel si uterque sponsus ita fiant, aut deprehendant se esse inopes, ut valde difficulter se sustentaturi sint. Ratio horum omnium est: quia status matrimonialis, cùm sit de se valde difficilis, perpetuus, & inabdicabilis ex natura sua, tacitè præsumitur excipere omnes mutationes, notabiliter præjudiciosas, seu tales, quibus cognitis sponsalia nunquam fuissent inita: atqui omnes modò enumeratæ, judicio prudentum tales reputantur: ergo. Vid. Kulger cit. & Illsung. *tr. 6. disp. 9. q. 1. art. 3. n. 29.*

Dices. Sed unde dignoscendum, an sponsalia stante tali conditione aut circumstantia fuissent inita vel non?

47 R. Hoc ex confessione contrahentium dignosci debet. Quare oportebit sponsum (vel etiam sponsam) examinare, utrùm, si eo tempore, quo sponsaliorum fidem dedit, hanc vel illam circumstantiam, aut mutationem scivisset, fidem nihilominus daturus fuisset, nec ne? si dicat, se fuisse daturum, tenebitur stare promissis: si neget, præsertim cum juramento, credendum ipsi erit à Confessario, ideòque dicendum, quòd sponsalia non ampliùs obligent. Laym. *lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18.* Schmier. *n.* 159. Sporer. *n.* 279.

48 Tandem, si dubitet, an prævisa tali mutatione fuisset fidem daturus vel non? Distinguendum erit atque dicendum, quòd non teneatur stare promissis, si mutatio fuerit reverà gravis; bene verò, si fuerit solùm levis, seu non notabilis. Ratio est; quia ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio: communiter autem contingit, ut defectus vel circumstantia & mutatio gravis absterreat à sponsalibus, non item mutatio levis: ergo. Ita Tambur. & Leand. apud la Croix *n.* 168.

Quær. quartò Utrùm à sponsalibus liceat resilire auctoritate privata, an verò ad hoc opus sit auctoritate publica Judicis Ecclesiastici?

49 R. cum distinctione. Si enim causa resiliendi sit certa, & notoria, sive notorietate facti, sive juris; licitum erit auctoritate privata resilire; saltem per se loquendo; cessante nimirùm scandalo, vel aliis inconvenientiis. Si autem causa resiliendi sit dubia, nec constet, esse sufficientem, opus erit auctoritate, & Sententia Judicis Ecclesiastici, ne alteri fiat injuria, & spolietur sine sufficienti causa jure acqui-

sito

fito per sponsalia. Quin immò in puro dubio, an causa resiliendi sit sufficiens, ne quidem in foro externo fieri potest dissolutio; quia possidet jus pro sponsalibus, ut notat Herincx *de spons. disp. 1. nu. 3.* Hinc etiam ad præcavendas lites ac alias injurias (teste Laym. apud Babenst. *cit. n. 46.*) in multis Germaniæ Diœcesibus cautum est, ut à sponsalibus publicè notis, non liceat recedere, nisi causa prius ad Ordinarium delata.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa dissolutionem Sponsalium.

CASUS PRIMUS.

Titia nobilis Puella, de futuro matrimonio fidem dederat Titio, equidem nobili, sed minùs opulento. At ubi animadvertit, Parentes suos id ægerrimè ferre, & repugnare, ob conditionem sponsi multùm disparem, cœpit vacillare, cogitavitque renuntiare sponsalibus: quod ubi sponsus inaudiit, minitatur est sponsæ diffamationem. Quin etiam oppido propalavit, se Titiam sæpius jam carnaliter cognovisse, & (nescio quæ) propudia cum ea perpetrasse. Dubitatur proin, an Titia non habeat justam causam repudiandi Titium, velut injustum diffamatorem.

50 R. Videtur habere justam causam repudiandi. Ratio est: quia per hoc, quòd ob justam Parentum indignationem cogitaverit renunciare sponsalibus, sponso non fecit injuriam, certè non gravem: ergo Titius injusta sua, & quidem gravissima diffamatione præbuit causam justæ aversionis & indignationis. Accedit insuper, quòd ex tali matrimonio vix sperari queat bonus exitus, quin potiùs meritò timeri debeant Parentum offensa, rixæ, & scandala: hæc autem & similia præbent justam resiliendi causam. Immò verò, supposito, quòd Parentum offensæ graves prudenter timeantur perpetuò duraturæ, dicendum foret, sponsalia nulla fuisse, prout jam suprà *n. 15.* dictum fuit, & cum aliis docet Gobat *tr. 10. n. 106.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius jam pridem ambierat matrimonium cum Sempronia honesta vidua contrahendum, eo quòd putarit illam satis divitem, & dominam domus, seu Tabernæ vinariæ: tandemque fidem futuri matrimonii ab eadem obtinuit. Verùm non multò post venit in notitiam, quòd Sempronia sit pauperrima, & plurimis debitis gravata; quare cogitat resilire: dubitat tamen, an sibi hoc liceat, præsertim eò quòd in contractu sponsalitio nullam fecerit mentionem de divitiis, vel dote adferenda à Sempronia?

51 R. Licitum est in hoc casu Sempronio resilire. Ita Babenst. *citt. art. 4 n. 35.* Castrop. Krimer, la Croix, *n. 175.* Ratio datur hæc: quia in omni actione nuptiali includitur promissio dotis, esto etiam de hac non sit facta mentio. Deinde tanta paupertas Semproniæ reputatur circumstantia reddens matrimonium notabiliter difficilius: ergo intentio sponsi meritò præsumitur non se extendisse ad tale matrimonium. Consentit Gobat. *tr. 10. nu. 300.* addens, sponso à Judice credendum, præsertim si cum juramento attestetur, se nunquam fuisse contracturum, si scivisset sponsam esse pauperem. Aliter dicendum foret, supposito, quòd egestas Sponsæ Sempronio jam prius fuisset perspecta; quia tunc præsumeretur consensisse in pauperem: quod utique & valide potuisset, & licitè.

CASUS TERTIUS.

Cajus, consentiente sponsa sua Caja, abiit (ut solent juniores opifices) in Regionem longinquam, spondens tamen, se post elapsum triennium quantocyùs rediturum, interim verò singulis annis daturum litteras sponsalium confirmatorias. Elapso jam triennio Cajus nec rediit, nec ullas interim dedit ad sponsam litteras. Quapropter cùm modò pinguius matrimonium offeratur Cajæ, quærit hæc, an sibi non liceat illud acceptare?

52 R. Congruum fore in hoc casu, ut si Caja sciat, ubinam sponsus moretur, eun-

eundem moneat de elapso termino, ad præcavendas omnes tricas & lites, prout bene monet la Croix. *nu.* 206. si autem ignoret, ubinam moretur, tuta conscientia potest acceptare matrimonium pinguius; tum quia procul dubio noluit se obligare ad expectandum incertum sponsi reditum, præsertim pro tali casu, ubi pinguius sibi offeretur matrimonium; tum etiam quia meritò præsumitur sponsus cessisse juri suo per hoc, quòd non redierit statuto tempore, nec unquam scripserit litteras.

Dices. At quid, si sponsus supponatur redi sse priùs, quàm Caja matrimonium celebraverit cum alio?

53 R. Tunc obligabitur stare primis sponsalibus, relicto etiam pinguiori matrimonio sibi ab alio oblato, dato saltem, quòd sponsus redierit proximè post elapsum triennii terminum. Ratio est: quia præsumptio Cajæ, quòd scilicet sponsus cesserit juri, cùm fuerit sinistra, debet cedere veritati: tum etiam; quia per exiguum saltem tempus tenebatur exspectare reditum sponsi, ut bene notant Abbas, Henriquez, Palaus *de sponf. disp.* 1. *punct.* 23. *num.* 3. & Gobat *tr.* 10. *num.* 353. Ubi etiam monent, quòd si justo impedimento sponsus detineatur in alio loco, ad Judicem Ecclesiasticum spectet, attenta qualitate sponsæ, periculo incontinentiæ, aliisque circumstantiis, decidere, an sit sufficiens causa sponsalia dissolvendi: neque enim fas est cuilibet, se propriæ causæ judicem constituere, inquit Palao *cit.*

Dices iterum? Quid si autem sponsa interim facta fuisset ditior v. gr. ex hæreditate, vel legato inopinato, teneretur ne adhuc sponsum priorem acceptare?

54 R. Sanchez, Castrop. Kugler, *part.* 3. *num.* 107. tenent probabiliter, quòd sic; eo quòd sponsus per hoc non sit factus deterior. Contra verò Illf. Schmier, Babenft. *cit. art.* 4. *nu.* 37. dicunt, quòd non; eo quòd sponsus respectu sponsæ jam notabiliter ditatæ, evaserit inferioris conditionis, & saltem comparativè deterior. Sapienter tamen monet Sporer. *num.* 282. hujusmodi sponso jam impari, consulendum esse, ut non multùm urgeat matrimonium, propter periculum mali exitus, quem plerùmque solent nancisci matrimonia inter inæquales contracta, proindeque contentus sit alia compensatione pecuniaria.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

55 Colliges primò: sponsalia justis de causis (quas suprà à *nu.* 29. recensuimus) dissolvi posse, tametsi juramento firmata fuissent. Ratio est: quia juramentum sequitur conditionem contractus, cui adjicitur: atqui natura contractus sponsalitii hoc habet, quòd justis de causis possit dissolvi: ergo pariter cessabit juramentum. Vide Sanchez *lib.* 1. *de matr. disp.* 52. *num.* 6. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *pag.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Clericat. *decis.* 17. *num.* 14.

56 Colliges 2. Sponsam (idem teneas de sponso) quæ laborat defectu aliquo perniciosso, seu tali, qui matrimonium reddat notabiliter difficilius, utputa si esset multis gravata debitis, vel ab alio jam imprægnata &c. teneri per se loquendo hujusmodi defectum manifestare sponso, vel certè abstinere à matrimonio contrahendo; secus enim sponsum deciperet in materia gravi, seque ac illum conjiceret in periculum perpetuarum discordiarum, aliorumque malorum; quod sine peccato gravissimo fieri sanè non potest. Ita *DD. communissimè.* Sanchez *lib.* 6. *disp.* 27. *nu.* 10.

57 Dixi si laboret *defectu pernicioso &c.* Quando enim laborat tali defectu, qui matrimonium solùm reddit minùs commodum & appetibile; ut si sit ferocis ingenii, parata tamen se corrigere, vel etiam si jam sit ab alio cognita, non tamen imprægnata, neque hoc crimen manifestandum unquam, &c. non teneretur illud prodere; tum quia consuetudine jam receptum est, ut contrahentes ejusmodi vitia sibi non manifestent, inquit Babenft. *cit. n.* 42. tum etiam, quia nemo tenetur suos defectus propalare, seque ipsum diffamare, quando eos reticendo nulli

nulli facit injuriam : atqui in hoc casu sponsa non facit injuriam sponso : ergo. Vid. Sporer. *num.* 286. Herincx *cit. nu.* 54. *Fin.*

58 Colliges tertiò. Sponsos vi sponsalium obligari ad abstinendum ab omnibus, quæ datæ fidei, & executioni promissionis obstare possunt. Ratio est: quia qui obligatur præcepto affirmativo justitiæ ad promissionem suo tempore implendam, obligatur simul præcepto negativo ad abstinendum ab omnibus, quæ impletioni promissionis possunt esse impedimento: atqui sponsi ex præcepto affirmativo justitiæ tenentur ad contrahendum suo tempore matrimonium: ergo etiam &c. Castrop. Mezger, Babenst. *art.* 3. *num.* 3. Unde

59 Colliges quartò. Sponsum post sponsalia fornicando cum alia (idem dicito de sponsa) probabiliùs committere duplex peccatum, nempe contra castitatem, & contra justitiam; quia ut jam dictum, vi sponsalium tenetur abstinere ab omni eo, quod executioni promissionis obstare potest; tum etiam quia tenebatur corpus suum conservare in eodem statu, quo erat dum sponsalia fuerunt celebrata, aut certè illud non reddere notabiliter deterius: atqui sponsus, vel etiam sponsa fornicando cum aliis, evadunt notabiliter deteriores; tum quia reddunt se suspectos de frangenda aliquando fide conjugali; tum etiam quia se exponunt periculo alendi prolem extraneam: ergo Vide Clericat. *Decis.* 16. *num.* 17. Kugler *de sponsal. part.* 2. *à num.* 24. Ubi etiam inferunt, sponsos teneri in confessione hanc circumstantiam, utpote speciem mutantem, exprimere; quamvis Mastr. Caspensis, & alii multi oppositum satis probabiliter teneant, quòd scilicet non sit peccatum distinctum, & per consequens nec in confessione specialiter exprimendum.

CONFERENTIA

TERTIA.

De Impedimentis Matrimonii in Genere, & de Impedientibus tantùm in Specie.

SUMMARIUM.

60 *Impedimentum in genere est obstaculum Matrimonii, &c.*

61 *Dirimentia possunt statui ab Ecclesia, vel S. Pontifice.*

62 *Episcopus autem nullum impedimentum dirimens;*

63 *Bene tamen impedientia statuere potest.*

64 *Olim impedientia fuerint plura: at modò quatuor tantùm numerantur, scilicet*

65 *Sacratum Tempus,*

66 *Vetitum.*

67 *(Ad quod alia tria reducuntur)*

68 *Sponsalia; Et*

69 *Votum simplex; quod quadrupliciter fieri potest.*

70 *An, vel quando habens votum, possit reddere vel etiam petere debitum?*

71 *Quinam in talibus votis possint dispensare?*

72 *Enumerantur impedimenta dirimentia quatuordecim.*

73 *Hæretici probabiliùs iisdem impedimentis stringuntur.*

74 *Per consuetudinem introduci, vel abrogari potest impedimentum.*

75 *Si tamen consuetudo sit legitimè introducta; Et*

76 *Impedimentum solo jure humano introductum.*

77 *Resolvitur Casus I. de quadam Tertiaria, habente votum castitatis; quæ*

78 *Contrahendo Matrimonium peccavit mortaliter.*

79 *Resolvitur Casus II. de studioso, qui contra suum votum ingrediendi Religionem, inivit matrimonium:*

80 Pro-

80 *Propterea que prima vice petendo debitum peccat.*
81 *Resolvitur Casus III. de sponsis contrahentibus absque proclamationibus prævijs.*
82 *An tales licitè, vel validè contraxerint?*
83 *Matrimonium cum impedimento dirimente contractum est nullum;*
84 *Etsi sponsi ignorassent, se laborare tali impedimento.*
85 *Parochus per se loquendo tenetur tale matrimonium impedire.*
86 *Quid agendum, si tale matrimonium non possit differri sine diffamatione? &c.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos casus circa impedimenta in Genere.

QUæres primo: quid & quotuplex sit impedimentum matrimonii in genere?

60 R. Impedimentum, ut vel ex ipso nomine constat, dicitur omne illud, quod obstat, ne inter aliquas Personas matrimonium contrahi possit validè, aut licitè. Unde duplex est genus talium impedimentorum. Alia dicuntur minora, seu impedientia tantùm, quæ obstant, ne matrimonium licitè contrahatur, quamvis contractum in suo valore subsistat. Alia verò appellantur majora, seu dirimentia, quæ faciunt, ut matrimonium nec licitè contrahi possit, nec validè, proindeque contractus, stante tali impedimento initus, non solùm illicitus, sed etiam nullus est, & irritus. *Communis DD.*

Quæres secundò. Quisnam possit statuere Impedimenta Matrimonii?

61 R. 1. Impedimenta dirimentia statuere potest non solùm Concilium generale, repræsentans universalem Ecclesiam in suis Capitibus congregatam, sed etiam summus Pontifex, qui est caput visibile totius Ecclesiæ. Ita cum *Communi* Reinffest. *Theol. mor. tract.* 14. *dist.* 14. *nu.* 3. Ratio est: Quia Pontifici concessa est universalis potestas ligandi atque solvendi super terram. Hinc Concil. Trident. *SS.* 24. *Can.* 4. definit: *Si quis dixerit: Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

62 R. 2. Potestas constituendi impedimenta dirimenria matrimonii, defacto non competit Episcopis. Ita concors DD. (teste Clericato *Decis.* 19. *num.* 22.) Rationem dat idem Clericatus: quia Episcopi nullam aliam habent jurisdictionem (quæ est necessaria ad leges ferendas) nisi illam, quam ipsis elargitur Papa, quem Christus constituit Monarcham, Principem, & Caput totius Ecclesiæ: atqui nullibi legitur hæc potestas Episcopis concessa: ergo à fortiori nec Principes sæculares possunt statuere impedimenta dirimenria matrimonii. Esto enim per se loquendo, & quantùm est ex natura rei, seu contractus qua civilis est, id possent; quia tamen idemmet contractus inter fideles à Christo fuit elevatus ad dignitatem Sacramenti, eo ipso à potestate laicali fuit translatus ad potestatem judicum Ecclesiasticorum, prout defacto tum ex communi DD. tum etiam ex variis juribus constat, præsertim verò ex Tridentino *sess.* 24. *can.* 12. Ubi definit: *si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Neque verum est, quòd defacto Regibus Galliarum hæc potestas competat; esto enim matrimonia Prognatorum ex stemmate regio contra voluntatem Regis, & filiorumfamilias contra voluntatem Parentum contracta, in Galliis habeantur velut nulla; id tamen non tam ex auctoritate & constitutione Regum, quàm ex Concilio Meldensi, aut certè ex consuetudine legitimè (cum tacito scilicet SS. Pontificum consensu, jam ab octingentis annis introducta) immediatè provenit, prout testatur Clericatus *decis.* 18. *num.* 36.

Hinc defacto alia impedimenta statuere non possunt. Videatur de hoc D. Bonavent. 4. *dist.* 42. *quæst.* 2. *art.* 2. vel Gobat *tract.* 9. *n.* 29.

63 Di-

63 Dixi autem: desacto Episcopis non esse concessam potestatem statuendi *impedimenta dirimentia*. Quòd enim pro bono regimine Ecclesiæ, & Populi sibi concrediti, statuere possint *impedimenta impedientia*, nullus est, qui neget, ait idem Clericatus *cit. num.* 13. Ratio est: quia *Ecclesiæ vetitum* numeratur communissimè inter impedimenta impedientia, ut statim dicetur: atqui potest Episcopus ex rationabili causa aliquibus matrimonium interdicere: ergo. Vid. Schmalzgrueber *lib.* 4. *to.* 1. *nu.* 362.

Quæres tertiò. Quæ, & quot desacto vigeant impedimenta impedientia tantùm?

64 R. Olim quidem jure antiquo diversa numerabantur impedimenta impedientia, nempe

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.

Atque Catechismus, crimen, sponsalia, votum.

Verùm jure novo Concilii Trid. antiquus ille rigor mitigatus fuit in tantum, ut desacto non nisi quatuor impedientia numerentur communiter, sequenti Hexametro comprehensa.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

65 Primum itaque impedimentum impediens est *Tempus Sacratum*, id est, illud, quod currit ab Adventu usque ad Epiphaniam; item à die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè. Quo tempore tamen solùm prohibetur matrimonium solemniter celebrandum, id est, cum solemni benedictione, vel etiam traductione sponsæ in domum sponsi, vel aliis vanæ lætitiæ signis, velut inconvenientibus & importunis hoc sacro tempore: unde prætermissis hujuscemodi solemnitatibus præsertim in casu necessitatis, sinè peccato posset Parochus assistere matrimonio in aliquo loco vel domo privata; quia Concil. Trid. *SS.* 24. *de refor. Matr. c.* 10. solùm dicit: antiquas *solemnium Nuptiarum* prohibitiones diligenter ab omnibus observari, sancta Synodus præcipit. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 7. Reinffest. *cit. n.* 12.

66 Secundum impedimentum impediens est *Vetitum*, id est, prohibitio sive generalis, sive particularis, ab Episcopo, vel etiam à Parocho facta ex rationabili causa, utputa si dubitetur, an inter sponsos non versetur aliquod impedimentum? &c.

67 Huc etiam referri potest, & debet primò. *Clandestinitas*; id est, matrimonium clam sinè Parocho & Testibus celebrandum; licèt enim in loco, ubi Tridentinum non est receptum, validè contrahatur sinè Parocho & Testibus, tamen contrahentes peccant mortaliter; nam talia matrimonia, ut ait Trid. *cit. SS.* 24. *c.* 1. *Sancta DEI Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit.* secundò. Huc reduci debet *omissio benedictionis*; item tertiò. *Omissio proclamationum*, quæ seclusa dispensatione sinè gravi peccato omitti nequeunt. Ratio est: quia Ecclesia severè præcipit, ut fiant dictæ denuntiationes, quatenùs impedimenta, si quæ inter sponsos versentur, detegantur, sicque scandala, & animarum pericula præcludantur. Ita cum *communi* Perez. *disp.* 43. *Sect.* 1. *num.* 7. apud Busenb. *de Matr. c.* 3. *dub.* 5.

68 Tertium impedimentum impediens sunt *sponsalia*: hæc enim (si tamen valida fuerint) impediunt, ne quis cum alia, etiam non consanguinea; possit licitè inire matrimonium, nisi prior sponsa, vel etiam sponsus consenserit, aut alia à prioribus sponsalibus resiliendi justa causa intervenerit; secus enim læderetur jus alterius in materia gravi, tametsi matrimonium ipsum adhuc subsisteret, ut dictum est superiùs *nu.* 33.

69 Quartum denique impedimentum impediens est *votum simplex*; idque quadruplex. 1. *Votum Cælibatus*, seu nunquam contrahendi matrimonium. 2. *Votum suscipiendi sacros Ordines*. 3. *Votum ingrediendi Religionem*. 4. Denique *Votum simplex* (nam solemne dirimit matrimonium, ut dicetur *n.* 103.) *perpetuæ castitatis*. Ratio autem, quòd hæc vota (idem dic de juramento) impediant matrimonium est: quia Conjuges debent se obligare ad usum corporis in ordine ad generandam prolem: usus autem corporis, ad quem regulariter se obligant, repugnat voto Ca-

Castitatis; item status matrimonialis repugnat cœlibatui, ut de se clarum est: ergo qui habet simile votum aut juramentum, illicitè contrahit matrimonium, quamvis adhuc validè: nam *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut habetur *C. ad Apostolicam de Regularibus*.

Quær. hìc incidenter quartò. Utrùm habens hujusmodi Votum simplex, post matrimonium semel validè (ut supponimus) contractum, possit petere & reddere debitum conjugale?

70 R. cum necessariis distinctionibus. Nam 1. habens solummodo votum *non nubendi*, vel etiam *sacros Ordines suscipiendi*, contracto semel matrimonio potest petere & reddere debitum; quia, cùm, stante matrimonio, tali non ampliùs liceat suscipere Ordines (saltem sinè consensu uxoris) Votum jam est redditum impossibile, consequenter pro hoc statu non ampliùs obligat. Secundò. Qui autem *vovit Religionem*, probabiliùs peccat mortaliter prima vice consummando, sive petendo, sive etiam reddendo intra primum Bimestre; quia talis ante consummationem adhuc potest, & per se loquendo tenetur ingredi Religionem, post consummationem autem non ampliùs: ergo consummando reddit se ultimatò impotentem ad satisfaciendum suo voto; quod absque peccato gravi fieri nequit. Attamen matrimonio semel consummato, potest petere debitum; quia Castitatem non vovit: potest etiam, immò tenetur reddere, donec vel conjuge moriente, vel consentiente, aut adulterante, possit Religionem ingredi, sicque suum votum implere, ait Herincx *disp. 6. de Matr. num. 17.* & Reinffest. *cit. n. 21. fin.* tertiò. Denique habens *Votum Simplex Castitatis*, peccat mortaliter, non solùm contrahendo (cum intentione consummandi) matrimonium, sed etiam quoties (sine legitima dispensatione) petit: quia vi voti tenetur, quantùm potest abstinere ab omni actu venereo: potest autem licitè abstinere à petendo: ergo. Nihilominus debitum petenti reddere tenetur, saltem post primum Bimestre: quia ad hoc jam est obligatus majori vinculo matrimonii, simulque per votum suum non potuit præjudicare juri Uxoris. Scotus. 4. *dist.* 38. §. *consimiliter*. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 33. Reinffest. *cit. n.* 17. & 19.

Dices adhuc. Sed quis dispensabit legitimè in tali voto, vel etiam ad petendum debitum?

71 R. 1. Summus Pontifex potest dispensare. 2. Episcopus in voto Religionis, vel etiam perpetuæ & integræ Castitatis, utpote specialiter reservatis summo Pontifici, per se loquendo dispensare non potest, bene vero in casu urgentissimæ necessitatis, ubi mora non patitur recursum ad summum Pontificem. 3. Confessarii Mendicantium (& qui horum Privilegiis gaudent) etiam in voto perpetuæ & integræ castitatis (juxta probabilem sententiam, quam tenent Herincx. *part.* 3. *de voto disp.* 4. *n.* 73. Reinffest. & alii plures) dispensare valent in casu necessitatis, prout inferiùs *n.* 496. videbimus. Possunt insuper dispensare quoad petendum debitum cum conjugibus, qui contraxerunt matrimonium cum voto Castitatis ante emisso, itemque cum conjugibus incestuosis, qui contracto jam matrimonio cum alterius conjugis consanguinea intra secundum gradum adulterium perpetrarunt, modò tales Confessarii ab Episcopo sint approbati, & ad hoc munus à suis Provincialibus deputati; hanc enim facultatem dispensandi nos Mendicantes à diversis Pontificibus, non solùm vivæ vocis oraculo (ut Lezana sibi persuadet) sed etiam per specialem Bullam Eugenii IV. & alia quandam declarationem Julii II. obtinuimus, prout teste Spor. *n.* 483. bene probat Quintanadven. *Singularium tr.* 9. *singular.* 2. *à n.* 6. Vide etiam Sanchez. *lib.* 8. *disp.* 16. *n.* 8. Reinffest. *in Append. de dispens. post quartum Decretal.* §. 12.

Quæres quintò, quæ & quot defactò vigeant impedimenta dirimentia?

72 R. Impedimenta dirimentia Matrimonii antiquo jure tantùm duodecim erant: iis tamen per Concilium Trid. duo sunt adjecta, scilicet absentia Parochi & Testium, itemque Raptus Mulieris; quare defactò communiter numerantur quatuordecim, & omnia continentur in sequentibus versiculis:

Er-

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis Affinis: si fortè coire nequibis.
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia Testis;
Raptave sit Mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia: facta retractant.

Sunt quidem nonnulli, qui dicunt esse sexdecim impedimenta dirimentia, sed hi explicitè numerant triplex impedimentum Cognationis, unde non in substantia, sed solùm in modo numerandi differunt à nobis: denique pro distincto impedimento addunt *ætatem* Impuberum, qua ratione etiam tertium versiculum præallegatum ita instituunt:

Ætas, Affinis, si fortè coire nequibis.

Verùm isthoc impedimentum ætatis, utpote quam malitia potest supplere, commodè reducitur ad impotentiam, ut infrà *à n.* 252. videbimus.

Quæres sextò. Utrùm etiam Acatholici, Lutherani, aliique Hæretici stringantur mox enumeratis Impedimentis Ecclesiasticis, ita, ut si cum tali impedimento ex jure Ecclesiastico dirimente contrahant, Matrimonium fit irritum & nullum?

73 R. Permulti, & quidem gravissimi DD. germani, Marchant. *Tribun. Sacram. t.* 3. *tr.* 1. *tit.* 6. *conc.* 4. Tannerus, Laym. Dicastillo, Habsens. apud Sporer, de *Matr. c.* 1. *n.* 35. Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 379. Kugler *de Matr. n.* 894. putant Matrimonia Hæreticorum, cum impedimento juris Ecclesiastici, uti est Clandestinitas, contracta, esse valida; quod multis rationibus ostendere nituntur, & vel ideò maximè, quòd contraria consuetudine Hæreticorum jam à tot annis practicata, Pontifice utique sciente & non contradicente, videantur jam abrogata hæc impedimenta. Deinde conjuges conversi ad fidem, licèt non contraxerint coram Parocho Catholico, nunquam tamen urgentur, ut denuo contrahant coram vero Parocho & Testibus: ergo (inquiunt) Ecclesia supponit eorum Matrimonia cum tali impedimento contracta valuisse. Nihilominus mihi videtur probabilius, etiam Hæreticos ligari impedimentis jure Ecclesiastico introductis, & consequenterer eorum matrimonia cum tali impedimento contracta esse nulla ac irrita: hancque sententiam tenent mordicus Gobat. *Theol. exprim. tr.* 9. *à n.* 41. Konig, Schmier. *tr.* 3. *de imped. Matr. c.* 1. *n.* 41. Less. Pignatell. Krimer apud la Croix approbantem *a.* 772. Reinffest. *l.* 4. *tit.* 3. *n.* 140. *& seqq.* Ratio autem nostra est hæc: quia certum est, Hæreticos stringi legibus Ecclesiasticis, quandoquidem vi Baptismi sint ingressi Ecclesiam, & hujus jurisdictioni subjecti: neque Doctores pro contraria opinione citati negare possunt, Hæreticos legibus Tridentini Concilii aliquando fuisse obligatos: ergo dicendum, quòd etiamnum stringantur iisdem.

Neque consuetudo Hæreticorum potuit obtinere vim abrogandi impedimenta sinè consensu summi Pontificis; atqui Pontifex nunquam consensit, sed frequenter contradixit, declarando hujusmodi matrimonia ut invalida & nulla, prout authenticè ostendit Reinffest. *cit. n.* 132. & Matthæucci in Cautela Confessarii *lib.* 4. *c.* 8. *n.* 101. Nec dubito, quin si hodiedum decisio circa valorem matrimonii cum tali impedimento ab Hæreticis contracti peteretur à Curia Romana, resolveretur, nullum fuisse & invalidum, prout facilè colligetur ex dicendis infrà *à n.* 285 ubi de impedimento Clandestinitatis. Nec est cur Papa vel Ecclesia nunc velit indulgere, & permittere despici leges suas ab illis rebellibus, qui Papam vocant Anticristum, & ei denegant potestatem impedimenta inducendi, aut tollendi. Quòd autem sæpiùs non contradixerint Pontifices, ideò contigit, ait la Croix *cit.* quia sciebant nil profuturum apud contumaces, & satis erat, semel sæpiusque protestatum esse. Unde etiam Gobat *cit. n.* 57. testatur, se à gravissimo quodam, & usu peritissimo Doctore ex Urbe intellexisse, *hanc doctrinam esse hodie conformem stylo, & determinationi Curiæ Romanæ.*

Quæres septimò. An per consuetudinem possit abrogari impedimentum matrimonii, vel novum introduci?

74 R.

74 R. Per consuetudinem legitimam abrogari possunt impedimenta solo jure Ecclesiastico introducta, vel etiam nova introduci. Ita cum *communi* Sanchez, Mastr. Clericatus *decis.* 18. *n.* 20. & colligitur ex *cap.* 1. & *cap. super eo. de Cognat. spirit.* Ratio est: quia per consuetudinem legitimè præscriptam potest abrogari lex humana, vel nova introduci, ut constat *ex cap. fin. de Consuet.* ergo etiam abrogari, aut introduci impedimentum: & certè Impedimentum, quod dicitur *Cultus disparitas*, sola consuetudine introductum esse fatentur DD. *communiter*.

75 Dictum tamen fuit: *per consuetudinem legitimam*: ad hanc verò requiruntur sequentia. 1. Ut sit rationabilis, 2. ut per tempus à lege præscriptum sit introducta, & quidem 3. cum consensu saltem tacito Pontificis, seu Ecclesiæ. Quare cum Hæreticorum consuetudines hisce conditionibus non sint vestitæ, hinc non obtinent vim abrogandi impedimenta, ut proximè dictum. Vide Gobat *cit. tr.* 9. *n.* 24.

76 Dictum fuit secundò, abrogari posse impedimenta *solo jure Ecclesiastico introducta*. Impedimenta enim, quæ sunt juris divini vel naturalis, non vincit consuetudo; nec etiam ea, quæ jure divino sunt solùm impedientia, & simul jure Ecclesiastico dirimentia, uti v. gr. votum solemne; quia hoc ipso, quòd Deus & Ecclesia directè semper vetent talia matrimonia, præsumendum est Pontificem nullo prorsus modo consentire in illa, quippe qui tenetur omni modo tueri jura divina, juxta *cap. Ecclesiæ* 56. *de elect.* Gobat *cit.* *n.* 41. la Croix. *n.* 521.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Impedimentis Impedientibus.

CASUS PRIMUS.

Titia professa est Ordinem Tertiariorum S. P. Francisci in sæculo viventium, & quidem publicè in Ecclesia; nec contenta communi professionis formula, qua alii non claustraliter viventes Tertiarii, & Tertiariæ utuntur juxta præscriptum S. Ordinis, insuper in actu professionis addidit hæc verba: Voveo etiam & promitto Deo omnipotenti, & tibi Pater &c. servare castitatem perpetuam. *Verùm (ut inconstans est Mulierum genus) non multò post facti pœnitens nupsit Titio. Quæritur jam primò, utrùm validè? secundò an etiam licitè?*

77 R. ad primum. Matrimonium valet. Ratio est: quia tantùm votum solemne in susceptione Ordinis sacri, aut in Religiosa Professione, non item votum simplex (si excipias votum, quod emittunt Religiosi Societatis JESU post Novitiatum; itemque votum Castitatis, quod Uxor emittit post datam Marito licentiam suscipiendi Ordines sacros, ut habet Sporer *num.* 43. & *alii*) dirimit matrimonium; at votum Titiæ in nostro casu fuit tantùm simplex: ergo non dirimit.

Nec refert hoc votum fuisse publicè factum in Ecclesia; quia ad hoc, ut votum castitatis dirimat matrimonium, non satis est fuisse emissum coram Episcopo, Parocho, vel etiam coram alia Persona publica; sed requiritur, ut ab Ecclesia sit solemnizatum & acceptatum. Id quod *Cap. un. de voto. in* 6. clarè deciditur, nullum scilicet votum censeri solemne in ordine ad dirimendum Matrimonium *nisi sit emissum in Religiosa professione, vel sacri Ordinis susceptione*; quale non fuit illud Titiæ. Neque Ecclesia, vel Ordo Seraphicus, aut is, qui auctoritate Ordinis professionem acceptat, aliter acceptare vult, quàm sub modo & formula, ab Ecclesia vel Ordine præscriptis: atqui formula professionis, præscripta Tertiariis non claustraliter viventibus, non continet votum Castitatis: quare, quòd Titia simul emiserit votum Castitatis, contigit forsitan ex privata devotione, & merè per accidens. Vide la Croix *n.* 461.

78 R. Ad secundum. Titia nubendo peccavit mortaliter, si tamen habuit animum se obligandi ad consummationem & usum matrimonii; ad quem alii Conjuges communiter se obligant. Ratio est: quia cùm votum Castitatis valuerit saltem in ratione voti simplicis; hinc Titia ma-

manebat obligata ad servandam Castitatem omnimodam, cui status matrimonialis repugnat, ut constat ex dictis *num.* 70. Quare sine dispensatione debitum Conjugale petere nunquam potest, quamvis post primum saltem bimestre alteri comparti justè petenti reddere teneatur, ut dictum est *loc. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius studiosus dum graviter decubit, votum fecit ingrediendi Religionem, si DEUS sanitatem pristinam sibi restitueret: recuperata autem valetudine, cùm paulatim sensisset stimulos carnis pariter invalescere, neglectò votò matrimonium contraxit cum Sempronia: & quia matrimonio contracto quamprimùm etiam sensit conscientiæ stimulos, hinc nondum consummato matrimonio, nec emenso primo bimestri, quærit 1. an peccaverit contrahendo? 2. an possit consummare matrimonium? Quid respondendum?

79 R. ad Primum. Sempronius contrahendo peccavit, & quidem contra virtutem Religionis. Ratio est: quia votum, licèt conditionatum, recuperata valetudine, & conditione ex parte Dei adimpleta, cœpit absolutè obligare: ergo Sempronius tenetur ingredi Religionem. Nec tale votum desinit obligare, & matrimonium impedire ex eo, quòd voto obstrictus sentiat stimulos carnis etiam vehementissimos; tum quia (teste Babenst. *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *art.* 1. *num.* 12.) ex praxi constat, quòd Ecclesia tales non existimet esse liberos ab obligatione voti; cùm status Religionis, sicut etiam Ordinis sacri tam sint excellentes, ut meritò ob illos assequendos vovens debeat velle cum divino auxilio superare quæcunque difficultates, & tentationes; tum etiam quia in Ecclesia non levia mala, & scandala procul dubio orirentur, si cuilibet propter tentationes, stimulos, vel etiam lapsus carnis, neglecto voto liceret amplecti statum matrimonialem. Sanchez. *libr.* 7. *disp.* 11. *num.* 9. Basil. Ponce, Conink, Palao *de sponsalib. disputat.* 4. *punct.* 2. *numer.* 12. §. 1.

80 R. ad 2. peccaturum mortaliter, si petat debitum, & matrimonium consummet: immò etiam probabilius peccat mortaliter, si intra primum bimestre reddat, ut jam suprà *n.* 70. diximus. Ratio est: quia ante consummationem adhuc potest Religionem ingredi, & non consummare, ne quidem reddendo debitum, quamdiu hoc sinè injuria denegare potest; potest autem negare intra primum bimestre: ergo. Et hæc sententia, quam tenent Reiffenst. hìc *n.* 20. Illsf. Tambur. Bonac. Kugler *n.* 1592. procul dubio probabilior est, & tutior.

Nihilominus sunt, qui probabile censent, quòd si habens votum Religionis, contracto semel matrimonio, sese jam resolvit, quòd nolit ampliùs mutare statum, possit etiam intra primum bimestre licitè *saltem reddere* debitum. En tibi verba Gobati, quæ habet *tr.* 10. *n.* 629. ,, Quia ,, tamen (inquit) non debemus cuiquam ,, laqueum injicere, quando possumus cum ,, ratione abstinere, idcirco observo ex ,, Stephano de S. Paulo *in Theol. mor. tr.* ,, 5. *disp.* 8. *dub.* 7. *n.* 62. doctrinam, quam ,, de redditione illicita prima vice tradidimus, fuisse quidem communem Doctorum, ætate S. Thomæ: at verò posteriores Theologi tanto numero apud Dianam *par.* 11. *tr.* 5. *ref.* 40. absolutè adstruunt licentiam libere reddendi, ut ,, censeam, tali mulieri, & viro constitutis in periculo mortaliter peccandi reddendo, suggerendum à Confessario, ,, quòd sit per quàm credibile, nullam ,, culpam admissum iri ab iis reddendo, ,, atque ita etiam sentit ipse Diana, non ,, dissentiente Stephano de S. Paulo. Ita ,, *Gob.* ,, Et hanc sententiam cum aliis pluribus DD. multùm probabilem vocat Kugler *cit.* Tum quia plures censet privilegio primi bimestris illos tantùm gaudere conjuges, qui cogitant Religionem ingredi; tum etiam, quia status matrimonii quoad redditionem videtur suspendere votum, ut nonnulli tenent apud la Croix *n.* 361. Ex his facilè colliget prudens Confessarius, quid oporteat respondere Sempronio nostro. Si enim moraliter possit, jubeatur abstinere etiam à reddendo, & ingredi Religionem; si non possit ampliùs, poterit permitti, ut

reddat. Consummato autem semel matrimonio erit eidem liberum etiam petere, juxta dicta superius *n.* 70.

CASUS TERTIUS.

Caja impragnatam se sensit à suo sponso? quapropter, ne ex matrimonii dilatione crimen admissum aliis innotesceret, petit à P. R. Domino Decano Rurali licentiam contrahendi, prætermissis denuntiationibus; quam etiam obtinuit, sed cum onere, ut contraheret coram D. Parocho sponsi. At illa, dissimulato hoc onere contraxit coram suo Domino Parocho. Dubitatur ergo 1. an P. R. Dominus Decanus Ruralis potuerit concedere hanc licentiam? 2. Utrùm memorati sponsi potuerint licitè, vel saltem validè contrahere coram D. Parocho sponsæ, Cajæ scilicet?

81 R. Ad Primum. Potestas dispensandi in denuntiationibus seu proclamationibus de jure ordinario solùm competit 1. Pontifici, 2. & Episcopo, ejusdemque Vicario Generali. Quin immò Episcopus in iisdem tenetur dispensare, quando id exigit necessitas publica vel privata, ad vitandum aliquod grave incommodum animæ, corporis, famæ, vel etiam fortunæ. Rationem subministrat cum Tannero, Gobat *tr.* 10. *num.* 505. & la Croix *num.* 490. quia hæc potestas non committitur Episcopi, aut Vicarii Generalis libertati, sed arbitrio, id est, judicio secundùm prudentem rationem regulato. Unde in casu necessitatis, quo scilicet non datur recursus ad Episcopum, ait La Croix *nu.* 494. potest Parochus (quidni, & Decanus?) declarare, quòd præceptum proclamationum non obliget, si Episcopus dispensare teneretur, & adiri non possit. Quare cum in nostro casu supponatur, Cajæ imminuisse periculum infamiæ ex dilatione nuptiarum, dicendum videtur, quòd si de hoc fortè constiterit Domino Decano, potuerit is sin minus dispensare, saltem declarare, quòd præceptum proclamationum cum tanto periculo non obliget.

82 R. ad 2. Prænemorati sponsi validè contraxerunt coram Parocho Cajæ. Ratio est: quia Tridentinum plus non requirit, quàm ut contrahant coram proprio Parocho: Sacra autem Congregatio (teste La Croix *n.* 497.) declaravit, per proprium Parochum intelligi Parochum alterutrius è sponsis; quod immutare non potuit D. Decanus: ergo. Quin etiam licitè contraxere, si ex gravi, & rationabili causa id fecerunt; quia non est præsumendum, voluisse D. Decanum eos obligare, ut cum gravi incomodo contraherent coram Parocho sponsi potiùs, quàm sponsæ. Veruntamen ad hoc practicè dignoscendum, utrùm scilicet contrahendo peccaverint? attendendæ erunt aliæ circumstantiæ, utpota finis prohibitionis &c. & vel maximè utrùm bona, vel mala fide contravenerint præcepto D. Decani.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

83 Collig. 1. Matrimonium cum impedimento sive ex jure naturæ, sive Ecclesiastico solùm dirimente contractum, nullum esse, ac irritum; idque verum est, tametsi contrahentes invincibiliter ignorassent se impedimento irretitos. Ratio est: quia Ecclesia non solùm prohibet sponsos volentes contrahere cum impedimento dirimente, sed insuper eos inhabilitat ad contrahendum: at ubi lex est inhabilitans, ignorantia etiam invincibilis non facit habiles, quamvis contra legem agentes excuset à peccato: ergo.

Dices. Aliqua saltem impedimenta v. gr. Criminis, Raptus &c. videntur habere rationem pœnæ; ergo quemadmodum ignorantia invincibilis excusat à pœna, ita excusare debet ab impedimentis istis.

84 R. cum P. Kugler. *n.* 1987. quòd, licèt hujusmodi impedimenta statuantur etiam in pœnam delicti, primariò tamen, & principaliter sint inhabilitates Canonicæ, quæ certò incurruntur etiam ab ignorantibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ, quæ teste Corrado apud La Croix *n.* 642. nunquam permittit talis criminis reos contrahere sine dispensatione. Hinc idem La Croix *n.* 526. cum Sanch. Carden. Lessio & aliis rectè infert, eum, qui cognovit foro-

sororem sponsæ, vel qui per Judicem cogeretur ducere consanguineam suam, non posse validè contrahere, & consummare matrimonium, tametsi gravi metu ad hoc adigeretur; licèt enim vis, aut metus gravis quempiam excusent ab observatione præcepti Ecclesiastici, attamen eum, qui inhabilis est, non possunt reddere habilem ad contrahendum. Fateor nihilominus, à P. Krimer. *num.* 1014. Pichler, & aliis satis probabiliter doceri, quòd ignorantia excuset ab impedimento criminis. Unde Gobat, Sporer, Kugler cit. & alii putant, eos, qui cum tali ignorantia contraxerunt bona fide, in ea relinqui posse.

85 Colliges Secundò: Parochum licitè non posse assistere matrimonio illorum, quos novit esse irretitos impedimento præsertim dirimente, nisi talem notitiam hausisset ex sola confessione Sacramentali, qua in foro externo uti neutiquam licet. Ratio est quia cum tali impedimento contrahentes peccant mortaliter, & Sacramentum frustrant; quod utique Parochus seu Pastor animarum sub gravi culpa prohibere, & impedire tenetur; præsertim quia hujusmodi putatitii conjuges semper versarentur in periculo fornicandi. Oportebit pro in hujusmodi sponsos remittere ad Episcopum, aut ejus Vicarium Generalem, vel denique ex Urbe impetrare dispensationem. Vid. Sanchez. *lib.* 3. *disp.* 25. *n.* 3. Perez. *disp.* 23. *sect.* 1. *à n.* 1.

Dices. Quid si autem impedimentum supponatur occultum, & soli Parocho cognitum, simulque matrimonium sine scandalo vel infamiæ periculo non possit differi amplius?

86 R. cum P. Sporer. *n.* 455. in hoc casu & supposito vel maximè attendendum esse, an contrahentes, vel etiam pars illa, quæ impedimento laborat, sit in bona, vel mala fide? Et siquidem Parochus (vel etiam Confessarius) adverterit, eos procedere bona fide, aut ex ignorantia invincibili, oportebit tacere, dissimulare, & permittere, ut agant bona fide potius, & peccent materialiter, quàm consternata conscientia, cum periculo peccandi formaliter. At verò si Confessarius, aut Parochus advertat, sponsos, vel etiam solum sponsum, aut solam sponsam, laborare errore, vel ignorantia vincibili, vel etiam si suspicentur de impedimento latente, aut omnino interrogent, consiliumque petant, tunc procedendum erit modo sequenti. 1. Veritas erit aperienda dicendumque, quòd nequeant contrahere 2. permittendum, ut contrahant, sed cum animo contrahendi seu faciendi quantum possunt. 3. Per se loquendo interdicendus erit usus, & consummatio matrimonii (si impedimentum sit dirimens, vel impediens propter votum Castitatis aut Religionis) quousque fuerit impetrata dispensatio. Hinc 4. quamprimùm recurrendum erit ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem secundùm dicta *n.* 71. vel, si non sit periculum in mora, ad summum Pontificem pro impetranda dispensatione. Si mora desit, & periculum incontinentiæ ex altera parte impedimenti ignara timendum, induc (ait. Sporer *cit. l.*) ut pars impedimenti conscia ex tempore voveat Deo servare castitatem, aut primo triduo, juxta monitum Archangeli Raphaelis Tobiæ juniori datum; aut in raro casu primis novem diebus, in honorem novem mensium, quibus Deipara Virgo Deo gravida fuit: vel aliquid simile sanctæ intentionis. Interea impetrata dispensatione suavis quoque modus esse poterit renovandi consensum juxta dicenda *à n.* 338. Hanc Responsionem meritò approbat P. Kugler *num.* 2140.

CONFERENTIA

QUARTA.

De Impedimentis dirimentibus Erroris, & Conditionis.

SUMMARIUM.

87 *Quid sit Error?*

88 *Error circa substantiam Personæ dirimit;*

89 *Vel circa qualitatem, quæ redundat in substantiam.*

90 *Traduntur duæ Regulæ, ad dignoscendum, an error qualitatis redundet in substantiam, vel non?*
91 *Nomine conditionis intelligitur ignorata conditio servitutis.*
92 *Et quidem strictè talis.*
93 *Si liber cum serva scienter contrahit, valet.*
94 *Resolvitur Casus I. de eo, qui contraxit cum corrupta, quam putaverat esse Virginem.*
95 *Sola habitualis dispositio voluntatis, cur non impediat valorem Matrimonii.*
96 *Resolvitur casus II. de eo, qui contraxit, fingens se esse Ministrum Principis.*
97 *An sponsæ licuerit talem deserere?*
98 *Et quid, si post agnitum errorem eidem concessisset usum corporis.*
99 *Resolvitur Casus III. de sponsa, quæ nupsit damnato ad Triremes.*
100 *Hoc Matrimonium probabiliùs valet.*
101 *Utrùm error circa qualitatem redundet in substantiam Personæ, potest suomodo colligi ex prævils interlocutionibus, vel motivo, & fine contrahendi.*
102 *Matrimonium conservo adscriptitio tantùm, vel Originario contractum, subsistit.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos Casus circa impedimentum Erroris, & Conditionis servilis.

QUæres 1. Quid intelligatur per impedimentum Erroris?

87 R. Nomine erroris hîc intelligitur non tantùm sinistra apprehensio, seu judicium intellectus, sed etiam ignorantia, qua quis ignorat Personam, vel qualitates Personæ, cum qua contrahit. Unde talis ignorantia seu error dupliciter potest contingere, nempe 1. circa ipsam Personam (& vocatur error substantialis; eo quòd versetur circa id, quod est de substantia contractus matrimonialis) vel circa qualitates Personæ, utputa circa bona naturæ, famæ, vel fortunæ &c. Est *communissima DD.*

Quær. 2. Qualis error dirimat matrimonium?

88 R. 1. Error versans seu contingens circa substantiam Personæ dirimit; non item 2. error circa qualitatem, nisi talis qualitas ex intentione contrahentis redundaret in substantiam Personæ, vel potiùs contractus. Ita rursus *cum communi* Scot. 4. *dist.* 30. *q.* 1. Sanch. Tamb. Pont. Mastr. 4. *disp.* 7. *num.* 390. Ratio primæ partis est: quia ad valorem contractus essentialiter, & per se requiritur consensus in substantiam objecti, circa quod contractus fit: at, *qui errat non consentit. L. si per errorem ff. de jurisdict. omn. Jud.* &: *errantis nullus est consensus L. cum testamentum. L. idcirco C. de juris, & facti ignorantia*: ergo deficiente consensu circa ipsam Personam, deficit contractus matrimonialis.

Hinc etiam communis est Doctorum consensus, hoc impedimentum dirimere ex ipso jure naturæ; quia ex ipsa rei natura repugnat contractus sine consensu in substantiam; cùm contractus nihil aliud sit, quam duorum vel plurium in idem placitum consensus *L. 1. ff. de pactis*. Ratio posterioris est: quia ad valorem matrimonii sufficit consensus in substantiam Personæ, seu corporum, quæ mutuò dantur: ergo quidquid est extra substantiam corporum (uti sunt qualitates) est accidentale, nec potest invalidum reddere matrimonium. Ita rursus DD. *communiter*. Herincx hîc *disp.* 6. *num.* 37. Sporer *num.* 5. Engel. *lib.* 4. *tit.* 1. §. 4. *nu.* 2. Et colligitur ex *c. cùm in Apostolica de sponsal.*

89 Dictum tamen fuit: *nisi talis qualitas ex intentione contrahentis redundaret in substantiam Personæ, &c.* subinde enim talis error, ut Doctores communiter notant, redundat in substantiam Personæ, quando nimirùm Persona aliunde prorsus ignota alicui contrahenti sub sola aliqua qualitate proponitur v. g. *quòd sit primogenita*; quòd sit *genere nobilis, &c.* atque ideo determinat voluntatem contrahentis, ut in eam præcisè consentiat: quapropter deficiente tali qualitate deficit con-

consensus in substantiam, & ipse contractus. Vid. *DD. citt.* Verùm pro pleniori hùjus intellectu

Quær. 3. Unde colligendum, quòd error circa qualitatem redundaverit in substantiam Personæ, vel non?

90 R. Ad hoc dignoscendum diversæ à diversis assignantur regulæ, ut videre est apud Gobat. *tr.* 9. *à num.* 113. & Clericat. *decis.* 19. *n.* 17. Convenienter tamen, vitandæ obscuritatis gratia, statui possunt duæ sequentes.

Prima Regula. Si contrahens matrimonium qualitatem illam posuit in conditione contractus, sive formaliter, sive virtualiter; ut si dixerit: *Duco te, si sis virgo, si nobilis, si dives, si primogenita, &c.* tunc deficiente tali conditione, contractus pariter corruit. Ratio est: quia tunc talis qualitas fit pars objecti principalis per se intenti, estque consensus solùm conditionatus: atqui consensus conditionatus conditione non subsistente nullus est, ut omnes norunt: ergo. Ita cum *communi* D. Bonavent. 4. *dist.* 3. *n.* 21. apud Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 18. *n.* 21.

Secunda Regula est hæc: Tunc error qualitatis censetur redundare in substantiam, quando de ea actum est ante contractum matrimonii, quia v. g. Persona cum qua contrahitur, vel ejus Mediatores affirmarunt, eam esse nobilem, divitem, &c. & altera pars ob illam qualitatem, in quam principaliter dirigit mentem, intendit contrahere cum illa Persona, quam ita qualificatam credit. Ex. Gr. Si Puella jactet se nobilem, & alius non quidem nobilis, dives tamen, principaliter inducatur, ac moveatur ad contrahendum propter nobilitatem; in hoc casu probabiliùs matrimonium nullum est, si puella non fuerit nobilis. Ratio est: quia in tali casu qualitas non minùs intenditur, quàm Persona, ideòque fit pars objecti principalis ex intentione contrahentis, & consensus verè pendet à tali qualitate: ergo hac non subsistente, deficit consensus, & per consequens contractus. Vide Gobat. *loc. cit.* Clericat. *decis.* 19. *n.* 29. Kugler *n.* 1098.

Quær. quartò. Quid hic intelligatur nomine *Conditionis servilis*?

91 R. Nomine conditionis, quæ est impedimentum dirimens, intelligitur ignorata conditio servitutis strictè talis; & innuitur, matrimonium cum Mancipio contractum à Persona libera, conditionis servilis ignara, esse nullum, & irritum, prout statuitur *cap. fin. de conjug. servor.*

92 Dictum tamen est primò, intelligi *Conditionem Servitutis strictè talis*. Quo circa notandum venit, dari servos in triplici differentia, alii enim sunt *Servi adscriptitii*, alii *Originarii*, & alii *Servi propriè tales*, qui alio nomine nuncupantur mancipia. Servus adscriptitius dicitur, qui Glebæ seu prædio colendo in perpetuum ita addictus est, ut inde recedere sibi non liceat, nisi facta priùs remissione à Domino sive gratis, sive etiam persoluto ejusdem pretio; & tales sat multos hodiedum est reperire in Bohemia, Polonia, Suevia, & aliis nonnullis Germaniæ locis. Originarius Servus appellatur, qui ortum habet à servo adscriptitio.

Tandem servus propriè & strictè talis est, qui ita subjacet potestati sui Domini, ut ab eo etiam vendi possit pro libitu. Et hujus tantùm servitutis conditio ignorata est impedimentum matrimonii dirimens, ut statuitur in jure *l. cit.* item *c.* 2. *de Conjug. Serv.* Ratio autem hujus constitutionis fuit hæc: quia æquitati naturali omnino videtur consentaneum, ut ii, qui matrimonio sunt copulandi, æqualem corporum suorum conferant potestatem: at, hoc non potest servus respectu liberæ; cùm non sit sui juris: ergo.

Deinde cùm Servus lucretur Domino, quidquid lucratur, non poterit satis conferre ad commodè nutriendam prolem: si verò Uxor sit serva, & Maritus liber, rursus sequetur ingens incommodum; quotquot enim genuerit proles, servituti subjicientur; eo quòd partus sequatur ventrem, ut jura loquuntur: ergo Ecclesia justissimam habuit causam irritandi hujusmodi matrimonia. Immò verò sat multi, etiam graves DD. apud Sanchez & Laym. tenent, tale matrimonium ipso jure naturæ nullum esse; eo quia Persona libera meritò præsumitur, nolle suum corpus tradere pro corpore alterius, nisi similiter libero. Vid. Sporer. *n.* 10.

93 Dictum fuit secundò matrimonium esse nullum, si sit contractum *à Persona libera conditionis servilis ignara*. Quando enim Persona libera contrahit matrimonium cum Persona, quam scit esse conditionis servilis, validè contrahit, non minùs, quàm si servus contrahat cum serva, ut habetur *c. ult. de Conjug. servor.* Atque hoc etiam procedit, si contrahens liber speravit conjugem libertate donatum iri, tametsi vana spe fuisset delusus. Ratio est: tum quia talis non erravit circa conditionem servilem; tum etiam, quia huic utpote volenti, & consentienti non fuit facta injuria. Ita *communis* apud Spor. Babenst. & alios.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Erroris, & Conditionis.

CASUS PRIMUS.

Titius in facie Ecclesiæ contraxit cum Titia, quam crediderat honestam Virginem: at verò post contractum deprehendit eam non solùm corruptam, sed & gravidam esse ab alio: qua ratione cogitat resilire à matrimonio, & quærit, an hoc possit tuta conscientia?

94 R. Non potest, nisi in contractu exceperit, vel antecedenter potestatus fit, se nolle contrahere, nisi cum Virgine. Ratio est: quia matrimonium substantialiter subsistens, nequit infirmari aut rescindi, nisi in casibus, quos Ecclesiæ praxis permittit: cum errore autem circa qualitatem (uti est Virginitas) contractus substantialiter subsistit, nec ullo canone ecclesiastico tale matrimonium infirmatur: ergo. Hinc *L. Alioquin, ff. de contrahen. emptione* dicitur: *quòd si ego me virginem emere putarem, cùm esset Mulier, id est corrupta*, aut Glossa, *valebit emptio: in sexu enim non est erratum*. Laym. *lib. 5. tr. 10. part. 4. c. 2. n. 2.* Palao, VViestner, Schmalzgrueb. *lib. 4. tit. 1. n.* 447.

Dices. At verò Titius protestatur, se taliter fuisse dispositum, ut si scivisset, sponsam jam esse corruptam vel omnino imprægnatam, prorsus nunquam consensisset.

95 R. Hæc habitualis tantum dispositio nihil facit ad invalidandum matrimonium: quia in hoc contractu non attenditur, quid fecisset, si scivisset, esse corruptam, sed quid actu fecerit: atqui actu consensit in Personam Titiæ, & quidem absolutè, sinè ulla exceptione, protestatione, vel conditione apposita, ut supponimus; ergo valet. Accedit, quòd si hujusmodi habitualis dispositio sufficeret ad rescindendum contractum, innumera sanè matrimonia rescinderentur, nec ulla ampliùs foret matrimonii firmitas; quandoquidem frequentissimè accidit, contrahentes errare circa qualitates Personæ. Quin etiam quivis matrimonii pertæsus, facilè prætenderet, se errasse in qualitate Personæ, propatereaque resiliret, utique non sine ingenti detrimento prolium, scandalo ac perturbatione Reipublicæ Christianæ. Atque hac ratione difficillimum est in foro fori obtinere sententiam nullitatis matrimonii ob errorem in qualitate Personæ, ut testatur Clericat. *decis. 19. n. 33.* addens in Fin. „ idcircò cauti sint, qui in contrahendo „ matrimonio ducuntur motivo alicujus „ qualitatis in Conjuge, & eam in pacto expressè deducant in conditionem „ ad effectum, ut ea deficiente possint „ sententiam nullitatis conjugii obtinere. „ Vid. Sporer. *n. 6.* Babenst. *tr. 8. part. 3. disp. 3. art. 2. n. 10.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius, ut faciliùs Semproniam prædivitem, & honestam Virginem persuaderet ad connubium, mentiebatur se cujusdam Principis Ministrum & Legatum: quò verò dictis suis fidem conciliaret majorem, confinxit quamplures litteras, easdemque per Postarios velut à suo Principe identidem missas ad se deferri curavit, Semproniæque exhibuit legendas. Consensit tandem Sempronia, celebratisque in facie Ecclesiæ nuptiis, abiit cum suo sponso è domo paterna, pinguem secum asportans dotem. Verùm post exiguum temporis

poris intervallum inaudiit, Sempronium non esse Ministrum Principis, sed merum impostorem, qui ob plura hinc inde perpetrata crimina; jam aliquoties exulare, & fuga sibi consulere fuisset coactus. Quæritur jam 1. Quid de valore hujus matrimonii censendum? 2. An Semproniæ non liceat resilire?

96 R. Ad Primum. Probabilius videtur, hoc matrimonium esse nullum. Ratio est: quia, ut in casu proponitur, ante connubium de qualitate Ministri quà talis, singulariter actum fuit, & hujus intuitu Semproniæ persuasum, ut contraheret: at, qualitates taliter intentæ censentur redundare in substantiam Personæ, ut dictum fuit *n.* 90. *Reg.* 2. ergo. Certè oppidò simplex fuisset Sempronia, ejusdemque Parentes (inquit Gobat. *tr.* 9. *n.* 122. in simili casu) si in contractu, vel interlocutionibus præviis nunquam apposuissent hanc conditionem: *tradimus tibi Filium*, aut, *duco te, si sis talis, qualem te dicis*. Accedit insuper, quòd quælibet Persona, nedum prædives, sed vel honesta solùm, meritò præsumi debeat, noluisse contrahere cum homine tam infami, cui absque periculo maximorum damnorum cohabitare non liceret: ergo præsumendum videtur pro nullitate contractus. Fatendum tamen est, quòd si Sempronia absolutè consensisset in Sempronium, quem putaverat Ministrum, quamvis non intuitu ministerii, matrimonium fore validum, prout jam constare debet ex dictis. Cæterùm, quo animo consenserit aut contraxerit, prudens Confessarius colliget ex ipsius confessione.

97 R. Ad Secundum. Potest Sempronia suum deserere sponsum, & resilire saltem quoad torum & cohabitationem, & quidem propria auctoritate. Ratio est: quia, ut dicetur *n.* 376. quando Conjux, præsertim innocens, ex cohabitatione rationabiliter timet grave damnum sive corporale, sive spirituale, justam habet causam sese sequestrandi, & quidem non exspectata Judicis sententia, dato, quòd sit periculum in mora: at, in nostro casu Sempronia rationabiliter timuit gravia damna, tum in bonis fortunæ, tum etiam in bono famæ &c. ergo. Quia tamen matrimonium publicè in facie Ecclesiæ fuit celebratum, & Ecclesiæ auctoritate firmatum; hinc sine ejusdem auctoritate dissolvi non debet, ut habetur *c. porro.* 3. *de divort.* Quare ad recedendum à tali conjugio saltem quoad vinculum, opus erit judicio Ecclesiæ. VViestner, Palao, Sot. Navarr. & alii apud Schmalzgrueber *lib.* 4. *tit.* 9. *n.* 41.

Dices: Sed quid si supponamus, Semproniam, posteaquam cognovit se fuisse graviter deceptam, nihilominus adhæsisse suo Marito, atque affectu verè conjugali admisisse copulam, nunquid per talem actum matrimonium evadet validum, tametsi priùs nullum fuisset?

98 R. Clericatus *decis.* 20. *n.* 10. cum Card. de Lauræa, Pontio, Menochio, Fagnano & aliis tenet absolutè, hujusmodi consensum tacitum, & interpretativum non sufficere ad revalidandum matrimonium; eoquòd ratificatio matrimonii invalidi semper debeat fieri coram Parocho & testibus, dicitque hoc esse decisum à Rota, & à S. Congregatione Concilii declaratum. Nihilominus Sporer, Gonat, Sannig, Illsung, pluribusque congestis Schmalzgrueb. *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 120. probabiliter tenent, ad revalidandum matrimonium sufficere tacitum consensum, & ratificationem matrimonii priùs coram Parocho & testibus contracti, dummodò impedimentum supponatur occultum, ita; ut in facie Ecclesiæ probari nequeat; quia hoc ipso, quòd impedimentum probari nequeat, Ecclesia matrimonium solemniter celebratum firmum habet, & validum, nec permittit conjuges resilire. Quare cum ex tali matrimonio timenda non sint incommoda, quæ olim ex clandestinis desponsationibus sequi consueverant, dicendum videtur, quòd ex mente Ecclesiæ tale matrimonium non sit clandestinum, ac proinde sufficiat clam renovari consensum. Ex quo facilè constabit, quid ad præsens quæsitum sit respondendum. Si enim supponatur, nullitatem matrimonii ob præfatum errorem à Sempronia probari potuisse in facie Ecclesiæ, dicendum, quòd non sufficiat tacita illa revalidatio: è contra si nullitas matrimonii probari nequeat, sufficiet illa ratihabitio.

Aliter dicendum foret, si perrexisset adhærere Sempronio affectu solùm meretricio, & non conjugali; quod tamen in foro externo non præsumitur. Vid. dicenda inferiùs *n.* 202.

CASUS TERTIUS.

Cajus ob plura crimina ad triremes in perpetuum damnatus, captata occasione disrupit vincula, & evasit miseram servitutem, nec diu post contraxit matrimonium cum Caja prorsus ignara, quòd jam semel ad triremes fuisset damnatus. Quæritur ergo 1. quid de valore hujus matrimonii censendum? 2. An Caja possit deserere suum sponsum?

99 R. ad primum. Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 402. & cum eo Clericatus *decis.* 20. *n.* 11. censent, hujusmodi matrimonia nulla esse; eoquòd ad carceres, vel triremes perpetuò damnati, fiant *servi pœnæ*, ac proinde, si quocunque prætextu aut colore cum Muliere libera, ignorante eorum condemnationem contrahant, matrimonium reddi nullum propter impedimentum conditionis servilis. Verùm Manzius, Sonnemann ad *Nov.* 22. *c.* 8. Clingensperg. *lib.* 1. *Instit. tit.* 12. Barthol. *in L. qui ultimo*, *n.* 3. *ff. de pœnis.* Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 57. *n.* 2. *in fin.* cum aliis probabiliùs tenent, hodie nec illos, qui ad opus publicum faciendum, vel ad Remos, vel ad Carceres perpetuos condemnantur, fieri servos pœnæ; cùm Imperator dict. *Novell.* 22. *c.* 8. expressè dicat: *Nos autem hoc* (scilicet servitutem) *remittimus*, & *nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri servum. Neque enim mutamus nos formam liberam in servilem statum*, &c. Quapropter dicendum, matrimonium Cajæ (saltem si supponatur in nostris partibus, seu Romano Imperio, ubi prædicta Novella viget) contractum, firmum esse, ac validum: quia Cajus revera est liber, & non servus. Unde jam.

100 R. ad secundum. Matrimonium Cajæ, dato quòd jam consumaverint, quoad vinculum est omnino indissolubile. Hoc tamen non obstante licitum erit Cajæ Maritum deserere quoad torum, si ex ejusdem consortio rationabiliter timeat aliquod notabile nocumentum in bono famæ, corporis, vel fortunæ; quia hæc dant justam causam divortio, ut proximè dictum fuit, & ampliùs dicetur *à n.* 368.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

101 Colliges 1. ad dignoscendum, utrùm error circa qualitatem redundet in substantiam vel non? attendendum esse vel maximè ad interlocutiones prævias, & ad motiva, seu etiam finem contrahendi, itemque ad modum, seu formulam, qua contrahentes usi sunt. Unde si v. g. Titius contrahens matrimonium dixit: *Duco præsentem, quam puto esse Filiam Consulis*: tametsi non esset filia Consulis, nihilominus matrimonium valeret. Econtra, si dixit: *Duco, seu consentio in Filiam Consulis, quam puto, esse præsentem*: si non sit Filia Consulis, matrimonium non erit validum. Ratio discriminis est, quia in priori casu, ut ex formula loquendi patet, Titius directè intendit, & voluit contrahere cum *persona præsente*: hinc, quamvis erraverit, credendo præsenti personæ inesse qualitatem, quòd sit *Filia Consulis*, tamen consensum præbuit in id, quod est de substantia matrimonii, scilicet in Personam præsentem. In posteriori autem casu consensus Titii immediatè & directè ferebatur in *Filiam Consulis*, & non in personam præsentem quà talem: ergo si supponatur non esse Filia Consulis, deficit consensus, & per consequens contractus matrimonii. D. Thom. Navarr. Sanchez, Sporer. *n.* 7. la Croix *n.* 554. & alii *communiter*.

102 Coll. secundò: Validum esse matrimonium, quod à persona libera contrahitur cum servo tantùm adscriptio, vel originario, licèt ignorasset conditionem hujus servitutis. Ratio est: quia Ecclesia nuspiam legitur irritasse tale matrimonium; tum etiam quia isti non sunt servi propriè dicti seu mancipia, sed re ipsa liberi, & ad certa solùm obsequia suis Dominis adstricti. Castrop. de Spons. *disp.* 4. *punct.* 5 *§.* 1.

§. 1. *num.* 10. Sanchez, Sporer, Babenst. ubi suprà *art.* 2. *num.* 10.

CONFERENTIA

QUINTA.

De Impedimentis dirimentibus Voti, & Ordinis.

SUMMARIUM.

103 *Votum, ut dirimat, debet esse solemne, emissum in Religione approbata, vel susceptione S. Ordinis.*

104 *Insuper hujusmodi vota debent esse valida, & vestita aliis conditionibus ad rationem voti requisitis.*

105 *Votum solo jure Ecclesiastico dirimit.*

106 & 107. *Solvuntur duæ instantiæ in contrarium.*

108 *Ordo sacer, seu Major tantum dirimit, non item Minores.*

109 *Ordo debet esse validè, & voluntariè susceptus.*

110 *Vis dirimendi in S. Ordine non semper oritur ex voto.*

111 *Resolvitur Casus I. de Moniali, quæ invalidè professa, postea contraxit matrimonium.*

112 *Resolvitur Casus II. de quodam Clerico, qui post susceptum Ordinem sacrum, contraxit Matrimonium.*

113 *Tale Matrimonium fuit validum, si Ordo invalidè susceptus. Econtra.*

114 *Si Ordo S. validè susceptus, Matrimonium fuit Sacrilegum, & nullum.*

115 *Resolvitur Casus III. de quodam Minorista, qui Matrimonium contraxit, finistrè credens, etiam Minoribus esse annexam obligationem servandi castitatem.*

116 *Talis, si intendit facere, quantum potuit, validè contraxit.*

117 *Solvitur quædam Instantia.*

118 *In voto solemni S. Pontifex potest dispensare.*

119 & 120. *Solvuntur duæ instantiæ contra hoc.*

121 *An, vel quando constitutus in Sacris, & delinquens contra Castitatem, teneatur statum suum explicare?*

122 *Matrimonium à Clerico in Majoribus constituto; vel à Religioso attentatum, est nullum, & Sacrilegum; Et quas pœnas tales incurrant?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos Casus de impedimentis dirimentibus Voti, & Ordinis.

QUæres 1. Quodnam vel quale votum sit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum?

103 R. Votum solemne Castitatis, emissum in professione alicujus Religionis ab Ecclesia approbatæ; Itemque votum illud Castitatis, ex constitutione Ecclesiæ Sacris Ordinibus annexum. Ita expressè statuitur in Concil. Trid. *SS.* 24. *de Matr. Can.* 9. item in Lateran. *Cap. Ut lex* 40. *c.* 27. *q.* 1. Vota autem simplicia non dirimunt, duobus duntaxat exceptis, nempe voto, quod post biennium Novitiatus in Societate JESU emittitur; & voto ab uxore emisso post datam viro licentiam ad suscipiendos Ordines, ut jam suprà *num.* 77. notatum fuit.

104 Notandum tamen est, ad hoc, ut votum solemne dirimat, aut simplex votum impediat matrimonium, necessum omnino esse, ut concurrerint omnia ad naturam seu essent jam perfecti voti requisita; adeòque debuit fuisse emissum 1. voluntariè, & deliberatè 2. cum vera intentione promittendi DEO, & sese obligandi 3. ab eo, qui se obligare potuit 4. debet esse de re DEO placita seu de meliori bono. Ita cum Tamb. Lessio, & *communi DD.* Clericatus *decis.* 21. *num.* 5.

Quær. 2. quo jure votum solemne Castitatis in professione Religionis approbatæ emissum, dirimat matrimonium.

105 R. Dirimit solùm jure ecclesiastico, non autem jure naturæ. Ita Scot. 4. *dist.* 38. *qu. un.*

q. un. Mastr. Henricx, Bosco, Sporer, *n.* 41. & alii SS. communiter; quibus adstipulantur RR. Laym. Filliuc. Kugler n. 1151 contra Gonet, & plures TT. Et quidem quòd jure ecclesiastico dirimat, fatentur omnes, patetque claris textibus juris; nam Gregorius XIII. Bull. *Ascendentè Domino*: ait, voti solemnitatem *sola Ecclesiæ constitutione* inventam esse. Idipsum docuit perspicuè Bonifac. VIII. *c. un. de vot. in 6.* dicens, *voti solemnitatem* (scilicet matrimonii irritativam, de qua ibi loquitur) *sola Ecclesiæ constitutione inventam esse*. Quòd autem ex jure naturæ non dirimat, inde patet: quia votum solemne & simplex quoad substantiam sunt ejusdem rationis, nec differunt in ratione voti, sed unum æquè ac alterum coram Deo obligat, ut habetur *c. rursus. Qui Clerici vel voventes*: atqui certum est, quod votum simplex matrimonium non dirimat ex natura rei: ergo pariter certum esse debet, quòd votum solemne ex natura rei non dirimat. Neque dirimit ratione solemnitatis; quia hæc solemnitas voti est solùm juris Ecclesiastici, ut habetur ex cit. *ca. un. de voto in 6.* Immò hæc solemnitas vix aliter explicari commodè potest, quàm per vim dirimendi matrimonium, huic voto ab Ecclesia adjectam, ut notat Sporer, *n.* 41.

Dices. Ex natura rei repugnare videtur, ut quis rem uni semel donatam & traditam, rursus tradat alteri validè: atqui constitutus in sacris, aut solemniter professus, per ipsam professionem corpus suum tradit Deo, & Ecclesia, vel etiam Religio nomine Dei, acceptat talem traditionem: ergo ex natura rei repugnat, ut idem corpus tradat conjugi per contractum matrimonialem.

106 R. Dist. Maj. videtur repugnare, ut quis rem uni traditam titulo v. g. justitiæ, eandem tradat rursus alteri eodem titulo justitiæ, transeat. Ut rem uni traditam titulo v. g. Religionis, eandem tradat alio titulo v. g. justitiæ alteri, scilicet conjugi, neg. maj. Nam istæ traditiones, cùm sint diversæ rationis, ex natura rei invicem se non excludunt; quod vel inde patenter colligitur: quia habens votum simplex castitatis ex virtute Religionis tradit corpus suum Deo, & Deus tale votum acceptat, & nihilominus validè contrahit matrimonium. Similiter, qui post contractum matrimonium validè fuit professus, si postea uteretur conjuge sua, non peccaret contra justitiam, sed solùm contra votum Castitatis, ut notat Bosco *disp.* 12. *Sect.* 4. *n.* 72. ergo obligatio ex virtute Religionis Deo facta, non excludit ex natura rei obligationem faciendam alteri titulo justitiæ. Vid. Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 440. la Croix *n.* 583.

Dices iterum. Conjugatus stante conjugio, ex jure naturæ nequit contrahere cum alia; eoquòd non ampliùs habeat dominium sui corporis, utpote jam abdicatum & traditum uxori; ergo similiter ex eodem jure naturæ repugnat, ut Religiosus vel quicunque constitutus in sacris, corpus suum jam semel traditum Deo, & Ecclesiæ, rursus tradat uxori.

107. R. Cum *Scoto 4. dist. 33. q. 3. §. Modo conveniens*, & Clericato cit. *decis.* 21. *n.* 22. ex jure naturæ non repugnare, ut uxoratus habeat plures uxores; in veteri enim Testamento sancti Patriarchæ plures habuerunt: unde quòd in lege nova Maritus nequeat ducere plures simul, inde provenit, quia primæ uxori tradidit corpus suum cum hac conditione, *ne alii daret*; id, quod à parte viri in lege Mosaica non servabatur, in lege tamen evangelica fuit firmatum jure divino à Christo Domino, à quo polygamia fuit proscripta. Quare neg. cons. Vid. Kugler *à n.* 1664.

Quær. Tertiò: qualis Ordo dirimat matrimonium contrahendum?

108 R. Ordo sacer dirimit, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Quatuor autem minores non dirimunt, prout habetur *c. si quis Eorum. dist.* 32. & *c. un. de voto in 6.* Ita etiam Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 28. *n.* 2. Cleric. *decis.* 28. *n.* 2. & *seqq.* aliique *communiter*.

Quær. Quartò. Quænam conditiones requirantur ad hoc, ut Ordo sacer dirimat matrimonium?

109 R. Duæ sequentes requiruntur 1. Ut Ordo sacer sit validè, adeòque sine defectu alicujus substantialiter requisiti, susceptus. 2. Ut sit susceptus volunta-

ta-

tariè, & sine metu gravi. Hinc, qui sine intentione & voluntate fictè solum suscepisset; vel qui in infantia ordinatus, ordinem sic susceptum nunquam ratificasset postquam ad annos discretionis pervenit, ministrando in tali Ordine, per se loquendo licitè, & validè contrahit matrimonium: abstinere tamen debet ab exercitio Ordinis, prout sapienter statuit Ecclesia *cap. Ad nostram* item *c. significatum nobis. De Regular.* Et cum communi tenent Sanchez *lib. 7. disp. 29. num. 6.* Sporer *num. 47.* fin.

Quær. quintò. Utrùm vis dirimendi matrimonium proveniat immediatè ex voto annexo Ordini sacro, an verò immediatè ex ordinatione, seu constitutione Ecclesiæ?

110 R. Vis dirimendi certò semper provenit ex ordinatione Ecclesiæ, non tamen semper ex voto. Prior pars docetur à Scoto, & aliis SS. *communiter*, quibuscum sentit Gobat. *tr. 9. num. 270.* & habetur clarè in Concil. Trid. suprà *cit. Sess. 24. Can. 9.* Altera verò pars, quod scilicet non semper proveniat immediatè ex voto, inde suaderi potest; tum quia plures gravissimi DD. mox citandi tenent, Clericos in sacris constitutos, non vi voti, sed tantum vi constitutionis Ecclesiasticæ teneri ad cœlibatum, & observantiam castitatis; tum etiam quia potest contingere, ut quis velit suscipere Ordinem sacrum, & tamen nolit vovere castitatem; quo casu certè non tenebitur servare castitatem ex voto: ergo dicendum, quòd hæc obligatio non semper oriatur ex voto Ordinibus sacris annexo, quamvis semper ex ordinatione Ecclesiæ, quippe quæ voluit ad hujus observantiam obligare omnes, quotquot Ordines sacros suscipiendo voluntariè sese consecrarunt Deo; & quidem justissimè: nam, ut ait Scotus *4. dist. 37. num. 4.* Clericus deputatur ministerio sacro; quòd requirit munditiam mentis, & carnis, perspicacitatem intellectus, & fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia actus cardinalis. Gob. Suarez, Kugler. *num. 1171.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Impedimento Voti, & Ordinis.

CASUS PRIMUS.

Titia ante annum decimum sextum, quem crediderat se jamjam complevisse, solemniter professa est quendam Ordinem sacrum, atque in eodem per complurium annorum curricula usque ad trigesimum suæ ætatis annum est conversata. Tandem verò, ubi inaudiit, professionem suam, utpote factam ante completum annum decimum sextum, nullam fuisse ac irritam, animum mutavit, & habitum, relictoque Monasterio matrimonium contraxit. Quæritur an validè?

111 R. In foro fori, seu in foro Ecclesiastico præsumitur invalidè contraxisse. Ratio est, quia Ecclesia prudenter præsumit, Titiam intra tam longum temporis tractum saltem tacitè suam ratificasse professionem, præsertim si interea contra valorem suæ professionis nunquam supponatur excepisse. Veruntamen, cum Ecclesia nequeat supplere consensum ad valorem professionis necessarium; hinc dicendum, quòd, si Titia, postquam cognovit nullitatem professionis, eandem nunquam amplius ratificavit, matrimonium contractum in foro conscientiæ, & coram Deo omnino valeat. Quin etiam dato, quòd deprehenso errore, & nullitate professionis suæ, Titia intra quinquennium à die professionis reclamasset, quamvis non exaudita à suis Superioribus, posset modò interpellare Ordinarium, vel Summum Pontificem, & procul dubio, facta prius probatione de defectu ætatis, & nullitate professionis, matrimonium declaretur validum, atque liberi, si quos suscepisset, legitimi. Vid. la Croix. *à num. 585.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius speraverat amplum consequi beneficium, propterea que suscepit Ordinem

dinem Subdiaconatus, ea tamen cum intentione, ut ordo seu ordinatio respectu sui valeret, si beneficium obtineret, secus non. Tandem verò dum advertit, se vana spe delusum, contraxit matrimonium cum Sempronia rei prorsus ignara; hinc jam non nihil anxius, & conscientiæ stimulis agitatus, petit scire 1. quid de valore sui Ordinis? & 2. quid de valore sui matrimonii sibi esset tenendum.

112 R. ad primum. Ordo reipsa non fuit validus. Ratio est: quia ad valorem ordinis in adultis requiritur intentio saltem habitualis, & quidem absoluta pro hìc, & nunc suscipiendi ordinem: at Sempronius talem non habuit: immò noluit suscipere Ordinem, nisi obtineret beneficium: ergo deficiente hac conditione, deficit intentio, & per consequens valor Ordinis. Hinc.

113 R. ad 2. Matrimonium à Sempronio contractum, reipsa, & coram Deo est validum; quia, cùm Ordinem validè non susceperit, impedimentum dirimens non contraxit. Unde si supponatur esse in tali loco, ubi ignotus omnibus, possit sine scandalo Uxori cohabitare, non solùm licebit, sed etiam tenebitur eidem adhærere. Verùm cùm in foro externo præsumatur habuisse intentionem absolutam suscipiendi Ordinem, pariter præsumetur pro nullitate matrimonii: nec dubitandum, quin, si res Ecclesiæ innotesceret, compelleretur uxorem deserere. Neque mirandum de tali præsumptione; quippe quæ omnino conveniens, immò necessaria est ad tollenda scandala, aliasque perturbationes, in Ecclesia facilè orituras, si cuilibet defectum internæ intentionis alleganti fides adhiberetur, proptereàque ab Ordine sacro resilire, & ad statum conjugalem transire permitteretur. Hac de causa multa matrimonia præsumuntur valida in foro fori, quæ tamen in foro poli (propter impedimentum merè occultum) valida non sunt, ait Glossa in *cap. cùm in Apostolica*, Et in cap. *Is*, *qui. de sponsal.* item in cap. *ad Nostram de conjug. servor.* Vid. Clericat. *decis.* 19. *num.* 13.

Dices. At quid, si supponatur Sempronium absolutè quidem intendisse Ordinem, votum tamen seu obligationem continentiæ non nisi sub conditione, *si obtineret beneficium speratum?*

114 R. In hac suppositione non teneretur ad continentiam vi voti; cùm nullum emiserit: nihilominus, quia voluntariè suscepisse supponitur Ordinem sacrum, eo ipso ex constitutione Ecclesiæ contraxit impedimentum; per consequens matrimonium attentatum fuisset nullum, immò sacrilegum, non quidem vi voti, sed ratione Ordinis sacri, manebitque obligatus ad continendum, vel ad vovendam continentiam, ait Gobat. *tractat.* 9. *numer.* 271.

CASUS TERTIUS.

Cajus cognomento Simplicius, suscepit minores Ordines, sinistrè existimans, etiam his esse annexum votum, aut certè præceptum Ecclesiæ de servanda castitate perpetua. Nihilominus mala fide, & conscientia multùm remurmurante matrimonium init. Quæritur, an validè?

115 R. Si intendit se obligare quantum potuit, matrimonium reipsa subsistit; quia impedimentum dirimens non dependet ex sinistra existimatione Caji, sed ex constitutione Ecclesiæ; Ecclesia autem Ordinibus minoribus nullum annexuit impedimentum: Ergo. Dubitandum tamen minimè est, quin contrahendo peccaverit mortaliter, saltem ex conscientia erronea eo quia putavit se agere contra prohibitionem Ecclesiæ, utique in materia gravi, & tamen non abstinuit à matrimonio. Vid. Gobat. cit. *num.* 275. Sporer. *n.* 48. Babenst. hic *art.* 2. *n.* 28.

116 Dixi: *si intendit se obligare quantum potuit*: dato enim quòd hoc non intenderit, simulque existimaverit; matrimonium sibi jam impossibile propter Ordines minores, dicendum foret, matrimonium esse nullum, proindèque revalidandum mediante novo consensu. Ratio est: quia ad valorem matrimonii requiritur consensus efficax; respectu impossibilium autem non datur efficax voluntas: ergo, cùm Cajus existimaverit matrimonium sibi esse impossibile, eo ipso non potuit efficaciter in illud consentire. At verò, si inten-

intendit facere quantum potuit, per hanc suam intentionem correxisse censetur alteram illam erroneam existimationem, qua putavit matrimonium sibi impossibile esse.

Dices. Cajus suscipiendo minores, quibus credidit annexum esse votum solemne castitatis, saltem implicitè voluit emittere hoc votum: ergo contraxit impedimentum dirimens, & matrimonium est absolutè nullum.

117 R. Transmisso antecedente, negando conseq. quia ut jam superiùs *n.* 78. notavimus, nemo privata authoritate valet emittere votum castitatis, dirimens matrimonium: licèt ergo daremus (quod tamen Sanchez *lib. 7. disp.* 31. *n.* 5. absolutè negat) Cajum implicitè, & interpretativè vovisse castitatem, hoc tamen votum, utpote privata auctoritate factum, non haberet vim dirimendi.

§. III.

Corrolaria ex dictis inferenda.

118 Colliges ex dictis 1. Summum Pontificem dispensare posse in voto solemni Religionis seu Castitatis, ad effectum contrahendi matrimonium, quamvis summa Sedes non consueverit dispensare in hoc voto, nisi urgentissimis de causis. Ratio est: quia secundùm dicta & probata *n.* 105. Votum solemne dirimit solùm jure ecclesiastico: atqui in hoc summus Pontifex, ceu supremus in Ecclesia Legislator, potest dispensare: ergo hæc facultas summæ Sedi non est deneganda; præsertim cùm aliunde constet Successoribus D. Petri concreditam à Christo fuisse amplissimam potestatem dispensandi, juxta illud *Matth.* 16. *v.* 19. *quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quidquid solveris -- erit solutum &c.*

Dices *Cap. cùm ad Monasterium. De statu Monachorum.* expressè dicitur: *abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*: at posset secundùm hanc responsionem: ergo, &c.

Confirmatur. Professio religiosa jure naturali & divino obligat ad observantiam votorum: atqui Pontifex nequit dispensare in jure naterali, aut divino; ergo nec in voto.

119 R. Ad object. citato Capitulo solùm doceri, quòd nec Pontifex possit dare licentiam contra custodiam castitatis Religioso quà tali, & quamdiu supponitur ligatus voto castitatis: non autem vult, quòd nequeat dare licentiam sublato priùs voto, ubi Religiosus jam cessaverit esse talis: & in hunc sensum, teste Kugler *n.* 1665. citatum Capitulum interpretantur Suarez, Sanchez, Barbosa, Pirrhing; & omnes ferè Canonistæ. Ratio hujus interpretationis inde colligitur: quia non quærebatur à Pontifice, utrùm Abbas possit aliquem à votis substantialibus absolvere, ut desinat esse Monachus: aliunde enim constitit, Abbatibus id non competere; sed quæstio erat, an Monacho in Religione persistenti possit Abbas aliquarum rerum strictam proprietatem indulgere: & hoc fieri posse vel ab ipso Pontifice, negavit Pontifex. Hinc.

120 Ad Confir. R. cum eadem distinctione. Professio Religiosa jure naturali & divino obligat, quamdiù Monachus à votis non est absolutus legitimè, *con.* Supposita tali absolutione, & votorum sublatione, facta à summo Pontifice, *neg. maj. & suppositum*, quòd Pontifex in tali casu dispenset in jure divino, nisi indirectè.

121 Collig. Secundò, non esse omnino certum, quòd Subdiaconus, vel etiam Sacerdos sæcularis vi voti teneantur ad observantiam castitatis; quia quamplures etiam graves Doctores, Scot. Mastr. Bosco, Herincx suprà relati, Aversa & alii tenent probabiliter, eos solùm obligari ex præcepto ecclesiastico. Quare si supponamus Clericum sæcularem, qui Ordines sacros suscepit, & animo non vovendi, nec se obligandi ad continentiam, & deinceps solo actu interno, consensu, vel delectatione morosa, absque desiderio vel intentione opere externo peccandi &c. contra virtutem castitatis delinquit, probabiliter non peccat peccato sacrilegii; tum quia, ut supponitur, castitatem nunquam vovit; tum etiam quia juxta probabilem multo-

rum

rum opinionem, Ecclesia actum merè internum prohibere non potest, vel certè non satis videtur constare actu prohibuisse. Quapropter talis probabiliter satisfaceret in confessione sese accusando in hunc modum: *delectatus sum cogitationibus venereis &c.* etiamsi non exprimeret, se esse constitutum in sacris. Sporer. *n.* 47. Gobat. *tract.* 9. *n.* 272.

122 Collig. tertiò matrimonium à Clerico, vel etiam Religioso apostata contractum, nullum esse, immò & Sacrilegum. Ratio est: quia Ecclesia tales simpliciter inhabilitavit ad contrahendum matrimonium, prout jam constat ex dictis, & videri potest apud Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *c.* 3. *n.* 1. ubi plura refert Concilia & Patres, qui nuptias, à Monachis, aut Sanctimonialibus contractas, incestuosas, atque adulteras appellant. Quamobrem *cap.* 1. *Qui Cleric. vel vovent.* declarantur ipso facto irregulares, & incurrunt excommunicationem (quamvis non reservatam) per *Clem. un. de Consang. & Affinit.* Porrò Imperator Justinianus *L.* 5. *C. de Episc. & Cler.* statuit: *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm, jungendi causa matrimonii, sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.* Unde tales in Confessionali ne quidem audiendi sunt, nisi separati, inquit Sporer. *n.* 443. Vid. Clericat. *decis.* 28. *n.* 4.

CONFERENTIA

SEXTA.

De Impedimento dirimente Cognationis Carnalis, Spiritualis, & Legalis.

SUMMARIUM.

151 Ma-

151 *Maritus etiam sine necessitate baptizans suum Filium, probabiliùs non privatur jure petendi debitum.*
152 *Infideles validè contrahunt matrimonium, licèt sint consanguinei in secundo, tertio, vel quarto gradu &c.*
153 *Si sponsus in quarto, & sponsa in secundo gradu contingat communem stipitem, validè contrahunt.*
154 *An, & quinam Patrinus non contrahat impedimentum Cognationis spiritualis?*
155 *Et quid, si plures simul eundem infantem levent?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de impedimento triplicis Cognationis, scilicet Carnalis, Spiritualis, Legalis.

QUæres primò: quid sit Cognatio, & quotuplex?

123 R. Nomine cognationis intelligitur conjunctio, seu propinquitas Personarum; quæ secundùm communem Doctorum est triplex, nempe 1. naturalis, quæ ex sanguine; 2. Spiritualis, quæ ex administratione, aut susceptione Sacramentorum; 3. & legalis, quæ ex adoptione oritur. Ratio hujus distinctionis facilè constabit; nam ex tribus capitibus modò recensitis poteft oriri conjunctio, seu propinquitas Personarum: ergo & cognatio.

Quær. secundò. quid sit cognatio naturalis?

124 R. Est conjunctio seu propinquitas Personarum, ab eodem propinquo stipite descendentium, per carnalem propagationem contracta. Ita D. Thom. Sanchez. & cum *communi DD.* Kugler *n.* 1293. Hæc verò cognatio naturalis alio nomine vocari consuevit consanguinitas, eoquòd sit quasi *sanguinis unitas*: & ab eodem sanguine descendentes nuncupantur consanguinei, seu etiam cognati, quia ab eodem sanguine & stipite nati. Quocirca

125 Notandum, nomine stipitis impræsentiarum intelligi illam Personam, à qua aliæ proficiscuntur. Sic Adam & Eva dicuntur communis humani Generis stipes, eoquòd totum humanum genus ab ipsis per carnalem propagationem descendat. Quia verò personæ media generatione naturali ab invicem descendentes in diversos gradus & lineas solent distribui; hinc non abs re

Quær. tertiò. quid intelligatur nomine gradus, & quid nomine lineæ?

126 R. I. Per gradum intelligitur distantia unius Personæ ad aliam; sive habitudo distantium Personarum, quà cognoscitur, quota cognationis, vel agnationis distntia Personæ inter se differant. Sic v. g. Filius, cùm vi generationis immediate à Parentibus progrediatur, dicitur suo modo ab ipsis distare, & facere unum gradum consanguinitatis.

127 R. Secundò. Per lineam hìc intelligitur ordinatio, sive ordinata collectio Personarum ab uno stipite descendentium. Quia verò contingere solet, ut vel una Persona ab alia descendat immediatè, v. g. filius aut filia à Parente suo; vel etiam plures ab eodem stipite uni frater & soror, etsi nec à sorore frater, nec à fratre soror; hinc à Doctoribus communiter duplex statuitur linea consanguinitatis, nempe *recta* & *obliqua seu transversa*.

Linea recta est coordinatio Personarum, quarum una ab alia descendit, vel immediatè, ut Filia à Patre, vel mediatè, ut Neptis ab Avo. Porrò, si Filius comparetur ad Patrem, Avum vel Abavum &c. dicetur linea recta *ascendens*; si autem Pater comparetur ad Filium, Neptem &c. dicetur *descendens*.

Linea obliqua seu transversa est coordinatio Personarum, quæ ab eodem quidem communi stipite descendunt, ita tamen, ut una non descendat ab altera, sicuti, v. g. frater & soror &c. & tales personæ semper sunt collocandæ in linea obliqua, seu transversa.

Quòd si Personæ in linea transversa collocatæ æqualiter distent à communi stipite, ut frater & soror &c. dicitur linea transversa æqualis; si inæqualiter, ita ut una plus distet, quàm altera; dicitur linea

nea transversa inæqualis, prout facilè patebit ex præsenti Schemate arboris consanguinitatis. *N B.*

Quær. 4. unde practicè dignosci queat: quoto gradu unaquæque persona in quavis linea distet ab altera?

128 R. Hoc dignosci potest ex tribus sequentibus regulis, quas DD. communiter pro diversitate linearum assignare consueverunt.

Prima igitur regula pro linea recta est hæc: *in linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, una solum dempta*, vel, ut alii loquuntur: *tot sunt gradus, quot generationes*. Quare cùm inter Patrem, & Filium detur unica tantùm generatio, & duæ Personæ, pariter unicus tantùm datur gradus: è contra quia inter Avum & Nepotem dantur duæ generationes, & tres personæ, hinc Avus à nepote duobus distat gradibus.

Secunda regula pro linea transversa æquali est hæc: *in linea transversa æquali tot gradibus personæ distant inter se, quot quælibet, vel una earum distat à communi stipite*; hinc quia duo fratres, vel etiam frater, & soror uno gradu distant à Parente ceu communi stipite, pariter uno gradu distant inter se.

Tertia regula pro linea transversa inæquali est sequens: *in linea transversa inæquali tot gradibus personæ distant inter se, quot remotior persona distat à communi stipite*. Quare frater, & filia sororis distant inter se duobus gradibus; quia filia seu neptis ex sorore duobus gradibus distat à communi stipite.

Quær. 5. quousque hoc impedimentum Cognationis naturalis seu consanguinitatis se extendat?

129 R. Jure antiquo olim se extendit usque ad gradum septimum: placuit tamen Ecclesiæ ob rationabiles causas jus illud antiquum corrigere in tantum, ut vi juris novi *cap. debet de Consang. & affinit* solùm se extendat usque ad quartum gradum inclusivè. Eapropter Titius in medio schematis, arboris scilicet consanguinitatis positus, vinculo consanguinitatis impeditur in tantum, ut cum nulla alia persona in eodem schemate descripta Valeat contrahere matrimonium. Ita *cum communi* Reiffenst. *c.*

Quær. Sexto: quo modo in praxi procedendum, ut investigetur propinquitas personarum sanguine junctarum?

130 R. Primò P. Reiffenst. *Theol. mor. tract. 14. distinct. 14. num. 101.* hoc facilè colligi posse ex schemate arboris consanguinitatis, & quidem sequenti modò. Collocetur in medio arboris, ubi Titium posuimus, una persona, deinde ascendendo vel descendendo investigetur, an altera persona, de cujus propinquitate dubitatur pertineat ad unam reliquarum personarum, seu etiam cellularum, vel non? Si ad unam illarum deprehendatur pertinere, tunc vel ad lineam rectam vel ad obliquam, eandemque æqualem, vel inæqualem pertinebit; proindeque juxta regulas proximè datas, facillimum erit deprehendere, quantum una persona distet ab altera. Sin autem ad nullam reliquarum personarum, seu etiam cellularum pertinere noscatur, nullum erit inter tales impedimentum consanguinitatis. Quòd si hic modus investigandi non placeat. aut investigaturus arborem consanguinitatis ad manum fortè non habeat.

131 Resp. Secundò, prædictam conjunctionem etiam sequenti modo, quem tradit Gobat. *tractat. 9. numer. 266.* & post eum la Croix. *numer. 607.* posse investigari. Quærat igitur ex iis, qui ajunt intercedere cognationem, cur hoc putent aut dubitent? quibus auditis investigaturus describat in parte inferiori alicujus carthæ nomen sponsi ad latus sinistrum, ad latus autem dextrum sponsæ: supra sponsum describat, ordine semper ascendendo à proximioribus, nomina illorum sponsi cognatorum, qui dicuntur dedisse causam cognationi ex hujus parte: similiter scribat in altero latere nomina eorum, qui ex parte sponsæ dicuntur dedisse ejusmodi causam; nec cesset à scriptione, donec deveniat ad communem stipitem. Quo facto consideret utrùm sponsi sint in linea æquali, vel inæquali. Si in inæquali, applicet regulam tertiam. Si in æquali, applicet secundam. Exemplo forsitan res clarior evadet. Ponamus igitur Titium, & Titiam sponsos dubitare, an possint contrahere matrimonium, causam dubitandi allegent hanc; *quia*

quia eorum Proavi fuerunt germani fratres. Jam in hoc casu, qui cupit propinquitatem, vel distantiam eorum investigare, scribat in cartha, ut sequitur.

Abavus Joannes.

Titii Sponsi | Tiriæ Sponsæ

Proavus Paulus Proavus Petrus
Avus - Cosmas Avus - Damian.
Pater - Georgius Pater - Simon
Titius - Sponsus Titia - Sponsa

In hoc casu deprehenditur Joannes Abavus fuisse stipes communis, à quo Paulus & Petrus sponsorum Proavi fratres uterini immediatè, sponsi verò mediatè descenderunt: & quia Titius & Titia sponsi in linea obliqua æqualiter, scilicet quatuor gradibus, distant à communi stipite, sequitur pariter, quòd quatuor gradibus distent inter se, proindeque absque beneficio dispensationis contrahere non valeant.

Quæres septimò: quo jure hoc impedimentum consanguinitatis dirimat matrimonium?

132. R. Probabiliter ipso jure naturæ dirimit, & quidem in quocunque gradu lineæ rectæ, sive ascendentium, sive descendetium. Ita sentire videtur Scot. 4. *dist.* 4. *quæst. unic. §. de secundo dico*. aliique gravissimi DD. Ratio hujus opinionis præcipua est hæc: quia omnes ascendentes in linea recta, habent rationem principii respectu descendentium: atqui instinctus naturæ videtur dictare, quòd Genitoribus debeatur specialis reverentia propter conjunctionem sanguinis, cui reverentiæ copula carnalis repugnare videtur; qua ratione Doctor Subt. *l. citat.* existimat hanc prohibitionem ac irritationem jure naturæ extendi ad quemcunque gradum lineæ rectæ, immò etiam ad primum gradum lineæ transversæ. Nihilominus satis probabiliter alii tenent, quòd solus primus gradus consanguinitatis lineæ rectæ, scilicet inter patrem & filiam, & inter matrem & filium, de jure naturæ matrimonium dirimat. Ita Sanchez. Castropal. Basil. Pont. Bonac. Clericat. *dec.* 22. *n.* 23. la Croix *n.* 608. Schmalzgrub. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 28. *& seqq.* Ratio hujus opinionis est: quia Avus, cæterique ascendentes respectu descendentium non sunt principium per se generationis, sed per accidens; Filius namque exigit solùm Parentem, non verò Avum vel alios ascendentes, prout patet in Abele, qui fuit verus Adami Filius, nec tamen habuit Avum; ex quo concludunt Avo, aliisque ascendentibus non deberi reverentiam tantam, ut si inter eos contrahatur matrimonium, jus naturale offendatur.

133 Notandum tamen hìc venit pro praxi, quòd, quamvis Papa secundùm probabilem plurimorum DD. opinionem dispensare valeat in omnibus gradibus lineæ rectæ, tum etiam transversæ, solo primo gradu lineæ rectæ excepto; attamen in gradibus lineæ tranversæ raró ac difficulter dispensare consueverit, & quidem eò difficiliùs, quo major inter dispensandos versatur sanguinis conjunctio: nec solet, præsertim in gradu primo & secundo dispensare, nisi urgentissimis de causis. In linea autem recta, teste Clericato *cit. n.* 20. per mille & septingentos annos nullus Pontifex unquam dispensasse legitur.

Quæres octavò: quid sit cognatio spiritualis, quo jure dirimat, & quousque se extendat?

134 R. 1. Cognatio spiritualis est propinquitas quarumdam personarum, jure ecclesiastico introducta, propter collationem Baptismi, vel Confirmationis, susceptionemve recipientis aliquod ex his Sacramentis. Ita *communis* DD. apud Babenst. *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 3. *art.* 2. *nu.* 36. Ex qua descriptione patet, hoc impedimentum jure solùm ecclesistico dirimere, proindeque tolli posse per dispensationem Pontificis.

135 R. secundò. Cognatio spiritualis modò descripta solùm dirimit matrimonium contrahendum, non item jam contractum, si huic superveniat. Porrò ad quinque tantùm personas se extendit, ita, ut vi Baptismatis ipse baptizans, & è fonte levans hanc cognationem contrahant cum ba-

baptizato, baptizatique Patre ac Matre. Similiter vi Confirmationis hoc impedimentum contrahit confirmans, & confirmatum tenens, cum confirmato, confirmatique Patre ac Matre: nec ultra ampliùs se extendit. Ita statuit Concilium Trid. *SS.* 24. *de refor. matr. c.* 2. Reinfsest. *cit. n.* 113 & 114.

136. Ubi insuper notandum, quòd hoc impedimentum cognationis spiritualis sit perpetuum, nec extinguatur morte illius personæ, cujus occasione contractum fuit, baptizati nempe vel confirmati. Ratio est: quia jura hoc impedimentum nullibi limitant ad tempus, quo illa persona supponitur superstes. Hinc bene dicit Sporer *n.* 88. fallere illud, Germanorum proverbium: ..... Vid. Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 54. *n.* 8. Filliucius *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 189.

Quæres Nonò: quænam conditiones requirantur ad hoc, ut Patrinus contrahat impedimentum cognationis spiritualis?

137. R. Requiruntur quatuor sequentes. 1. Ut habeat intentionem saltem virtualem, & implicitam, obeundi munus patrini; nam sine intentione verè non obiret munus patrini: quemadmodum sine intentione non verè baptizaret. Ita Sanchez, ConincK. Schmalzgrueb. *lib.* 4. *tit.* 11. *n.* 36. secundò requiritur, ut baptizatum de manibus baptizantis immediatè suscipiat, vel, si alicubi fortè baptismus conferatur per immersionem, è fonte sacro levet, idque per seipsum, aut certè per suum substitutum; secus enim dici non posset, eundem de baptismo suscepisse. Konig. hìc *n.* 14. Reinffenst. *n.* 17. apud Schmalzgr. *cit. n.* 37. & 38. tertiò, requiritur, ut Patrinus suum manus agat in baptismo solemni, & validè administrato; quia in baptismo privato suscipiens non suscipit ex instituto Ecclesiæ; & si baptismus supponatur invalidus, non fit spiritualis regeneratio: atqui propter spiritualem hanc regenerationem contrahitur impedimentum, ab Ecclesia institutum: ergo. Illsung. *tract.* 6. *disp.* 2. *art.* 6. *nu.* 27. & alii apud Babenst. *tract.* 8. *part.* 2. *disp.* 1. *art.* 5. §. 2. *num.* 4. requiritur, ut Patrinus è fonte levans sit ipse baptizatus; quia non baptizatus non incurrit impedimentum solo jure Ecclesiastico introductum: itemque Patrinus in confirmatione debet esse confirmatus, ut hoc impedimentum incurrat; quia ut dicitur. *c. in baptismate.* 102. *de consecr. dist.* 4. *In baptismate vel crismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Vid. Clericat. *decis.* 23. *à numer.* 10. Schmalzgrueb. cit. *à numer.* 34.

Dices. Quidsi autem aliquis infantem levet per alium substitutum, seu Procuratorem, an Procurator, an verò Principalis mandans, seu substituens contrahet hoc impedimentum?

138 R. Olim quidem plures censuerunt, in tali casu impedimentum contrahi à substituto seu Procuratore; verùm, teste Sporer *nu.* 96. jam communis tenet sententia, (quam sequuntur Laym. Pont. Tamb. Gob. Schmalzgrueb. Matthæucc. Schmier, & alii) hoc impedimentum contrahi à Principali seu mandante, non verò à substituto. Ratio est: quia ut ait Sporer *cit.* generalis ista consuetudo in Ecclesia notissima, habet vim declarandi legem, & regulam illam juris *in* 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.* Idque fuisse declaratum à sacra congregat. 29. Mart. 1582. itemque 15. Mart. 1531. testatur Nicolius apud Clericat. proximè cit. *decis.* 23. *n.* 8. Tandem in declarationibus Concil. Trid. *ad C.* 2. *SS.* 24. *n.* 4. habentur hæc formalia: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* Quare de hujus opinionis veritate prudenter vix dubitare licet.

Quær. 10. Quid sit cognatio legalis, & quotuplex?

139 R. 1. Cognatio legalis est propinquitas quarundam personarum, ex adoptione proveniens. Ita *communis*. Pro hujus pleniori intellectu notandum, adoptionem à DD. communiter describi, quòd sit *legitima assumptio personæ extraneæ* (id est, talis, quæ non est ex descendentibus adoptantis) *in Filium aut Filiam, Nepotem vel Neptem.* Dicitur autem *legitima assumptio*, eo quòd sit legibus civilibus introducta, & canonicis approbata. Ita Laym. *lib.* 5. *tract.* 10.

10. *pag.* 4. *cap.* 7. Filliuc. ubi suprà *nu.* 198. Castrop. *de Sponſ. diſq.* 4. *punct.* 9. *à num.* 3.

140 R. secundò. Adoptio est duplex, nempe perfecta, & imperfecta. Perfecta (quæ etiam dici solet *Arrogatio*) est, qua Persona extranea, sui juris existens, per Principis rescriptum transfertur in potestatem & familiam adoptantis, ut instar legitimorum liberorum esse incipiat. Imperfecta sive simplex est, in qua, auctoritate cujusdam Judicis jurisdictionem habentis persona extranea, sub Parentis sui potestate constituta, in Filium vel Filiam, Nepotem vel neptem assumitur, absque jure adoptanti succedendi necessariò, sed solùm ab intestato; id est: absque eo, quòd taliter adoptans teneatur adoptatum instituere hæredem, quamvis ita adoptatus habeat jus succedendi, dato, quòd adoptans vel nullum fecerit testamentum, vel invalidum aut cassatum. Vid. Babenst. *tr.* 8. *p.* 7. *diſp.* 3. *art.* 2. *n.* 37.

Quær. tandem 11. Utrùm tam perfecta, quàm imperfecta adoptio generet hoc impedimentum, & secundò quousque se hoc extendat?

141 R. 1. Ex adoptione perfecta oriri hoc impedimentum, fatentur omnes. Ex imperfecta pariter oriri, docent quamplures etiam insignes DD. Palao, Reinfest. Cleric. & alii. Negativa tamen opinio mihi videtur verosimilior. Ratio est; tum quia textus civiles, loquentes de cognatione legali, loquuntur de tali adoptione, per quam adoptatus transfertur in potestatem & familiam adoptantis: textus autem canonici, ait Schmier *lib.* 4. *tr.* 3. *c.* 3. *num.* 284. cùm adoptionem pro adstruenda cognatione recipiant in sensu juris civilis, utique non aliam, quàm arrogationem, seu adoptionem perfectam admittunt; tum etiam quia hoc impedimentum introductum est ad vitandam fornicationem, quæ facilè fieri posset inter personas in eadem domo commorantes: atqui hoc periculum cessat in adoptione imperfecta, quippe per quam adoptatus non traducitur in domum & potestatem adoptantis: ergo &c. ConincK. Laym. Konig., VViestner, Schmalzgrub. *tit.* 12. *num.* 19.

142 R. 2. Cognatio legalis extendit se, ac dirimit 1. inter uxorem adoptantis & adoptatum. 2. Inter uxorem adoptati & adoptantem. 3. Inter adoptatum, & liberos legitimos adoptantis. ita cum communi Gobat. *tract.* 9. *nu.* 177. Quocirca tamen notandum, hoc impedimentum inter adoptantem & adoptatum esse quidem perpetuum: inter adoptatum verò & filios aut filias adoptantis tamdiu solùm durat, quamdiu filii aut filiæ existunt sub potestate patria adoptantis. Babenstub. *cit. num.* 38. Plura de hoc impedimento differere videtur superfluum; cùm his temporibus adoptio perfecta sit admodum rara.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Cognationis.

CASUS PRIMUS.

Titius quinquennio in statu matrimoniali jam transacto, nuper à quodam audierat, se esse cognatum seu consanguineum suæ uxori; qua ratione anxius, & dubius, quid jam deinceps agendum, consilium petiit. Confessarius desuper interrogatus, misit eum ad proprium Parochum, mandans, ut interim, dum veritatem rei deprehenderet, ab usu Conjugii abstineret. Quæritur jam 1. an Confessarius bene fecerit? 2. Quid D. Parocho agendum, vel de valore hujus matrimonii censendum fuerit?

143 R. 1. Si Titius ex rationabili causa seu fundamento dubitavit de impedimento consanguinitatis, Confessarius bene fecit mittendo eum ad Parochum proprium: quia Titius tenebatur veritatem indagare, & interim ab usu matrimonii abstinere: atqui veritatem potuit faciliùs indagare consulendo proprium Parochum; semper enim supponitur Parochus habere majorem notitiam Ovium suarum seu Parochianorum, quàm alius Sacerdos vel Confessarius, cui pœnitens ignotus est: ergo &c.

144 Dixi tamen: *Si Titius ex rationa-*

 bili

bili causa dubitavit, *&c.* dato enim, quòd non habuerit rationabile fundamentum suspicandi de consanguinitate, nec tale potuerit afferri ab illo, qui asseveravit Titium esse consanguineum, is non fuit obligatus contra se instituere quæstionem, proindeque non fuisset opus illum remittere ad Parochum. Ratio est: quia ut in materia de jure & justitia dicitur, & cum communi tradit Sporer *tract.* 4. *c.* 2. *n.* 91. Possessor bonæ fidei (qualis est Titius noster) non tenetur contra se ipsum instituere inquisitionem levibus solùm de causis: ergo multò minùs si nulla subsit rationabilis causa suspicandi de aliqua consanguinitate.

145 R. secundò. Dato, quòd Titius habuerit rationabilem causam suspicandi de impedimento, tenebatur Parochus ipsum adigere, & pro possibili adjuvare ad indagandam omnimodam veritatem, & interim usum matrimonii interdicere. Quòdsi facta sufficienti inquisitione nequeat deprehendi omnimoda veritas, Titius tenebitur stare matrimonio, eidemque licebit uti tum petendo, tum etiam reddendo. Ratio est: tum quia matrimonium est causa favorabilis, pro qua semper est standum, ut habetur *c. ex litteris. de prob.* item *c. fin. de sent. & re judic.* Tum etiam quia universim actus in dubio debet interpretari validus. *L. quoties. ff. de rebus dub.* semper enim præsumptio stat pro valore actus, donec de invaliditate certò constiterit: ergo etiam in nostro casu præsumptio stat pro valore matrimonii. Vid. Sanchez. *lib.* 1. *disp.* 17. *à num.* 5. Barbos. *axiom.* 12. *nu.* 7. la Croix *nu.* 298.

Dices. At quid, si Titius jam ante contractum dubitasset de impedimento consanguinitatis, & nihilominus contraxisset?

146 R. Contrahendo cum tali dubio, saltem per se loquendo, peccavit mortaliter; tum quia Sacramentum matrimonii periculo nullitatis & irreverentiæ; tum etiam, quia se ipsum periculo fornicandi exposuit. Supposito tamen, quòd jam contraxerit, & dubium vincere, seu veritatem, vel potiùs nullitatem matrimonii sui deprehendere non possit licebit eidem nedum perseverare in statu conjugali, sed etiam petere ac reddere debitum. Ratio est: tum quia impedimentum non præsumitur, sed probari debet; tum etiam quia ut proximè dictum, in dubio præsumitur pro valore actus seu contractus matrimonialis: ergo Titius probabilissimè præsumet pro valore sui matrimonii: atque ubi matrimonium probabiliter putatur validum, licitè petitur ac redditur debitum: sicut enim in aliis, ita in hac materia licitum est sequi sententiam probabilem, ait la Croix *n.* 299. ergo.

CASUS SECUNDUS.

Nomine Sempronii nati Egrensis, dum puer adhuc erat quinquennis, ab hujus parente è sacro baptismatis fonte levata est Sempronia: & quia idem Sempronius jam vehementer affectat connubium; hinc quæritur, an non valeat ducere Semproniam; præsertim cùm nunquam habuerit intentionem agendi Patrinum respectu ejusdem, immò nec potuerit habere tunc temporis. Quid censendum, aut Sempronio respodendum?

147 R. Quòd nequeat ducere Semproniam. Ratio est: quia non solùm Egræ, sed etiam in tota Diœcesi Ratisbonensi consuetudine legitima introductum & receptum est, ut infans, cujus nomine alius levatur, impedimentum cognationis spiritualis contrahat cum levato, prout mihi authenticè constat ex quodam gratioso rescripto reverendissimi Consistorii Ratisbonensis, dato 11. Junii anno 1725. Quare cùm secundùm dicta *numer.* 74. per legitimam consuetudinem possint abrogari, vel introduci impedimenta matrimonii etiam dirimentia, dicendum, quòd Sempronius, utpote natus Egrensis & subditus Diœcesis Ratisbonensis, contraxerit impedimentum.

Dices. At nunquid hæc consuetudo est conformior juri communi?

148 R. Non videtur conformior; quia secundùm dicta *n.* 137. de jure communi requiritur, ut patrinus habeat intentionem agendi munus patrini: at talem intentionem Sempronius non habuit, nec habuisse

se supponitur: ergo. Quare mihi videtur certum, quòd præscindendo à præfata consuetudine, dictum impedimentum non contraheretur ab infante, cujus nomine à Parentibus alius levaretur. Videatur de hoc Clericat. *decis.* 23. *à n.* 10. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit* 11. *à num.* 36. Illsung. *tract.* 6. *d.* 2. *a.* 6. *n.* 24.

CASUS TERTIUS.

Caja inopinatum edidit partum; & quia nemo præsens erat, qui infantem recens natum sacro baptismatis lavacro regeneraret; hinc Cajus Maritus eundem de vita jamjam periclitantem baptizavit. Jam verò dubitat, an cum sua uxore contraxerit cognationem spiritualem, vi cujus prohiberetur ab usu matrimonii?

149 R. Cum Sanch. *lib.* 7. *disp.* 62. *n.* 10. Fagnano *l.* 4. *in c. si vir nu.* 9. Kugler *n.* 1942. Cajum contraxisse quidem cognationem spiritualem cum uxore; quia hæc ex omni baptismo, validè administrato contrahitur: at non contraxit talem cognationem, vi cujus privaretur usu petendi debitum: ita enim expresse deciditur *Can. ad limina.* 7. *caus.* 30. *q.* 1. ubi ratio redditur: *quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Et hujus opinionis videtur esse Schmalzgr. *tit.* 11. *n.* 42. ubi negat, quòd parens in necessitate baptizans contrahat impedimentum cognationis spiritualis, nempe tale, vi cujus ab usu matrimonii impediretur. Ubi etiam *nu.* 43. subdit, Patrem non ammitere jus petendi debitum ab uxore, si in casu necessitatis, ubi alius haberi non potuit, è sacro baptismatis fonte suscipiat propriam prolem; tametsi enim patrinus non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti, & in baptismo etiam privato honestiùs adhibetur. Quapropter cùm in tali casu parens nihil delinquat, non est, cur impedimentum jure canonico in pœnam delicti statutum portet. Ita etiam sentiunt Engel, Konig, Reinffest. apud Schmalzgr. cit. item Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *C.* 8. *num.* 7. Ubi notant, ab hac pœna privationis petendi debitum excusare probabilem ignorantiam juris aut facti. Immò Sanchez *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 47. etiam illum liberat ab hac pœna, qui laborat ignorantia facti crassa, modò non sit affectata, vel ita crassa, ut ingens temeritas sit ignorare: quia jus imponit pœnam privationis *scienti*: à tali autem pœna excusat ignorantia quæcunque non affectata, & quæ non est adeò crassa, ut sit ingens temeritas. Vide Sanchez. *cit. n.* 36. 39. & 40.

Dices adhuc. Si sponsus prolem suæ sponsæ per fornicationem genitam, etiam in necessitate baptizet, aut è S. fonte levet, contrahit impedimentum cognationis spiritualis, vi cujus prohibetur ducere sponsam: ergo idem impedimentum contrahit Maritus, prolem legitimam suæ uxoris baptizando, vel è S. fonte levando.

150 R. Cum Sanch. Fagnan. Engel. Wiestner & aliis, negando consequentiam. Disparitas in hoc sita est: quia marito post nuptias aquisitum est jus petendi debitum ideò privatio hujus juris censetur pœna: nemo autem puniri debet, nisi culpa præcesserit. *c. discretionem. de eo qui cognovit*; è contra inter solutos seu nondum junctos matrimonio, hoc impedimentum non censetur pœna, sed moralis inhabilitas ad matrimonium ex canonici juris constitutione: tales autem inhabilitates etiam sine culpa contrahi possunt, ut patet in irregularitatibus contractis ex defectu v. g. corporis, lenitatis, &c. Vid. Laym. prox. cit.

Dices adhuc: At quid si Maritus prolem suæ uxoris sine necessitate baptizet scienter, vel ex baptismo levet, nunquid in hoc saltem casu privabitur jure petendi debitum?

151 R. Affirmant S. Thomas, Laym. cit. Bonac. aliique sanè permulti & graves DD. Verùm hodie negativam ut probabiliorem tenent Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 539. Herincx *disp.* 7. *q.* 2. *n.* 10. Reinff. Schmalzgr. *cit. nu.* 48. aliisque congestis Kugler. *num.* 1908. Ratio est: quia hoc nullo claro jure ostendi potest; immò contrarium potiùs colligitur ex *cap. si vir.* 2. *h. tit.* absque claro autem jure non est asserenda tam gravis pœna. Quare ego cum P. Gobato *cas.* 5. *nu.* 615. etiam secluso privilegio, tutò sequerer in praxi hanc sententiam, inquit meritò Sporer. *n.* 481. Fatentur tamen

men omnes, quòd taliter baptizans peccet mortaliter.

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

152 Colliges ex dictis primò, Infideles validè contrahere, tametsi in secundo, tertio, vel quarto gradu consanguinitatis supponantur conjuncti: proindeque si ad fidem convertantur, non erunt separandi. Ratio est: quia hoc impedimentum, in quantum se extendit ad quartum, tertium, vel etiam secundum gradum, est introductum jure solùm ecclesiastico, per *cap. gaudemus de divort.* quo jure Infideles non stringuntur. Secùs dicendum foret, si contraxissent, posteaquam fidem veram jam suscepissent Babenst. ubi suprà *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 34.

153 Colliges secundò. Si Titius communem stipitem contingat in quinto gradu, & Titia in secundo, tertio, vel quarto, eos non prohiberi, quò minùs matrimonio sociari valeant. Ratio est: quia hoc impedimentum non extenditur ultra quartum gradum: atqui Titius contingens communem stipitem in quinto gradu, jam ultra quartum gradu distat à Titia: ergo &c. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 53. *n.* 5. Gobat, la Croix *nu.* 613.

154 Colliges tertiò. Eos non contrahere hoc impedimentum, 1. qui à Parentibus baptizandi, vel Parocho non rogati, aut designati ad munus Patrini levant. Item 2. qui levant sine intentione patrinum agendi, seu supplendi cæremoniam baptismi more aliorum juxta Ecclesiæ institutum. Vel 3. qui putans se levare Titium, per errorem levat Cajum. Ratio horum facilè eruitur ex dictis *n.* 137. quia in his omnibus deficiunt conditiones requisitæ ad contrahendum hoc impedimentum, prout fusiùs ostendit Clericat. *decis.* 23. *à num.* 13. item Kugler *de Mat. à num.* 1915.

Dices tandem. Quidsi autem plures à Parentibus designati, eundem infantem simul levent, contrahuntne omnes, vel nullus eorum hoc impedimentum?

155 R. Juxta præscriptum *Trid. de Refor. Matr. SS.* 24. *c.* 2. non sunt admittendi plures simul, sed unus tantùm, vel ad summum una & unus patrinus. Dato nihilominus, quòd vel ex ignorantia vel etiam ex vana politia &c. fuissent admissi plures, oportebit attendere, an omnes simul, an verò successivè tantùm tetigerint & levaverint? Si successivè, dicendum, quòd ille solus contraxerit impedimentum, qui primus tetigit & levavit, vel ad summum primi duo, si fuerint vir, & mulier; quia revera isti tantùm sunt susceptores, & quando accedit tertius levans, ministerium patrini jam invenit exhibitum, sicque ejusdem exhibendi jam non amplius est capax.

At verò, si supponantur plures designati simul levasse, Sanchez, Navarr. Sa, Barbos. Passerinus apud Schmalzgr. *cit. n.* 87. probabiliùs tenent, ab omnibus incurri hoc impedimentum; eò quia omnes conditiones pro hoc impedimento contrahendo reperiuntur in singulis. Testatur etiam Fagnanus *in cap. ex litteris. fin. h. tit.* id fuisse declaratum a S. Congregatione: è contra Kugler *nu.* 290. contendit, in tali casu probabiliùs à nullo contrahi impedimentum; quia Tridentinum prohibens adhiberi plures patrinos videtur formam statuisse, & irritasse plurium designationem, secùs enim non efficaciter exclusisset multitudinem patrinorum, quod tamen erat intentum hujus constitutionis. Ex quibus patet, utramque sententiam esse satis probabilem.

CONFERENTIA SEPTIMA.

De Impedimento dirimente Criminis.

SUMMARIUM.

156 *Impedimentum Criminis describitur.*
157 *Spectato jure antiquo, est duplex, videlicet Machinatio mortis, & adulterium: utrumque autem dupliciter contingere potest.*

158 *Quæ-*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad resolvendos Casus de Impedimento dirimente Criminis.

Quæres primò, quid sit impedimentum criminis, & quo jure matrimonium dirimat?

156 R. Impedimentum criminis est quoddam obstaculum auctoritate Ecclesiæ introductum, vi cujus personæ ob enorme crimen commissum impediuntur, quò minùs matrimonium contrahere valeant, Ita in re *communis DD.* Ex hac autem descriptione patet, hoc impedimentum jure solùm ecclesiastico dirimere; ideòque auctoritate Pontificia tolli, seu dispensari posse cum hujuscemodi criminosis, prout omnes fatentur.

Quæres secundò quotuplex sit impedimentum criminis?

157 R. Spectato jure communi antiquo duplex est, nempe 1. Machinatio in mortem Conjugis, & 2. Adulterium. Ita rursus cum communi DD. Reinffest. *Theol. mor. disp.* 14. *n.* 84. Dictum est: *spectato jure antiquo*; nam jure novo Concil. Trid. *de reform. Matr. SS.* 24. *c.* 6. additum fuit impedimentum *Raptus*; de quo infrà *nu.* 290. agetur.

Cæterùm, utrumque crimen dupliciter contingere potest, nempe machinatio mortis 1. sic, ut vir & mulier communi consensu committant conjugicidium. 2. sic, ut una pars tantùm, vir scilicet, aut mulier conjugis mortem machinetur, & insuper committat adulterium. Similiter adulterium, prout est impedimentum criminis committi potest 1. sic, ut simul fiat promissio matrimonii de præsenti cum adulterio. Vel 2. sic, ut adulterio insuper accedat promissio matrimonii de futuro. Hinc est, quòd Sporer aliique plures dicant, impedimentum criminis esse quatruplex. Vid. Reinf. cit. Verùm enim verò, cùm non quodlibet adulterium, nec quævis machinatio mortis post se trahant hoc impedimentum, prout DD. communiter fatentur; hinc non abs res dubitabis, &

Quær. tertiò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut sola machinatio mortis dirimat?

158 R. Sequentes quatuor conditiones requiruntur: 1. Ut unus conjugum alteri machinetur, seu verè inferat mortem, vel physicè, vel saltem moraliter, ut puta mandando, suadendo &c. &c. 2. Ut vi machinationis seu causæ positæ mors alterius fuerit effectivè secuta, nam juxta *cap. Hæc autem verba. de pœnit. dist.* 1. in materia pœnali (qualis est præsens) verba sunt strictè interpetranda, & cum effectu accipienda; unde si mors sequatur non ex machinatione, sed ex imperitia, seu etiam incuria Medici, vel Chyrurgi, vel ipsius etiam patientis &c. non contrahitur hoc impedimentum. 3. Requiritur, ut machinatio mortis fiat ex mutua conspiratione machinantium. 4. Ut fiat ex intentione perveniendi, seu contrahendi matrimonium, ita ut hanc intentionem sibi manifestaverint criminosi, qui mortem conjugis machinati sunt. Ratio hujut est: quia, ut ait Illsung. *tr.* 6. *disp.* 9. *nu.* 78. Ecclesia statuendo hoc impedimentum, voluit illud periculum præcavere, quod conjugi innocenti immineret ex aliorum mutuò manifestata intentione matrimonii, tanquam idonei, & ordinarii medii ab libidinem liberè explendam. Mastr. Herincx, Bonacin. Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 71. *nu.* 13.

Quær. quartò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut machinatio mortis cum adulterio dirimat matrimonium?

159 R. Ut machinatio mortis conjuncta adulterio dirimat, requiritur 1. ut fuerit commissum adulterium formale. 2. Ut ab una parte adulterantium sit mors machinata alteri conjugi, sive physicè, sive moraliter, & vi machinationis effectivè subsecuta. 3. Ut machinatio contigerit ex intentione perveniendi matrimonium cum adultero, vel adultera. Ita cum communi DD. Sanchez. cit. Illsung. *n.* 81. Palao, Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 10. *n.* 2. Ratio est: quia hoc impedimentum introductum fuit, ne cupiditate alieni matrimonii conjux innocens occidatur: atqui hæc ratio locum non habet, si conjux occidatur ex alia intentione v.g. vindicandi injuriam, vel liberiùs peccandi &c. ergo.

Quær. quintò, Quænam conditiones requirantur ad hoc, ut adulterium cum adjuncta promissione matrimonii sive de præsenti, sive etiam de futuro, dirimat matrimonium?

160 R. Quatuor sequentes conditiones requiruntur. 1. Ut promissio sit facta seriò, & non fictè tantùm; quia promissio ficta non est vera promissio, sicut homo fictus non est verus homo, ait Kugler *n.* 1970. quare cùm verba SS. Canonum in materia tam odiosa, strictè sint interpretanda, & accipienda, dicendum, quòd non sufficiat ficta promissio. Krimer, Mastr. Sporer *n.* 109. Illsung. cit. *n.* 84. secundò requiritur; ut adulterium formale, id est, cum advertentia quòd compars criminis sit ligata, fuerit commissum, & quidem completum, seu tale, quod de se erat sufficiens ad generationem, ideòque cum copula perfecta. Ratio est: quia hæc est materia odiosa, ideòque non extendenda ad adulterium imperfectum. Babenst. ubi suprà *disp.* 3. *art.* 2. *n.* 60. tertia conditio requisita est, ut vivente eodem conjuge sit commissum adulterium, & data fides de matrimonio. Hinc si fides fuisset data sub priori conjugio, & adulterium commissum sub posteriori, non incurritur hoc impedimentum; quia per aliud posterius matrimonium dissoluta est connexio adulterii & promissionis, ait Spor. *n.* 108. quartò denique requiritur, ut promissio à criminosis sit signo quodam exteriori facta seu manifestata, & ab altera parte acceptata. Ratio prioris est: quia sola interna promissio, vel potiùs intentio promittendi utpote incognita non præbet alteri parti occasionem machinandi mortem, ad quam præcludendam hoc impedimentum jure introductum est. Deinde, juxta sacros canones requiritur datio fidei, ut hoc impedimentum adulterii incurratur: fides autem inter homines dari non potest, nisi per signa externa, prout bene advertit Kugler *n.* 1393. Ratio autem posterioris est: quia sine acceptatione promissionis non habetur propriè pactum, aut datio fidei, qualis tamen requiritur *c. significasti. de eo, qui duxit.* Laym. Escobar, aliique apud Gobat. *n.* 196.

Dices,

Dices. Quidsi verò promissio facta quidem, aut rursus revocata fuisset?

161 R. Cum distinctione. Si enim supponatur revocata ante commissum adulterium, non incurritur hoc impedimentum; quia cùm per revocationem fuerit extincta, non potuit ampliùs cum adulterio influere ad inducendum hoc impedimentum. Si autem fuit revocata post commissum adulterium, quamvis ante mortem conjugis, jam contractum est impedimentum: jam enim concurrerunt adulterium simul, & promissio matrimonii; unde non est ampliùs in potestate criminosorum, mediante revocatione effugere hoc impedimentum. Sporer, Babenst. cit. *n.* 59.

Dices iterum. At quid, ubi promissio facta fuisset solùm sub conditione?

162. R. Ante purificatam seu impletam conditionem non incurritur hoc impedimentum, bene verò si conditio sit adimpleta, & accesserit adulterium. Ratio est: quia promissio conditionata priùs quàm ponatur conditio, manet suspensa & inefficax, ea verò adimpleta evadit absoluta, ideòque efficax & sufficiens ad inducendum hoc impedimentum. Cum communi Laym. Perez. *disp.* 33. *sect.* 4. *n.* 5.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Criminis.

CASUS PRIMUS.

Titius non tàm personæ, quàm divitiarum amore captus, duxit Titiam, at verò cùm hæc continuis quasi attereretur infirmitatibus, malorum tandem impatiens, mandavit ancillæ suæ, ut sibi venenum procuraret: paruit ancilla lubens: venenum attulit: Titius propinavit: uxor obiit. Hinc ancilla cupiens matrimonio jungi, Hero suo est blandita, & ab eodem, postquam sæpiùs ad peccandum illum incitarat, impraegnata. Dubitatur jam an Titius possit ducere ancillam?

163 R. Quòd possit. Esto enim occiderit uxorem, ancilla cooperante; quia tamen non fecit hoc ex intentione contrahendi cum ancilla, non incurrit impedimentum criminis, ut constare debet ex dictis *n.* 159.

Dices. Saltem ancilla fuit cooperata in mortem Dominæ ex intentione contrahendi cum Hero: quid si ergo & Titius habuisset hanc intentionem, nempe contrahendi cum ancilla?

164 R. Posset nihilominus illam ducere. Ratio est: quia machinatio sola sine adulterio non dirimit, nisi intervenerit mutua conspiratio cum intentione invicem ducendi, & quidem exteriùs manifestata, prout visum *n.* 160. & cum *communi tenent* Sporer, Tamb. Perez, Gobat, *n.* 180. Kugler, *n.* 1384. atqui in hoc casu supponuntur manifestasse intentionem contrahendi, nec adulterium intercessit, sed simplex fornicatio; cùm Titius per mortem uxoris jam fuerit solutus à vinculo matrimonii: ergo non contraxerunt impedimentum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia, cujus Maritus jam pridem fuerat Castra secutus, sepiùs ad peccandum sollicitata à Sempronio; noluit consentire, propter periculum infamiæ; qua ratione Sempronius eidem obtulit ac promisit, quòd post mortem Mariti vellet eam ducere, dummodò usum corporis sibi concederet. Tandèmque Sempronia aquievit, sed nihil repromisit, nec dixit, se ratum atque acceptum habere promissum. Quæritur ergo, an defuncto jam priori Marito nubere valeat Sempronio?

165 R. Potest huic nubere. Ratio est: quia solum adulterium non trahit post se impedimentum criminis, nisi accedat & promissio matrimonii, & promissionis acceptatio, & quidem expressa, prout cum Bonacin. aliisque rectè tenet Babenst. *cit. disp.* 3. *art.* 2. *n.* 63. cùm enim versemur in materia odiosa, non debet extendi, sed potiùs restringi ad promissionem veram & strictam matrimonii; qualis non datur sine acceptatione: hac de causa Henriquez *lib.* 12. *c.* 14. *n.* 3. Bellarm. *de matr. l.* 1. *c.* 22. apud Laym. hic *c.* 10. *n.* 4. probabilius censent, ad

ad inducendum hoc impedimentum requiri promissionem mutuam, ideòque repromissionem alterius partis, prout satis clarè innuit Glossa *in cap. significasti. de eo, qui duxit:* atqui certum est, in nostro casu non intervenisse promissionem mutuam: ergo &c.

Dices. Sempronia non contradixit promissioni: ergo censenda est acceptasse.

166 R. Neg. Conseq. Licèt enim, qui tacet, consentire videatur in favorabilibus, non tamen idem præsumitur in odiosis: jam verò acceptatio in hoc casu censetur quid odiosum, eoquòd invehat, & post se trahat impedimentum criminis: ergo ex sola taciturnitate præsumi non debet acceptasse promissum, sed potiùs ex alio motivo v. g. libidinis explendæ consensisse in copulam.

Dices iterum. Si Sempronia sollicitanti respondisset: *non concedam usum corporis mei, nisi premittas mihi matrimonium*, Sempronius acceptando usum corporis, meritò præsumeretur consensisse, & promisisse matrimonium: ergo similiter ex eo, quòd Sempronius obtulerit matrimonium, si mulier concederet usum corporis, hæc concedendo usum censetur acceptasse promissionem.

167 R. Neg. conseq. quia in priori casu intervenit pactum mutuum, atque consensus, seu conventio duorum; dum enim mulier dicit: *Concedam usum corporis; si promittas &c.* vir utendo corpore meritò censetur acceptare conditionem, & promittere matrimonium: è contra in secundo casu non intervenit pactum, sed tantùm pollicitatio, id est, solius Sempronii offerentis promissio; quod non sufficit ad introducendum hoc impedimentum. Et dato etiam, quòd mulier acceptasset, si tamen nihil promisit, probabiliùs non contraxit hoc impedimentum, ut proximè dictum *n.* 165. quia sine repromissione, seu mutua promissione, non habetur vera promissio sponsalitia, proindèque nec datio vera fidei de matrimonio. Vid. Sporer, *n.* 109. Kugler, n. 1982. ubi pro hac opinione refert VViestner, Krimer, Illsung, & alios.

CASUS TERTIUS.

Cajus relicta priori conjuge; matrimonium fictè contraxit cum Caja, ligaminis hujus prorsus ignara: elapso autem biennio, cùm unam, & alteram jam prolem suscepissent, fassus est candidè putatitiæ conjugi suæ, se esse ligatum cum alia, proptereàque fictè tantùm consensisse in matrimonium: nihilominus perrexerunt cohabitare modò conjugibus veris assueto: & cùm modò rescîant priorem obiisse, quærunt, an non possint de novo contrahere?

168. R. cum distinctione: possunt enim contrahere, si non compromiserint de novo, posteaquàm Cajæ innotuit nullitas matrimonii ob impedimentum ligaminis. Ratio est: quia hoc impedimentum non incurritur ratione solius adulterii, nisi simul accedat promissio, & quidem vera ac seria matrimonii, prout dictum suprà *n.* 160. at Cajus non promisit verè, sed fictè, ut supponit Casus: ergo &c. Vid. Kugler *n.* 1970.

Dices. Quidsi autem verè ac seriò intendisset matrimonium cum Caja, & hæc nihilominus perrexisset eidem adhærere, atque usum sui corporis concedere more solito, nunquid incurrissent impedimentum criminis?

169 R. Si Caja post adeptam notitiam, quòd putatitius maritus sit ligatus, nihilominus eidem fecit potestatem corporis, probabiliùs contraxerunt impedimentum criminis: quia ut supponitur, priùs verè compromiserunt matrimonium, & modò tali promissioni accessit formale adulterium; quòd sufficit ad impedimentum criminis incurrendum. Ita post Sanch. Gob. Perez, Kugler. *n.* 1398. Sporer tamen *n.* 108. cum Tamb. censet probabile, quòd si tales putatitii conjuges perrexissent adulterari, non ampliùs vi promissionis priùs factæ, eoquòd jam apprehenderint eam velut impossibilem cessasse, & exspirasse, non contraxissent hoc impedimentum; quia adulterium non ampliùs fuisset conjunctum cum promissione. Et certum esse debet, quòd non contraxerint hoc impedimentum, si post ac-

acceptam notitiam de vita prioris conjugis, statim retractassent priorem promissionem, licèt protinus fuissent adulterati; quia solùm adulterium non inducit hoc impedimentum.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

170 Colliges ex dictis 1. hoc impedimentum ratione adulterii non incurri, si una pas adulterantium nesciat alteram esse ligatam. Ratio est: quia ad contrahendum hoc impedimentum ratione adulterii, debuit præcessisse adulterium formale & reale: & aliàs canones *scientiam* requirunt, quòd nimirum alterutra saltem pars sit ligata, prout expressè statuitur *c. Propositum. de eo, qui duxit*. Hinc ConincK. Laym. Perez, Sporer, aliique inferunt, quòd si puella ignoraverit, hunc virum esse matrimonio ligatum, aut uxorem ejus adhuc vivere, etsi ignorantia crassa, non contrahat impedimentum criminis ex adulterio proveniens. Vid. Spor. prox. *cit. n.* 110. la Croix. *n.* 622.

171 Collig. secundò, impedimentum criminis incurri, sive vir uxorem, sive uxor virum occidat. Ratio est; tum quia jura, quibus hoc impedimento introducitur, modò de uxore, modò de marito adulterante, simulque fidem dante loquuntur, ut videre est *c. 1. super hoc. c. significasti. de eo, qui duxit*, item *c. si quis vivente.* 31. *q.* 1. Tum etiam, quia dispositum (quamvis odiosum ac pœnale) de uno correlativo, censetur etiam dispositum de altero, si æqualis comparationis sint (uti sunt maritus & uxor) & disparitatis nulla ratio probabiliter afferri possit, prout contingit in præsenti. Laym. ubi suprà *c.* 10. *n.* 5. Castropal. de sponf. *disp.* 4. *p.* 12. *n.* 6.

172 Colliges tertiò, Infideles, tempore infidelitatis committentes hoc crimen, non impediri, quò minùs inter se possint contrahere. Ratio est: quia hoc impedimentum introductum fuit jure duntaxat ecclesiastico; quo Infideles non ligantur. Si tamen fidelis cum infideli committat hujusmodi crimen, machinationis scilicet, vel adulterii; non ampliùs possunt inter se contrahere; quia fidelis respectu alterius infidelis jam contrahit hoc impedimentum criminis. Castrop. Laym. Babenst. *hic n.* 56.

173 Colliges quartò, Criminosos ratione hujus criminis non reddi simpliciter inhabiles ad contrahendum quodvis aliud matrimonium, sed solùm fiunt inhabiles ad invicem, seu inter se contrahendum, prout statuitur *c. ex litterarum de ea, qui duxit.* Hinc si crimen committas cum Titia, prohiberis, immò inhabilis es ad ducendam hanc, non verò aliam, quæ non fuit complex criminis. Herincx de Matr. *disp.* 6. *n.* 76. Sporer. *n.* 114.

174 Colliges quintò, Conjugem, qui vivente adhuc conjuge alteri promittit matrimonium, per se loquendo graviter peccare: idem dicendum de altera persona acceptante promissionem. Ratio est: quia talis promissio jure prohibetur. *cap. fin. de eo, qui duxit.* eò nimirum, quia hujusmodi promissiones solent inducere, & ansam præbere machinandi mortem conjugi innocenti, propstereàque meritò reputantur repugnare bonis moribus, & taliter promittentes jubentur puniri. *cap. cit.* Sanchez Laym. Castrop. Gobat. *Theol. experim. tr.* 9. *n.* 211.

Dices. At, quid de fictè solùm promittente tenendum, peccatne & incurrit hoc impedimentum?

175 R. Procul dubio peccat, si ita promittat, ut altera pars non advertat fictionem, credatque seriò sibi promitti; quia talis promissio adhuc præbet, aut certè præbere nata est, occasionem machinandi mortem; qua de causa Sanchez, Babenstub. & alii plures censent, etiam per hujusmodi fictam promissionem, junctam adulterio, contrahi impedimentum criminis; eoquòd finis Ecclesiæ statuentis hoc impedimentum fuerit, præcludere viam iniquis machinationibus. Verùm Bonac. Laym. Krimer *n.* 990. la Croix. *n.* 625. probabiliùs tenent, hoc impedimentum non incurri ab iis, qui fictè solùm promittunt, quemadmodum fictè baptizans non incurrit irregularitatem, nec fictè profitens hæresin excommunicationem.

Hinc non bene arguitur: *Seriò promittens incurrit hoc impedimentum, ergo & fictè*

fictè promittens; *cùm etiam talis promissio nata sit præbere occasionem machinandi mortem*. Non bene arguitur, inquam: quia in positivis juris constitutionibus non valet argumentatio ex paritate rationis, præsertim in odiosis, uti est impedimentum criminis.

Et hæc sententia utpote benignior, vel maximè est amplectenda, casu, quo matrimonium jam fuit celebratum à criminosis.

CONFERENTIA

OCTAVA.

De Impedimentis disparis Cultus, & Vis, seu Metus.

SUMMARIUM.

176 *Cultus disparitas reperitur tantùm inter baptizatum, & non baptizatum.*
177 *Hoc impedimentum ex consuetudine Ecclesiæ est introductum.*
178 *Matrimonium tamen inter tales semper fuit, & est illicitum per se loquendo.*
179 *Matrimonium Catholicæ cum Hæretico (vel vicissim) valet,*
180 *Modò juxta leges Ecclesiæ, & absque impedimento dirimente sit celebratum;*
181 *Nihilominus per se loquendo est graviter illicitum.*
182 *Ut Metus dirimat, requiruntur quatuor Conditiones.*
183 *Quinam Metus censeatur gravis? &*
184 *Quandonam injustè incussus?*
185 *Quo jure dirimat? Est duplex sententia.*
186 *An, vel quando ex metu contrahens peccet?*
187 *Habens animum consummandi matrimonium ratione gravis & injusti metus nullum, peccat graviter.*
188 *Solvitur quædam instantia contra hoc.*
189 *Resolvitur Casus I. de Muliere Catholica, quæ cum Hæretico contraxerat;*
190 *Et eundem, cùm sine periculo subversionis cohabitare non potuisset, licitè deseruit.*
191 *Præcluditur quædam Instantia.*
192 *Resolvitur Casus II. de Uxore, quæ gravi metu inducta nupsit.*
193 *Tali incumbit probare metum, & quomodo?*
194 *Quid agendum, si probare nequeat?*
195 *Resolvitur Casus III. de eo, qui defloraverat Puellam, proptereàque ab Episcopo fuit coactus, ut eam duceret.*
196 *Si à solo Parente Puellæ metu mortis injustè coactus jurasset, quod eam vellet ducere, juramentum esset nullum.*
197 *Pro sententia tamen Episcopi in tali casu standum est.*
198 *Matrimonium Fidelis cum Catechumeno est nullum.*
199 *Ecclesia meritò irritavit Matrimonium gravi metu injusto extortum.*
200 *Solvitur quædam Instantia.*
201 *Si Conjux metu adactus nunquam consensum præbuit, matrimonium est ipso jure naturæ nullum.*
202 *Et quid, si postea habeant copulam carnalem?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad bene resolvendos Casus de impedimento disparis Cultus, & Vis, seu metus.

Quæres primò, quid intelligatur per impedimentum, quod appellatur *Cultus disparitas*?

176 R. Intelligitur obstaculum matrimonii ortum ex diversitate Religionum, vi cujus irritatur matrimonium, quod fidelis seu baptizatus contrahit cum infideli seu non baptizata v. g. Judæa, Pagana &c. Dixi: *cum infideli seu non baptizata &c.* Etenim nomine infidelium hic non intel-

telliguntur hæretici, sed *non baptizati*; & nomine fidelium intelliguntur *baptizati*; tametsi fidem veram seu Catholicam non profiteantur. Ita *Communissimè DD.*

Quær. secundò, quo jure hoc impedimentum dirimat matrimonium?

177 R. Dirimit solùm ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ universaliter approbata. Ita Scot. 4. *dist.* 39. *q. un.* Mastr. aliique Scotistæ communiter. Ratio est: quia non dirimit jure naturæ, nec jure Ecclesiastico positivo, pro ut bene, & diffusè probat Clericat. *dec.* 26. *à n.* 5. restat proin dicendum, quòd solùm dirimat ex traditione Ecclesiæ, seu consuetudine; quæ ut diximus suprà *n.* 74. habet vim introducendi, vel etiam abrogandi impedimenta matrimonii jure humano impedientia, aut dirimentia. Vid. Sporer *n.* 115.

178 Notandum tamen est, matrimonia cum infidelibus esse illicita, & quidem jure naturæ; semper enim videtur subesse periculum subversionis, aut certè malæ educationis prolium: hac de causa *Deuter.* 7. v. 3. Deus Israelitis prohibuit dicens: *neque sociabis cum eis* (Gentilibus nempe) *conjugia*, ubi v. 4. additur ratio: *quia seducet filium tuum*. Et Apostolus 2. *Cor.* 6. hortatur fideles: *nolite ducere jugum cum infidelibus*. Vid. Kugler *n.* 1404. & 1997.

Quær. tertiò, Quid tenendum de matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis?

179 R. 1. Matrimonium Catholici cum hæretica (vel vicissim) contractum, est validum; *dato, quòd secundùm leges Ecclesiæ sit celebratum*. Ita Theol. *communissimè* ut Bellarminus apud Sporer. *num.* 118. putet, oppositum asserere esse errare in fide. Ratio est: quia tale matrimonium nec naturali, nec divina, nec ecclesiastica lege irritatur: ergo valet.

180 Nota tamen per omnem modum, quod non sine nota dictum, nempe, esse validum, *dato, quòd secundùm leges Ecclesiæ sit celebratum*. Cùm enim hæretici stringantur legibus ecclesiasticis, ut DD. communiter tenent, & suprà *n.* 73. insinuatum fuit, atque pluribus dicetur inferiùs *n.* 228. & *seqq.* consequens, est hujusmodi matrimonia cum aliquo impedimento, sive jure divino sive etiam ecclesiastico diri-mente celebrata nulla esse ac irrita. E-certissimò irrita sunt, quæ contrahuntur cum pacto dissolubilitatis, prout videbimus, *n.* 317. & 326.

181 R. secundò. Hujusmodi matrimonium est graviter prohibitum, ita, ut per se loquendo Catholicus cum hæretica contrahendo peccet mortaliter: tum quia Sacramentum ministrat personæ indignæ; tum quia se exponit periculo subversionis; tum denique quia semper subest periculum malæ educationis prolium. Hac de causa nedum jure naturali & divino, sed etiam humano, in pluribus conciliis prohibita fuere hujusmodi connubia, ut videre est apud Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 72. Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 505. & alios passim.

Quær. quartò, qualis vis seu metus dirimat matrimonium?

182 R. Ut metus dirimat, requiruntur quatuor conditiones. 1. ut sit gravis. 2. ut sit ab extrinseco, & quidem 3. injustè incussus. 4. ut sit incussus ad extorquendum ipsum matrimonium. *Communis*.

Dices. At quinam metus censetur esse gravis?

183 R. Gravis reputatur ille, quo quis sibi, vel suis timet malum grave v. g. mortis, mutilationis, diuturni carceris, amissionis proprii status vel dignitatis, stupri inferendi, &c. &c. proptereaque talis metus dicitur cadens in constantem virum, eo quòd hujusmodi mala etiam cordatum, & constantem virum valeant commovere ad aliquid agendum, quod præscindendo à tali metu nunquam fecisset. Communiter tamen notant Doctores, ad irritandum matrimonium satis esse, quòd malum intentatum fuerit respectivè, seu respectu personæ, cui intentabatur grave, quia, ut obvserat Lessius *lib.* 2. *de just. c.* 17. *d.* 6. *n.* 35. talis metus æquè consensum tollit, vel certè notabiliter minuit respectu personæ, quam percellit, quàm metus absolutè gravis.

Cæterùm, quòd metus solùm levis, seu ex levi malo proveniens matrimonium non irritet, communissimè fatentur Doctores, teste la Croix *n.* 649. quia talis metus non minuit notabiliter libertatem, & facilè contemni potuit ac debuit. Idem tenent de metu quidem gravi, sed *ab intrin-*

trinseco incusso, puta à morbo, periculo naufragii, &c. proveniente, quia talis metus non dicitur incussus, sed potiùs conceptus à metuente, ut observat cum aliis la Croix. *cit. n.* 651.

Dices iterum. Quando igitur metus reputandus est injustè incussus?

184 R. Tunc reputatur injustè incussus, quando vim inferens non habuit justam causam, seu potestatem intentandi tale malum, seu incutiendi metum Sporer, *n.* 18.

185 Cæterùm, quo jure metus dirimat matrimonium, non conveniunt DD. Scotus 4. *dist.* 29. *q.* 1. cum pluribus tenere videtur, quòd dirimat ex ipso jure naturæ: è contra Thomistæ & alii plures, non minùs probabiliter tenent, dirimere solùm jure ecclesiastico. Ad praxin tamen parùm facit quidquid dicatur; certum quippe est, matrimonium tali metu gravi, ab extrinseco injustè incusso contractum non revalidari, nisi per novum consensum liberè præstitum, saltem ab eo, qui metum passus est. Vid. la Croix. *à n.* 664.

Quær. quintò, an vel qualiter peccet, qui ex metu gravi injustè incusso contrahit matrimonium?

186 R. Non defuere, qui putarunt tamen peccare mortaliter, eoquòd frustret Sacramentum. Verùm meliùs respondetur cum distinctione dicendo, quòd si talis contrahat animo faciendi tantum, quantum potest, fine intentione consummandi; vel etiam, si contrahendo utatur æquivocatione, seu amphibologia materiali, aut non purè mentali, omnino non peccet: tum quia talis amphibologia in casu necessitatis gravis non est prohibita; tum etiam quia talis nec mentitur, nec irritat propriè Sacramentum; cum ratio Sacramenti non sit annexa contractui, nisi legitimo; qualis non est contractus ex gravi metu injustè incusso initus: ergo. Si verò absque interno consensu fingat formaliter, sive per mendacium, sive per æquivocationem purè mentalem, peccat quidem, sed venialiter solùm; quia mentitur, quamvis comparti non inferat gravem injuriam. Kugler, *n.* 702. Carden. Gob. Bonacin. Perez, Sporer.

187 Dictum tamen fuit, non peccare, si contrahat *sine animo consummandi*. Si enim haberet animum consummandi, vel alios actus castitati repugnantes exercendi. seu etiam admittendi, procul dubio peccaret graviter pro gravitate materiæ; quia cùm matrimonium sit re ipsa nullum, talibus Conjugibus non licet plus, quàm aliis solutis. Gobat, *tr.* 9. *n.* 256. Castrop. Sanchez.

Dices. Constat ex propositione 29. ab Innocent. XI. damnata, non esse licitum, etiam ex urgenti metu, simulare Sacramenti administrationem; hinc Sacerdoti nequidem ex metu mortis evadendæ licitum est, pronuntiare formulam absolutionis super indispositum: ergo nec licet ex gravi metu contrahere matrimonium, utpote nullum ac irritum.

188 R. Negando consequentiam, & suppositum, quòd talis simulet administrationem Sacramenti; quia administrationem Sacramenti simulare, est ponere materiam vel formam, vel utrumque, omisso tamen aliquo essentialiter requisito v. g. intentione, aut jurisdictione in Sacramento pœnitentiæ: atqui contractus meticulosus ex gravi metu, utpote ipso facto irritus, nec est materia, nec forma Sacramenti: ergo sive metuens verè ponat consensum, sive etiam fingat se ponere, non erit ulla simulatio Sacramenti. Alia est ratio de formula absolutionis fictè prolata: quia talis Sacerdos verè pronuntiat formulam à Christo institutam, & fingit se administrare Sacramentum pœnitentiæ & merita Christi indigno, utique non sinè gravi injuria in Christum auctorem Sacramentorum. Vid. Kugler. *cit. a. n.* 705.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Disparis cultus, & vis seu Metus.

CASUS PRIMUS.

T*itia Virgo Catholica nupsit Titio hæretico, cum hac conditione expressa, ut proles, si quas susciperent, ad normam &* re-

regulas fidei Catholicæ educarentur. Elapso autem uno & altero anno, cogebatur à suo Marito, ut & prolem natam juxta principia hæreticorum instrueret, & ipsa insuper hæresin amplecteretur; qua ratione Titia cum sua prole clam aufugit, & ad partes Catholicorum transiit: Titius verò aliam duxit uxorem. Quæritur jam 1. an matrimonium Titiæ fuerit validum? 2. àn non huic pariter liceat transire ad secunda vota, seu nubere alteri?

189 R. ad primum. Matrimonium Titiæ fuit validum, supposito, quòd non intercesserit aliud impedimentum. Ratio constat ex dictis *num.* 179. quia matrimonium Catholicæ cum hæretico, aut vicissim, nullibi irritatur, sed solùm prohibetur ab Ecclesia, velut illicitum, propter periculum subversionis, & malæ educationis prolium, quod in similibus matrimoniis rarò, immò rarissimè abest, prout experientia docuit, & patet in hoc ipso casu facto, non ficto. Hinc Gobat, Sporer, aliique Doctores communiter monent, ut Parochi hujuscemodi matrimoniis nunquam assistant, nisi moraliter certo constet, abesse periculum subversionis. Et prorsus nunquam, ait Perez de Matr. *disp.* 36. *sect.* 2. *n.* 6. si sponsi adjiciant pactum, ut masculi nascituri sequantur fidem Patris, fæmellæ verò Matris; quia hujusmodi pacta sunt prorsus impia & irrita, utpote contraria juri positivo. *cap. Ex litteris. de convers. Infidel. c. Judæi.* 28. *q.* 1. itemque juri divino, vi cujus Parentes obligantur proles educare non diabolo, sed Christo, eisdemque præbere media ad salutem qua corporalem, qua spiritualem etiam necessaria, ideòque dogmata veræ fidei, qualis est sola Catholica. In dubio autem, an periculum absit, vel justa subsit causa permittendi tale connubium, rem esse devolvendam ad summum Pontificem, vel certè ad Episcopum, sapienter monet Laym. hic *c.* 14. *n.* 2. *§. secundo limitat. &c.*

190 R. ad secundum. Titia potuit quidem suum deserere Maritum; quia ut infrà *num.* 368. cum P. Reiffenst. Herincx *disp.* 7. *q.* 9. *à num.* 58. & aliis dicemus, incitatio ad peccatum, seu grave periculum salutis præbet justam divortii causam: nihilominus permittendum minimè est, ut ad secunda vota transeat: quia, ùt diximus, prius matrimonium fuit validum, & maritus adhuc vivit: ergo Titia impeditur impedimento ligaminis.

191 Nec obstat, quòd adjecerit pactum expressum de educandis prolibus in fide Catholica, ideòque videatur consensisse tantùm sub conditione, quam Maritus non servavit. Non obstat, inquam; quia non potuit adjicere hanc conditionem ita, ut esset suspensiva matrimonii, quousque conditio ipsa fuisset adimpleta; secùs enim debuisset velle consummare matrimonium priùs, quàm essent veri & absoluti Conjuges; quod nunquam licet, multo minùs ab Ecclesia permittitur aut præsumitur.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia fatetur, se cum suo Marito in perpetuis quasi inimicitiis ac rixis vivere: causas autem rixarum dicit esse sequentes. 1. Quòd nunquam habuerit animum nubendi, & ad matrimonium fuerit coacta à suis Parentibus, comminantibus sibi exhæredationem, & denegationem omnis paterni subsidii, nisi huic nuberet. 2. quòd hactenus Sempronio Marito suo debitum nunquam reddiderit. Jam quæritur 1. quid de valore hujus matrimonii tenendum? 2. quid Semproniæ utpote validè afflictæ consulendum?

192 R. Ad primum. Hoc matrimonium reipsa, & coram Deo nullum est: Ratio est: quia licèt probabile sit, metum levem, vel etiam solum reverentialem non obsistere matrimonii valori, certum tamen, & exploratum habetur ab omnibus, quòd metus gravis injustè incussus, immò & reverentialis conjunctus minis, aut malæ tractationi Parentum, dirimat matrimonium: talem autem metum passa est Sempronia, ut casus fert: ergo. Hinc

193 R. ad secundum, consulendum esse, ut Sempronia modo possibili probet, & remonstret Judici Ecclesiastico, se vi seu metu gravi Parentum fuisse adactam ad nubendum; hoc autem faciet 1. Si per testes pro-

probare potuerit, se antecedenter fuisse sępiùs protestatam contra, vel 2. Si per eosdem testes probaverit, sibi minas fuisse intentatas. 3. Etiam ex eo, quòd hactenus debitum nunquam reddiderit, nec pacificè cohabitaverit sponso suo. Ratio autem, cur hæc & similia sint consulenda Semproniæ, maximè à Confessario, est hæc: tum quia aliàs in continuo quasi periculo peccandi perseveraret; tum quia ex tali connubio exspectari nequit aliud, nisi pessimus tandem eventus.

Dices. Quidsi autem Sempronia probare non posset, sibi metum injustè fuisse incussum, proptereàque nec audiretur à Judice Ecclesiastico?

194 R. In tali casu vix aliud remedium suppetet, quàm, ut vel fuga sibi consultat, vel per liberum consensum matrimonium ratificet; quo facto subsistet matrimonium, ut videbimus inferiùs. n. 202.

CASUS TERTIUS.

Cajus defloravit virginem; honestis, immò nobilibus Parentibus natam: quod ubi Parens inaudiit (ut homo furiosus erat) minitatus est mortem quantocyùs inferendam Cajo, nisi vellet ducere defloratam: annuit igitur Cajus, ut mortis evaderet periculum spopoditque, immò juravit se ducturum defloratam; quia tamen ex post facto renuit eam ducere; hinc ab Episcopo intentata excommunicationis, & diuturni Carceris pœna fuit compulsus, ut duceret defloratam. Quæritur jam, quid de valore hujus matrimonii tenendum?

195 R. Matrimonium fuit validum. Ratio est: quia metus ab Episcopo fuit justè incussus: talis autem metus ex causa justa incussus non dirimit: ergo &c. Non tamen fuisset validum, si Cajus solo metu à Parente incussu adactus consensisset in matrimonium; quamvis enim Parens defloratæ habuisset justam causam accusandi defloratorem coram Judice Ecclesiastico, non tamen habuit justam causam incutiendi metum mortis: matrimonium autem ex metu injustè incusso contractum est nullum; ut constare debet ex dictis: ergo.

196 Nec refert, quòd Cajus jurejurando promiserit, se ducturum defloratam: quia *per. c. de eo, qui duxit*, non solùm matrimonium ex metu gravi injustè incusso initum, sed etiam adjectum juramentum annullatur. Caspensis, Sanchez, Aversa, Mastr. *Theol. moral. disp.* 20. *n.* 39. Nec obstat inquit la Croix. *n.* 666. *cap. inter cætera* 22. *q.* 4. quia ibi tantùm dicitur, quòd possit ducere eam, quam ita juravit ducere, non autem quòd teneatur.

Dices. Deflorator virginis, præsertim consentientis, non tenetur eam ducere; quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus, juxta *Reg.* 17. *Juris. in* 6. Quin etiam, si invitam deflorasset, non teneretur nisi sub conditione, nempe vel ducere, vel dotare illam: ergo si cogatur determinatè ad ducendam illam sub pœna excommunicationis, metus erit injustus, & matrimonium nullum.

197 R. Trans. ant. negando consequentiam: quia in quibusdam locis solet ex consuetudine recepta defloratori virginis invitę in pęnam stupri injungi, ut ducat corruptam: supposita autem tali consuetudine metus erit justè incussus: & cum aliunde constet, judicialis sententiæ tantam esse auctoritatem, ut semper pro Judice præsumi debeat, donec contra ipsum aliquid legitimè comprobetur; *text. cap. in præsentia. de renunciat.* hinc, & in proposito præsumi debet pro Episcopo, & metu justè incusso; ideòque & pro valore actus, præsertim post contractum jam matrimonium: Vid. Gobat. *tr.* 10. *n.* 696. Kugler *n.* 688.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

198 Colliges 1. Matrimonium à fideli contractum cum Cathecumeno vel Cathecumena, esse invalidum; quia tales adhuc sunt infideles, ideòque inhabiles ad contrahendum cum fideli. Aliter dicendum foret de matrimonio à fideli contracto cum tali, qui post baptisma semel ritè susceptum, modò profiteretur judaismum, vel paganismum; quia talis reipsa propter baptisma susceptum reputatur pro fideli, quantùm ad nostrum attinet

pro-

propositum. Ita cum communi DD. Laym. *tom. 2. tr. 10. part. 4. c. 14. n. 1.*

199 Colliges 2. Quòd licèt in eo, qui ex metu contrahit, reperiatur consensus voluntarius (metus enim non tollit voluntarium simpliciter, ut dicitur in tr. de act. hum.) quia tamen meticulosus consensus semper habet admixtum involuntarium; hinc Ecclesia meritò irritavit tale matrimonium, ne scilicet sequatur exitus (malus) qui de invitis solet matrimoniis provenire, ut dicitur *cap. cùm locum 14. de spons. & matr.* Vid. etiam *cap. veniens 13. eod. tit.* Ex quo sequitur, & colligitur facilè, eum qui talem metum gravem injustè incutit, graviter peccare; eò quòd metum passo inferat gravem injuriam, ut *communiter fatentur DD.*

Dices. Etiam ex matrimonio metu justè incusso inito debet timeri malus exitus; nec dubitandum, quin cum involuntario contrahatur: ergo etiam hoc erit nullum.

200 R. neg. conseq. disparitas est, quòd metum justè incussum patiens v. g. deflorator, seu stuprator virginis, dederit causam metus; quare sibi imputare debet, & faciliùs sese resolvere ad portanda matrimonii onera. Cùmque matrimonium metu contractum de jure naturæ non sit irritum, nec Ecclesia talibus condescendere, & contractum irritare voluerit, consequens est, quòd matrimonium metu justè incusso initum valeat. Kugler *num. 691.* Abbas, Sanchez & alii apud Reiffenst. *lib. 4. tit. 1. num. 329.*

201 Colliges 3. quòd si conjux metu adactus fateatur, se nunquam consensisse, sed potiùs ex metu gravi simulasse consensum, tale matrimonium sit ex ipso jure naturæ nullum. Ratio est: quia matrimonium consistit in contractu legitimo: implicat autem contractus sine consensu duorum: ergo. Hinc hujuscemodi conjugibus plus non licet, quàm aliis merè solutis; cùm in rei veritate sint soluti. Ita cum *communi DD.* Gob. la Croix, Spor. *n. 24.*

Dices: At quid, si conjux admiserit copulam carnalem, nunquid matrimonium censebitur validum?

202 R. cum distinctione. Si enim admiserit illam ex metu tantùm, vel sinistra opinione putans matrimonium fuisse validum, vel etiam ex libidine solùm, & à fortiori si admiserit cum animo non perseverandi in tali connubio, matrimonium nullatenus convalidabitur per talem copulam. Si autem cessante jam metu admisisset copulam affectu verè conjugali, matrimonium erit, & præsumetur validum; tum quia (ut supponitur) metus jam cessavit; tum etiam quia ad valorem matrimonii sufficit consensum exprimi verbis, vel signo, vel etiam facto; quale est actus conjugalis: ergo &c. Vid. *DD. cit.* Sporer, Gob. *tr. 9. n. 261.* Ubi etiam *n. 262.* mox subjungit, & verò, quando aliqua puella annum unum cum dimidio vixit in tali conjugio coacto, *cohabitans quietè* marito, est tam firma præsumptio *juris, & de jure*, quòd affectu maritali cohabitarit, ut etiamsi possit clarè probare, se ex metu injusto contraxisse, non tamen admittantur ejus probationes. Habetur expressa decisio in *c. ad id, quod 21. de sponf. & matr.* Ita Gob. *c. l.*

CONFERENTIA
NONA.

De Impedimento Ligaminis, & publicæ Honestatis.

SUMMARIUM.

203 *Ligamen est vinculum, ortum ex matrimonio valido.*

204 *Ut ad secundas nuptias transire liceat, requiritur de morte prioris Conjugis certitudo moralis in foro externo.*

205 *In foro interno sufficit probabilissima præsumptio.*

206 *Respondetur cuidam objectioni.*

207 *Undenam moralis certitudo de morte desumi possit, vel debeat?*

208 *Impedimentum publicæ honestatis est propinquitas Personarum, orta ex sponsalibus.*

209 *Oritur tam ex sponsalibus de futuro,*

ro, quàm de præsenti, seu Matrimonio rato.

210 *Ex sponsalibus de futuro validis tantum oritur, & defacto ultrà primum gradum se non extendit: ex matrimonio autem rato, etiam invalido, usque ad quartum gradum se extendit, modò non fuerit invalidum ex defectu consensus.*

211 *Resolvitur Casus I. de Parocho; qui minùs, quàm oportebat, cautè procedens, copulaverat uxoratam cum alio.*

212 *Tales tamen conjuges non fuerunt statim separandi.*

213 *Si talis Mulier mala fide nupsit, & adhuc rationabiliter dubitet, an non vivat prior Maritus, non licet ei petere debitum &c.*

214 *Resolvitur Casus II. de quodam juvene, qui post obitum suæ sponsæ voluit ducere hujus sororem, & non potuit.*

215 *Potuit tamen cum dispensatione impetranda.*

216 *Resolvitur Casus III. de Puella, quæ contra suum votum Castitatis, illicitè cuidam promiserat Matrimonium, postea autem nupsit ejusdem Filio.*

217 *Confessarius tali Puellæ meritò interdixit petitionem debiti.*

218 *Quàm cautè sit Parocho procedendum cum viro vel uxore, quæ vult transire ad secundas Nuptias.*

219 *Qui cum dubio de morte prioris conjugis transit ad alia vota, peccat graviter.*

220 *Quid si ex post facto resciat, priorem Conjugem adhuc vixisse tempore hujus secundi matrimonii?*

221 *Sponsalia de futuro unde, vel quando nulla?*

222 *Qui contraxit sponsalia conditionata cum Bertha, deinde non exspectato eventu conditionis contrahit absoluta cum ipsius sorore, non incurrit per hoc impedimentum publicæ honestatis.*

223 *Si cum Bertha fecit sponsalia absoluta deinde rursus absoluta, etiam de præsenti cum ipsius sorore, hæc secunda non prævalent, nec habent vim invalidandi priora.*

224 Ex Matrimonio rato, *quando hoc impedimentum non consurgit?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de impedimento Ligaminis, & publicæ Honestatis.

Quæres primò, quid intelligatur per impedimentum ligaminis?

203 R. Intelligitur vinculum matrimonii, seu obstaculum, ortum ex matrimonio consummato, vel etiam rato tantùm, vi cujus Conjux impeditur, ut ne quidem validè possit contrahere cum alio vel alia, quamdiu vivit prior Conjux. Insuper polygamiam, seu etiam polyviriam, tam jure divino, quàm humano prohibitam esse, ita, ut nec uni Marito plures uxores, nec uni uxori plures maritos simul habere liceat, pluribus rationibus ostendunt egregiè Clericat. *decis.* 29. *à num.* 3. item Kugler *num.* 1255. Meritò proin Concil. Trid. *SS.* 24. *de Reform. matr. Can.* 2. decidit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege esse prohibitum, Anathema sit.* A fortiori uni uxori esse prohibitum, etiam ex ipso jure naturæ habere simul plures viros, cum Illsung. Krimer, Konig, & aliis pluribus, probat idem Kugler *num.* 1833. eò præsertim, quòd ex congressu cum pluribus, mulier fiat inhabilis ad generandum, ut experientia docet in meretricibus, ideòque polyviria repugnet fini matrimonii.

Quær. 2. qualis certitudo de morte prioris requiratur ad hoc, ut conjux ad secundas nuptias licitè transire possit?

204 R. Requiritur certitudo moralis saltem in foro externo. Ratio est: quia *c. in præsentia de sponsal. & matr.* statuitur, ne mulieres permittantur ad aliorum consortium canonicè convolare, donec *certum nuntium* recipiant de morte virorum. Item *c. Dominus, de secundis nuptiis* decernitur ut nullus amplius ad secundas nuptias migrare præsumat, *quoad constet*, quod ab hac vita migraverit uxor ejus: atqui *certum nuntium*, & ly *quoad constet &c.* indicant

dicant

dicant certitudinem moralem : ergo. Tunc autem censetur haberi certitudo moralis de morte, quando ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile, ait Gobat *tr.* 9. *n.* 293. cum Lessio: vel, ut ait Engel. *de sp.nf. duor.n.*5. certitudo moralis habetur de morte, quando arbitrio Judicis, & prudentis viri, rationabiliter credi potest obiisse, quamvis absolutè posset subesse falsum.

205 Dictum tamen est, requiri certitudinem moralem *saltem in foro externo*; nam pro foro *interno*, ut vir vel mulier licitè transeat ad secundas nuptias, sufficere verosimilem, & probabilissimam præsumptionem, tenent post Sylvest. Rosell. S. Anton. Sporer. & Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 3. *num.* 1. *fin.* Quin immò P. Kugler, quamvis nobiscum teneat, requiri certitudinem moralem saltem regulariter, tamen in casu, ubi talis haberi nequit, valdè probabiliter cum aliis pluribus existimat satis esse, quòd habeatur magna probabilitas, & præsumptio, vel probabilitas major de morte, quàm de vita, ad hoc, ut Judex ecclesiasticus possit permittere transitum ad secundas nuptias; idque probare nititur tum ex *c. cùm per bellicum* 2. *C.* 34. *q.* 1. tum etiam hac ratione: quia in rebus humanis, in quibus plena certitudo haberi non potest, etiam in ipsis Judicibus ad prudenter instituendas actiones, sufficit judicium probabilissimum, aut saltem probabilius de re aliqua, quàm de opposito, licèt non omnino certum; quia talis non temerè, nec imprudenter agit. Et licèt *c. c.* requiratur *nuntium*, &, *ut constet &c.* commodè tamen intelligi possunt, & debent sic, quòd certitudo moralis de morte alterius requiratur regulariter, & quando plena certitudo haberi potest, non autem in omni casu, ubi talis est impossibilis. Vid. Kugler *cit. à n.* 1844.

Si dicas: in materia Sacramentorum non est licitum uti opinione probabili relicta tutiore, ut constat ex proposit. 1. damnata ab Innocent. XI. jam verò in hoc casu licitum esse transitum ad secundas nuptias, est opinio solùm probabilis, simulque est tutius abstinere à nuptiis, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis & conjux periculo fornicationum: ergo &c.

206 R. cum distinct. non est licitum uti opinione probabili in materia Sacramentorum, quando pro usu Sacramenti tuta haberi potest, *con.* quando non potest haberi tuta, prout fit in nostro casu, ubi supponitur, quòd nequeat haberi certitudo moralis de morte conjugis, *neg.* Hac de causa Confessarius licitè absolvit pœnitentem, quem probabiliter judicat esse dispositum, ubi non potest majorem habere circa ipsius dispositionem certitudinem, quamvis licitè ageret absolvendo, ubi omnimodam certitudinem habere posset. Unde propter invincibilem ignorantiam de morte prioris, Conjux contrahendo non exponit Sacramentum periculo formali irreverentiæ, nec se periculo fornicationum, sed periculo duntaxat materiali, quòd utique licitum est ob causam gravissimam, & valdè urgentem, qualis hìc invenitur, ne scilicet talis conjux cogatur perpetuum abstinere à conjugio, fortè non sine periculo incontinentiæ, vel aliorum damnorum. Gormaz. de Sacram. *n.* 323. Carden. Illsung. *tr.* 1. *disp.* 1. *num.* 77.

Quær. tertiò, unde moralis certitudo de morte prioris conjugis desumi possit, aut debeat?

207 R. Potest desumi ex sequentibus capitibus 1 Si Parochus, vel Rector Parochiæ authenticè attestetur, eum obiisse; vel 2. si vir omni exceptione major idem testetur; vel 3. si alius vir bonæ fidei, præsertim testis de visu cum juramento deponat, priorem conjugem obiisse; vel denique quartò. Si sit fama communis, præsertim juncta cum aliis conjecturis, & indiciis verb. grat. quòd periculosè decubuerit vel prælium ingressus interierit &c. item quintò. Si famæ communi accedat unus testis de visu: non tamen sufficeret ad faciendam certitudinem moralem quicunque testis, etiam de visu asseverans; nec testimonium plurium ex solo auditu; multò minùs sola, quantumvis diuturna alterius conjugis absentia; quia hæc, & similia in se tanti momenti non videntur facere tantam certitudinem, ut de opposito rationabiliter dubitari nequeat, vel etiam firmiter credi possit obiisse. Vid. Spor. *n.* 41. Gobat. *tr.* 9. *n.* 310. la Croix. *n.* 6. 7.

Quær. 4. quid sit impedimentum publicæ honestatis, & quo jure dirimat matrimonium?

208 R. Est quædam propinquitas personarum, orta ex sponsalibus, vel matrimonio rato tantùm inter sponsum ex una parte, & consanguineas sponsæ ex altera parte, ac vicissim. Appellatur autem hoc impedimentum communiter *justitia publicæ honestatis*, eò quòd videatur justum, & æquum, atque publicæ honestati consentaneum, ut propter inchoationem matrimonii, quæ fit per sponsalia, impediatur matrimonium sponsi cum consanguineis sponsæ, ac vicissim sponsæ cum consanguineis sponsi. Cæterùm communissimè fatentur DD. hoc impedimentum non dirimere jure naturali, nec divino, sed ecclesiastico. solùm, ut habetur *c. Juvenis* 3. *c. ad audientiam* 4. *de sponsal. & matr.* & alibi sæpius. Ex quo patet, infideles hoc impedimento non affici; fideles verò posse dispensari à summo Pontifice. Sanch. Pirrhing. Schmalzg. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 96.

Quær. 5. ex quibus sponsalibus hoc impedimentum oriatur?

209 R. Oritur tam ex sponsalibus propriè talibus seu de futuro, quàm ex sponsalibus impropriè dictis de præsenti, seu ex matrimonio rato. Ex sponsalibus de futuro quod oriatur, patet ex juribus *n. præced.* allatis. Quòd autem pariter oriatur ex sponsalibus de præsenti (Esto etjam clarus textus juris de hoc non habeatur) haud tamen obscurè deducitur ex *C. si quis desponsaverit* 13. item *Can. si quis uxorem* 14. *C.* 27. *q.* 2. Accedit ratio: quia ex matrimonio rato oritur major conjunctio; quàm ex sponsalibus: ergo si jura reputent esse inhonestum, ut sponsus ducat consanguineam sponsæ, proptereàque statuerint impedimentum dirimens inter eos, à fortiori præsumendum est, repugnare honestati publicæ, ut sponsus (vel vicissim sponsa) post matrimonium jam contractum ducat consanguineam uxoris suæ. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 70. *n.* 1. Fagnanus *c. ad audientiam h. t.* Reiffenstuel *lib.* 4. *tit.* 4. *n.* 11. *cum communi DD.*

Quær. 6. quousque se extendat impedimentum publicæ honestatis?

210 R. Olim jure antiquo ex quibusvis sponsalibus, tam de præsenti, quàm etiam de futuro, licet invalidis (dummodo non fuissent invalida ex defectu consensus) oriebatur hoc impedimentum, & se extendebat usque ad quartum gradum, ut videre est *c. un. de sponf. & matr. in* 6. Attamen jure novo Concil. Trid. jus illud antiquum, quantùm ad sponsalia de futuro relaxatum est. Verba Concilii. *Sf.* 24. *de reform. matr. c.* 3. sunt sequentia: *justitiæ publicæ honestatis impedimentum; ubi sponsalia quacunque ratione invalida erunt, Sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Hæc tamen limitatio juris antiqui solùm est intelligenda de sponsalibus de futuro, non autem de præsenti, seu de matrimonio rato; nam ita expressè declaravit Pius V. in decreto 1568. emanato, quòd incipit *ad Romanum*, & habetur in Bullario Cherubini *tom.* 2. *constit.* 62. dicti Pontificis, poteftque videri apud Reiffenst. *cit. n.* 14. Quare dicendum, hoc impedimentum etiamnum oriri ex omni matrimonio rato, licèt invalido, dummodò non fuerit invalidum ex defectu consensus; extendique usque ad quartum gradum inclusivè: è contra ex sponsalibus de futuro extendit se solùm ad primum gradum: quodsi hæc sponsalia fuerint invalida, quacunque demum de causa, nullum inde oritur impedimentum. Ita cum communi Spor. Filliuc. *tr.* 10. *part.* 2. *c.* 6. *nu.* 22. Herincx. *de Matri. disp.* 6. *q.* 8.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento ligaminis, & publicæ honestatis,

CASUS PRIMUS.

Titius, *cùm pacificè suæ uxori cohabitare non potuisset, maluit castra sequi, quapropter clam abiit, uxore Titia domi relicta. Contingit autem, ut elapso uno alterove anno quidam testaretur, se vidisse Titium pericu-*

periculosè decumbentem, nec dibitare, quin sit mortuus; alius insuper testabatur, se ex ore cujusdam militis reducis è castris audiisse, quòd objerit; quibus testibus auditis, Parochus Titiam copulavit cum alio, Quæritur jam 1. an. D. Parochus bene fecerit? 2. an dicti Conjuges fuerint separandi, an verò potuerit, ipsis permitti ut in suo conjugio perseverent?

211 R. ad primum. D. Parochus non bene fecit, assistendo secundo matrimonio. Ratio est: quia cùm causa matrimonii sit una ex gravissimis, oportet omninò, ut quotiescunque Parochus rationabiliter dubitat, aut certè dubitare deberet de impedimento, rem deferat ad suum Ordinarium velut Judicem Ecclesiasticum: potuit autem, & debuit rationabiliter dubitare in nostro casu, an non obesset impedimentum ligaminis: neque mulieribus est permittendum, ut ad secundas nuptias transeant, donec *certum nuntium*, id est (ut Gobat, Sporer, & alii exponunt) recipiant de obitu virorum, ut ex dictis .... *n.* 204. constat: ergo &c.

212 R. ad 2. Non fuerunt separandi sed permittendi potiùs, ut in suo connubio perseverent. Ratio est: quia cùm causa matrimonii sit favorabilis, ex post facto, seu post contractum matrimonium semper præsumendum est pro valore matrimonii, præsertim cùm conjuges sine scandalo, detrimento, prolium, vel aliis absurdis vix, aut rarò separari queant; quod vel maximè tenendum, casu quo matrimonium bona fide fuit celebratum, ut nos supponimus in hoc casu. Hinc *cap. Dominus de secund. nupt.* expressè statuitur, ut si aliquis vel aliqua hactenus id non obsetvaverit (ad secundas nuptias migrando) *& de morte prioris conjugis adhuc sibi existimet dubitandum, ei, qui ipsi nupsit* (bona fide scilicet) *debitum non deneget postulanti*. Vid. Gobat. *Theol. exper. tr. 9. n.* 306. idem in Clipeo *Clem. Jud. n.* 195. la Croix. *à n.* 313.

Dices. Sed quid, si mulier mala fide contraxit, utpote dubitans, vel etiam credens, quòd maritus prior adhuc vivat, & modò post omnem inquisitionem moraliter possibilem, non possit deprehendere, sitne adhuc in vivis vel non? licebitne in hoc casu non tantùm reddere, sed etia m petere debitum?

213 R. cum distinctione. Si enim merùm dubitet, an Maritus non sit mortuus, propereaque valeat secundum hoc matrimonium, nullatenus licebit ei petere debitum; quia possessio mala fide cœpta nullum tribuit jus in dubio; quare huic nihil suffragatur titulus possessionis: tametsi (ut proximè dictum est) reddere teneatur alteri conjugi, qui bona fide contraxit, propereaque manet in possessione legitima matrimonii, & juris acquisiti in corpus uxoris; quo jure privari nec potest, nec debet in dubio, ut notat Sanchez. *lib. 2. disp.* 44. *n.* 3. Herincx. *disp. 7. q. 6. n.* 31. & alii *communiter*. At verò si supponatur, non merùm dubitare, sed habere verè rationes probabiles, ita, ut rationabiliter credere liceat, nullum subesse impedimentum, eòquòd v. g. maritus jam fuerit mortuus eo tempore, quo secundas contraxit nuptias, non solùm reddere, sed etiam debitum petere eidem licebit. Ita Sanchez. *lib. 2. disp.* 42. *n.* 9. Perez, Dicastillo, Gobat. *Theol. experim. tr.* 10. *n.* 642. Sporer. *n.* 472. & alii plures. Ratio est: quia non apparet, cur ex opinione speculativa de valore matrimonii, & nullitate impedimenti, nequeat inferre probabilitatem practicam de licita redditione, & petitione debiti, eo præsertim, quòd hìc non agatur de valore, sed de sola honestate actionis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius desponsaverat sibi honestam puellam Semproniam, quæ tamen non multò post diutina infirmitate correpta fuit: sponsus verò, cum ægrotantem frequentiùs visitasset, cœpit nonnihil familiariùs agere cum sorore, ut tandem hanc impr æ gnaverit: & quia sponsa Semprona diem suum jamjam objit, hinc ad tegendum scelus, & evitandam simul infamiam, quærit Sempronius, an non posset ducere sororem sponsæ suæ defunctæ?

214 Non potest illam ducere sine dispensatione. Ratio est: quia impedimentum publicæ honestatis semel contractum, perpetuò manet, ita, ut nec per mortem alterius, nec per mutuam sponsalium dis-

dissolutionem tollatur: ita enim authenticè declaravit Congregatio Cardinalium 1658. 6. *Julii*, approbante Alexandro VII. Declarationem hanc authenticam in terminis referunt Fagnanus *c. ad audientiam de sponf. & matr. n.* 29. Spor. *n.* 57. item Cleric. *decis.* 30. *n.* 9. Reffenst. *ubi suprà n.* 17. & alii plures. Deinde nec ex jure, nec ex ratione ostendi potest, hoc impedimentum tolli per mortem, vel mutuam sponsalium dissolutionem: præsertim cùm facta etiam dissolutione ratio motiva, ob quam hoc impedimentum introductum est, semper perseveret, nempe honestas naturalis.

215 Dictum tamen est, quòd non possit ducere sororem sponsæ *sine dispensatione &c.* Notat quippe Clericatus *cit. n.* 24. Papam non raró dispensare super hoc impedimento, & quidem faciliùs, si proveniat ex sponsalibus, quàm si ex matrimonio rato. Quare cum soror sponsæ jam supponatur imprægnata, omnino congruum videtur, ut sponsus procuret, vel procurari faciat dispensationem; tum ob conservandum honorem, vel etiam reparandum damnum puellæ; tum etiam ad legitimandam prolem. Neque necessarium erit, ut in supplica exprimatur copula quæ intercessit; quia per hanc Sempronium non contraxit novum impedimentum affinitatis cum sorore, seu puella imprægnata, sed tantùm cum hujus consanguineis.

CASUS TERTIUS.

Caja perpetuæ castitatis voto obstricta, contra suum votum promisit matrimonium Cajo; verùm hunc ipsum paulò post exosa repudiavit ob senium, & abiens cum Filio Caji contraxit matrimonium; quod ubi Confessarius inaudit, jussit eam deinceps abstinere à petendo debito. Jam quæritur 1. quid de valore hujus matrimonii tenendum? 2. an Confessarius bene fecerit prohibendo petitionem debiti?

216 R. 1. Matrimonium Cajæ, quamvis illicitum, utpote contra votum seu virtutem Religionis celebratum, validum tamen est. Ratio est: quia cùm sponsalia cum Cajo inita fuerint nulla (fuerunt enim de objecto illicito, seu de matrimonium repugnante voto castitatis) nullum ex ipsis ortum est impedimentum publicæ honestatis, ut diximus *n.* 210. ergo matrimonium in foro conscientiæ saltem, & coram Deo est validum. In foro tamen externo, si non constet de voto emisso, nec probari possit, præsumetur pro valore sponsalium priorum, & nullitate matrimonii subsequentis, ut post Sanchez, Pont. Avers. & alios notat Clericatus *c. n.* 17. quia Ecclesia non judicat de occultis, sed de iis duntaxat, quæ publica, vel in foro fori gesta sunt. Hinc.

217 R. ad 2. Confessarius interdicendo petitionem debiti benè fecit, si ob votum interdixit; quia voto obstrictis non licet petere, secundùm dicta *n.* 70. Non autem fecisset bene interdicendo propter impedimentum publicæ honestatis; & nullitatem matrimonii inde oriundam; quia in foro conscientiæ (in quo Confessarius tenetur pœnitenti adhibere fidem (priora sponsalia fuerunt nulla: ex sponsalibus autem nullis *de futuro*, nullum contrahitur impedimentum: ergo &c.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

218 Colliges ex dictis 1. Quòd si Persona dubitans de ligamine prioris matrimonii, an sit solutum? veniat ad Parochum, petens copulari cum alio, nullatenus sit audienda, nec assistendum tali matrimonio, nisi re priùs delata ad Ordinarium, & diligenter discussa. Ratio patet ex dictis: quia hoc est negotium gravissimi momenti, ex quo pendet animarum salus: quanta enim orientur mala, si prior maritus fortè reversus, deprehenderit suam uxorem alteri dedisse fidem? quanta pericula animarum? quanta in populo scandala? atqui certum est, id jam sæpiùs contigisse. Casûs mirabiles (si curiosus es) videre potes in P. Gobat jam sæpiùs cit. *tract.* 9. *à num.* 328. Qua de causa idem eximius Doctor bene monet *num.* 334. non esse facilè standum testimonio nudo unius, etiam oculati testis, nisi alia adjungantur adminicula, & conjectu-

jecturæ de obitu prioris conjugis: immò & testibus in hoc puncto non esse nimis facilè credendum ait; constat etenim, quòd improba, & cæca venus multas non tarò excogitaverit fallacias. Hinc Confessarii, & Parochi minùs, quàm oportet, cautè procedentes in hoc puncto, de facili possunt semetipsos prostituere, & exponere periculo censurarum.

219 Collig. 2. Conjugem, qui cum dubio de morte prioris transit ad secunda vota, peccare moraliter; tum quia se exponit periculo inferendi alteri injuriam gravem, itemque periculo fornicandi, & tandem Sacramentum periculo nullitatis. Nihilominùs, si conjux prior vita jam cessit, & superstes intendit se obligare, seu contrahere cum alio, quantùm potuit, valebit matrimonium; quia potuit se obligare, & ut supponitur, voluit, *si*, *& in quantum* potuit: ergo &c. Barbos. *in cap. Dominus*. Sporer, & alii plures.

Dices. At quid, si tales resciant, priorem conjugem adhuc vixisse, tampore; quo matrimonium secundum celebratum fuit, & postea primùm obiisse.

220 R. hoc secundum matrimonium manebit invalidum; quia juxta *Reg. 18. Jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. Congruum tamen erit, ut ob scandala evitanda, & proles, si quas susceperint, meliùs educandas, de novo contrahant. Sporer *nu. 53.* la Croix *num. 678.* cum *communi DD.* Neque opus erit ulla dispensatione Pontificia, dato, quòd secundum matrimonium bona fide unius saltem sit celebratum, prout facilè colligetur ex dictis: si autem mala utriusque fide supponatur celebratum ita, ut tempore secundi contractus jam sciverint, priorem conjugem adhuc vivere, difficillimè, vel omnino nulla impetrabitur dispensatio, ut jam alibi insinuatum fuit. Cæterùm, an ad revalidandum matrimonium opus sit nova assistentia Parochi, dicetur infrà *n. 345.*

221 Colliges 3. hoc impedimentum publicæ honestatis non oriri ex sponsalibus de futuro 1. si sint contracta à sponsis irretitis aliquo impedimento v. g. voti castitatis, aut Religionis, cognationis, affinitatis, criminis, &c. quia talia sponsalia sunt nulla, utpote de re illicita 2. Idem tenendum de sponsalibus ex metu gravi initis, secundùm dicta superiùs *n. 33.* Idem quoque tenendum, si sponsalia sint fictè contracta, vel cum persona indeterminata v. g. una ex filiabus Titii; vel si sint contracta à Parentibus nomine Filiorum absentium: quia etiam hæc, antequam à sponsis ratificentur, sunt nulla. 4. Denique idem dicendum de sponsalibus sub conditione de futuro initis; quippe quæ ante impletam conditionem non sunt propriè, & simpliciter sponsalia: atqui juxta dicta *num. 210.* ex sponsalibus de futuro, si quacunque demum ratione nulla sint, nullum impedimentum publicæ honestatis oritur: ergo. Tid. Clericat. *à n. 17.* Mastr. 4. *disp. 7. n. 488.*

Dices. Demus igitur, Titium contraxisse sponsalia sub conditione de futuro cum Bertha, & non exspectato eventu conditionis rursus alia, & quidem absoluta contraxisse cum ipsius sorore, nunquid incurrit impedimentum publicæ honestatis.

222 R. Nullum incurrit; non enim ex prioribus sponsalibus; quia erant tantùm conditionata; & conditio nondum adimpleta: neque ex posterioribus; quia hæc erant invalida; tenebatur enim Titius exspectare eventum conditionis, nec priùs cum alia potuit licitè contrahere matrimonium.

Dices iterum. At quid, si cum Bertha fecisset absoluta sponsalia, & rursus alia absoluta cum ipsius sorore?

223 R. Hæc 2. nulla essent, nec haberent vim inducendi impedimentum publicæ honestatis, vel irritandi priora, prout expressè statuitur, *cap. un. de sponsal. in 6.* Quare adhuc teneretur ducere priorem, scilicet Bertham. Si tamen sororem Berthæ, vel etiam consanguineam ejus in primo, vel secundo gradu cognovisset carnaliter copula perfecta, neutram ex illis ducere posset. Non Bertham, propter impedimentum affinitatis cum ea contractum: nec sororem, immò nec consanguineam ejus in primo gradu, propter impedimentum publicæ honestatis. Vid. Reiffenst. *Theol. moral. dist. 14. num. 130.* Sporer, *nu. 58.* Cleric. *num. 23.*

224 Colliges 4. ex sponsalibus de præsenti, seu matrimonio rato non consurgere hoc impedimentum, si fuit contractum 1. vel cum errore personæ, vel 2. cum ignorantia qualitatis servilis, vel 3. ex metu gravi injustè incusso, vel denique 4. in amentia, ebrietate plena. Ratio patet ex dictis *n.* 201. quia non oritur hoc impedimentum, quando matrimonium est nullum ex defectu consensus: atqui in his omnibus casibus deficit consensus requisitus ad valorem matrimonii: ergo &c. Secùs dicendum foret, si matrimonium fuisset nullum ex alio capite v. g. ob impedimentum cognationis, affinitatis, criminis, vel clandestinatis; quia in his non deficit consensus. Pont. Perez, Herincx *disp. 6. qu. 8. nnmer.* 70. Mastr. *cit. num.* 494.

CONFERENTIA

DECIMA.

De Impedimento dirimente Affinitatis.

SUMMARIUM.

225 *Affinitas est propinquitas Personarum quarum una cum consanguinea alterius habuit copulam carnalem.*

226 *Debuit esse copula carnalis perfecta; unde.*

227 *Probabiliter hoc impedimentum non incurritur, si solus vir seminavit.*

228 *Affinitas contracta ex copula illicita usque ad secundum; ex copula verò licita usque ad quartum gradum inclusivè se extendit.*

229 *Traditur modus practicè dignoscendi distantiam unius Personæ ab alia, in gradu affinitatis.*

230 *Quo jure affinitas dirimat mattimonium?*

231 *Affinitas superveniens matrimonio quando privet jure petendi debitum?*

232 *Incestus debet esse voluntariè.*

233 *Et scienter commi ssus, ut privet &c. &c.*

234 *In hac pœna dispe nsare valent 1. S. Pontifex 2. Episcopus, & 3. Confessarii Mendicant ium ad hoc deputati &c.*

235 *Resolvitur Casus I. Mulieris, dubitantis de valore sui matrimonii, eò quòd in juventute sæpius peccaverit cum Fratre sui Mariti moderni.*

236 *Si dubitet an habuerit copulam perfectam, videtur in hoc casu præsumendum pro copula perfecta.*

237 *Ideòque usus matrimonii interdicendus.*

238 *Satisfit cuidam Instantiæ.*

239 *Si tamen talis Mulier haberet rationes probabiles, quòd non intercesserit copula perfecta, licitè uteretur suo matrimonio.*

240 *Resolvitur Casus II. de Marito, qui semel cum Patrina, & iterum cum Noverca suæ conjugis rem habuit.*

241 *Si Novercæ non simul promisit matrimonium, poterit eam ducere post mortem modernæ uxoris.*

242 *Resolvitur Casus III de Puella, quæ post sponsalia carnaliter paccavit cum fratre sui sponsi:*

243 *Propterea tenebatur abstinere à matrimonio, quousque impetraret dispensationem.*

244 *Vir, & Mulier se cognoscentes, non fiunt affines &c.*

245 *Affinitas semel contracta, perputuò durat.*

246 *Ex solis tactibus, quantumvis lascivis, non consurgit.*

247 *Maritus peccando cum sanguinea Uxoris in tertio aut quarto gradu, non amittit jus petendi debitum.*

248 *Neque amittit, si peccet cum propria consanguinea.*

249 *Nec Uxor amisit, quæ ignoranter commisit incestum.*

250 *In praxi non est statim concludendum, quòd pœnitens amiserit jus petendi debitum.*

251 *Dato etiam, quòd amiserit illud, nihilominus licitè alteri parti offert usum sui corporis.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de impedimento Affinitatis.

Quæres 1. quid sit Affinitas, & quotuplex?

225 R. Affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum una cum consanguinea alterius habuit copulam carnalem. Ita Navarrus cum *communi DD.* Duplex autem est, & adhuc viget affinitas, una, quæ ex toro illegitimo, seu copula fornicaria extra matrimonium oritur, prout videbimus. Sed

Quær. 2. Qualis requiratur copula, ut inde oriatur affinitas?

226 R. requiritur copula carnalis perfecta, per se sufficiens ad generationem, nempe facta cum penetratione, & immissione feminis intra vas naturale fœmineum Rationem dat Sporer. *n.* 72. quia per omnem & solam talem copulam vir, & fœmina fiunt una caro, unumque principium generationis, in qua unitate fundatur propinquitas, & affinitatis impedimentum. Nihil tamen refert, an fœmina sponte consenserit, an verò fuerit invita, ignara, dormiens vel etiam insana &c. dummodo intervenerit copula perfecta, prout colligi potest ex *cap. discretionem 6. de eo qui cognovit* Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 477. Reiffenst. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 44. Laym. Cleric. *decis.* 31. *num.* 3.

Dices. At quid, si solus vir, non item fœmina feminavit.

227 R. Adhuc oriri impedimentum affinitatis, censent Sanch. Pont. Reiffenst. *cit. n.* 43. æquè tamen probabiliter hoc negant Hurtadus, Mastr. *loc. cit.* & alii. Ratio est: quia, ut ait Clericat. *cit. n.* 7. secundùm principia juris Canonici *c. lex divina* 27. *q.* 2. requiritur seminum commixtio; & secundùm principia Medices, fœmineum etiam semen ad generationem necessarium reputatur, & ad hunc finem fuit à natura institutum; unde Paulus Zachias insignis Medicus, relatus à Clericato, non veretur dicere, oppositum esse apud Medicos hæreticum: at si fœmina non seminavit, nulla fuit facta commixtio seminum: ergo in hoc casu probabiliùs non oritur impedimentum affinitatis. Quare nullus dubito, quin huic sententiæ saltem in foro conscientiæ possit esse locus: tum quia aliunde constat, hoc impedimentum velut odiosum quid, esse restringendum potiùs, quàm extendendum; tum etiam quia, ut Cardenas, la Croix *n.* 533. Tamb. Krimer, Kugler, *n.* 1050. Pichler, & alii docent, in dubio de impedimento contracto, præsertim juris humani, præsumendum est pro nullitate impedimenti, & pro libertate volentium contrahere. Vid. etiam Gobat *tr.* 9. *n.* 390.

Quær. 3. quousque se extendat hoc impedimentum?

228 R. cum distinctione. Si enim proveniat ex copula licita in matrimonio, jure novo jam se extendit solùm usque ad quartum gradum inclusivè, prout expressè statuitur *c. Non debet 8. h. t.* Si autem ortum fuerit ex copula illicita seu fornicaria, ex constitutione Concilii Trid. *SS.* 24. *de reform. matr. c.* 4. solùm extenditur usque ad secundum gradum inclusivè, & non ultrà. Ita *communiter DD.*

Quær. 4. quomodò practicè procedendum, ut dignosci queat, an, vel quoto gradu affinitatis una persona distet ab altera?

229 R. cum P. Gobat. *tr.* 9. *nu.* 400. ad hoc dignoscendum observanda erunt sequentia 1. Itaque si v. g. Cajus, & Caja sponsi dubitent, oportebit indagare, an Cajus habuerit copulam carnalem, & quidem perfectam, cum una ex consanguineis Cajæ, an verò Caja talem habuerit cum uno ex consanguineis Caji? si dicant, quòd non, certum jam erit, nullum inter eos versari impedimentum dirimens affinitatis. 2. Si autem alterutra saltem pars fateatur, se habuisse talem copulam, mox considerandum erit, an fuerit licita, an verò illicita, & fornicaria; quia hæc duntaxat ad secundum, illa autem usque ad quartum gradum se extendit. Unde tertiò tandem erit attendendum, in quoto gradu consanguinitatis illa persona, quam v. g. Cajus cognovit, sit conjuncta Cajæ (hoc autem facilè poterit colligi ex arbore consangui-

guinitatis, modo superiùs *n.* 130. *tradito*) nam in eodem gradu affinitatis Cajus erit conjunctus sponsæ. Ex. gr. Si Sempronia, quam Cajus fatetur cognovisse, fuit conjuncta Cajæ sponsæ in secundo gradu consanguinitatis, pariformiter Cajus erit in secundo gradu affinitatis conjunctus sponsæ suæ Cajæ. Si in primo, Cajus contraxit cum sponsa affinitatem in primo gradu. Vid. etiam de hoc Reiffenst. *cit. n.* 52. vel in *Theol. mor. tr.* 14. *dist.* 14. *n.* 120.

Quær. quintò, quo jure affinitas dirimat matrimonium?

230 R. Multi, etiam magni nominis Doctores (ut videre est apud Kugler *n.* 1893. existimant, quòd affinitas saltem in primo gradu lineæ rectæ dirimat jure naturæ; probabiliùs tamen videtur, dirimere solùm jure ecclesiastico. Et ita tenent Scot. Mastr. Bosco, Herincx, & alii Scotistæ communiter, contra Reiffenst. Ratio autem est: quia inter affines nulla reperitur superioritas vel conjunctio sanguinis: ergo usus matrimonii inter illos non repugnat reverentiæ sanguini debitæ, nec tantæ turpitudinis censeri debet, ut matrimonium ipso jure naturæ dirimat, quamvis, si sine justa causa affines contrahant, nonnulla videatur intercedere irreverentia, ait Herincx *disp.* 6. *n.* 65. Vid. etiam Kugler *cit. l.* ubi hanc sententiam pluribus probat rationibus.

Quær. sextò, an, vel qualis affinitas impediat petitionem debiti conjugalis?

231 R. Affinitas superveniens matrimonio, contracta ex incestu cum consanguinea (vel consanguineo) conjugis in primo, vel secundo gradu *voluntariè*, & *scienter* commisso, inducit pœnam, seu privat jure petendi debitum, ita, ut si Maritus scienter commisit talem incestum cum consanguinea uxoris suæ in primo vel secundo gradu, ut puta cum ipsius Avia, Matre, sorore, vel filia &c. sua mortali teneatur abstinere à petendo debito (idem dic de uxore incestuosa) etsi adhuc debitum reddere teneatur alteri parti petenti; quia innocens sine sua culpa non debet sentire pœnam. Ita statuitur expressè *variis cap. toto titulo. de eo, qui cognovit &c.* Estque *communissima DD.* teste Sporer *n.* 83. Nec refert, sitne incestus notoriè, vel occultè commissus; quia in utroque casu contrahitur affinitas cum conjuge, in qua fundatur hæc pœna privationis debiti, ut observat Sanchez, Laym. & alii *communiter*.

232 Dictum tamen fuit, hanc pœnam incurri propter *incestum voluntariè commissum*; quia juxta *cap. discretionem.* 6. *de eo, qui cognovit &c.* nemo sine sua culpa debet privari jure aliàs sibi competente: at si uxor v. g. vi supprimatur à consanguineo mariti, non censetur culpabiliter admisisse incestum: ergo. Idem dicendum foret, si ex gravi metu admisisset copulam: quia non videtur præsumendum, quòd Ecclesia velut pia Mater, velit tam gravi pœna animadvertere in conjugem gravi metu coactam ad frangendam tori fidem. Laym. Tambur. Illsung. *disp.* 9. *n.* 134.

233 Additum insuper fuit, hanc pœnam incurri propter incestum *scienter* commissum. Etenim Sanchez *l.* 9. *d.* 32. *n.* 43. Gobat *tr.* 10. *n.* 603. Herincx *disp.* 7. *n.* 8. cum aliis probabilius tenent, ignorantiam tam facti quàm juris (dummodo non sit affectata) excusare ab hac pœna, quemadmodum excusat ab aliis. Idcircò si quis ignoret, hanc personam cum qua peccat, esse consanguineam suæ uxoris, vel certè, si ignoret, huic crimini de jure esse annexam pœnam privationis petendi debitum, tuta conscientia potest adhuc petere debitum; quod pro praxi est bene notandum.

Quær. tamen septimò, quinam dispensare valeant cum incestuoso in hac privatione petendi debitum conjugale?

234 R. cum P. Reiffenst. *in append. ad quartum lib. Decr.* §. 12. *à n.* 565. Hæc potestas competit. 1. non tantùm summo Pontifici, sed etiam 2. Episcopo, & 3. Sede vacante Capitulo, saltem vi consuetudinis quæ tribuit jurisdictionem. *c. cùm contingat. de foro compet.* 4. Insuper Confessarii regulares Mendicantium, à suo Provinciali ad hoc munus deputati, possunt dispensare cum tali incestuoso, etiam absente, in ordine ad petendum debitum. Ratio est: quia ut jam suprà *n.* 71. notatum fuit, hæc facultas dispensandi nedum vivæ vocis oraculo

cuso sed etiam per specialem Bullam Eugenii IV. concessa est Benedictinis Congregationis Cassinensis (quo privilegio etiam Mendicantes gaudent) anno 1436. pridie Calendas Julii. Et hinc potestatem esse concessam, postea declaravit Iulius II. prout videre est apud Reiffenst. *cit.* n. 572. Unde Gobat *tr.* 10. *n.* 604. rectè ait. Si Parochus scribat tali Religioso (ex Mendicantibus) à suo Superiore specialiter deputato: *peto à R.V. ut dispenset cum NN. in debiti petitione*, erit res salva, cùm Confessarius rescripserit: *dispenso*, dummodo subsit rationabilis causa; quæ vix unquam deerit; tum ob periculum infamationis, contentionum, vel alia mala declinanda: Monet etiam Portel. *tom.* 1. *Respons. moral. part.* 1. *cas.* 2. talibus imponendam esse gravem pœnitentiam. Vid. de hoc Sanchez. *lib.* 8. *disp.* 16. *n.* 8. Quintanadven. *Singular. tr.* 9. *singul.* 2. *à n.* 6. Sporer. *n.* 483. Herincx *de Matr. disp.* 7. *n.* 13. Kugler. *n.* 1333.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Affinitatis.

CASUS PRIMUS.

Titia fatetur, se continuis exagitari scrupulis, eoquòd in juventute sua, priùs quàm de matrimonio ineundo quidquam cogitaverat, à quodam juvene seducta, sæpiùs sui corporis copiam eidem fecerit, nuper autem ejusdem fratri nupserit. Hinc postulat scire 1. *quid sibi de valore sui matrimonii tenendum?* 2. *an possit tuta conscientia uti matrimonio?*

235 R. Ad primum. Si habuerunt copulam perfectam, matrimonium nullum est; sin autem imperfectam tantùm, valet matrimonium, prout jam sequitur patenter ex præmissis. Cæterùm ut Confessarius vel Parochus &c. dignoscat, an habuerint perfectam, nec ne? oportebit indagare 1. quot annorum tunc fuerit, dum peccavit? si enim annos pubertatis ipsa, vel saltem juvenis tunc temporis nondum attigisset, non præsumerentur habuisse copulam perfectam, prout cum aliis notat Gobat cit. *tr.* 9. *n.* 395. secundò Oportebit indagare, an non impediverint generationem, dispergendo scilicet semen extra vas; quod sanè frequenter nimis faciunt personæ solutæ, ne patefacto delicto incurrant notam infamiæ. Et siquidem fateantur, se hoc, vel alio modo impedivisse, rursus concludendum erit, quòd nullam contraxerint affinitatem, ideòque matrimonium valeat.

Dices: At quid, si Titia fateatur, & se & complicem criminis, tunc temporis jam superasse quidem annos pubertatis, dubitare tamen, an generationem impediverint, vel copulam perfectam habuerint, vel etiam an tunc satis intellexerint, quid ad copulam perfectam requiratur?

236 R. Si dubitet, an impediverint generationem &c. præsumendum videtur pro copula perfecta, ideòque pro impedimento affinitatis, & nullitate matrimonii. Ratio est: quia *ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio*: communiter autem contingit, ut personæ jam puberes habeant copulam perfectam, præsertim si sæpiùs repetant, nec impediant generationem. Qua de causa post Sanchez, Gobat, & alios, Clericatus *decis.* 31. *n.* 7. bene docet, in foro externo, ubi constat de congressu viri cum femina, & de copula cum ea exercita, ulteriùs non esse indagandum, sed pronunciandum pro impedimento affinitatis, & præsumpta seminum effusione, ac commixtione: atqui etiam in foro interno tenemur nos accommodare præsumptioni fori externi, quando non constat, hanc esse falsam: ergo in hoc casu videtur standum pro nullitate matrimonii, & per consequens ex hac suppositione.

237 R. ad secundum, Titiam uti non posse matrimonio; quia, ut dicetur *num.* 419. quando conjux est moraliter certus de nullitate sui matrimonii, in nullo casu licet ipsi petere, aut reddere debitum; quia fornicaretur: quod est malum intrinsecum.

Dices rursus: post matrimonium semel contractum, præsertim bona fide, semper præsumitur pro valore ipsius, quamdiu certò non constat, fuisse contractum

cum

cum impedimento: at in nostro casu certò non constat de impedimento: ergo &c.

238 R. neg. min. in hoc enim casu moraliter certò constat de impedimento; quia constat de copula carnali, & quidem sæpiùs iterata inter puberes &c. Quare cùm talis communiter, seu regulariter semper consueverit fieri cum effusione, & commixtione seminum; hinc meritò præsumitur fuisse facta, nec pro opposito habetur prudens argumentum, ait la Croix. *n.* 537.

239 R. Tamen secundò, quodsi Titia haberet prudens motivum, credendi, se nunquam habuisse copulam perfectam, vel si sciret, se non seminasse &c. posset absque scrupulo uti matrimonio, nedum reddendo, sed etiam petendo. Ratio est: quia ex hac suppositione posset prudenter & rationabiliter credere, se non incurrisse impedimentum, ideoque validè contraxisse matrimonium: qui autem prudenter & probabiliter putat matrimonium esse validum: licitè petit debitum; tum quia stat possessio pro illo; tum etiam, quia sicut in aliis, ita etiam in hac materia, ubi tantùm agitur de honestate actus, licitè sequi potest sententiam probabilem, juxta *communissimam DD.* Additque rectè Aversa *q.* 21. *sect.* 2. §. *ult.* apud la Croix *n.* 299. adhuc petere posse, etiamsi opinio pro invaliditate esset probabilior. Vid. la Croix *à n.* 297.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius rem habuit semel cum Patrina sua, & iterum cum Noverca propriæ conjugis. Dubitat proin, & quærit 1. an deinceps sibi liceat ab uxore petere debitum? 2. an casu quo uxor propria (quæ actu periclitatur in partu) moreretur, an posset ducere Novercam, quippe quam suspicatur à se impraegnatam?

240 R. Ad primum. Potest Sempronius petere debitum. Ratio est: quia nec Noverca, nec Patrina (uti suppono) fuit consanguinea uxoris: licèt ergo peccando cum Patrina commiserit adulterium incestuosum, propter cognationem spiritualem vi baptismatis cum ea contractam; cùm tamen nullam per hoc contraxit affinitatem, hinc nec incurrit pœnam privationis petendi debitum. Tametsi Uxor conscia adulterii à Sempronio commissi, posset de jure eidem negare debitum; ut dicemus infrà *n.* 387. Vid. etiam la Croix *n.* 597.

241 R. Ad secundum. Potest Sempronius mortua conjuge ducere Novercam illius, si huic ante, vel post adulterium commissum non promisit matrimonium. Non enim incurrit impedimentum criminis; quippe ad quod non sufficit solum adulterium, nisi accedat vel machinatio mortis, vel promissio matrimonii, secundùm dicta *n.* 159. & 160. Neque incurrit impedimentum affinitatis respectu Novercæ; quia per copulam cum uxore propria exercitam, factus est solùm affinis consanguineis uxoris: Noverca autem non est consanguinea. ergo.

CASUS TERTIUS.

Caja post sponsalia peccavit carnaliter cum fratre germano sponsi; & quia sponsus vult proximè celebrare matrimonium in facie Ecclesiæ; hinc multùm anxia, utpote timens vel Dei offensam, si consentiat, vel coram hominibus infamiam, si non consentiat, sciscitatur, an non possit nubere sponso suo? Rationem dubitandi allegat geminam. 1. quòd à fratre sponsi fuerit quodamodò violenter adacta ad peccandum. 2. quòd semen ab eo receperit quidem, statim tamen rursus profuderit, ne fortè gravida incurreret notam infamiæ coram hominibus. Quid Cajæ respondendum?

242 R. Sine dispensatione non potest validè consentire, & contrahere matrimonium cum Cajo, propter impedimentum affinitatis contractum. Nec enim obstat, vel excusat 1. quòd invita, & quasi violenter adacta fuerit ad peccandum, nec 2. quòd semen receptum mox effuderit: quia recepto semel semine copula jam fuit perfecta, & de se sufficiens ad generationem, ideòque contractum impedimentum, ut notat Sporer *n.* 72. quòd autem receptum statim effuderit, est per accidens. Secùs dicendum foret, si constaret, quòd ipsa non seminasset, prout jam dictum fuit *n.* 227.

Dices,

Dices. Quid ergo Consilii in hoc casu? 243 R. 1. vel abstinendum erit à matrimonio; vel 2. si absque detrimento, aut nota infamiæ abstinere nequeat procuranda dispensatio priùs, quàm matrimonium celebretur in facie Ecclesiæ: vel denique 3. si ob periculum gravis nocumenti aut infamiæ res moram non patiatur, & sponsus urgeat nuptias solemniter celebrandas &c. sponsa erit instruenda, ut consentiat, animo tamen faciendi, quantùm pro hìc & nunc potest, atque abstinendi ab omni actu venereo, quousque dispensationem obtinuerit. Quinam verò in tali casu dispensare valeant dicemus *numer.* 491. *&c. seqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

244 Colliges ex dictis 1. Virum non fieri affinem mulieri carnaliter à se cognitæ, nec vicissim mulierem viro: quia vir & mulier sese cognoscentes, dicuntur potius principium affinitatis, & stipes communis, ex quo affinitatis gradus numerantur, & distinguuntur, prout cum aliis notat Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 68. Vir ergo solùm fit affinis consanguineis mulieris à se carnaliter cognitæ, ac vicissim mulier fit affinis solis consanguineis viri, & quidem in eo gradu affinitatis, in quo gradu consanguinitatis consanguinei distant à viro: ipsi autem consanguinei inter se non contrahunt affinitatem, nisi indirectam, quæ de facto non ampliùs habet vim inducendi impedimentum inter eos. Hinc nihil obstat, quò minùs Pater, & Filius ducant viduam matrem, & ejus Filiam, vel duo fratres duas sorores alterius familiæ, vel etiam idem vir successivè duas viduas, quarum mariti germani fratres fuerunt; quia universim inter duas personas virgines, seu etiam inter tales, quarum una non habuit copulam carnalem cum alterius consanguinea nulla intercedit affinitas, prout cum *communi DD.* tenent Sporer *numer.* 78. Sanchez. Basil. Pont. Lessius, Clericat. *dec.* 31. *numer.* 9.

245 Colliges 2. Affinitatem semel contractam perpetuò perseverare. Hinc Maritus (sine dispensatione) nunquam ampliùs ducere potest uxoris sororem, matrem, vel etiam filiam ex sorore natam, etiam post mortem uxoris. Ratio est: quia hoc impedimentum oritur immediatè ex commixtione corporum semel facta inter virum, & mulierem: ergo quemadmodum commixtio semel facta, est quodammodo perpetua; quia semel factum infectum fieri nequit; ita, & affinitas inde consequens perpetuò durat. Ita teste Sporer. *communis DD.* apud Tambur. *hic tr.* 1. *c.* 12. §. 1. *à num.* 10.

246 Colliges 3. nullam contrahi affinitatem, ex sola copula etiam vase penetrato facta, semine tamen viri vel omnino non, vel extra vas muliebre diffuso. 2. Neque ex copula sodomitica, vel alia quacunque pollutione extra vas generationi deputatum facta; multò minùs ex tactibus quantumvis turpibus, & lascivis 3. Neque ex solo matrimonio rato 4. Neque ex copula, in qua sola fœmina seminavit. Ita Reiffenst. *lib.* 4. *tit.* 14. *à n.* 39. Ratio horum est: quia affinitas non oritur, nisi ex copula perfecta, de se sufficiente ad generationem, atqui omnia modò recensita non sufficiunt ad generationem, prout consideranti patebit: ergo.

247 Colliges 4. Maritum, qui peccat cum uxoris suæ consanguinea in tertio vel quarto gradu, non incurrere pœnam privationis petendi debitum ab uxore. Ratio est: quia hanc pœnam solùm incurreret propter affinitatem cum uxore contractam; eò quòd indecens videatur, ut affini commisceatur: atqui post constitutionem Concilii Trid. *SS.* 24. *c.* 4. *de reform. Matr.* ex copula illicita solùm contrahitur affinitas cum consanguineis cognitæ in primo, & secundo gradu, & non ultra: ergo non privatur jure petendi debitum. Vid. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 67. *n.* 8. Clericat. ubi suprà *n.* 28. Kugler *n.* 1321.

248 Colliges 5. hanc pœnam neque incurri à Marito, qui peccat cum propria sua Consanguinea, vel primi, vel secundi gradus: idem dicendum de uxore peccante cum proprio consanguineo. Ratio est eadem: quia hæc pœna privationis petendi debitum, solùm incurritur propter incestum

& af-

& affinitatem contractam cum altero conjuge: at si peccet cum proprio consanguineo, non contrahit affinitatem cum conjuge, licet cæteroquin hoc peccatum sit gravius: ergo &c. Laym. *lib. 5. tr. 10. part. 4. c. 5. n. 3.*

249 Colliges sextò, non fuisse privatam, vel privandam hoc jure petendi debitum illam uxorem, quæ prima nocte post nuptias celebratas, putavit sibi rem esse cum Marito, re ipsa autem fuit cognita à Leviro, seu Fratre Mariti. Ratio est: quia secundùm dicta *n.* 233. hæc pęna solùm incurritur propter incestum *scienter* commissum: atqui hæc Mulier non commisit incestum *scienter*: ergo, &c.

250 Colliges tandem septimò, quodsi in praxi obtingat pęnitens, sese accusans de peccato carnali commisso cum consanguinea sponsæ suæ, vel etiam uxoris, non statim concludendum sit, eum incurrisse impedimentum affinitatis, vel amisisse jus petendi debitum, sed quàm cautissimè indagandum, seu interrogandum esse, primò, an cum consanguinea sponsæ vel Uxoris in primo, vel in secundo gradu peccaverit; quia ultrà hos gradus ex copula illicita non extendit se affinitas: secundò inquirendum erit vel maximè, an habuerit copulam perfectam, in qua non solus vir, sed & fęmina seminavit: hujus autem indicium est, si tempore coitus vel conceptus, vel prope, paulò ante, vel post senserit magnam voluptatem: è contra si nullam aut exiguam voluptatem sensit (judicio Medicorum apud Dicastillo *disp. 8. de Matr. dub. 34. n.* 357. Gobat, *tr. 9. n.* 391. Sporer & alios) signum est non defluxisse ex ea semen; de hoc proin fęmina circumspectè non minùs, quàm cautè erit examinanda; quia si talis copula non intercessit, probabiliter non contraxerunt affinitatem, juxta opinionem DD. mox relatorum: Tertiò an conjux peccati reus sciverit, huic crimini esse annexam pęnam privationis petendi debitum; quia ignorantia juris, vel etiam facti (quæ non rarò intervenit) excusat ab hac pęna, juxta superiùs dicta.

Dices adhuc. Quidsi verò conjux fateatur, se non ignorasse pęnam privationis huic facto annexam, timere tamen, ne si deinceps contra morem solitum abstineat à petendo debito, reddatur suspectus Uxori, aut certè onerosus, eò quòd ipsa præ verecundia non audeat petere debitum?

251 R. cum Soto, Ledesma, Sanchez, *l. 9. disp. 7.* Laym. Sporer, *n.* 483. & aliis. In tali casu licebit ei se modestè insinuare ad debitum, & quidem in gratiam conjugis v. g. dicendo, an non placeat? &c. Ratio est: quia hæc pęna cum tanto rigore introducta non fuit ab Ecclesia, ut cum gravi periculo infamiæ, vel etiam gravi incommodo conjugis innocentis portari debeat. Vid. *DD. cit.*

CONFERENTIA

UNDECIMA.

De Impedimento dirimente Impotentiæ, & Ætatis.

SUMMARIUM.

252 *Impotentia coeundi est impedimentum dirimens.*
253 *Notatur triplex impotentia.*
254 *Ut dirimat, debet esse 1. antecedens 2. & perpetua, & 3. absoluta ut absolutè reddat inhabilem.*
255 *Quidsi ex post facto oriatur dubium, an impotentia præcesserit Matrimonium?*
256 *Defectu ætatis impotens censentur, Juvenis antè annum 14. & Puella ante annum 12. completum.*
257 *Si tales attentare præsumant Matrimonium, per se loquendo graviter delinquunt.*
258 *Et quid, si malitia suppleat ætatem?*
259 *Impotentia ætatis dirimit solùm jure Ecclesiastico.*
260 *Impotentia autem orta ex defectu corporis, jure naturali.*
261 *Solvitur quædam Instantia contra hoc facta.*
262 *Resolvitur Casus 1. de Viduo, qui post secun-*

secundum Matrimonium celebratum advertit se impotentem, & propterea judicio Eccl esiæ fuit divortiatus.

263 *Si ex post facto constaret, fuisse erratum in Judicio, teneretur talis redintegrare Matrimonium.*

264 *Resolvitur Casus II. de sponso, qui volens contrahere, dubitavit, an esset potens?*

265 *Si sit probabiliter potens, Parochus licitè assistit;*

266 *Immò tenetur assistere Matrimonio, si notitiam de impotentia dubia hausit ex sola confessione.*

267 *Solvitur instantia, & redditur ratio, cur in tali dubio liceat contrahere;*

268 *Resolvitur Casus III. de Marito, qui suam Uxorem post primum puerperium non ampliùs potuit cognoscere.*

269 *Huic licitum est conari ad copulam, quamdiu affulget probabilis spes, eam aliquando perficiendi.*

270 *Matrimonia sterilium valent;*

271 *Non item Eunuchorum, utroque teste carentium.*

272 *Si Maritus evadat Eunuchus, multi tenent, eum licitè uti matrimonio.*

273 *Quid de valore Matrimonii à senibus?*

274 *Vel etiam ab infirmis contracti?*

275 *Si certò constet, Matrimonium cum impotentia perpetua fuisse contractum nullitas per se loquendo debet intimari.*

276 *Subinde tamen per accidens oportet dissimulare veritatem.*

277 *Conjugibus dubitantibus de impotentia, permittitur spatium triennii ad tentandum &c.*

278 *Mulier, quæ semper cum periculo vitæ, vel etiam proles mortuas consuevit parere, hoc non obstante validè contrahit: an etiam licitè?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè resolvedos Casus de impedimento Impotentiæ, & Ætatis.

Quæres 1. quid intelligitur per impedimentum impotentiæ?

252 R. Intelligitur impotentia coeundi, seu defectus corporis, & inhabilitas ad habendam perfectam copulam conjugalem, unde qui perfectam exercere possunt copulam; esto ob sterilitatem laborent impotentia generandi, non tamen sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, prout *communiter* notant DD.

Quær. Secundò, quotuplex sit impotentia?

253 R. Quantum ad nostrum attinet propositum, triplex attendi potest ac debet; alia namque est 1. antecedens, alia consequens 2. Alia perpetua, alia temporalis tantùm 3. Rursus alia absoluta: & alia respectiva. Antecedens dicitur, quæ jam exstitit ante contractum matrimonium, consequens verò, quæ matrimonio contracto primùm supervenit. Perpetua censetur illa, quæ absque miraculo, vel certè per medium aut medicamentum naturale, sine gravissimo morbi, vel etiam vitæ discrimine, vel denique absque peccato v. g. superstitionis tolli nequit (esto tolli posset per remedium superstitiosum, aut periculosam valdè incisionem fœminæ &c.) quia talis impotentia censetur incurabilis, ideòque perpetua; unde cum aliis pluribus Sanchez *lib.* 7. *disp.* 93. *numer.* 20. bene infert, non teneri mulierem pati, nec virum exspectare eventum tam periculosæ incisionis, sed petita solutione matrimonii tanquam irriti, posse conjugem potentem transire ad alias nuptias: è contra si tolli posset per medium naturale non tam difficile, vel per ordinarios Ecclesiæ exorcismos in maleficiatis, impotentia solùm censetur temporanea. Absoluta impotentia dicitur, qua vir impeditur respectu cujuslibet fœminæ (aut fœmina respectu cujuslibet viri) ita, ut cum nulla possit exercere copulam perfectam: respectiva autem dicitur, qua impeditur solùm respectu hujus vel illius personæ, & non respectu omnium. Ita *DD. communiter.*

Quær. tertiò, qualis impotentia dirimat matrimonium?

254 R. cum *communi DD.* Impotentia, ut matrimonium dirimat, debet esse 1 antecedens 2. perpetua, & 3. absoluta; respectiva enim non dirimit, nisi respectu personæ, cujus impotens est. Ratio primi desu-

desumitur ex *c. Hi*, *qui* 32. *q.* 7. item *cap. si uxorem* 32. *qu.* 5. ubi satis claré deciditur, impotentiam, quæ matrimonium subsequitur, non dirimere; quia potestas semel data non adimitur per hoc, quòd superveniat impedimentum utendi potestate, ut patet in Conjugibus Religionem professis post matrimonium. Ratio secundi desumitur ex *cap. Fraternitatis de frigid. & malefic.* quia nimirum de ratione matrimonii non est, ut Conjuges possint semper habere copulam perfectam, sed solùm ut sibi conferant potestatem ad aliquando habendam, seu quæ possit haberi aliquando saltem. Ratio tertii est hæc: quia si *v. gr.* Vir sit solùm impotens respectu hujus, non verò alterius personæ, nihil obstat, quin potestatem corporis sui alteri personæ tradat: ergo impotentia respectiva non dirimit matrimonium, nisi respectu illius personæ, respectu cujus vir est impotens. Ita *communis DD.* apud Sanchez cit *à n.* 8. Cæterùm personæ impotentes habentur, & recensentur sequentes 1. Qui nimis sunt calidi 2. Nimiùm frigidi 3. Maleficiati, seu maleficio redditi impotentes 4. Mulieres nimis arctæ 5. Impuberes ante legitimam ætatem (horum tamen impotentia censetur solùm temporalis) 6. Senes nimia ætate perfecti, & viribus destituti. 7. Eunuchi seu Spadones testibus destituti 8. Hermaphroditæ. Hi omnes, quandonam vel qua de causa impotentes, & per consequens, inhabiles ad matrimonium habeantur, videri potest apud Clericatum *decis.* 32. *à n.* 8. ubi diffusè, & fundatè de hac materia discurrit.

Dices. At quid, si dubium oriatur, utrùm impotentia præcesserit matrimonium, an verò fuerit subsecuta?

255 R. Sanchez *lib.* 1. *disp.* 18. *n.* 6. & alii plures volunt, præsumendum esse, quòd sit orta post matrimonium; eò quòd in dubio semper sit standum pro valore actus, seu etiam matrimonii contracti, uti habetur *c. licèt ex quadam de Testibus*, & *Attest.* Verùm Bonacin. Laym. Engel, Reiffenst. cit. *tit.* 15. *n.* 48. probabilius existimant, præsumendum esse, quòd præcesserit; tum quia tunc solùm in favorem matrimonii pro hujus valore præsumitur, quando potest consummari, & obtineri finis matrimonii, nempe generatio prolis; tum etiam, quia per hoc consulitur bono prolis, & evitatur periculum incontinentiæ ex parte conjugis potentis, dum huic conceditur potestas transeundi ad alia vota. Idipsum præsumendum existimat Reiffenst. *lib. cit. n.* 29. Casu quo constat, impotentiam esse ortam ex maleficio, vel mutilatione membri &c. Sporer tamen *n.* 125. cum Gobat ait, in tali casu (ubi scilicet constat, impotentiam ortum trahere ex maleficio) minimè tutum, esse, ut separentur tales conjuges. Quare oportebit, ut in simili casu Confessarius cautè procedat, nihil auctoritate propria decidat, sed potiùs taliter dubitantes mittat ad RR. Consistorium, vel Consilium Ecclesiasticum. Vid. de hoc Gobàt. *tr.* 9. *à nu.* 410. Kugler *à n.* 2083.

Quær. 4. quinam defectu ætatis censeantur impotentes, ac proin inhabiles ad matrimonium?

256 R. Defectu ætatis impotentes censentur juvenes, qui nondum compleverunt annum decimum quartum, item fæmellæ ante completum annum duodecimum. Ita statuitur *c. continebatur.* Item *C. Attestationes de disponsat. impub.* Ratio autem est: quia Ecclesia pro inconvenienti habet, matrimonium contrahi ab iis, qui nondum pubertatem, & generandi potentiam assecuti sunt; atqui masculi ante completum annum 14. & fœmellæ ante annum duodecimum completum plerùmque non assequuntur potentiam generandi: ergo.

257 Hinc si impuberes attentent contrahere matrimonium de præsenti, nullus est contractus (nisi malitia supleat ætatem) immò tales probabiliùs peccant mortaliter contrahendo; quia in materia gravi agunt contra præceptum Ecclesiæ Basil. Pont. Hurtad. Clericat. *cit. n.* 38.

258 Dixi tamen per parenthesin: *nisi malitia suppleat ætatem*. Etenim, si certis constet indiciis, puerum, & puellam ante dictam ætatem, & usum rationis ad eum contractum ineundum sufficientem, & etiam pubertatem, seu copulæ carnalis potentiam affecutos esse, nequaquam à matrimonio repellendi erunt, ut cavetur *cap. de illis* 9. *cap. ult. de desponsat. impub.* Quo casu tamen licentia ab Episcopo

po (non, nisi ob urgentissimam causam danda) impetranda erit; secùs probabiliùs peccabunt mortaliter; quia Ecclesia tale matrimonium ob impubertatis tempus fieri prohibet graviter, nisi ob causam legitimè approbatam, utique ab Episcopo, inquit Sporer. *n.* 132. Vid. Kugler, *n.* 2117.

Quær. quintò, quo jure impotentia dirimat matrimonium?

259 R. 1. Impotentia proveniens ex defectu ætatis dirimit solùm jure ecclesiastico. Ratio est: quia ut jam superiùs notatum est, hæc impotentia est tantùm temporalis, & non perpetua: ergo sponsi impuberes possunt sibi tradere jus ad copulam aliquando saltem habendam. Quòd autem jure ecclesiastico dirimat, patet ex *c. Ubi. De despons. impub.*

260 R. secundò. Impotentia proveniens ex defectu corporis, dirimit jure naturæ, ideòque dispensari non potest. Ita *communissima DD.* apud Kugler *n.* 2047. Ratio irrefragabilis videtur hæc: quia de essentia contractus matrimonialis est, ut conjuges sibi tradant jus ad copulam, ideòque & corpora ad copulam, saltem aliquando exercendam apta: atqui impotens, hoc ipso quòd talis sit perpetuò (ut supponimus) nequit tradere corpus aptum ad copulam aliquando habendam: ergo &c. Qua ratione Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 416. meritò matrimonium cum impotente contractum, vocat chymericum.

Dices. Impotentia matrimonio superveniens, illud non dirimit: ergo de essentia matrimonii non est, ut conjux tradat, vel habeat corpus aptum ad generationem.

261 R. disting. conf. Non est de essentia matrimonii in facto esse, conced. De essentia matrimonii in fieri, neg. conf. Sic etiam ad matrimonium in fieri, seu, ut validè fiat, requiritur, ut sponsi non sint irretiti impedimento affinitatis & tamen affinitas superveniens matrimonio, illud non dirimit.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento impotentiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius viduus matrimonium celebravit cum Titia: post contractum animadvertit, se impotentem ad dimittendum semen intra vas, duravitque hæc impotentia ultra triennium, nec tolli potuit per media naturalia, neque per spiritualia, quamvis Titius interim non raro senserit se incalescere ad alias mulieres, & pollui in somno. Tandem re ad Ordinarium delata, matrimonium fuit declaratum nullum, & Titiæ data potestas transeundi ad alia vota. Unde contigit, ut Titius cum alia peccaret; & quia hanc impraegnavit, hinc vult eam ducere in uxorem. Quæritur proin, an possit, an verò teneatur redire ad priorem conjugem?

262 R. Non tenetur redire ad priorem, sed potest ducere secundam, quam impraegnasse fertur. Ratio est: quia pensatis omnibus circumstantiis in casu allatis, Titius respectu prioris fuit impotens ex maleficio: impotentia autem ex maleficio orta, si per media ordinaria, vel ordinarios Ecclesiæ exorcismos tolli nequeat, meritò censetur perpetua: ideòque dirimens matrimonium: ergo matrimonium cum Titia contractum ab initio fuit nullum, proindeque cogi non debet, ut ad priorem redeat, præsertim cum supponatur jam impraegnasse secundam, Sanchez *lib.* 7. *disp.* 94. Krimer *n.* 1311. & alii apud la Croix. *n.* 804. Clericat. *n.* 35.

263 Supponimus tamen in hoc casu, impotentiam ortum traxisse ex maleficio, quod post triennalem probationem nec per media naturalia, neque per spiritualia tolli potuit: si enim Titius etiam auctoritate ecclesiastica ob impotentiam, quæ credebatur esse naturalis, fuisset separatus ab uxore, & postea ratione fornicationis, inventus ut potens, & habilis ad usum matrimonii, absque dubio teneretur, & cogeretur redire ad priorem uxorem Ti-

tiam, etiamsi hæc interea jam aliud contraxisset matrimonium, & consummasset. Ita enim deciditur *c. Accepisti. c. Laudabilem. & c. Fraternitatis. de Frigid. & Malefic.* Ratio est: quia præsumptio debet cedere veritati: prius autem matrimonium fuit verum; quia impotentia nulla intercessit, ut supponitur, vel certè non perpetua: ergo. Vid. Sanchez, Filliuc. Laym. Gobat. *tr.* 9. *n.* 430. Kugler *n.* 2109. Aliter dicendum foret, si Titium inter & uxorem primam intercessisset impotentia perpetua respectivè talis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius pridie nuptiarum accessit Confessarium, fassusque est, se jam sæpius carnaliter cognovisse sponsam suam, nunquam tamen perfectè, eòquòd sub actuali congressu senserit insolitum quendum languorem corporis, & aversionem ab actu venereo, proptereàque se semper retraxerit sine ulla seminis effusione; quibus auditis Confessarius, putans Sempronium laborare impotentia, hunc dimisit ad proprium Parochum, mandans, ut huic rem totam sub Sigillo confessionis, aut certè sub Sigillo naturali concrederet. Jam dubitatur 1. *utrùm Confessarius bene fecerit?* 2. *utrùm D. Parochus audita re serie potuerit assistere matrimonio Sempronii?*

264 R. ad primum. Videtur Confessarius non bene fecisse dimittendo Sempronium ad Parochum. Ratio est: quia impotentia Sempronii non est certa, multò minùs certò perpetua, sed potiùs dubia. Et quamvis ex præfatis indiciis (judicio Zacchiæ Medici apud Clericatum *cit. n.* 10.) argui possit, Sempronium laborare impedimento frigiditatis; hæc tamen frigiditas videtur potiùs ab accidentibus, quàm à natura proveniens? quia, qui sunt natura frigidi (teste Medico cit.) non ambiunt copulam frequenter: atqui dubitans rationabiliter, an non sit potens ad matrimonium, licitè contrahit, juxta Sanchez, Tamb. Gobat, Sporer, Kugler, *n.* 1050. la Croix. *n.* 795. & alios: ergo Confessarius sine causa gravavit suum pœnitentem, eum dimittendo ad D. Parochum, præsertim cùm sine rubore, & propria confusione, non potuerit cuipiam aperire suum statum.

265 R. ad secundum. Potuit D. Parochus assistere matrimonio Sempronii; tum quia Sempronius potuit licitè contrahere, ut diximus; tum etiam quia matrimonium sine inconvenientiis, & sinistris suspicionibus in his circumstantiis differri non potuit, prout consideranti facilè patebit.

266 Quin immò, si Parochus hujus impotentiæ dubiæ notitiam habuit ex sola confessione pœnitentis, vel sub sigillo sacramentali, tenebatur assistere matrimonio; quia secundùm *communissimam DD.* notitia, ex confessione, vel sub sigillo confessionis sacramentalis comparata, in foro externo uti non licet, præsertim ubi ex hujusmodi usu pœnitens pateretur notam infamiæ, vel confusionis: ergo.

Dices: qui dubitat, an sit potens, eo ipso dubitare debet de valore matrimonii contrahendi: atqui dubitans de valore Sacramenti, nequit licitè contrahere; quia illud exponeret periculo nullitatis seu irreverentiæ: ergo &c.

267 R. dist. min. dubitans de valore Sacramenti, nequit contrahere, si possit facilè abstinere, & aliunde non sit præsumptio pro valore, con. si sit præsumptio pro valore, & nec facilè abstinere possit, prout fit in nostro casu, neg. Cum enim valde difficilè accidat, hujusmodi hominem adigere ad perpetuum cœlibatum, simulque dubitetur, an non sit potens ad matrimonium, ita ut hoc dubium vinci, seu deponi nequeat, nisi per experientiam; hinc stat possessio libertatis pro Sempronio; quandoquidem communiter loquendo quivis ex natura sit potens ad usum matrimonii. Et quamvis stante dubio practico illicitè contraheret, potest tamen tale dubium practicum prudenter deponere. Quare non video, cur deposito dubio illicitè contraheret: neque talis se exponit periculo peccandi formaliter, sed tantùm materialiter, prout patet in casu ubi post matrimonium contractum dubitatur, an impotentia præcesserit, an verò fuerit subsecuta. Vid. Card. *dissert.* 2. *à n.* 519. Viva *ad* 2. *propos. ab Innocent. XI. damnatam. n.* 31. Kugler *à n.* 1539.

CA-

CASUS TERTIUS.

Cajus fatetur, se jam à lungo tempore nunquam ampliùs perfecisse opus conjugale absque dispersione seminis. Causam hujus interrogatus, respondet, suam uxorem in proximo puerperio usque adeò esse destructam, ut ob corporis arctitudinem hactenus penetrari nunquam potuerit. Quæritur jam 1. quid de hoc matrimonio tenendum? 2. quid Cajo interroganti respondendum vel consulendum fuerit?

268 R. Ad primum, matrimonium subsistere validum; quia secundùm dicta *n.* 254. impotentia superveniens matrimonio, præsertim consummato, illud non dissolvit, juxta *communissimam DD.*

269 R. Ad secundum quæsitum. Si apparet spes aliquando perficiendi copulam, licitum est Cajo eam attentare, tametsi præter intentionem pollutio sequatur. Ita Cajetan. Navarr. Henriquez, Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 4. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 20. Ratio est: tum quia Cajus vacat operi licito, tentans, & procurans copulam sibi possibilem ac permissam, & præter intentionem sequitur externa illa effusio; tum etiam quia habet jus investigandi illud impedimentum, prout conceditur *cap. Laudabilem. de frigid. & malefici*: atqui non potest aliter investigare, nisi operi conjugali vacando: ergo. Addit Sporer, *n.* 127. pro praxi sequentia: „ insuper (ait ipse) „ nondum quidem legi, sed vir magnus, in „ praxi versatissimus mihi consulenti re- „ spondit, quòd si ex tali impedimento „ superveniente v. g. si uxor post puerpe- „ rium destructa, & arcta facta sit, & abs- „ que periculo secari nequeat, si saltem pars „ seminis subintrare possit, posse se excitare „ applicando, etsi major pars seminis effun- „ datur, dummodo aliquid intret, prout „ regulariter fit, attrahente matrice; sic „ enim in sequenti puerperio fortè reme- „ dium invenietur. Ita Sporer *l. cit.* Ex „ quo patet, quid Cajo respondendum vel „ consulendum sit.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

270 Colliges ex dictis 1. Matrimonium à sterilibus contractum valere. Ratio est: quia steriles possunt exercere copulam perfectam: quòd autem semen eorum non sit prolificum, est per accidens. Idem tenendum de matrimonio inito cum muliere, quæ semen viri recipere quidem, non tamen intra vas retinere potest; quia priùs quàm semen receptum rursus effundat, copula de se apta ad generationem jam fuit consummata, & perfecta; cui per accidens est, quòd semen rursus effundatur. Ita cum *comm. DD.* Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. Reinffest. la Croix *n.* 794.

271 Colliges 2. Matrimonia, quæ ab Eunuchis utroque teste carentibus contrahuntur, esse nulla & invalida. Ratio est: quia tales sunt impotentes ad copulam perfectam, quandoquidem careant vero semine. Ita decidit Sixtus V. Bulla. *cùm frequenter.* ut habetur *to.* 2. *Bullarii Rom. constitut.* 59. *dicti Pontificis*, potestque videri apud Sanch. Reinffest. Kugler, *num.* 2047. & alios. Nihilominus Spadones uno tantùm carentes teste validè contrahunt; eò quòd unus semen ad generationem sufficiens suppeditare queat, prout communiter fatentur DD Mastr. Herinc, Sporer, la Croix *n.* 789. Ubi subdit sequentia: Hermaphroditos contrahere posse secundùm sexum prævalentem, habetur *L. Quæritur ff. de statu hominum*: si neuter sexus prævaleat, datur optio, si jurent se permanere velle in eo sexu. Valet tamen, si conjuge mortua mutent. Vide Sporer *à n.* 134.

Dices. At quid, si contingat virum post matrimonium jam contractum castrari, seu privari utroque teste, licebitne huic vacare operi conjugali?

272 R. Probabiliter licere putat Sanch. *lib.* 7. *disp.* 102. *nu.* 7. Laym. cit. *n.* 2. Palao, VViestner, Reinffest. Schmalzg. *tit.* 13. *num.* 50. contra Dicastill. Dian. & alios oppositum censentes, quorum opinio videtur longè probabilior. Sanchezii autem ratio est: quia talis vir utitur jure suo

Ee 2 semel

semel aquisito ; quòd autem semen verum emittere non valeat , est per accidens : quemadmodum ergo usus conjugii interdici non posset, nec deberet, si apertè constaret , viri semen ex morbo esse corruptum , vel sterile , vel si copulam velit habere prope tempus partus , ubi non est possibilis generatio ; ita nec in tali casu prohibendus videtur , præsertim cùm in tali congressu salvetur finis saltem secundarius matrimonii, dum sedatur ardor concupiscentiæ, & simul præcavetur periculum incontinentiæ. Vid. Sanch. *l. cit.* Kugler. *n.* 2082.

Dices iterum. Sed quid tenendum de matrimonio à seniculis, & viribus exhaustis contracto?

273 R. Cum distinctione, Si enim tales sint, ut vel natura, vel saltem arte calere possint ad coitum, validè contrahunt; quia hoc ipso fieri possunt una caro, nec impotentia laborant. Sin autem nec natura, nec arte ampliùs excitari queant ad habendam copulam perfectam, eo ipso velut inhabiles & impotentes validè non ampliùs possunt contrahere. Ita Castrop. *hic punct.* 14. §. 2. Aversa, Krimer, Kugler & alii apud la Croix *n.* 791. contra nonnullos oppositum censentes.

Dices. Qui ex morbo ita languet, ut nequeat habere copulam, nihilominus validè contrahit v. g. ad emendandum affectum concubinarium, vel prolem legitimandam: ergo etiam talis senex licèt nec natura, nec arte ampliùs calere possit. &c.

274 R. Neg. conf. quia impotentia talis infirmi ex genere & modo suo non est perpetua, prout est in seniculo. Si tamen vis morbi ita destruxisset potentiam generandi in ægroto, ut nullo medio ordinario reparari posset, pariter dicendum foret, matrimonium ab illo contractum vel contrahendum, nullum fore. *Vid. DD. citt.* Kugler à *n.* 2029.

275 Colliges tertiò, casu quo certò constaret, matrimonium ab utroque, vel uno saltem perpetuò impotente contractum fuisse, hujuscemodi conjugibus *per se loquendo* esse intimandam nullitatem matrimonii, atque interdicendum omnem usum venereorum; quia talibus utpote merè solutis, plus non licet, quàm aliis solutis. Aliter discurrendum est de conjugibus, quibus post matrimonium validè initum, primùm supervenit impotentia perpetua; talibus enim utpote veris conjugibus propter jus semel acquisitum liciti sunt tactus & oscula, ad declarandum affectum conjugalem, vel ad sedandam nonnihil concupiscentiam, dummodo absit periculum pollutionis, etiam ligatis semper illicitæ. Vide Sporer, cit. *n.* 127. Illsung. *tr.* 6. *disp.* 9. *n.* 123.

Signanter tamen dictum est, conjugibus, qui cum impotentia perpetua contraxerunt, *per se loquendo* intimandam esse nullitatem, & interdicendum usum venereorum. Rationes hujus limitationis dabimus inferiùs *n.* 338. *& seqq.*

276 Dices adhuc. Quid si autem conjuges post matrimonium contractum dephehendant se impotentes ad consummandum, simulque dubitent, sitne talis impotentia perpetuò duratura, nec ne?

277 R. Conjugibus rationabiliter dubitantibus an laborent impotentia perpetua, per *c. laudabilem. de frigd. & malefic.* permitti triennium ad tentandum & experiendum. Quin immò, quamdiu apparet probabilis spes aliquando consummandi, & perficiendi copulam, licet ipsis tentare, tametsi præter intentionem pollutio, seu effusio totius seminis extra vas contingat, ob rationes *num.* 569. allatas. Insuper notant Laym. hic *c.* 12. ConincK, Salmanticenses, & alii apud Clericat. *decis.* 32. *num.* 43. in conjugibus, qui ob naturæ imbecillitatem sunt inhabiles ad perfectè consummandum matrimonium, exspectandum esse tempus plenæ pubertatis, quæ secundùm jura contingit Masculis decimo octavo, fœmellis autem decimo quarto anno, & ab hoc tempore numerandum triennii spatium, quo elapso, si nulla appareat spes consummandi, vel separandi erunt, vel si absit periculum incontinentiæ (quod tamen præsertim in junioribus vix aut rarò aberit) permittendum, ut per modum fratris ac sororis, absque omni usu venereorum cohabitent, si nolint separari.

278 Colliges tandem quartò, validè contrahi matrimonium à muliere, quæ longa expe-

experientia didicit, se nunquam peperisse sine periculo vitæ, aut nunquam genuisse prolem vivam. Ratio est: quia talis mulier non est impotens ad usum matrimonii, quippe quæ, ut casus fert, jam sæpiùs concepit. Major est difficultas & quæstio, an talis mulier licitè contrahat? Negat hoc Bossius apud Tambur. *tr. 1. c. 13. §. 2. n. 12.* aliique plures. Verùm Sanchez. *lib. 7. disp. 120.* Sporer *n. 122.* Tamburinus & alii meliùs affirmant, & tenent, talem mulierem non peccare, si viro scienti & consentienti nubat. Ratio est: quia talis mulier nec viro, nec sibimet, utpote consentientibus facit injuriam; nec proli, quippe cui meliùs est aliquanto saltem tempore fuisse, quàm nunquam, tum etiam quia valde durum est negare tali mulieri remedium concupiscentiæ, scilicet matrimonium, in hunc finem saltem secundariò institutum à Christo Domino, & eam compellere ad remedium duræ mortificationis & extraordinariæ, causa supprementdi stimulos carnis; nam neque infirmum, ut vitam servet, obligamus ad remedium admodùm difficile conquirendum vel sustinendum, ait Sporer cit.

Ex quo bene infert P. Kugler *n. 2046.* quòd talis fœmina debitum & petere, & reddere possit, immò etiam teneatur reddere viro petenti; cùm miseriæ suæ conscia, nihilominùs ad hoc se obligaverit. Secùs dicendum foret, si ignara sui defectus & periculi pariendi bona fide contraxisset ut videbimus *n. 398.* Vid. *DD. cit.* Herincx. *hic disp. 6. à n. 95.* Scot. 4. *dist. 32.*

CONFERENTIA

DUODECIMA.

De Impedimentis dirimentibus Clandestinitatis, & Raptus.

SUMMARIUM.

279 *Clandestinitatis oritur ex defectu Parochi & Testium assistentium.*

280 *Ecclesia per hoc non mutavit directè Sacramentum.*

281 *Ad valorem Matrimonii requiritur assistentia proprii Parochi;*

282 *Qualis censetur esse Parochus domicilii.*

283 *Sponsi ex diversis Parochiis coram utrolibet validè contrahunt: an etiam licitè?*

284 *Parochus facultatem assistendi potest alteri, sed Sacerdoti duntaxat, delegare.*

285 *An idem valeat Capellanus?*

286 *Præter Parochum debent simul assistere duo testes cujuscunque demum sint conditionis.*

287 *Debent autem non tantùm physicè, sed & moraliter esse præsentes.*

288 *Matrimonia hæreticorum coram Prædicantibus contracta, valida censent multi Doctores.*

289 *Oppositum tamen videtur probabilius.*

290 *Raptus est violenta abductio fœminæ de loco in locum causa Matrimonii contrahendi.*

291 *Quid si posteà consentiat talis Fœmina?*

292 *Si fœmina raperet virum, probabiliter non obstaret valori Matrimonii.*

293 *Resolvitur Casus I. de Ministro Episcopi, qui coram alieno Parocho contraxerat, asseverans, à suo Domino sibi esse concessam hanc facultatem.*

294 *Tametsi dubitetur, an Episcopus dederit licentiam &c. fœminæ tamen, non ampliùs licet resilire; & quid agendum?*

295 *Resolvitur Casus II. de studioso, qui cum sua sponsa contraxit coram D. Parocho Viennensi, falsò dictitans, se esse Viennensem.*

296 *Si illuc perrexisset animo quærendi conditionem &c. matrimonium subsisteret.*

297 *Resolvitur Casus III. de Catholico, qui cum acatholica coram Prædicante matrimonium non solùm illicitè, sed invalidè contraxit.*

298 *An huic potuerit permitti transitus ad secunda vota?*

299 *Et quid, si tam sponsus, quàm sponsa fuissent acatholici?*

300 *Matrimonium sine Parocho contractum à Per-*

à Personis habitantibus in loco, ubi Tridentinum nunquam fuit promulgatum, aut receptum, valet.

301 *Non tamen valeret, casu quo sponsi è loco recepti Tridentini exirent ad alium locum, ubi non est receptum, præcisè animo ibi clandestinè contrahendi.*

302 *Respondetur cuidem instantiæ.*

303 *Christiani, degentes in partibus Infidelium, vel in loco, ubi Parochum habere nequeunt, absque illo validè contrahunt.*

304 *Coram quo contrahere debeant Milites?*

305 *Non obstat valori, tametsi Parochus & Testes inviti assisterent.*

306 *Assistentibus Matrimonio est cautè procedendum, præsertim si sponsi sint vagabundi.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè resolvendos Casus de impedimento Clandestinitatis, & Raptus.

279 QUæres primò. Quid sit impedimentum clandestinatitatis, & quo jure dirimat matrimonium?

R. Est obstaculum matrimonii, ortum ex defectu Parochi & testium; etenim matrimonia clandestina appellari solent, quæ clam, seu clanculario, & quasi in occulto sine præsentia Parochi & testium contrahuntur: talia autem matrimonia, licèt S. M. Ecclesia semper sit detestata, ob ingentia mala, puta perpetuos concubinatus &c. & similia inde non rarò orta, olim tamen valebant: verùm in Concilio Trid. jam totaliter cassata & annullata sunt sequenti constitutione *SS. 24. de Reform. matr. c. 1.* ubi dicitur: *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Ex quo patet, hoc impedimentum jure tantùm Ecclesiastico introductum, ideòque dispensabile esse à summo Pontifice, prout tenent *communissimè DD.*

Dices. Ecclesia nequit instituere, immutare, vel etiam irritare Sacramenta: ergo nec contractum matrimonii, quippe cui ex institutione Christi Domini fuit annexa ratio Sacramenti.

280 R. permiss. ant. neg. conf. Christus enim Dominus non cuilibet contractui annexuit rationem Sacramenti, sed solùm contractui legitimo, id est, secundùm leges inter fideles, & personas habiles celebrato; quænam autem personæ habiles, vel quis contractus esset legitimus, non determinavit, sed potiùs determinandum reliquit Ecclesiæ: hinc potuit Ecclesia ad publicam utilitatem animarum matrimonia clandestina infirmare, & fideles ad sic contrahendum inhabiles reddere, quemadmodum & Respublica civilis contractus quosdam v. g. pupillorum, vel simpliciter, vel si certa solemnitate sint destituti, irritos, aut certè irritandos decernit, tametsi spectato jure naturæ irriti & illiciti non essent. Neque ex hoc Ecclesia directè mutat, aut annullat Sacramentum, sed solùm indirectè, quatenus ad contractum legitimum requirit certas solemnitates, & ad aliter contrahendum personas reddit inhabiles. Vide Kugler. *n.* 863. Spor. *n.* 32.

Quær. secundò. Cujusnam Parochi assistentia sit necessaria ad valorem matrimonii?

281 R. Requiritur assistentia Parochi proprii; quia ut post alios notat Schmalzgrueb. *lib. 4. tit. 3. n.* 134. Concilium Trid. loc. suprà relato eundem Parochum requirit ad assistendum matrimonio, quem requirit ad illud denuntiandum: ad denuntiandum autem requirit Parochum proprium: ergo &c. Validè tamen assisteret Parochus proprius, tametsi esset suspensus, vel interdictus, vel etiam excommunicatus, vitandus, Schismaticus, &c. dummodò non sit actualiter depositus vel privatus beneficio. Ratio est: quia assistentia hæc non est actus jurisdictionis vel administrationis Sacramenti, cùm etiam ab invito vel coacto validè præstari possit; sed est actus te-

testimonii ex juris dispositione requisitus: ergo quamdiu verus Parochus manet, matrimonio validè assistere, & auctoritatem præbere potest. Spor. *n.* 362. Laym. Aversf. Krimer, Castrop. & alii apud la Croix. *n.* 729.

Dices. Quisnam ergo censetur Parochus proprius contrahentium?

282 R. Parochus domicilii, in cujus scilicet Parochia contrahentes habent domicilium, vel quasi domicilium: in illa autem Parochia censentur habere quasi domicilium, in qua cogitant habitare vel perpetuò, vel saltem per majorem anni partem, ait Gobat. *tr.* 9. *n.* 486. Ratio est: quia Tridentinum requirit Parochum proprium: talis autem est Parochus domicilii, utpote ratione cujus quis Parochianus efficitur juxta *cap. ult. de Paroch.* ergo. Bosco *de Matr. disp.* 11. *n.* 388. Perez, Sanch. Schmalzgrueb. aliique communiter. Ex quo Reinffest. *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 58. Schmalzgr. cit. la Croix. *n.* 719. & alii inferunt, non sufficere assistentiam Parochi Originis, nisi in tali loco contrahentes habeant domicilium, vel animum ibi habitandi. Ratio est: quia ille solus censetur Parochus proprius, à quo quis alia Sacramenta v. g. pœnitentiæ &c. recipit, & qui potest alteri dare licentiam ad eadem suis Parochianis administranda, *cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.*: atqui talis est Parochus domicilii: ergo. Unde Congregatio Cardinalium, ut videre est apud Bosco. *cit. n.* 400. decidit, illum esse proprium Parochum, *in cujus Parochia contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur.*

Dices rursus. Ad quid, si contracturi spectent ad diversas Parochias vel Diœceses?

283 R. Cum Bosco, Navarro, Pirrhing & aliis apud Reinffest. *cit. n.* 56. tales coram utrolibet ex duobus contrahere posse. Ratio est: quia contractus matrimonialis est individuus, & non, nisi inter duas personas consistere potest; consequenter si quis ut Parochus proprius matrimonio unius potest assistere, potest etiam assistere matrimonio alterius cum eodem contrahentis. Quin etiam Pignatellus, Fagnanus *c. quod nobis. de clandest. despons.* *n.* 33. & alii, plures referunt declarationes Cardinalium, quibus dicitur, valere matrimonium, licèt in Parochia sponsæ contrahant coram Parocho sponsi. Posset tamen (ait rectè la Croix *n.* 716.) Ordinarius circa ista aliquid præcipere, quod observandum esset, quamvis non de valore. Idcirco Reinffest. aliique monent, in praxi observandam esse ordinationem proprii Ritualis Diœcesani. Quare cùm in hac Diœcesi nostra Passaviensi vi constitutionum generalium ordinatum sit, ut sponsalia coram Parocho sponsæ, matrimonium verò coram Parocho sponsi contrahatur, censeo, ab hac laudabili consuetudine absque urgentissima causa non recedendum, nec quovis modo contraveniendum.

Quær. tertiò. Utrùm Parochus hanc suam potestatem assistendi matrimonio possit delegare alteri, & cui?

284 R. Potest delegare alteri, sed Sacerdoti tantùm, non verò Diacono vel Subdiacono. Ratio desumitur ex Trid. suprà relato, ubi dicitur: qui aliter, quàm præsente Parocho, vel *alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia* contrahere attentabunt &c. ergo hoc ipso supponitur, & conceditur Parocho licentia delegandi, & substituendi alium Sacerdotem.

Dices. Potestne etiam Cooperator vel Capellanus hanc licentiam matrimonio assistendi alteri Sacerdoti delegare.

285 R. Cum distinctione. Si enim supponatur Capellanus, qui non habet potestatem universim assistendi, sed solùm delegatus pro aliquo certo actu v. g. matrimonio Titii, nequit hanc potestatem alteri delegare; quia delegatus ad actum particularem (saltem regulariter loquendo) non potest subdelegare. *cap. cùm causam. 62. de appellat.* Si verò Cooperator sit talis, cui vicecura fuit commissa ab Ordinario, vel etiam ab ipso Parocho, licèt ad paucos duntaxat dies, aut si sit Vicarius Parochi, potest alteri Sacerdoti hanc suam potestatem delegare. Ratio est: quia delegatus ad universitatem causarum, sive ad omnes causas, saltem in certo genere v. g. matrimonii potest subdelegare, dummo-

do subdeleget ad actum particularem. Kugler *n.* 330. Aversf. Krimer. *n.* 681. la Croix. *n.* 734.

Quær. quartò. Quot & quales testes sint necessarii ad hoc, ut matrimonium subsistat?

286 R. Præter Parochum requiruntur alii duo vel tres testes, prout patet ex constitutione Concil. Trid. relata *n.* 279. qui debent simul interesse; quia debent ita intresse, ut de uno eodemque contractu matrimoniali testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul præsentes existant, ut notant Sanch. Bosco, Perez, Reiffenst. *n.* 107.

Quia tamen Concilium memoratum non requirit in testibus aliquam specialem qualitatem, hinc communissimè inferunt DD. quosvis rationis compotes, etiam pueros, fœminas, consanguineos, Religiosos &c. assumi posse in testes matrimonii. Vid la Croix *cit. à n.* 758.

Quæres quintò. Qualiter Parochus, & testes debent esse præsentes?

287 R. Debent esse præsentes non tantùm physicè, sed etiam moraliter, ita, ut advertant, & intelligant, quid agatur. Ratio est: quia debent esse ita præsentes, ut possint authenticè testari de contractu matrimonii: atqui si non intelligant, quid agatur, nunquam poterunt testari, nec censentur fuisse præsentes; quia ut dicitur. *L. coram ff. de verbor. signif. coram Titio aliquid facere jussus, non dicitur eo præsente fecisse nisi is intelligat:* ergo. Barbos. Sanchez. *lib.* 3. *disp.* 30. *n.* 1. & alii communiter.

Quær. sextò. Quid tenendum de matrimoniis ab hæreticis coram suis Prædicantibus contractis in illis locis, ubi Concilium Trid. promulgatum & receptum est, v.g. Augustæ, Ulmæ, Ratisbonæ, Memingæ, Campidonæ &c.

288 R. 1. Quamplures etiam gravissimi DD. probabile tenent, hujusmodi matrimonia valere. Ita March. Thannor. Laym. Dicastill. Habsenf. Schmalzgr. Sporer, Kugler, & novissimè P. Pichler in suo jure Canon. Ducuntur sequentibus potissimùm rationibus. 1. Quia hæretici per contrariam consuetudinem videntur jam præscripsisse, & abrogasse Constitutionem Trid., dissimulantibus id Pontificibus. 2. Quia si talia matrimonia dicantur nulla, maxima inde sequentur absurda, ut puta quòd hæreticorum proles sint illegitimæ, item quòd si convertantur ad fidem Catholicam possint ab invicem divelli, immò debeant, si de novo non contrahant coram Parocho Catholico: at hæc sunt contra praxin Ecclesiæ; quia conversi ad fidem non permittuntur invicem se deserere, nec coguntur de novo contrahere; quod tamen deberet fieri. 3. Quia multi in talibus locis contrahentes invincibiliter ignorant hoc decretum Tridentini, putantes bona fide suum Pastorem esse legitimum Parochum: ergo saltem istorum matrimonia erunt valida.

289 R. secundò. Videtur probabilius, hujusmodi matrimonia ab hæreticis coram suis Prædicantibus contracta in locis ubi Tridentinum promulgatum & receptum est, esse nulla. Ita Suarez, Præpos. Less. Pignat. Tam. Gobat, Krimer & cum aliis pluribus la Croix. *n.* 772. Mezger, Schmier. Oberascher apud Babenstub. *tr.* 8. *p.* 7. *disp.* 2. *art.* 5. *n.* 12. Reiffenst. *lib.* 4. *tit.* 3. *à n.* 140. Bosco cit. *n.* 133. Herincx hìc *disp.* 5. *n.* 10. & alii quamplures. Ratio hujus opinionis est: quia secundùm dicta superiùs *n.* 73. etiam hæretici per se loquendo obligantur legibus Ecclesiasticis, æquè ac alii subditi, rebelles legibus suorum superiorum. Nec est, cur Pontifex ipsis condescendat; quia ut dicit Trid. *cit. c.* 5. *non est dignus qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria monita temerè contempsit*: profectò nec ipsimet Principes acatholici approbarent matrimonia contra suas leges à subditis rebellibus inita, ait Gobat. *tr.* 9. *num.* 462. Ad rationes pro opposita sententia R. ad primam dicendo, hæreticorum consuetudinem esse illegitimam, nec habere vim irritandi constitutionem Trid. ut jam superiùs *numer.* 73. notatum fuit. Ad 2. dicimus nullum sequi absurdum (nisi fortè ex malitia acatholicorum rebellium; quod est legi per accidens) nam 1. Eorum liberi possunt haberi pro legitimis saltem in foro politico; quia ad hoc sufficit, quòd sint prognati ex matrimonio tolerato, &

habi-

habito pro legitimo in foro fori. 2. Quòd autem conversi ad fidem non soleant separari, nec cogantur de novo contrahere, inde fit: quia saltem probabile est juxta plurimorum opinionem, eorum matrimonium valuisse, sin minus in ratione sacramenti saltem in ratione contractus civilis; quare ex post facto videtur potiùs præsumendum, & standum pro valore actus; quamvis si Curia Romana hac super re interrogaretur, aliter responderet, ait la Croix *n.* 767. mox subjungens *num.* 770. Tutius tamen erit, eos (hæreticos scilicet ad fidem conversos) adducere, ut obtenta dispensatione in impedimentis, si quæ adsint, contrahant de novo coram Parocho Catholico & Testibus, ne se exponant periculo materialis fornicationis. Ad tertiam rationem dicendum, quòd licèt ignorantia invincibilis excuset à peccato, non tamen potest eos reddere habiles ad contrahendum, quos Ecclesia inhabilitavit, prout patet de consanguineis contrahentibus matrimonium, cum ignorantia etiam invincibili impedimenti.

Quær. Tandem septimò, quid sit impedimentum Raptus.

290 R. Raptus propriè dictus, prout est impedimentum jure novo dirimens matrimonium, *est violenta abductio fœminæ de loco ad locum, causa Matrimonii contrahendi*. Ita Herincx, Mastr. 4. *disp.* 7. *num.* 403. Clericatus *decis.* 33. *nu.* 8. Kugler *n.* 1124. & alii pures. Ubi communiter notant, ad incurrendum hoc impedimentum requiri tres conditiones. 1. ut inferatur violentia, & quidem 2. ipsi fœminæ. 3. ut hæc inferatur ex fine contrahendi matrimonium. Ratio est: quia Concilium Trident. per suum decretum annullando hujusmodi matrimonia nihil aliud intendit, quàm ut libertati matrimonii consuleret: atqui si nulla inferatur violentia Puellæ in ordine ad contrahendum matrimonium, sed ipsa sponte consentiat, jam nihil præjudicatur libertati: ergo ex mente Tridentini non incurritur hoc impedimentum.

Dices. At quid, si Puella violenter rapta postea liberè consentiat in matrimonium cum Raptore?

291 R. Cum distinctione. Si enim semper manserit sub potestate Raptoris, nec parti reddita tutæ, matrimonium nullum erit, prout innuitur versu suprà *n.* 72. allato: validum autem erit, si semel in loco tuto, ubi liberè abire potuisset, fuit collocata, & illa nihilominus consentiat. Ita *communis*.

Dices adhuc: quidsi verò fœmina raperet virum, valeretnè matrimonium?

292 R. Probabiliùs valeret; quia Trid. solùm loquitur de Raptoribus, non verò de Raptricibus: nec solent leges statui de casibus rarissimis, qualis est hic, quòd fœmina rapiat virum. Quare cùm hoc decretum Concilii sit correctivum juris antiqui, simulque pœnale, non est extendendum ad fœminam Raptricem viri. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 13. *numer.* 16. Herincx, & alii plures apud Spor. *citat.* contra Mastr. & alios.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de impedimento Clandestinitatis.

CASUS PRIMUS.

Titius cujusdam Principis & Episcopi Minister venit ad D. Parochum, asseverans jurejurando, sibi à suo Celsissimo vivæ vocis oraculo concessam fuisse potestatem, coram quolibet Parocho contrahendi cum sua sponsa, proindeque petiit ab eodem Domino Parocho, utpote sibi familiarissimo copulari; quod & factum. Verùm, ubi Episcopus id rescivit, improbavit factum, & D. Parochum suspendit ab Officio, protestatus, sibi non constare de data Titio licentia. Hinc & Titia incultos viri mores jamjam exosa, voluit à matrimonio, licèt jam consummato, resilire. Quæritur jam 1. quid de valore hujus matrimonii tenendum? 2. An Titia potuerit salva conscientia resilire, vel permittendum fuerit?

293 R. Ad primum cum distinctione. Dato enim, quòd Episcopus re ipsa dederit li-

licentiam Titio, tametsi modò non ampliùs recordetur, matrimonium valebit; quia Episcopus potest hanc facultatem delegare cuilibet Sacerdoti, prout clarè patet ex verbis constitutionis Tridentinæ: atqui si Titio concessit facultatem coram quolibet contrahendi, eo ipso indirectè censetur potestatem assistendi delegasse illi Sacerdoti, quem Titius elegit: ergo matrimonium est validum. Secùs dicendum foret, si Episcopus Titio talem licentiam nunquam concessisset.

294 R. Ad secundum, Titiam non potuisse resilire, neque hoc permittendum fuisse; quia cùm dubitetur, utrùm Episcopus non concesserit licentiam, eò ipso dubitatur, utrùm matrimonium non sit validè contractum: atqui in dubio de valore matrimonii jamjam contracti, præsumendum est, & standum pro valore actus, præsertim in casu, ubi nulla stat præsumptio pro impedimento, & nullitate matrimonii: ergo etiam in nostro casu standum ac præsumendum est pro valore actus; cum aliunde constet, matrimonia semel cosummata sine scandalo, vel periculo prolis vix, aut ne vix quidem dissolvi posse. Quia tamen præsumptio hæc posset fallere, dato, & supposito, quòd non sit concessa Titio licentia, hinc meritò, & sapientissimè in nostro casu ordinatum, & mandatum fuit, ut memorati conjuges iteratò contraherent seu consentirent coram proprio Parocho. Videri etiam de hoc potest Carden. *dissert.* 2. *à nu.* 543. la Croix *n.* 736. & 417.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cujusdam Universitatis studiosus pro Pallade sibi desponsaverat Semproniam; ne autem contrahendo in eodem loco condiscipulorum suorum ludibrio sese exponeret, perrexit Viennam, animo ibidem contrahendi, simulque de famulitio, seu, ut vocant, conditione sibi providendi. Accessit proin Parochum Viennensem, petens copulari; & ut faciliùs impetraret petitum, dictitabat (sed falsò) se & Viennensem esse, & cuidam Comiti sua locasse servitia; qua ratione assistentiam Parochi haud difficulter obtinuit. Quia tamen congruum sibi servitium impetrare non potuit, hinc in Patriam cum Sempronia redire coactus fuit: jam verò agitatus stimulis conscientiæ dubitat, & quærit de valore sui matrimonii. Quid interroganti respondendum?

295 R. Matrimonium valuisse. Ratio est: quia ut casus fert, Sempronius perrexit Viennam animo ibidem acquirendi conditionem, seu servitium: ergo etiam animo ibi habitandi, & figendi *quasi domicilium*: at, qui figit in loco domicilium, vel quasi domicilium, sortitur eo ipso Parochum, & potest ibidem etiam prima die (cæteris suppositis) contrahere matrimonium, ut habetur *c. ult. de Paroch. suprà relato*, & cum aliis docent Sanchez, Pont. Gobat. *tr.* 9. *n.* 483. Kugler. *num.* 301. Laym. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. la Croix *numer.* 722. ergo.

Dices. Quidsi autem Sempronius non habuisset animum habitandi Viennæ sed quærendi conditionem & domicilium, ubicunque demum locorum congruum reperiret?

296 R. Ex hac hypothesi Sempronius fuisset vagabundus: vagabundi autem loco Parochi domicilii sortiuntur Parochum hospitii, & possunt ubique validè saltem contrahere: ergo Viennæ adhuc validè contraxisset matrimonium. Sanchez, Lessius, Pirrhing, Kugler, *num.* 304. la Croix *nu.* 746. & 747. Illsung. *tr.* 6. *disp.* 9. *num.* 117.

CASUS TERTIUS.

Cajus Catholicus in quadam civitate Imperii, ubi Catholici permixti vivunt cum acatholicis, contraxit matrimonium cum Caja acatholica, & quidem coram pseudo-pastore Prædicante: quia verò post annum circiter fregerat tori fidem, peccando cum alia; hinc Consistorium lutheranum declaravit Cajam à lege viri solutam, fecitque potestatem transeundi ad alia vota. Unde jam quæritur 1. an Cajus coram Prædicante potuerit licitè, vel saltem validè contrahere? 2. utrùm Cajo possit indulgeri licentia ducendi aliam,

aliam, præsertim cùm nulla huic ampliùs affulgeat spes perveniendi ad priorem, utpote jam alteri nuptam?

297 R. Ad primum. Cajus non tantùm illicitè, sed etiam invalidè contraxisse videtur. Ratio est: quia secundùm constitutionem Tridentinam tenebatur, contrahere coram proprio Parocho: proprius autem Parochus Caji non fuit Prædicans, sed Catholicus & verus animarum Pastor, à quo tenebatur etiam reliqua Sacramenta suscipere. Nec ullibi constat, quòd Ecclesia cum similibus Catholicis, qui coram legitimo Parocho facilè possent contrahere, velit dispensare. Ex quo facilè patet, quòd & illicitè coram Prædicante contraxerit; quia frustravit Sacramentum. Vid. Less. *in auctar. Verb. Hæret. Conversatio cum Catholicis. cas.* 24. 25. & 26. Gobat. *tract.* 9. *num.* 472. & *512. la Croix *num.* 771. item 782.

298. R. Jam ad secundum, potuisse permitti Cajo, ut & ipse transiret ad secunda vota. Ratio est: quia secundùm dicta, prius matrimonium certò videtur fuisse nullum. Qua ratione attestante simul, & approbante Gobat *cit. n.* 537. à Reverendissimo quodam Consistorio declaratum est, matrimonium fuisse nullum illorum sponsorum, qui cùm à proprio Parocho Catholico obtinere non potuissent, ut eo, quo volebant, tempore copularentur, excurrerant ad Pagum Lutheranum, ibique à Prædicante copulati sunt. Suadendum tamen erit Cajo, ut ad evitanda scandala, & alia inconvenientia, à summo Pontifice, vel certè ab Episcopo petat authenticam declarationem nullitatis prioris matrimonii, licentiamque impetret transeundi ad secunda vota. Vid. Schmalzgr. hìc *num.* 115.

299 Notandum insuper est, hìc fuisse sermonem de casu, quo vel uterque, vel unus saltem sponsorum Catholicus contraxit coram Prædicante. Etenim si sponsi supponantur fuisse acatholici, putat la Croix *cit. num.* 773. permitti non posse ab Ordinario, ut dissoluto priori connubio transeant ad alia vota: eò quòd prius matrimonium coram Prædicante contractum probabiliter fuerit validum, ideoque standum videatur pro illius valore. Nec refert illud fuisse à Consistorio acatholico dissolutum; quia talis dissolutio fuit nulla, inquit Doctor *cit.*

Veruntamen non dubito ego, quin si altera pars volens amplecti fidem Catholicam, in tali casu aspiraret ad alia vota, Roma saltem impetrare posset declarationem nullitatis prioris matrimonii; quandoquidem Reinffest. *cit. tit.* 3. *à nu.* 132. & *seqq.* Matthæucci *in sua Cautela. l.* 4. *c.* 8. *à num.* 101. & alii plures referant declarationes authenticas Cardinalium, quibus hujusmodi matrimonia declarata fuerunt ut nulla & invalida.

Confirmor ampliùs ad hoc asserendum ex resolutione data à S. Pœnitentiaria Romana anno circiter 1718. ad sequentem casum. Claudius natus & educatus in hæresi Lutherana, despondit sibi Bertam pariter hæreticam, coram Prædicante suo tunc ordinario, cui per aliquot annos conjugaliter cohabitavit. Cum tempore Claudius abjurata hæresi ad gremium Romanæ Matris se recepit, propter quod repudiatus fuit ab uxore, quæ post annum, annuente hæretico Ministerio, alteri nupsit. Hinc Claudius Cajam sibi junxit, & in quadam Imperii Urbe fixit domicilium, verus Maritus hujus putatitiæ suæ Conjugis habitus, ex qua aliquot proles suscepit. Tandem conscientia urgente quæsivit remedium, & re tota ad S. Pœnitentiariam Romanam delata invenit sequens. Petebatur ex memorata Pœnitentiaria 1. An in illo loco, ubi matrimonium contractum est, Concilium Tridentinum sit receptum? 2. An Claudius inter hæreticos natus & educatus, coram Prædicante Ministro hæretico contraxerit? 3. An Lutherani in his partibus matrimonium habeant, & agnoscant Sacramentum? Ad primum & secundum responsum est affirmativè. Ad tertium verò negativè. Proindeque Roma rescriptum, quòd matrimonium cum Berta, *quia Clandestinum*, secundùm Tridentinum per se fuerit nullum, proptereaque Claudio permissum ut cum Caja putativa conjuge coram suo Parocho & Testibus consentiat, in occulto tamen, ut ipsius famæ

mæ consuleretur, & ne esset scandalo suis concivibus. Ita mihi vir quidam fide dignissimus retulit, qui rei totius (ut narratur) seriem de ore ipsius R. D. Parochi huic secundo matrimonio assistentis, exceperat. Subsummo jam : atqui si Pœnitentiaria Romana agnosceret hujusmodi matrimonia ab hæreticis coram suis Prædicantibus contracta esse valida, vel tanquam valida agnosci ab Ecclesia, certò nunquam permisisset Claudio, ut transiret ad secunda vota; quia non potest dispensare in impedimento ligaminis : ergo &c.

§. III.

Corollaria ex Dictis inferenda.

300 Colliges ex dictis 1. Matrimonium à Personis habitantibus n loco, ubi Tridentinum quoad præsens punctum nunquam promulgatum, aut receptum fuit, contractum sine Parocho & testibus, esse nihilominùs validum. Ratio est : quia Concilium cit. expressè declarat, hoc decretum non obligare, *nisi post triginta dies à publicatione ejus*; ergo in loco ubi nunquam promulgatum est, non obligat, ac proinde tam Incolæ illius loci, quàm advenæ, vel potiùs vagabundi, poterunt validè contrahere sine Parocho & Testibus. Econtra si Concilium Trident. in aliquo loco promulgatum sit & receptum, invalidè contrahitur matrimonium sine assistentia proprii Parochi, tametsi contrahentes invincibiliter ignorent dictam constitutionem; quia, ut dictum est *num.* 289. Ignorantia etiam invincibilis non reddit Personas habiles ad contrahendum. Ita *communis DD.* apud Sanch. ConincK, Reinffest. Kugler *num.* 868. & alios.

Dices. At quid si sponsi exeant ad alium locum, ubi Tridentinum non est promulgatum vel receptum, ibique matrimonium clandestinè contrahant, eritne validum?

301 R. Cum distinctione. Si enim exeant præcisè animo ibi contrahendi, & denuo revertendi ad suum domicilium, matrimonium erit nullum. Si verò exeant animo figendi ibi domicilium, quasi domicilium, vel alterius negotii pertractandi causa, ita, ut ibi per accidens quasi, & sine fraude in legem, contrahant, valebit matrimonium. Ita enim declaratum fuisse à S. Congregatione, & ab Urbano VIII. approbatum anno 1627. 14. Augusti, testantur Lugo *Respons. moral. lib.* 1. *dub.* 36. Engel. *hic tit.* 3. *num.* 20. Barbosa, Matthæucci *proximè cit.* & alii plures.

302 Dices iterùm. Qui ita exeunt è loco domicilii, solo etiam animo contrahendi matrimonium alibi, utuntur jure suo : ergo non agunt in fraudem legis; ergo etiam possunt in tali loco inire matrimonium, non minùs, quàm alios contractus.

Resp. Cum P. Schmalzgrueber. *citat. numer.* 112. hujusmodi matrimonia esse invalida non tam ob fraudem, quàm ob declarationem sic approbatam à S. Pontifice, qui noluit ita eludi decretum Tridentini. Unde non est paritas de aliis contractibus; quia, ut supponitur, & debet supponi, aliis non obstat specialis lex, sicuti contractui matrimoniali. Quare negatur ult. cons.

303 Colliges secundò, Christianos degentes in partibus infidelium v. g. Turcarum, validè contrahere. Idem dicendum de contrahentibus in partibus hæreticorum, ubi Episcopus, Parochus, vel alius Sacerdos habens licentiam assistendi, adiri non potest absque periculo gravis mali, v. gr. carceris, exilii &c. &c. Ratio est : quia omnino rationabiliter per EpiKejam præsumitur non fuisse mentem Concilii, vel Pontificis, comprehendere talem casum; quandoquidem Ecclesia vi hujus constitutionis solùm voluerit obviare malis matrimonio clandestino ordinariè provenientibus non item decernere, quò minùs Catholici in integris territoriis, Provinciis, ac Diœcesibus, ex defectu Parochi matrimonio conjungi unquam possent.

fent. Bosco, Marchant., Herincx. *disp.* 5. *n.* 10. la Croix. *nu.* 779. Reinffest. *cit. n.* 134. ubi mox subjungit, hujusmodi Catholicis in partibus hæreticorum coram duobus saltem testibus contrahendum esse; eò quòd tales facilè obtineri queant, & ita declaratum sit à S. Congregatione Cardinalium.

304 Colliges tertiò, Milites Castra sequentes, qui proprium non habent Capellanum campestrem seu Missionarium, validè ubique conjungi posse à Parocho hospitii, quia tales, cùm nullibi fixum habeant domicilium, meritò æquiparantur vagis. Secùs dicendum videtur de illis, qui in præsidio collocati, vel in Arcibus Nobilium suis deservientes Officialibus, per longum temporis spatium, vel majorem anni partem ibidem sustentantur; quia tales aquirunt quasi domicilium, ideòque non sunt vagi, sed quantùm attinet perceptionem Sacramentorum, subditi Parocho illius loci, in quo conversantur. Schiara, la Croix *nu.* 751. Clericat. *decis.* 35. *n.* 24.

305 Colliges quartò, Valori matrimonii non obstare, tametsi testes vel Parochus assisterent inviti. Ratio est, quia horum præsentia solùm exigitur in eum finem, ut de matrimonio contracto testari possit: atqui hoc possunt, etiamsi inviti assistant; ergo. Et ita declaratum fuisse à S. Congregatione die 11. Maj 1669. testantur Cleric. *cit. num.* 20. Fagnanus *c. Quæsitum. de pænit. & remiss. num.* 7. aliique plures. Meritò tamen censet Aversa apud la Croix, tales, præsentia Parochi tam irreverenter abutentes, graviter peccare; quod procul dubio verum existimo, si fiat sine gravi, & valde urgente causa.

306 Colliges tandem quintò, Assistentibus matrimonio quàm cautissimè procedendum esse; monetque rectè Aversa apud la Croix approbantem *num.* 724. Regulariter credendum non esse contrahentis, asserentibus se licentiam habere contrahendi &c. nisi in scriptis hujusmodi licentiam exhibeant. Ratio hujus facilè colligetur ex dictis; tum nimirum, quia Causa matrimonii est una de gravissimis, ex qua dependet animarum salus, nec facilè dissolvi potest matrimonium semel (licèt invalidè) contractum, sine scandalis & aliis maximis inconvenientiis; tum etiam quia experientia docuit, à sponsis insano amore excœcatis, jam pluries fuisse excogitatas fraudes, quarum occasione Parochi, aliique, minùs quàm oportuisset, cautè procedentes, & suam exhibentes præsentiam, turpiter prostituti fuere. Hinc & Concilium Trident. *SS.* 24. *de reform. Matr. c.* 7. *præcipit Parochis, ne Vagorum matrimoniis intersint, nisi primò diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod præceptum graviter obligare, meritò tenent Aversa, Sanchez, & *alii communiter.*

CONFERENTIA

DECIMATERTIA.

De Natura, & Essentia Matrimonii, ejusdemque Solemnitatibus.

SUMMARIUM.

307 *Matrimonium est legitima Maris ac fœminæ conjunctio, in individuam vitæ societatem &c.*

308 *Estque triplex, videlicet legitimum, ratum & consummatum.*

309 *Inter Fideles legitimè celebratum, est Sacramentum.*

310 *Materia remota sunt corpora, proxima est traditio: Forma autem sunt verba, vel alia signa contrahentium, consensum satis exprimentia.*

311 *Ministri hujus Sacramenti sunt ipsimet contrahentes:*

312 *Non item Parochus: qui solùm est testis authorizabilis.*

313 *Consensus contrahentium debet esse mutuus, voluntarius, liber, & absolutus &c.*

314 *Si Matrimonium contrahatur sub conditio-*

tione honesta de præterito, aut præsenti, ea subsistente statim convalescit.

315 *Si sub conditione physicè, vel etiam moraliter impossibili, ideòque absque serio animo contrahendi, matrimonium est nullum.*

316 *In foro tamen externo (nisi aliud constet) hujusmodi conditiones habentur pro non adjectis, & matrimonium præsumitur validum.*

317 *Si contrahitur sub conditione repugnante substantiæ Matrimonii, vel ejus triplici bono, non valet.*

318 *Valeret tamen, si contrahendo se verè obligarent v. g. ad servandam fidem & licèt haberent intentionem aliquando non servandi &c.*

319 *Ad Matrimonium legitimum requiritur triplex solemnitas, nempe 1. trina denuntiatio. 2. Copulatio, seu benedictio Parochi. 3. Ejusdemque, & testium præsentia.*

320 *Resolvitur Casus I. de Persona, quæ voto simplici Castitatis obstricta, nupsit cum hac conditione, ut sibi liceret servare Castitatem Deo promissam.*

321 *An talis Persona à Judice Ecclesiastico condemnata ad reddendum debitum, teneatur, vel saltem possit licitè reddere?*

322 *Videtur eidem consulendum, ut petat dispensationem.*

323 *Resolvitur Casus II. de Puella, quæ Parentum minis inducta (probabiliùs invalidè) nupsit, & è convivio nuptiali discessit.*

324 *Resolvitur Casus III. de sponso, qui ob impedimentum affinitatis occultè contractum, renuit ducere sponsam suam, propterea que à Judice Ecclesiastico fuit incarceratus &c.*

325 *Copula Carnalis non est de essentia Matrimonii.*

326 *Matrimonia contracta cum pacto illud aliquando dissolvendi per repudium &c. sunt nulla.*

327 *Sacerdos in statu disgratiæ assistens Matrimonio non peccat.*

328 *Peccant tamen graviter sponsi, in statu disgratiæ contrahentes; quia indignè suscipiunt Sacramentum.*

329 *Quando per Epistolam, vel Procuratorem contrahunt, debent esse in statu gratiæ pro eo tempore, quo contractus fit per Procuratorem.*

330 *Ipse tamen Procurator fungendo legatione sua in statu disgratiæ, non peccat.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos Casus de Natura seu essentia Matrimonii.

Quæres primò. Quid sit Matrimonium?

307 R. Matrimonium est legitima Maris ac fœminæ conjunctio, individuam vitæ societatem retinens. Ita in re *communis*. Dicitur autem conjunctio legitima, id est, facta secundùm leges, inter Personas scilicet non irretitas impedimento aliquo saltem dirimente. Quòd autem conjunctio illa debeat esse individua seu perpetua, colligitur ex fine primario, in quem institutum est matrimonium, nempe ad procreandam, & honestè educandam prolem: quod nunquam, aut vix unquam fieret nisi Parentes conjungerentur perpetuo fœdere, ut constabit ex dicendis: ergo. Alii distinguunt inter matrimonium *in fieri*, & *in facto esse*. Matrimonium in fieri (quod habet annexam rationem Sacramenti, ut videbimus) describitur à Scoto 4. *dist.* 26. *qu. un.* quòd sit maris & fœminæ mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo, ad procreandam prolem, & debitè educandum. Matrimonium autem in facto esse, est mutua obligatio, seu vinculum illud, quo conjuges inter se mutuò indissolubiliter obligati permanent; quod vinculum est effectus contractus matrimonialis. Vid. Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 6.

Quær. secundò. Quotuplex sit matrimonium?

308 Matrimonium est triplex, videlicet *legitimum*, *ratum*, & *consummatum*. *Legitimum* dicitur illud, quod legitimo con-

consensu inter personas habiles, seu jure non impeditas constitutum est. Dicitur autem legitimum, eò quòd juxta leges sit initum. Et tale matrimonium datur non solùm inter fideles baptizatos, sed etiam inter omnes illos infideles, qui legitimè, id est, absque ullo impedimento dirimente contrahunt. Matrimonium *ratum* in se includit legitimum, & insuper addit rationem Sacramenti, per quod majorem firmitatem aquirit, esto nondum sit consummatum. Et tale matrimonium datur solùm inter fideles, non item inter infideles, utpote incapaces Sacramenti. Tandem matrimonium consummatum appellatur, quod accedente reali corporis, usu, seu copula carnali perfecta, & de se sufficiente ad generationem, inter Conjuges est completum & consummatum. Ita rursus in re *communiter DD.*

Quær. tertiò. Sitne matrimonium Sacramentum novæ legis inter fideles, & quando à Christo institutum?

309 R. Est sacramentum inter fideles, si legitimè contrahatur, saltem cum intentione illa generali *faciendi, quod Christus instituit.* Ratio desumitur tum ex perpetua traditione & sensu Ecclesiæ, tum etiam quia hoc nedum à Concilio Florentino, sed etiam à Tridentino *SS.* 24. *Can.* 1. tanquam de fide fuit definitum. Cæterùm de tempore, quo contractus matrimonialis à Christo sit elevatus ad dignitatem Sacramenti, non conveniunt DD. ut videre est apud Clericat. *de Matr. decis.* 1. *n.* 19. Scotus, aliique plures satis verosimiliter asserunt, fuisse elevatum tunc, quando Christus Dominus *Matth.* 19. approbans matrimonium eo modo, quo primitùs institutum fuerat *Gen. c.* 2. subjunxit: *quod Deus conjunxit, homo non separet;* quandoquidem alibi vix planiùs inveniatur institutio hujus Sacramenti. Vide Herincx *hic disp.* 2. *n.* 20.

Quær. quartò, quænam sit materia, quæ forma, & quis Minister hujus Sacramenti?

310 R. 1. Materia remota sunt corpora tradenda, proxima verò est traditio corporum in ordine ad generationem prolis, Forma autem sunt contrahentium verba, vel alia signa externa verbis æquivalentia, & mutuum consensum inteonum, atque traditionem & acceptationem corporum sufficienter exprimentia. Ita Scot. 4. *dist.* 26. Mastr. *disp.* 20. *Theol. moral. n.* 9. & 10. Reinffest. aliique passim. Ratio prioris est: quia Christus instituens hoc Sacramentum, in nullo penitùs mutavit naturam contractus matrimonialis, sed eum duntaxat elevavit ad statum & dignitatem Sacramenti: ergo eadem est materia hujus Sacramenti, quæ est materia contractus: atqui materia contractus matrimonialis sunt corpora contrahentium: generaliter enim loquendo materia cujuslibet contractus est res illa, de qua contrahitur: ergo. Quòd autem traditio legitima corporum sit materia proxima hujus Sacramenti, probatur à simili; nam etiam in Sacramento Ordinis traditio materiæ remotæ, censetur esse materia proxima ipsius: ergo idem dicendum in proposito. Ratio verò secundi est: tum quia & in cæteris Sacramentis forma consistit in verbis; tum etiam quia generatim forma contractuum solent esse verba, vel alia signa verbis æquivalentia, & sufficienter exprimentia interdum consensum contrahentium. Ita comm. Reinsfest. *Theol. moral. tract.* 14. *dist.* 13. *à num.* 14.

Dictum etiam fuit: *vel alia signa externa verbis æquivalentia &c.* Quia mutus, etsi loqui non valeat, nihilominus matrimonium contrahere potest; *cùm, quòd verbis non potest, signis valeat declarare*, ut dicitur *c. Cùm apud. de sponsal.* Ubi Pontifex hoc ipsum admittit de muto & surdo, dummodo hic sit compos rationis, & sufficienter intelligat, quid agatur.

311 R. secundò. Ministri Sacramenti matrimonii propriè sunt ipsimet contrahentes, ambo quidem adæquatè, singuli autem inadæquatè. Ita communis, & Clarissimè Scot. 4. *dist.* 26. *§. de Ministro*, ubi ait, quòd *ipsimet contrahentes ministrant sibi hoc Sacramentum, vel mutuò, vel uterque sibi*, integrant tamen unum Ministrum. Ratio est: quia ille debet esse Minister hujus Sacramenti, consistentis in contractu, qui est minister ipsius contractus: atqui Minister hujus contra-

tractus sunt ambo contrahentes ; ipsi enim per mutuum consensum faciunt contractum, ergo &c.

Dices. Juxta præscriptum. Tridentini cit. Parochus vel alius Sacerdos assistens matrimonio, intellecto sponsorum consensu, debet dicere ad illos. *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* ergo dicendum, quòd hic sit Minister ; cùm aliunde videatur absurdum, dicere, quòd Laici sint Minister Sacramenti.

312 R. neg. conseq. Etenim verba ista non proferuntur à Sacerdote seu Parocho per modum formæ, sed præcisè per modum piæ præcationis, ac ceremoniæ ecclesiasticæ, qua confirmatur, & in facie Ecclesiæ approbatur contractus matrimonialis; quod vel inde evidenter licet concludere ; tum quia olim subsistebat matrimonium clandestinum, & etiamnum subsistit sine præfatis verbis, si contrahatur in loco, ubi Tridentinum non fuit receptum; tum etiam quia hodiedum subsisteret matrimonium, tametsi Sacerdos vel Parochus assistens nullum proferret verbulum, aut invitus assistens contradiceret. Quare dicendum, quòd Sacerdos assistens sit duntaxat testis auctorizabilis, seu talis, qui nomine atque auctoritate Ecclesiæ assistere, & in contrahentes habere debet jurisdictionem specialem, vel saltem ab habente talem obtinuisse licentiam assistendi. Et quia hoc Sacramentum non requirit Ministrum consecratum ; hinc absurdum videri non debet, quòd possit confici à Laico ; constat enim, quòd etiam fœmina possit administrare Sacramentum Baptismi. *Communis*.

Quæres quintò, qualis requiratur consensus ad valorem matrimonii ?

313 R. Requiritur 1. consensus mutuus, 2. verus & serius, 3. voluntarius, & liber, 4. absolutus, & 5. proprius contrahentium, aliquo signo externo manifestatus. Ratio horum colligi potest ex dictis de sponsalibus *à num.* 2. Si enim consensus sponsalium debet esse vestitus memoratis conditionibus, à fortiori idipsum tenendum est de consensu matrimoniali. V. Sporer *n.* 290.

Dices. At quid, si matrimonium contrahatur sub conditione, eritne validum ?

Ante responsionem advertendum, dari nonnullas conditiones. 1. quæ substantiæ matrimonii repugnant. 2. Aliæ dantur, quæ sunt impossibiles vel naturaliter, vel saltem moraliter, ita scilicet, ut fine peccato poni, & adimpleri nequeant. 3. Rursus aliæ conditiones dantur de se honestæ, vel etiam indifferentes, & istæ possunt esse vel de præterito, vel de futuro primùm, prout etiam fieri potest, & non rarò solet in aliis contractibus. Substantiæ repugnantes censentur, quæ repugnant vel 1. *bono fidei* conjugalis, vi cujus conjux tenetur corpus suum servare conjugi, & non alteri prostituere, vel 2. *bono prolis*, vi cujus conjuges tenentur non impedire generationem prolis, vel. 3. *bono Sacramenti*, vi cujus conjuges obligantur contrahere indissolubiliter & perpetuò, vel potiùs ad dies vitæ. Hoc notato.

314 R. Ad quæstionem 1. Si matrimonium contrahatur sub conditione de se honesta de præsenti, aut præterito, tunc subsistente conditione statim valet ; quia consensus conditionatus statim transit in absolutum. Si autem contrahatur sub conditione de futuro contingenti, ante conditionem adimpletam non est validum : posita tamen, seu adimpleta conditione statim convalescit, & quidem sine novo consensu, dummodo antiquus non sit revocatus. Ratio est : quia alii contractus sub conditione celebrati, posita conditione statim valent, & traseunt in absolutos, præciso omni novo consensu : ergo idem dicendum est de contractu matrimoniali (supposito tamen, quòd sit celebratus coram Parocho, & testibus) tum quia matrimonium in ratione contractus non differt ab aliis ; tum etiam quia de contractu matrimoniali nihil speciale constitutum reperitur ullo jure, sive divino, sive humano. Illsung. *tr.* 6. *disp.* 9. *n.* 47. Laym. Castrop. Bonac. Babenst. *tr.* 8. *part.* 7. *disp.* 2. *a.* 3. *n.* 21. Notat tamen Sporer. *n.* 329. & alii communiter, hujuscemodi sponsis usum matrimonii non esse licitum, priùs quàm constiterit de conditione adimpleta ; secùs enim exponerent se periculo fornicandi. *Vid. DD. citt.*

315 R.

315 R. 2. Quando contractui matrimoniali adjicitur conditio vel physicè impossibilis, qualis est hæc: *si cœlum digito tangas*, vel impossibiis moraliter, ut est sequens: *Si inter consanguineos licet contrahere &c.* & ex circumstantiis colligitur, eam adjicienti non fuisse serium animum contrahendi, nullus efficitur contractus matrimonialis. Ratio est: quia sine intentione contrahendi dari non potest consensus requisitus ad valorem contractus matrimonialis: at, ubi non est serius animus contrahendi, non datur intentio: ergo &c.

316 Dictum tamen fuit: *& ex circumstantiis colligitur, non fuisse serium animum, &c.* Nam si absint tales circumstantiæ, conditiones impossibiles in foro externo præsumuntur joci causa adjectæ, adeòque in foro externo habentur pro non adjectis, & in favorem matrimonii præsumitur pro valore contractus, prout expressè deciditur *c. fin. de conditionib. appos.* Idem tenendum est de matrimonio contracto sub conditione moraliter tantùm impossibili, v. g. hac *si Uxorem occidas*, *si fidem neges*, *&c.* dato enim, fuisse serium animum loquentis & conditionem ab altera parte impletam, subsistit matrimonium, quemadmodum contractui stare, & solvere tenetur post adimpletam conditionem turpem, qui promisit meretrici dare pecuniam pro usu corporis. Ita cum communi Sporer *num.* 337. *&* 338. Salmanticens. Mezger apud Babenstub. *cit. num.* 18.

217 R. tertiò. Si matrimonium contrahatur sub conditione, vel potiùs sub modo repugnante substantiæ matrimonii, ejusvè triplici bono; ut si unus dicat alteri: *contraho tecum, si generationem prolis evites*; vel, *donec inveniam digniorem*; aut, *si pro quæstu adulterandam te tradas*, ita, ut hujuscemodi conditio in pactum deducatur, & eo modo aut pacto contrahatur, ut conjux sit obligatus ad talia facienda aut permittenda, contractus matrimonialis nullus est, non solùm jure positivo *c. fin. de condit. appos.* sed etiam ipso jure naturali. Ratio est: quia de substantia contractus matrimonialis est consensus in societatem perpetuam, ad fidem sibi servandam & ad prolem suscipiendam, aut certè prolis generationem positivè non impediendam: atqui memoratæ conditiones, in pactum & obligationem deductæ, tollunt talem consensum; cùm obligent ad eidem contraria: ergo. Vid. Sporer. *numer.* 344. Illsung. *cit. numer.* 42. Filliuc. *tr.* 10. *pag.* 1. *c.* 4. *num.* 147.

318 Dixi tamen: *Si hujusmodi conditiones in pactum & obligationem deducantur*; nam si conjuges sese verè obligent ad perpetuò servandam fidem, & ad reddendum debitum &c. tametsi haberent voluntatem hujuscemodi obligationi nunquam satisfaciendi in actu secundo, nihilominus matrmonium valeret, quia actus secundus, puta, redditionis debiti &c. non est de essentia vel substantia conjugii, sed tantùm actus primus, seu obligatio reddendi, vel jus petendi; ferè quemadmodum de substantia voti non est actualis observatio, seu adimpletio sed tantùm voluntas sese obligandi; unde votum v. g. Castitatis adhuc valeret, licet vovens haberet animum nunquam servandi castitatem. *Vid. DD. citt.*

Quæres sextò, qualis requiratur solemnitas ad contrahendum debitè matrimonium?

319 R. Juxta præscriptum Concilii Tr. *SS.* 24. *de reform. matr. c.* 1. requiritur triplex solemnitas, quæ est quasi forma extrinseca matrimonii, nempe 1. Trina denuntiatio prævia. 2. Copulatio seu benedictio Parochi. 3. Præsentia proprii Parochi & testium. De hac præsentia egimus *à nu.* 281. De benedictione breviter advertendum, non esse peccatum mortale, immò probabiliùs nec veniale, si sponsi matrimonium consumment non præmissa benedictione Ecclesiæ, dummodo absit contemptus aut scandalum. Ita cum aliis Babenstuber. *cit. n.* 39. Ratio est: quia Concilium Trident. proximè cit. hortatur quidem conjuges, ut ante benedictionem non consumment matrimonium, non tamen præcipit, sed tantùm consulit: consilium autem non sequi, ex se peccatum non est: ergo.

Denuntiationes tandem quod attinet, ordinavit Concilium Trid. loc. cit: *ut in* po-

posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Cumque finis hujus præcepti sit gravis momenti; hinc Doctores communiter fatentur, denuntiationes intermitti non posse sine gravi peccato, nisi excuset legitima causa, vel dispensatio interveniat. Quòd sponsi in eadem Parochia non habeant domicilium, sed spectent ad diversas, in utraque Parochia fieri debent denuntiationes, ut impedimenta eò faciliùs detegantur. Attendenda tamen erit circa hoc punctum consuetudo locorum. Cæterùm quinam in proclamationibus seu denuntiationibus dispensare valeant, dictum est *n.* 81.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de valore matrimonii.

CASUS PRIMUS.

Titia voto Castitatis obstricta, post multas precum instantias tandem consensit in matrimonium cum Titio viduo celebrandum, sed sub ea conditione, ut Maritus debitum nunquam postularet, & sibi liceret castitatem Deo promissam servare illæsam. Titius conditionem acceptavit quidem, sed post celebratum in facie Ecclesiæ matrimonium, debitum importunè petiit, quod tamen uxor constanter negavit. Et quia alio modo importunitatem viri declinare, judicavit sibi impossibile; hinc ad redimendam vexam, & votum Deo servandum, fuga sibi consuluit. Verùm delata tandem tota rei serie ad Judicem Ecclesiasticum, Titia sub interminatione gravium pœnarum condemnata, & compulsa fuit, ut viro cohabitaret & debitum redderet, eò præsertim, quòd votum suum probare non potuerit, nec in actuali contractu coram facie Ecclesiæ celebrato quidquam exceperit. Venit proin multùm anxia ad Confessarium, consilium postulans, & quærens 1. an valeat matrimonium ita contractum? 2. an Judici obtemperare, & Marito debitum reddere teneatur, vel quid sibi agendum?

320 R. Ad primum. Matrimonium valet. Ratio est: quia Titia obligationem reddendi debitum, saltem remotam, seu in actu primo non exclusit, ut supponitur; præsertim cùm more aliorum in facie Ecclesiæ contraxerit: sed tantùm excepit contra actualem redditionem debiti in actu secundo: actualis autem redditio non est de essentia seu substantia matrimonii; secùs enim dicendum foret, quòd B. Virgo Maria (quæ procul dubio nunquam habuit animum utendi matrimonio) non fuisset vera Conjux, nec validè contraxisset cum suo castissimo sponso S. Josepho. Et quamvis multi Doctores teneant, matrimonium cum pacto servandi castitatem initum, esse nullum; opposita tamen sententia, quam defendunt Vasquez, Præpos. Herincx. *cit. disp.* 3. *nu.* 37. Kugler *nu.* 520. & alii plures, est probabilissima; atqui Matrimonio juxta probabilem sententiam validè contracto certò standum est; tum quod sit causa favorabilis; tum etiam quia præsumendum est potiùs pro valore, quàm pro nullitate actus: ergo. Vid. *DD. proximè citt.*

321 R. Ad secundum. Titia in rigore loquendo, & ex justitia non tenetur reddere debitum, nec obtemperare Judici. Ratio est; quia sententia Judicis procedit ex falsa præsumptione facti particularis, nempe quòd Titia non exceperit contra actualem usum matrimonii, & Maritus talem conditionem nunquam acceptaverit. Nec dubitandum, quin Judex aliter procederet, ubi de rei veritate sibi satis constaret: atqui sententia vel præceptum Superioris procedens ex falsa præsumptione facti particularis non obligat; Hac quippe de causa Uxor, cui certò constat de adulterio à Marito commisso, non tenetur ampliùs eidem reddere debitum, tametsi ad reddendum à Judice, cui adulterium probare, nequit, compelleretur, prout cum aliis pluribus tenent Sanchez *l.* 10. *disp.* 22. *nu.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *num.* 4. & Sporer *nu.* 511. ergo &c. Nihilominus cum matrimonium sit validè contractum, ut supponimus,

mus, ob rationem datam superiùs, & Titia debitum negare non possit moraliter loquendo, tum ob pœnas à Judice Ecclesiastico intentas, tum etiam ob importunitatem viri, & continuum incontinentiæ periculum; hinc procul dubio potest, immò ex charitate saltem tenetur reddere; quia votum continentiæ cum tanto rigore non obligat, nec debet esse majoris boni impeditivum. Hinc est, quòd Maritus, habens votum non petendi debitum, teneatur illud interdum non servare, si advertat tale votum ægrè ferri ab uxore, aut præbere causam discordiis. Vid. Laym. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *nu.* 16. Illsung. *tr.* 5. *disp.* 1. *n.* 127.

322 Consulendum tamen videtur Titiæ, ut propter periculum incontinentiæ vitandum petat dispensationem, quam impetrare poterit, & de facili impetrabit vel à summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel denique, si necessitas urgeat, ab aliquo Mendicante, qui vi privilegiorum suorum in voto continentiæ, saltem post contractum matrimonium, ubi necessitas urget, dispensare possunt, prout post alios bene probat Sporer *tract.* 4. *decal. cap.* 3. *num.* 54. & 75. & infrà *num.* 495. videbimus.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia à Parentibus suis sæpiùs angariata, ut nuberet Sempronio, ad evadendas tandem aliquando Parentum minas, & importunas solicitationes, respondit Parentibus; agite quod vobis lubet. *Quare Parentes adornarunt nuptias. Deducitur proin Sempronia ad Ecclesiam, ibique coram Parocho & testibus interrogata,* an Sempronium velit habere in suum? *respondit frigidùm:* ita. *Verùm paulò post reducta ab Ecclesia (ut assolent) in hospitium, discessit è convivio nuptiali, renuitque cohabitare sponso, asseverans se solùm consensisse in matrimonium ob Parentum minas, & importunas preces. Quæritur jam, quid de valore hujus matrimonii concludendum?*

323 R. Concludendum videtur, matrimonium esse nullum. Ratio est: quia quamvis solus metus reverentialis utpote de se levis, non habeat vim irritandi matrimonium, si tamen accedant importunæ solicitationes, Parentum minæ, vel si rationabiliter timeatur gravis & diuturna Parentum indignatio, vel mala tractatio, vel denique aliud quodcunque grave malum aut incommodum, matrimonium reddit nullum prout jam superiùs *num.* 192. dictum fuit, & fatentur DD. communissimè. Sporer. *num.* 17. Sanch. Laym. Kug. *à num.* 671. la Croix. *num.* 657. Et quoniam ex tali matrimonio timeri potiùs debuit eventus pessimus, quàm sperari exitus bonus; hinc meritò, & quidem sapientissimè, judicio Ecclesiæ (ut mihi constat) declaratum fuit, memoratum matrimonium fuisse nullum, & data Puellæ potestas liberè, cuicunque vellet, nubendi. Vid. Gobat. *tr.* 9. *à n.* 143.

CASUS TERTIUS.

Cajus post contracta sponsalia, ex fragilitate humana lapsus, cognovit carnaliter sororem suæ sponsæ; unde etiam propter contractum inde impedimentum affinitatis, licèt occultum, renuit ducere illam: Hæc verò accessit ad tribunal ecclesiasticum, petens ut sponsus cogeretur implère promissionem sponsalium. Et quoniam admonitus à Judice Ecclesiastico noluit stare promissis; hinc incarceratus fuit, & excommunicatus. Quæritur jam quid Cajo agendum, vel consilii loco suggerendum fuerit in hoc casu?

324 R. Consulendum fuit, ut Cajus peteret dispensationem super impedimento affinitatis, eamque, vel à S. Pœnitentiaria Romana, vel ab Episcopo, qui in casu tam urgenti potest dispensare, prout hodie communiter fatentur DD. Sanchez. Laym. Sporer. ConincK, Kugler. *n.* 2124. & alii. Quòd si Episcopus dispensare nollet (prout teste Carden. *dissert.* 12. *n.* 8. multi faciunt) vel sponsus vincula aliter evadere nequeat, consulendum erit, ut in facie Ecclesiæ interim, dum Roma obtinuerit dispensationem, contrahat, animo tamen faciendi, quantùm potest pro hìc & nunc, non consummandi matrimonium ante obtentam dispensationem; in tali enim casu necessitatis (inquit la Croix

n. 539.) Ecclesia non prohibet , ut contrahant quantùm possunt: neque per hoc formaliter simulant susceptionem aut administrationem Sacramenti, sed potiùs simulant contractum , qui secundùm se non includit actionem sacram , priusquam sit completus & validus, inter personas habiles legitimè celebratus. Vid. Gobat. *tr.* 9. *n.* 256. *&* 550. Cardenas *cit. n.* 90. Bosco *disp.* 12. *Sect.* 1. *à n.* 232.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

325 Colliges ex dictis primò , copulam carnalem non esse de essentia Matrimonii ; tum quia matrimonium ratum præscindendo à copula , est verum matrimonium ; tum etiam quia copula est tantùm usus matrimonii ; usus autem supponit essentiam rei , cujus est usus: ergo . Idcirco secundùm dicta , inter B. Virginem & virgineum Ejus sponsum Josephum , fuit verum matrimonium , absque ullo commercio carnali . Nihilominus cùm traditio & acceptatio juris in corpora ex sua natura ordinetur ad copulam tanquam medium necessarium ad susceptionem prolis , qui est finis intrinsecus matrimonii ; hinc sponsi contrahentes & expresè consentientes in translationem juris , non possunt non consentire saltem implicitè in usum talis juris, sin minùs in actu secundo saltem in actu primo , ut notant *DD. communiter*.

326 Colliges secundò , Matrimonia à Paganis vel etiam hæreticis &c. contracta cum expresso vel tacito saltem pacto illud dissolvendi per repudium , esse nulla seu invalida. Ratio est: quia indissolubilitas est de substantia matrimonii : tale autem pactum repugnat indissolubilitati . ergo & substantiæ. Secùs dicendum foret, si sponsi haberent animum contrahendi indissolubiliter , tametsi cogitarent cum tempore invicem se derelinquere , ut ex dictis constare debet . Sanch. Salmanticenses, Clericat. *decis.* 8. *n.* 43.

327 Colliges tertiò , Sacerdotem non peccare mortaliter, si constitutus in statu peccati mortalis matrimonio assistat, aut benedicat nuptias . Ratio est : quia assistendo aut benedicendo non ministrat aut conficit Sacramentum . Ita *cum communi* Bonacin. Sanch. *lib.* 2. *disp.* 6. *n.* 5.

328 Colliges quartò, Sponsos, in statu peccati mortalis contrahendo , peccare mortaliter, saltem in quantùm suscipientes; quia Sacramentum indignè suscipiunt & tractant , ponendo obicem gratiæ sacramentali. Probabiliùs tamen non peccant mortaliter in quantùm sunt Ministri; quamvis enim sint Ministri ad hoc deputati , non tamen sunt Ministri specialiter consecrati ad hoc Sacramentum administrandum ; etsi fatendum sit , ait Spor. *n.* 355. opinionem Navarii (oppositam) esse ad modum probabilem . Loquimur autem de sponsis fidelibus seu babtizatis ; nam Pagani seu infideles non baptizati, cùm ob defectum baptismi sint incapaces Sacramentorum , contrahendo non conficiunt Sacramentum ; unde etiam in statu disgratiæ celebrantes matrimonium non peccant , ne quidem ut suscipientes.

Dices. At quid , si matrimonium contrahatur per Procuratorem ?

329 R. 1. Per Procuratorem contrahi potest dummodo mandatum sit datum ad aliquam Personam in individuo, & potestas contrahendi tempore , quo Procurator contrahit, non revocata. Ratio est : quia alii contractus celebrari possunt per Procuratorem : ergo & iste ; cùm nihil speciale de hoc sit constitutum . Accedit etiam praxis Ecclesiæ. Necessum tamen est , ut si tale matrimonium per Procuratorem, vel per Epistolam (prout fieri potest) celebretur , id fiat coram proprio Parocho & testibus, ob rationes suprà *à n.* 2. 9. allegatas.

330 R. 2. Ut Procurator licitè etiam contrahat nomine sui Principalis, non est necessum, ut ipse sit in statu gratiæ, bene tamen ut mandans, cujus nomine contrahit, in statu gratiæ existat . Ratio est : quia Procurator non recipit Sacramentum , bene verò mandans ceu Principalis , qui proinde tenetur tunc esse in statu gratiæ, ne illud indignè recipiat. Sanchez, Bonacin. Salmanticens. Babenst. *tr.* 8. *p.* 7. *disp.* 2. *art.* 4. *n.* 23.

CON-

CONFERENTIA

DECIMAQUARTA.

De Matrimonio invalido revalidando.

SUMMARIUM.

331 *Matrimonium cum impedimento dirimente contractum, bene concluditur esse nullum.*

332 *Impedimenta jure naturali dirimentia enumerantur 6.*

333 *Jure naturali divino (saltem impedientia) sunt duo.*

334 *Jure humano tantùm dirimentia, dantur septem.*

335 *Quæ dirimunt jure naturali, sunt indispensabilia.*

336 *Illa etiam, quæ jure divino impediunt, potestate humana directè tolli, seu dispensari non possunt.*

337 *In impedimentis, jure humano tantùm dirimentibus, dispensare potest 1. Summus Pontifex. 2. Subinde etiam Episcopus.*

338 *Confessarius, dum advertit Pœnitentem laborare aliquo impedimento, præsertim dirimente, debet cautissimè procedere;*

339 *Et ante omnia attendere, sitne pœnitens in bona, vel in mala fide? &c.*

340 *Nec oportet plus respondere, quàm interrogatur.*

341 *Secùs dicendum, si prævideat, suam responsionem, vel admonitionem esse profuturam &c.*

342 *Et quid, si Confessarius dubitet, sitne sua admonitio profutura, vel non?*

343 *Quando Matrimonium fuit nullum ex defectu consensus in una parte v. g. sponsa, sufficit pro revalidatione, ab eadem parte novum præstari consensum.*

344 *Si autem fuit invalidum propter inhabilitatem Personarum, necessum est, ut ex utraque parte novus interveniat consensus: an verò explicitus? disputant. DD.*

345 *Casu quò nullitas Prioris Matrimonii est notoria, debet revalidari in præsentia Parochi ac Testium: non item, si sit occulta, ita, ut probari non possit, &c.*

346 *Respondetur cuidam instantiæ.*

347 *Resolvitur Casus I. de Uxore, quæ mala fide à quadraginta annis vixit in statu Conjugali.*

348 *Quid Confessario in tali Casu agendum?*

349 *Et quomodo practicè ad revalidationem procedendum?*

350 *Resolvitur Casus II. de Uxore, quæ priùs clandestinè cum uno, posteà autem publicè cum altero contraxerat.*

351 *Quid tali consulendum?*

352 *Vel quo modo impedimentum ligaminis (si supponatur obstricta) coram Judice probandum?*

353 *Quod si probare nequeat, oportebit fugere.*

354 *Resolvitur Casus III. de Fœmina, quæ falsò dictitans coram Judice, se à Sempronio imprægnatam, Eundem coegit ad contrahendum.*

355 *Tale matrimonium videtur necessariò revalidandum.*

356 *Et quomodo? præsertim si dubitetur, an Sempronius hactenus liberè unquam consenserit?*

357 *Qua ratione Confessario cautè procedendum circa revalidationem?*

358 *Non semper tenetur pœnitentem obligare, ut impedimentum latens alteri parti manifestet.*

359 *Explicantur quædam clausulæ, quæ videntur obstare.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus de matrimonio invalido revalidando.

Quæres 1. Unde dignoscendum vel concludendum, quòd matrimonium fuerit invalidè contractum?

331 R. Concludendum est fuisse invalidè contractum, si sponsi tempore contractus fuerunt irretiti aliquo impedimento dirimente, Ratio est evidens: quia impedimenta ideò vocantur dirimentia, quòd matrimonium reddant nullum, vel potiùs quòd obstent, ne illud validè contrahatur. Quia verò ad præsentis Conferentiæ institutum vel maximi refert, nosse, quænam impedimenta sint dispensabilia, & quænam non; hinc.

Quær. secundò, quænam impedimenta dirimant 1. jure naturali; 2. quænam jure divino? & 3. quænam tandem jure humano seu Ecclesiastico?

332 R. 1. Impedimenta jure naturali dirimentia sunt 1. Error in Persona. 2. Conditio servilis ignorata. 3. Defectus consensus saltem ex partu unius, ut si fictè tantùm datur, aut etiam (secundùm probabilem opinionem Scoti & aliorum) metu gravi injustè incusso fuit extortus. 4. impotentia perpetua. 5. Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, & (secundùm aliquos) etiam in primo gradu lineæ transversæ. 6. Probabiliter etiam ligamen.

333 R. secundò. Jure divino naturali matrimonium saltem impedit votum solemne Professionis, ac etiam votum sacris Ordinibus annexum; immò, secundùm D. Thomam votum solemne etiam dirimit jure divino 2. Eodem jure divino cultus disparitas impedit matrimonium.

334 R. tertiò. Jure humano seu Ecclesiastico tantùm dirimunt sequentia. 1. Consanguinitas ultra primum gradum; immò etiam (secundùm multos) in primo gradu lineæ transversæ. 2. Omnis affinitas ex quacunque copula. 3. Omnis cognatio spiritualis, & legalis. 4. Omne crimen, sicut & 5. Publica honestas. 6. Raptus, & 7. Clandestinitas. *Communis DD.*

Quær. tertiò, an vel quænam impedimenta sint dispensabilia, & quænam non?

335 R. primò, Impedimenta orta ex defectu consensus, non sunt propriè dispensabilia, sed tantùm supplebilia per liberum consensum de novo præstandum. 2. Similiter indispensabile est impedimentum impotentiæ perpetuæ. 3. Item impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, sicut & 4. Impedimentum ligaminis jure saltem humano esse indispensabilia, fatentur DD. communissimè; quodque in istis nunquam dispensetur, docet praxis.

336 R. secundò. In impedimentis jure naturali divino dirimentibus vel saltem impedientibus, uti est votum solemne &c. nec Episcopus, nec Pontifex dispensare valet, saltem per se & directè; tum quia lex naturalis propriè & directè non est dispensabilis; tum etiam quia inferior in lege superioris dispensare nequit absque speciali licentia, ut ostenditur in *tr. de Legib.* Qua ratione autem Pontifex in voto solemni dispensare possit, aut soleat, dictum fuit *n.* 118.

337 R. tertiò. In impedimentis jure positivo Ecclesiastico introductis proximè recensitis, dispensare potest per se loquendo solus summus Pontifex ceu supremus legislator Ecclesiæ universalis. Per accidens tamen, in casibus valdè urgentibus, possunt etiam Episcopi dispensare, ut videbimus infrà *num.* 493. Cæterùm, quando vel quibus de causis soleat dispensari, videri potest ex dictis de singulis impedimentis in particulari. Vide etiam Sporer *num.* 443.

Quær. quartò, an Confessarius teneatur statim admonere pœnitentem, si ex confessione advertat, eum laborare impedimento præsertim dirimente, vel quid in tali casu agendum.

338 R. 1. cum P. Sporer *cit. nu.* 444. la Croix & aliis, in tali casu quàm cautissimè procedendum esse, & ante omnia attendendum, sitne impedimentum jure naturali, aut divino, vel humano solùm dirimens? vel qua ratione matrimonium sit nullum? Quia Confessarium oportet scire, sitne impedimentum dispensabile, nec ne? Secùs enim non poterit bene consulere.

339 R. secundò, vel maximè etiam attendendum esse, utrùm pœnitens sit in bona, aut mala fide, Si in mala, ita ut sciat matrimonium esse nullum, aut certè dubitet, vel interroget de valore, vel

etiam

etiam si vincibiliter ignoret nullitatem, eò quòd de valore dubius neglexerit inquirere veritatem, tunc veritas eidem candidè erit aperienda, & insinuanda nullitas matrimonii, proindeque per se loquendo interdicendus usus matrimonii, utpote illicitus, & merè fornicarius. Ratio est; tum quia hoc casu dissimulare veritatem, esset approbare falsitatem; tum etiam quia pœnitens esset in malo statu, & incapax absolutionis, ob ignorantiam culpabilem (ut supponimus) atqui Confessarius per se loquendo tenetur erudire pœnitentem, quem adverrit laborare ignorantia vincibili in materia gravi: ergo. Si autem advertatur pœnitens esse in bona fide, utpote ignarus impedimenti, aut nihil dubitans de valore sui matrimonii, tunc cautissimè oportebit procedere, nec statim intimare nullitatem, multò minùs interdicere usum. Quin immò regulariter loquendo (ait Spor. cit.) relinquendus erit in bona fide, præsertim si impedimento juris naturalis aut divini, ideoque indispensabili laborare deprehenditur. Ratio est: quia regulariter loquendo admonitio Confessarii respectu talium potiùs obesse, quàm prodesse solet; eò quòd non soleant deferere conjugem putatitium tum ob scandala, infamiam, vel alia incommoda evitanda, præsertim si proles jam jam susceperint, prout experientia multiplex docuit. Quapropter cùm ex duobus malis minus sit eligendum, præstat dissimulando pœnitentem relinquere in periculo peccandi materialiter, quàm aperiendo veritatem eum deinceps exponere periculo peccandi formaliter.

340 Insuper bene monet Sporer *cit.* etiam in casu, quo pœnitens impedimenti conscius, apprehendit se non posse petere debitum, bona fide tamen & invincibiliter credit, se posse reddere alteri petenti, dissimulandum esse, præsertim, si sit fœmina; quia fœminis majus semper periculum imminere solet ex negatione debiti; hinc la Croix *num.* 543. rectè dicit, Confessario non esse plus respondendum, quàm interrogetur: addunt Tann. & Gobat apud eundem *D. cit.* posse Confessarium dissimulare veritatem, aut verbis eludere, si gravissima mala pœnitenti imminere prævideat ex clara manifestatione veritatis.

341 Dictum tamen fuit, *regulariter loquendo* esse dissimulandam veritatem, ubi pœnitens est in bona fide: enim verò ubi in casu (qui tamen rarus erit) Confessarius prævidet, matrimonium mediante dispensatione & renovatione consensus, absque gravi periculo revalidari posse, deberet pœnitenti nullitatem insinuare, atque usum interdicere; quia Confessario incumbit etiam peccata materialia impedire, dum facilè potest, prout omnes fatentur.

Dices adhuc. At quid, si Confessarius rationabiliter dubitet, sitnè sua admonitio obfutura potiùs, quàm profutura?

342 R. Cum P. Gobat & la Croix *n.* 542. si matrimonium nondum sit contractum, nec proximè contrahendum, communiter consultius erit impedimentum detegere, dummodo sit aliqualis spes, ut pœnitens desistat, & dispensationem petat: si autem matrimonium jam supponatur contractum, conferri debent inter se spes, & timor damni, idque eligendum, quod præponderat. Denique si Confessarius ipse discernere nequeat, quid præponderet, tutius erit dissimulare, & silere, donec dispensatio sit impetrata. *Vid. DD. cit.*

Quær quintò, an ad revalidandum matrimonium sit necessarius novus utriusque conjugis consensus?

343 R. 1. Si matrimonium fuit invalidum solùm ex defectu consensus, eò quòd alteruter ex sponsis cæteroquin habilibus, fictè, vel etiam coactè tantùm consenserit, satis & tutum probabile est, sufficere, quòd ille, qui priùs fictè consensit, de novo eliciat verum consensum, etiam interdùm tantùm. Ratio est: quia consensus alterius qui non finxit, erat legitimus, & inter personas habiles, & cùm hic supponatur alterum semper tractare ut verum conjugem; hinc consensus semel datus censetur semper adhuc durare. Bonac. Sanch. Aversf. Kugler. *num.* 590. la Croix. *num.* 811.

344 R. secundò. Si matrimonium fuit invalidum non ex defectu consensus, sed propter inhabilitatem personarum in-

ratione impedimenti latentis, DD. communiter fatentur, requiri novum utriusque consensum, eò quòd prior utpote inter personas inhabiles fuerit nullus. Controversia tamen & difficultas maxima est, an ex utraque parte requiratur de novo consensus explicitus & expressus, ut proin necessum sit, conjugem impedimenti latentis ignarum admoneri de nullitate? Scotus 4. *dist.* 35. *qu.* 1. *litt. H.* Tambur. ConincK, la Croix *num.* 812. & alii tenent, necessarium esse, ut Conjugi ignaro impedimentum aliquo saltem modo, aut sub dubio significetur; quod fieri potest, si alter dicat v. gr. suspicor, vel timeo, ne matrimonium nostrum sit nullum, ideòque rogo te, ut ad pacandam meam conscientiam, de novo in matrimonium, quantum opus est, consentiamus. Ratio hujus opinionis est: quia si conjugi ignoranti nullo modo manifestetur invaliditas matrimonii prioris, nunquam dabit consensum novum, sed tantùm ratificabit, seu etiam confirmabit contractum semel factum, qui, cùm fuerit & semper maneat nullus, eo ipso est insufficiens ad constituendum verum matrimonium. Alii verò moderni DD. Henriquez, Scotus, Ledesma, Herincx hìc *disp.* 6. *nu.* 33. Sporer *num.* 459. quamvis fateantur, necessum esse, ut interveniat utriusque Conjugis consensus novus, putant tamen, id fieri posse absque eo, quòd nullitas matrimonii alteri parti manifestetur, dummodo pars altera consentiat de præsenti, & absolutè, cum hac expressa intentione, quòd, etiamsi non valeret matrimonium antea factum, velit tamen *nunc de novo facere*. Si enim altera pars de novo absolutè consentiat, non apparet ratio dubitandi de valore novi matrimonii.

Tandem Ledesma, & alii nonnulli, quos refert Sanch. *lib.* 2. *disp.* 36. *num.* 2. existimant, satis esse, ut solus conscius impedimenti de novo consensum exprimat per aliquem actum externum; sive verbis, sive factis, v. gr. per copulam affectu maritali habitam, nec esse necessarium, ut altera pars impedimenti ignara, ullo modo moneatur vel de nullitate matrimonii, vel de novo consensu eliciendo; quia dum pars ignara petit copulam, affectu utique maritali, & alter conjux impedimenti conscius eodem affectu reddit, jam adest, inquiunt, sufficiens utriusque consensus in matrimonium. Et hæc tertia opinio, minùs probabilis, & minùs tuta, in casu necessitatis, ubi nulla apparet spes, absque gravi incommodo obtinendi novum consensum alterius expressum, posset Confessario deservire pro ultimo remedio, prout notant Sanch. Bonac. Castrop. Sporer. *cit. n.* 460. Carden. *dissert.* 2. *n* 681. & alii apud la Croix *n.* 814. Extra casum tamen necessitatis extremæ, non licet sequi hanc sententiam, sed sequenda est prima, quæ est Scoti, ut diximus utpote tutissima pro valore; vel si prima redigi nequeat in praxin ob periculum v. g. infamiæ, oportebit sequi secundam. Ratio est: quia hìc agitur de valore Sacramenti: atqui dum de valore agitur, non licet sequi minùs probabilem, aut minùs tutam relicta tutiore: ergo &c. Laym. Sporer, Bosco *disp.* 12. *Sect.* 14. *n.* 90. Card. *cit. à n.* 669. la Croix cit. & ali *communiter*.

Quær. Tandem sextò, an ad revalidandum matrimonium sit necessaria nova assistentia Parochi & Testium?

345. R. Cum distinctione. Si enim nullitas prioris matrimonii, & impedimentum plenè probari possit in foro externo, necessum erit, ut matrimonium revalidetur coram Parocho & Testibus; Si autem probari nequeat in foro Ecclesiæ, sufficiet illud revalidari in occulto. Ita Bosco ubi suprà *à num.* 111. Navarr. Cordub. Herincx *citat. disp.* 5. *num.* 30. Schmalzgr. Sannig. *de despons. impub. c.* 1. *num.* 14. Illsung. *tract.* 6. *disp.* 9. *nu.* 119. Carden. *cit. nu.* 665. Ratio inde desumitur, quòd mens Tridentini, prout ex textu patebit, solùm fuerit, ut vitentur gravia peccata ex clandestinis nuptiis olim suborta, eò quòd in facie Ecclesiæ probari non potuerit matrimonium à sponsis contractum, propptereaque relicto priori conjugio ad aliud convolabant, utique non sine concubitu fornicario: atqui hæc ratio non urget in nostro casu, ubi supponitur, matrimonium esse publicè contractum, & impedimentum probari non posse;

se; quia Ecclesia hujusmodi matrimonia semper habet rata, nec unquam permittit tales sponsos convolare ad aliud matrimonium: qua ratione Pius V. declaravit (ut videre est apud Herinex & Navarrum *c. 22. Man. n. 70.*) hujusmodi matrimonia revalidari posse absque nova præsentia Parochi, eaque declaratione S. Pænitentiaria uti consuevit, eò vel maximè, quòd plerùmque sine maximis difficultatibus matrimonium coram Parocho & Testibus revalidari non possit. Hinc Carden. *cit. n. 668.* meritò dicit, hanc sententiam posse tutò deduci ad praxin, nec subjacere damnationi.

Dices Clemens VIII. fertur dispensasse se eum talibus sponsis, ut matrimonium absque præsentia Testium & Parochi revalidare possent, ergo suppsuit esse necessariam novam præsentiam Parochi ac Testium; secus frustrà dispensasset.

346 R. Cum DD. citt. inprimis de hac dispensatione non satis constare, & dato quòd dispensaverit, factum procul dubio fuit, eòquòd impedimentum occultum quidem, sed probationi erat obnoxium, aut certè id fecit solùm ad majorem securitatem, & tranquillitatem conscientiarum. Vid. Schmalzgr. *lib. 4. tit. 3. n. 122.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de revalidando Matrimonio.

CASUS PRIMUS.

Titia tempore sponsalium peccavit carnaliter cum germano fratre sponsi sui; unde facti pænitens & confessa, quantocyus à Confessario audivit, se incurrisse impedimentum dirimens: nihilominus perrexit in suo proposito, & mala fide nupsit Titio sponso suo, vixitque in eodem matrimonio 40. annis, pluribus inde susceptis prolibus. Tandem verò periculose decumbens, & timens de salute, petiit Confessarium, eidemque miserum animæ suæ statum exposuit. Quæritur jam 1. utrùm Confessarius benefecerit, quantocyus intimando impedimentum Titiæ? 2. Quid agendum, vel consulendum fuerit pænitenti?

347 R. Ad primum, in hoc casu vel maximè attendendum fuisse & interrogandum, an non impediverint conceptionem seu generationem? Et dato etiam, quòd non impediverint, ideòque habuerint copulam perfectam, impedimentum non fuit quantocyus intimandum, sed advertendum potiùs, an Titia fuerit in bona, an verò in mala fide, itemque an talis admonitio esset profutura; plerùmque enim, dum sponsi proximè cogitant celebrare nuptias, & vel maximè ubi ad nuptias solemniter adornandas jam omnia sunt parata, hujusmodi admonitio erit inutilis atque inefficax. Hinc per se loquendo videtur Confessarius non bene fecisse statim inculcando & intimando impedimentum, sed oportuisset sponsam hanc vel in bona fide relinquere, vel, si in mala fuit, instruere, ut contraheret animo faciendi quantùm posset, non tamen consummandi matrimonium, & quamprimùm procurare dispensationem. Ratio hujus facilè colligetur ex dictis *numer.* 338. quia nimirum hujusmodi incautæ admonitiones in hoc puncto plerùmque plus obesse solent, quàm prodesse, prout ex hoc ipso miserabili casu planè non ficto, sed facto, luculenter colligere licet.

348 R. ad secundum, à Confessario ad infirmam vocato præ primis fuisse advertendum, an fuerit spes reconvalescentiæ, vel non? si nulla, oportebat pœnitentem de peccatis, & confessionibus invalidis hactenus fortè factis, examinare juxta regulas in tractatu de pœnitentia tradi solitas, proindèque verè dolentem, seu contritam ac confessam absolvere, relicto protinus putatitio Marito in bona fide, utpote, quæ nec ipsi, nec prolibus quidquam nocebit. Si autem affulgeat spes recuperandæ valetudinis pristinæ, & per consequens periculum peccandi ob incontinentiam viri, Confessario incumbet, ut quamprimùm conetur impetrare dispensationem, vel ab Episcopo, vel si res moram patiatur, à summo Pontifice, & ea impetrata procedere ad revalidandum matrimonium secundùm dicta hactenus.

Dices.

Dices. Sed quomodo procedet ad revalidationem?

349 R. Ante omnia instruet Titiam de novo consensu eliciendo & impetrando à Marito. Deinde advertat an hactenus pacificè cohabitaverint, invicem se ament &c. ideòque sit spes facilè impetrandi consensum Mariti: tunc verò hoc aut simili modo in præsentia Titiæ Maritum poterit alloqui v. g. dicendo. En Deus uxorem tuam tibi utique charam & dilectam redonavit, restituendo eam pristinæ sanitati: oportebit ergo, ut protinus in pace ac sancta conversatione invicem cohabitetis, & nunquid eam actu in tuam recipis, etiamsi nunquam recepisses? Si Maritus responderit *ita*, uxor facilè idem reponet, nec ampliùs dubitandum erit de valore matrimonii juxta superiùs *num.* 344. dicta. Idipsum quondam in hoc ipso casu suaseram cuidam R. D. Parocho, effectu felicissimo & exoptatissimo. Nolim tamen hunc modum velut regulam universalem præscribere, sed potiùs Lectoris & prudentis Confessarii discretioni relinquere, qui procul dubio pro diversitate circumstantiarum & Personarum, noverit esse diversa amplectenda media & consilia.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia Matrimonium clandestinè contraxerat cum Sempronio, illudque carnali opere consummavit. Verùm paulò post ab eodem graviter offensa, coram Judice interposito etiam jurejurando negavit, se unquam nupsisse Sempronio; qua ratione à lege viri absoluta fuit, proindeque in facie Ecclesiæ contraxit cum Titio, ex quo aliquot jam proles suscepit. Tandem conscientiæ stimulis exagitata opem postulat & consilium. Quæritur ergo, quid in hoc casu agendum, & quid consilii suggerendum?

350 R. primò, in hoc casu præ primis attendendum fuisse, ubinam Sempronia primum matrimonium contraxerit, an scilicet in loco, ubi Tridentinum receptum est, vel non? si primum, liquet, eam peccasse graviter, tum contra præceptum Ecclesiæ, tum etiam probabiliùs contra reverentiam Sacramenti; quia hoc ipso, quòd quasi tentaverit ponere contractum matrimonii, & quidem clandestinè, fecit rationem Sacramenti à Christo annexam esse irritam, quod videtur fieri non posse sine satis gravi irreverentia in auctorem Sacramenti, ait la Croix *num.* 532. Insuper, ut ex dictis *num.* 297. constat, quod matrimonium fuit nullum, & per consequens actus carnalis merùm fornicarius: Secundum tamen matrimonium in utroque foro esset validum, atque in eo perseverandum. At verò si fateatur, se contraxisse in loco, ubi Tridentinum non est promulgatum vel receptum, illicitè quidem, validè tamen contraxit: consequenter negando illud coram Judice Ecclesiastico, commisit perjurium, nec potuit vivente Sempronio validè, aut licitè alteri nubere, ob impedimentum ligaminis, quod secundùm dicta *nu.* 335. humana auctoritate indispensabile est; quo supposito.

351 R. secundò cum P. Engel *lib.* 4. *tit.* 21. *§. ad septimam Quæst.* Semproniæ interroganti consilii loco suggerendum fuisse, ut curaret Maritum putativum data oportunitate per Confessarium, vel alios viros idoneos certiorem reddi de nullitate matrimonii, atque eò disponi, ut pateretur negotium ad Consistorium Ecclesiasticum tanquam casum occultum deferri, à quo potuisset pronunciari divortii sententia, *ex causa impedimenti occulti sibi cogniti, & coram se legitimè probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua etiam occulta pœnitentia dictari, sicut apud nos (inquit D. cit.) sæpe deferuntur casus occulti matrimoniales ad Consistorium, qui ulteriùs non propalantur; quemadmodum enim SS. Canones non tantùm ad *forum externum*, sed principaliter ad *internum* ordinantur *c. novit.* 13. *de Judic. c. ut animarum.* 2. *de constit. in* 6. ita enim Judex Ecclesiasticus in quantùm fieri potest, *fori interni* considerationem habere debet.

Dices. Quomodo mulier hæc potuisset probare impedimentum ligaminis; cùm ipsi tanquam perjuræ, & propriam turpitudinem allegantí, non sit habenda fides *Arg. cap. sicut vobis.* 9. *de Testibus?*

bus? & in ordine ad separationem matrimonii jam contracti plena probatio requiratur?

352 R. idem Engel: videtur sufficientem potuisse esse probationem ex his concurrentibus 1. ex depositione veri Mariti jam semel facta. 2. ex depositione nova ipsius fœminæ. 3. ex depositione Confessarii cum licentia revelandi sigilli à pœnitente facta. 4. ex aliis circumstantiis, ut puta, si fœmina lacrymetur, debitum tanquam sibi illicitum recuset, fugam meditetur &c. Cæterùm obtenta divortii sententia, vel priori & vero Marito reconciliari debet, vel, si id non possit, innupta in alio loco sibi non periculoso degere.

Dices iterum. Ad quid, si vir putativus renuat separari, vel Consistorium contradicat?

353 R. In casu tam desperato vix aliud medium magis oportunum superit, quàm ut Sempronia oportuna fuga suæ consulat saluti; nam debitum reddere nunquam licebit, ut dicemus *num.* 419. redditionem verò ex integro declinare videtur moraliter impossibile. Quare cùm secundùm rectam rationem corporis incommoditates sint posthabendæ animæ & salutis æternæ periculis, consulendum videtur, (salvo meliori judicio) ut capta fuga Sempronia in loco tuto deinceps delitescere studeat.

CASUS TERTIUS.

Caja coram Judice Ecclesiastico dictitavit mendaciter, se à Cajo (cui semel fecerat potestatem sui corporis) sub spe matrimonii esse impraegnatam, quapropter Judex Ecclesiasticus sub intentata diuturni carceris & excommunicationis pœna condemnavit Cajum, multùm reluctantem, ut corruptam duceret; quod & factum. Jam verò Caja facti pœnitens fatetur, se Maritum suum falsò detulisse, eo quòd ab alio corrupta, & impraegnata sit; & quoniam hactenus non bene cohabitarunt per sat longum tempus (coacta namque matrimonia plerumque malum sortiuntur exitum) hinc quærit, 1, an Matrimonium valeat? 2. an sit necessaria revalidatio hujus Matrimonii præsertim cùm jam consummaverint?

354 R. Ad primum, hoc matrimonium probabiliùs esse nullum. Ratio est: quia metus, cujus impulsu Cajus consensit, fuit gravis, & re ipsa injustus, utpote fundatus in falsa præsumptione facti particularis: atqui talis metus irritat matrimonium secundùm dicta *numer.* 182. ergo. Vid. La Croix. *numer.* 654. ubi pro hac opinione refert etiam Pont. Dian. & Aversf.

355 R. Ad secundum. Matrimonium, hoc videtur necessariò revalidandum, nisi aliunde constet, Cajum liberè, & independenter à metu sibi incusso contraxisse, vel interea saltem liberum præstitisse consensum. Cæterùm, ut advertit cum aliis Kugler *à n.* 114. liberè jam consensisse præsumitur, si conscius nullitatis ob metum injustè incussum, hactenus per notabile tempus v. g. annum & dimidium Uxori suæ cohabitavit, nec reclamavit, aut fugit, dum tamen facilè potuisset; & præsertim si conjugali affectu copulam habuit &c.

Dices. Quidsi autem pensatis omnibus dubium relinquatur, an Cajus independenter à metu consenserit, vel hactenus liberum præstiterit consensum, eò vel maximè, quòd vix unquam pacificè cohabitaverit Uxori?

356 R. Laborandum fore, ut Caja vel per se, vel per alios bonos amicos inducat Maritum ad dandum jam liberum consensum independenter à metu semel incusso; quia tale conjugium absque periculo infamiæ, aut scandalorum &c. vix ampliùs poterit dissolvi. Et dato tandem, quòd prævideatur Cajum tam facilè non persuadendus ad dandum de novo consensum liberum, poterit Caja amplecti ultimum remedium suprà *num.* 344. recensitum, & matrimonium ratificare reddendo debitum affectu conjugali, quamprimùm Cajus illud petierit; esto enim juxta dicta *num.* 344. hic modus revalidandi sit minùs tutus, attamen si matrimonium absque gravi incommodo aliter revalidari nequeat, Sanchez, Bonacin. Palaus, Sporer Gobat *Quin. tr.* 5. *c.* 37. *n.* 135. putant eum practicè satis esse tutum. Idque vel maximè dicendum videtur in casu nostro;

ftro; tum quia dubitatur, an non Maritus intra tam notabile tempus liberè & independenter à metu consenserit? tum etiam quia Sanchez, *lib.4. disp. 14. n. 8.* probabile censet, valere matrimonium, tametsi Judex aliquem compelleret metu revera, & à parte rei injusto, dummodo talis secundùm allegata & probata justè fuerit compulsus, prout in nostro casu contigit.

§. III.

Corrolaria ex dictis inferenda.

357 Colliges primò, quàm meritò hactenus inculatum fuerit: ut Confessarius in simili casu, ubi deprehendit impedimentum dirimens latere, matrimoniumque revalidandum esse, quàm cautissimè procedat; quia si minùs cautè processerit, facilè poterit contingere, ut pœnitentem illaqueet quodammodo, & gravissimis exponat periculis peccandi, prout ex dictis colligere licet. Hinc idem Gobat proximè cit. *n. 128.* bene monet, ut Confessarius, priùs quàm pronuntiet matrimonium esse invalidum, inquirat, an Conjuges putatitii se mutuò sincerè ament, an verò sæpiùs rixentur; item, an uxor habeat magnam parentelam, nec ne? an possint facilè carere, seu etiam abstinere à comercio carnali? &c. atque his & similibus ponderatis, primùm dicet, vel non dicet matrimonium esse invalidum.

358 Collig. secundò, quòd, licèt Confessarius ex charitate saltem teneatur adjuvare pœnitentem, & collaborare pro revalidando (si tamen fieri possit) matrimonio, non tamen semper tenetur eidem præcipere, ut impedimentum latens detegat alteri parti, & ab ea petat novum consensum; quia frequenter accidit, ut nullitas matrimonii, vel impedimentum latens, absque gravissimis incommodis, puta infamiæ, rixarum, scandalorum &c. periculis, alteri parti manifestari non possit. Hac ratione in litteris Apostolicis, communiter executio dispensandi demandatur Confessario, aut alteri viro discreto &c. *ut dispenset &c. sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Vid. Henrinquez *lib. 11. c. 3. n. 6.* Sanchez *lib. 2. disp. 36. n. 8.*

Dices. Atqui etiam in iisdem litteris Apostolicis communiter additur hæc clausula, ut dispensetur, seu etiam revalidetur matrimonium *altera parte certiorata de nullitate prioris consensus*; item additur hæc clausula: *ut inter se publicè & servata forma Tridentini contrahant &c.* hæc autem fieri nequeunt absque eo, quòd impedimentum alteri parti intimetur: ergo hoc est necessarium.

359 R. Cum P. Gobat *cit. nu.* 242. primam clausulam esse observandam, quando id fieri potest absque detectione criminis, prout vel ex eo colligere licet, quòd in iisdem litteris statim addatur: *sed ita cautè, ut Latoris delictum nusquam detegatur.* Similiter respondendum est ad alteram clausulam, nempe Pontificem solùm velle, ut tunc publicè, & servata forma Tridentini contrahant, quando id vel nunquam factum est, vel quando nullitas & impedimentum Ecclesiæ innotescit, aut certè probationi obnoxium est. Ita Sanch. Pont. Pirrhing, Krimer *nu.* 539. apud la Croix *n.* 816. Bosco. *disp.* 12. *Sect.* 14. *n.* 107. & 141.

CONFERENTIA

DECIMAQUINTA.

De Divortio, seu solubilitate, atque indissolubilitate Matrimonii.

SUMMARIUM.

360 *Matrimonium præcisè ratum, est dissolubile tam quoad torum, quàm quoad vinculum.*

361 *Matrimonium consummatum inter Fideles, pariter dissolvi potest quoad torum, non item quoad vinculum.*

362 & 363. *Solvuntur duæ Instantiæ in contrarium.*

364 *Quo jure Matrimonio consummato competat hæc indissolubilitas?*

365 *Matrimonium infidelis, licèt consummatum, potest dissolvi in tribus Casibus,*

sibus, si conversus ad fidem aliud matrimonium contrahat.
366 *Non item, si uterque convertatur ad veram fidem.*
367 *Divortium est legitima separatio viri ab Uxore, manente adhuc vinculo conjugali.*
368 *Enumerantur 6. causæ, ex quibus fieri potest divortium.*
369 *Satisfit cuidam objectioni in contrarium.*
370 *Resolvitur Casus I. de sponso, qui post contractum quidem, nondum tamen consummatum Matrimonium, cogitat ingredi Religionem: dubitat tamen, an liceat, eò quòd ante contractum sponsam jam cognoverit &c.*
371 *Si sponsam non impraegnavit, per se loquendo licitè amplectitur statum religiosum.*
372 *Et sponsa post professionem Mariti, licitè convolat ad secundas Nuptias.*
373 *Resolvitur Casus II. de Judæo, qui post susceptum baptisma, cogitat ducere puellam Christianam, repudiatis duabus Uxoribus Judæis.*
374 *Primam conjugem (si utiliter possit) tenetur admonere, quatenus velit amplecti veram fidem.*
375 *Quæ, si renuat converti, vel conversa cohabitare, non tenetur Maritus illam acceptare.*
376 *Resolvitur Casus III. de Uxore, quæ tum ob malam tractationem, tum etiam ob adulterium à Marito commissum, discessit ab eo, nolens reverti.*
377 *Si adulterium viri supponatur notorium, potest manere divortiata.*
378 *Per se loquendo tamen, suadendum videtur, ut ad virum suum regrediatur.*
379 *Ad consummandum Matrimonium, & omnimodam ejusdem indissolubilitatem inducendam, requiritur copula carnalis perfecta.*
380 *Matrimonium non dissolvitur per solum ingressum, sed per solemnem professionem Religionis approbatæ.*
381 *Conjux, non potens cohabitare alteri absque gravi periculo animæ aut corporis, eximitur ab obligationibus matrimonialibus.*
382 *Conjux, qui alteri dedit causam adulterandi, non habet causam petendi divortium.*
383 *Uxor, quæ post cognitum Mariti adulterium, pariter adulteravit, tenetur regredi ad Maritum, si ab illo postuletur.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de dissolubilitate Mattimonii, seu Divortio.

Quæres primò, an, vel quomodo Matrimonium ratum sit dissolubile?

Ante responsionem suppono cum communi DD. matrimonium dissolvi posse, vel quoad torum tantùm, vel quoad torum & vinculum simul. Quoad torum dissolvitur, quando conjux legitimè à conjuge separatur quantùm ad cohabitationem & lectum. Quoad vinculum autem dissolvitur, quando ita separantur, ut eis concedatur libera potestas alteri nubendi, vel cum alio contrahendi: hoc modo olim mediante libello repudii apud Hebræos dissolvebantur matrimonia, prout videre est apud Clericatum *decis.* 9. *num.* 8.

360 R. jam ad quæsitum. Matrimonium præcisè ratum dissolvi potest tam quoad torum, quàm quoad vinculum 1. per solemnem professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ. 2. per dispensationem à summo Pontifice factam vel faciendam. 3. non tamen per susceptionem Ordinis Sacri, vel impotentiam supervenientem, multò minùs per mutuum dissensum, seu voluntatem conjugum. Ita *cum communi DD.* Clericat. *decis.* 13. La Croix *n.* 412. Ratio primi inde desumitur; tum quia Christus hoc privilegium concessit Religiosæ professioni, prout ex perpetua traditione, sensu Ecclesiæ, atque declaratione, vel potiùs decisione Concilii Trid. *SS.* 24. *Can.* 6. habetur; tum etiam quia contractus matrimonialis ta-

tacitè saltem semper includit hanc conditionem: *nisi ante consummationem voluero amplecti statum religiosum*. Ratio secundi pariter desumitur ex praxi Ecclesiæ. Certè solus Pignatellus *Tom. I. consultat.* 148. refert decem Pontifices, qui in matrimonio rato dispensarunt: atqui sine temeritatis nota dici non valet, quòd dispensando erraverint: ergo. Deinde si possit dispensare Pontifex in voto solemni (prout jam sæpiùs factum esse comperimus, & probavimus superiùs *numer.* 118.) Quidni etiam dispensare valeat in matrimonio rato, quippè quod est vinculum minùs forte, cùm per hoc soli homini, per illud autem vovens & Deo, & Ecclesiæ sit obligatus? Ratio autem tertii desumitur ab opposito; quia scilicet nullibi constat, quòd matrimonium ratum sit dissolubile quoad vinculum, vel per mutuum dissensum Conjugum, vel per impotentiam supervenientem, vel denique per susceptionem Ordinis; quin potiùs oppositum constat ex praxi, & communi persuasione Doctorum, nec non ex declaratione *Joannis XXII. Extrav. Antiquæ. de voto &c.*

Quær. secundò, an vel quomodo matrimonium consummatum inter fideles sit dissolubile?

361 R. Matrimonium consummatum (copula carnali perfecta) inter fideles, rationabilibus de causis dissolvi quidem potest quoad torum, quoad vinculum tamen est simpliciter indissolubile. Ita semper tenuere, & etiamnum tenent *DD. Catholici communiter*. D. Thomas, Scotus 4. *dist.* 31. *litt. G.* & *dist.* 33. *q.* 3. §. *alia opinio.* Mastr. 4. *disp.* 7. *n.* 187. Reiffenst. Laym. &c. & habetur expressè decisum in Concil. Florent. ac Trid. *Can.* 5. 6. 7. & 8. Idipsum protestatur Apostolus 1. *Cor.* 7. dicens: *iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat:* ergo cùm Dominus præcipiat, Mulierem discedentem ex quacunque causa, si non reconcilietur, manere innuptam, manifestum est, inquit La Croix, voluntate viri non posse dissolvi.

Dices tamen. Christus Dominus videtur expressam dedisse licentiam dissolvendi matrimonium consummatum ob fornicationem *Matth.* 19. dicens: *quicunque dimiserit uxorem suam* NB. *nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur*: ergo ob fornicationem licet uxorem dimittere.

362 R. Cum Scot. Mastr. Cleric. *decis.* 10. *numer.* 74. & communi Catholicorum, Christum fuisse locutum de dimissione uxoris ob fornicationem quoad torum, non autem quoad vinculum. Unde disting. Conseq. ergo ob fornificationem licet dimittere uxorem quoad torum & cohabitationem, con. quoad vinculum, neg. conf.

Neque dicas, hanc responsionem esse solùm arbitrariam & excogitatam. Nam Christus *Marc.* 10. absolutè protestatur dicens: *quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Item *Luc.* 16. *omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur: & qui dimissam à viro ducit, mæchatur*: at hoc esset falsum, si ob fornicationem liceret aliam ducere, repudiata priore etiam quoad vinculum: ergo. Hinc D. August. *lib. 2. de adulter. Conjug. c.* 4. ait: *nullius viri posterioris Mulier Uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet Uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur*. Et hanc interpretationem teste Cleric. *n.* 75. faciunt omnes Scripturistæ in commentar. super *Matth. c.* 19. Lyranus, Abulens. Maldonatus, Cornelius à Lapide &c.

Dices adhuc. Pharisæi interrogabant Christum de dimissione Uxoris quoad vinculum, & non quoad torum: ergo Christus censeri debet etiam de illa respondisse.

363 R. Cum La Croix *n.* 402. Christum plus respondisse, quàm interrogarunt, quemadmodum *Matth.* 22. interrogatus: an liceret dare Cæsari tributum? respondit: *reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei, Deo*. Consimiliter asseveravit in nostro proposito licere uxorem quoad torum dimittere propter fornicationem, & tamen sine adulterio non licere dimittere quoad vinculum. Quare in forma distingui potest consequens: ergo

go Christus censendus est, respondisse de dimissione quoad vinculum, & simul de dimissione quoad torum in sensu jam explicato: con, de sola dimissione quoad vinculum, neg. Conf.

364 Quær. tertiò, quo jure Matrimonio consummato Fidelium competat tam stricta indissolubilitas?

R. Aliqui putant competere eidem jure naturæ; alii volunt, competere solùm jure positivo: probabilior tamen sententia tenet, indissolubilitatem matrimonii consummati fundari quidem in jure naturæ, quod fornicationem, seu etiam concubitum vagum (qui ex dissolubilitate matrimonii consummati facilè inveheretur) prohibet: nihilominus omnimodam indissolubilitatem oriri ex jure divino, ob rationem Sacramenti & significationem, seu repræsentationem Unionis hypostaticæ inter naturam humanam Christi & Verbi divini quæ est indissolubilis. Ita Mastr. *cit. à n. 178.* Herincx, Spor. *n* 390. Vid. etiam Clericat. *decis.* 9. & 10. ubi diffusè discurrit hanc controversiam. Quia verò hactenus fuimus locuti de indissolubilitate Matrimonii *Fidelium*; hinc

Quær. quartò, an, vel quomodo matrimonia Infidelium sint solubilia, vel etiam indissolubilia?

365 R. Etsi Matrimonia Infidelium, seu non baptizatorum, legitimè (id est, absque conditione repugnante substantiæ matrimonii) contracta valeant saltem in ratione contractus civilis, ideòque sint per se loquendo indissolubilia; nihilominus si unus eorum convertatur ad fidem veram, potest, contrahendo aliud, prius matrimonium dissolvi in tribus sequentibus casibus. 1. si alter nolit converti, nec cohabitare converso; vel 2. si quidem cohabitare velit, at non sine injuria Creatoris, ut puta, quia Christum, aut fidem blasphemat; vel denique 3. si converso ex cohabitatione immineat periculum subversionis; quapropter Apostolus 1. *Cor.* 7. dicit: *Si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror* (id est fidelis) *in hujusmodi*; quibus verbis Apostolus voluit innuere dispensationem à Christo Domino factam in tribus enumeratis casibus, prout communissimè tradunt DD. catholici. Sanch. Mastr. Salmant, Cardinal. de Lauræa apud Clericat *decis.* 11. *n.* 14. Ratio autem hujus divinæ dispensationis fuit: quia fortè multorum conversiones fuissent impeditæ, & nimis grave accidisset Christi jugum, si omnes ad fidem conversi cogerentur vivere in perpetuo cœlibatu, casu quo alter infidelis nollet converti, aut converso cohabitare sine injuria Christi, vel periculo subversionis. Vid. Laym. La Croix. *n.* 406.

366 Dictum tamen fuit, matrimonium esse dissolubile, *Si unus infidelium convertatur &c.* Nam si uterque amplectatur fidem catholicam, neutri licebit ab altero discedere; quia tunc cessat ratio dispensandi mox insinuata, prout consideranti patebit. *Ita communis DD.*

Quær. quintò, quid sit Divortium?

367 R. Est legitima separatio viri ab uxore, manente adhuc vinculo conjugali. *communis*. Dicitur autem *legitima separatio*: quia sine lege & legitima causa fieri non potest, nec debet; quandoquidem vi contractus matrimonialis Conjuges tenentur ad individuam vitæ societatem retinendam.

Cæterùm, quòd legitimis de causis auctoritate præsertim Ecclesiastica fieri possit divortium, satis constat ex perpetua Ecclesiæ praxi; idque declaratum tanquam de fide legitur in Concil. Trid. *SS.* 24. *Can.* 8. ibi: *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem Conjugum quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum; incertumvè tempus posse fieri decernit: anathema sit.* Hinc jam

Quær. sextò, quibus de causis fieri possit, aut soleat divortium?

368 R. Sex generatim enumerantur. Prima est mutuus contrahentium consensus, si nimirum velint ob honestum finem v. g. ad servandam castitatem, vel ut vacent orationi, prout innuit Apostolus 1. *Cor.* 7. vel etiam ne nimia prolis multiplicatione graventur: secunda est fornicatio spiritualis, seu lapsus in hæresin aut gentilismum: tertia est incitatio ad peccatum grave, aut imminens grave periculum salutis spiritualis; ut si ab altero incitetur ad fidem abjurandam, ad corpus prostituendum per adulterium, ad veneficia &c: quarta est sævitia Conjugis; ut

ut si alteri cohabitare nequeat absque periculo mortis, aut mutilationis, atrocis verberationis, vel salutis corporalis: quinta est votum ultramarinum ad liberandam Terram sanctam: hæc tamen in nostris partibus rarò continget.: sexta est fornicatio, vel potiùs adulterium carnale ab altero *voluntariè & culpabiliter commissum*. Dicitur notanter: voluntariè, & culpabiliter commissum &c. Nam si ex ignorantia inculpabili contigisset, eò quòd v. gr. Conjux putaverit sibi esse rem cum conjuge; aut vi fuisset suppressa &c. non daret causam divortii: quia cùm talis non sit culpabilis, nec puniri debet. *Argum. cap. Ita ne &c. Proposito* 32. *q.* 5. Vid. Reiffenst. *Theol. mor. tr.* 14. *dist.* 13. *à n.* 91. Ubi insuper *n.* 104. notat, nomine adulterii hìc intelligi etiam peccatum sodomiæ, vel bestialitatis, non item tactus impudicos &c. polluriones &c. quia per hæc, licèt cæteroquin gravia peccata, non perfectè, & consummatè læditur jus matrimoniale; cùm non dividatur caro unius Conjugis ab altero in Tertium.

Dices adhuc. Christus Dominus *Matth.* 19. unicam causam divortii recenset, scilicet fornicationem: ergo aliæ non debent admitti.

369 R. Cum P. Engel *tit de Divort. n.* 10. & 11. ac aliis, Christum ideò fornicationem specialiter recensuisse, quia hæc sola dat causam divortii in perpetuum, etjam nolente, & invita altera parte; ubi è contra aliæ causæ non dant jus perpetui; sed solùm temporalis divortii, quamdiu scilicet durant, v. g. periculum incidendi in hæresin, morbum contagiosum, &c. quibus cessantibus separata cogitur redire ad conjugem, eique eidem restituenda.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Divortio Conjugum.

CASUS PRIMUS.

Titius post contractum matrimonium cogitat ingredi Monasterium quoddam pœnitentiæ causa. Motus autem fuit ad hanc resolutionem, tum quia intellexit, Uxorem tempore sponsalium sibi fregisse fidem, peccando cum alio; tum etiam quia pacificè hactenus non cohabitarunt; tum denique quia nunquam adhuc (ob maleficium, ut suspicatur) potuit consummare matrimonium. Dubitat tamen, an sibi liceret ingredi Religionem, eò quòd ante contractum matrimonium suam sponsam aliquoties cognoverit carnaliter. Quid respondendum Titio?

370 R. Titius per se loquendo licitè potest amplecti statum religiosum, etiam renuente Uxore. Ratio patet ex dictis: quia matrimonium præcisè ratum potest dissolvi per professionem Religionis approbatæ; eò quòd contractus matrimonialis semper tacitè saltem involvat hanc conditionem: *nisi voluero amplecti statum religiosum*. Nec obstat, quòd Titius supponatur suam sponsam aliquoties carnaliter cognovisse; quia per copulam antecedentem matrimonium nequivit fieri *consummatum*, cùm nondum fuerit *ratum*.

371 Dictum tamen fuit: *per se loquendo licitè potest*, &c. Si enim supponamus, Titiam ex præcedentibus fornicationibus à suo sponso jam fuisse impregnatam, aut Religionem ob eas forsitan manifestandas diffamatum iri, non licebit Titio ingredi Religionem; quia damnum sponsæ illatum, vel etiam diffamia Religioni inferenda vix alia via præcludi poterunt, quàm perseverando in statu conjugali: ergo tenetur in hoc perseverare. Secùs dicendum foret, si supponatur impotentia Titii fuisse antecedens, & perpetuò duratura; de qua suprà *numer.* 254. dictum fuit, qualiter obstet valori Vide Clericat *decis.* 17. *numer.* 16.

Dices. Dato jam Titium fuisse professum, poteritne Sponsa remanens in sæculo alteri nubere, etsi dedit causam divortio, peccando cum alio?

372 Resp. Poterit. Ratio est, quia professio solemnis dissolvit matrimonium ratum, etiam quoad vinculum. Et quamvis pars nocens, quæ dedit causam divortii v. g. adulterando &c. sine expressa vel tacita saltem licentia non possit transire ad alia vota, nec Religionem ingredi

vel

vel suscipere ordines, tametsi divortium per sententiam Judicis esse institutum; quia divortium non nocentem, sed solùm innocentem eximit ab obligatione tori conjugalis &c. potest tamen licitè transire ad alia vota, supposito, quòd pars innocens mutaverit statum suum, prout fit in professione solemni; quia assumendo talem statum censetur etiam innocens à se abdicare omne jus conjugale, quod habuit in alteram partem. Sanch. Pirrhing. Fagnan. *c. ex litteris. 5. h. t.* Schmalzgr. *eod. tit. n.* 124. Babenst. *tr. 8. p. 7. disp. 2. art. 6. n.* 33.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius abjurato Judaismo, fidem cum baptismate suscepit: fatetur tamen, se tempore Infidelitatis suæ repudiata prima uxore duxisse aliam, pariter Judæam. Quæritur proin 1. quid sibi de prioribus matrimoniis tenendum? 2. an modò repudiata etiam secunda conjuge possit ducere puellam Christianam, quam sibi jamjam desponsavit?

373 R. Ad primum. Matrimonium Sempronii cum prima conjuge fuit omnino validum in ratione contractus (si tamen non exceperint contra perpetuitatem, nec adjecerint aliam conditionem substantiæ matrimonii repugnantem) quia etiam Infideles de jure naturæ possunt invicem transferre dominium suorum corporum, in ordine ad generandam, & educandam prolem; quo supposito dicendum, matrimonium cum secunda contractum fuisse nullum, quandoquidem privilegium repudii jam sit à Christo Domino revocatum, prout defacto communiter tenent omnes Catholici. Quin immò nec licitè potuit secundæ Uxori adhærere, nisi invincibiliter ignorasset revocationem hujus privilegii, inquit Card. de Lauræa apud Clericat. *decis.* 11. Hinc

374 R. Ad secundum, quòd Sempronius teneatur admonere primam conjugem (si tamen possit, aut spes conversionis affulgeat) quatenus etiam ipsa velit amplecti fidem veram, scilicet Catholicam, prout communiter monent DD. la Croix *numer.* 408. Sanchez, Diana, Lauræa &c. apud Cleric. *cit. n.* 21. Quòdsi uxor renuat converti, licebit ei ducere puellam Christianam, immò tenebitur vi promissionis sponsalitiæ.

375 Dices adhuc. At quid, si uxor renuat converti, & nihilominus cohabitare velit?

R. Non tenetur illam acceptare; quia, ut ait Apostolus, *non est servituti subjectus in hujusmodi*. Deinde ex tali cohabitatione plerùmque exponitur fidelis periculo subversionis, ad quod tamen declinandum Christus dispensavit in vinculo matrimonii cum Infidelibus conversis. Quòd autem Apostolus 1. *Cor.* 7. adhortetur, ut, *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo, non dimittat illam*, rationem consilii habet, non præcepti, prout notant DD. la Croix. *n.* 409. Clericat. *l. cit. n.* 10.

CASUS TERTIUS.

Caja ante aliquot menses discessit à suo viro; partim quòd ab eo nedum verbis, sed etiam verberibus fuerit malè tractata; partim etiam, quòd Maritus commiserit adulterium. Et quamvis à suo Marito sæpiùs fuerit revocata. Noluit tamen reverti, nec habet animum revertendi. Quæritur 1. an propter allatas causas potuerit licitè recedere? 2. an etiam protinus possit sequestrata manere, vel 3. quid Confessario in hoc casu valde practico agendum?

376 R. Ad primum. Si mala tractatio respectu Cajæ fuit verè gravis seu sæva, utpote notabiliter excedens modum corrigendi aut corripiendi jure permissum, ex quo Cajæ imminuit grave malum v. g. vitæ, mutilationis &c. ut superiùs dictum, potuit vi hujus licitè recedere à suo Marito, & quidem auctoritate privata; quia nemo tenetur cum periculo gravis mali exspectare sententiam Judicis, ne inde enascantur injuriæ, unde debet nasci jus. Quin etiam propter solum adulterium culpabiliter à viro admissum, tuta conscientia potuit discedere, dummodo de adulterio fuerit moraliter certa (sola enim suspicio, quantumvis gravis, non dat causam recedendi, prout communissimè tenent DD. Palaus, Filliuc.

Laym. *lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 7.*) & scandalum absit. Ratio est: quia matrimonium ex sua natura non aliter obligat ad redditionem debiti, & alia matrimonii onera, quàm sub conditione, *si etiam alter conjux fidem conjugalem servet*: ergo si alter fidem fregerit, cessat hæc obligatio saltem in foro conscientiæ. Schmier. *de Matr. tr. 2. c. 5. n. 91.* Wiestner, Reiffenst. Clericat. *decis. 39. n. 31.* Schmalzgr. *h. tit. n. 112.* Gobat. *tr. 10. nu. 722.* Quia tamen separatio quoad cohabitationem est res publica, ex qua facilè oriri possunt scandala implebe; hinc *DD. cit. communiter* monent, eam fieri non debere auctoritate privata, sed judicio Ecclesiæ, prout etiam statuitur. *c. Porro de Divort.*

377 Resp. Ad secundum. Caja propter adulterium à Marito culpabiliter admissum, potest in perpetuum manere sequestrata ab eodem, si tamen adulterium sit publicè notorium notorietate juris vel facti (nam si sit occultum, à Judice Ecclesiastico restituetur viro petenti, quousque adulterium viri probaverit. Juxta *c. significasti de Divort.*) Ratio jam constare debet ex dictis: quia adulterium tribuit jus divertendi à Conjuge, & quidem in perpetuum. *Argum. c.* mox cit. At verò si ob solam Mariti sævitiam divertisset, non liceret ei in tali statu perseverare in perpetuum, sed tamdiu solùm, quamdiu Maritus non præstiterit sufficientem cautionem, quòd velit sævitiam deponere &c. prout habetur *cap. litteras, &c. ex transmissa de restitut. spoliat.* ut jam *numer. 369.* insinuatum fuit. Vid. Reiffenst. *cit. num. 100.*

378 R. Jam ad Tertium. Confessario in simili casu laborandum videtur, ut persuadeat Cajæ, quatenus velit regredi ad suum Maritum (nisi prudenter prævideret, ex tali regressu majora oritura mala &c.) Ratio est: quia oportet, ut Confessarius suo pœnitenti suadeat ea, quæ pro animæ salute videntur magis expedire: at magis expediens videtur in his circumstantiis regressus ad Maritum, ad evitandum periculum incontinentiæ in conjugibus, & præsertim si quas jam suscepissent proles, ad melius eas educandas: ergo. Vid. Gobat. *citat. numer. 723.* vel in *Quin. tit. 5. c. 34. Sect. 1. 2. & 3.* La Croix *à num. 426.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

379 Colliges primò, ad consummandum matrimonium, & omnimodam indissolubilitatem hujus vinculi, necessariam esse copulam perfectam, de qua suprà *n. 226.* Ratio est: quia requiritur, talis, quæ sit de se sufficiens ad generationem, vi cujus vir ac mulier efficiuntur una caro, & incipiunt repræsentare unionem Humanitatis Christi cum Divinitate: sola autem copula perfecta est talis: ergo &c. Et hæc sententia potest deservire Confessario, casu quo Conjuges jam essent separati, vel ad alia vota transiissent, prout bene animadvertit Cleric. *decis. 7. nu. 12.* Quamvis ante factum potiùs sit inclinandum semper pro valore prioris matrimonii, & Conjuges adhortandi, ut velint in eodem perseverare.

380 Colliges secundò Matrimonium ratum non dissolvi per solum ingressum alterius in Religionem, nec per qualemcunque professionem, sed per professionem solemnem Religionis ab Ecclesia approbatæ, cum emissione trium votorum substantialium, scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis perpetuæ. Hinc quamvis Tertiarii, & Tertiariæ Ord. S. Francisci, vel S. Dominici, in sæculo non claustraliter viventes, faciant professionem pœnitentiæ causa, quòd velint servare mandata divina &c. non tamen per hoc solvuntur ab onere Conjugii, si quod contraxerunt; tum quia non emittunt tria vota substantialia; tum etiam quia, esto aliquod votum emitterent, non tamen foret solemne, ut suprà *n. 77.* notavimus.

Cæterùm ratio congrua hujus constitutionis Ecclesiasticæ fuit hæc: quia professio solemnis Religionis approbatæ est quædam mors spiritualis, ita, ut solemniter professus fictione juris censeatur sæculo defunctus, juxta illud *Col. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, &c.* Quemadmodum ergo mors naturalis solvit vinculum carnale

male matrimonii consummati; ita & mors spiritualis, vel potiùs civilis, debet solvere vinculum spirituale matrimonii rati. Jam verò professio Tertiariorum (sicut, & susceptio Ordinis sacri) non est mors civilis: ergo mirum videri non debet, quòd hæc non habeat vim dissolvendi matrimonium ratum D. Thom. 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. Bellarm. Durand. Sotus, Card. de Lauræa & alii apud Clericat. *decis.* 13. *n.* 35. & 38.

381 Colliges Tertiò, Conjugem, qui absque gravi periculo animæ vel corporis nequit simul habitare cum altero conjuge, eximi ab obligationibus matrimonialibus. Ratio est: quia lex charitatis exigit, ut quisque sibi priùs velit consultum, quàm alteri: ergo nemo censetur se obligare alteri ad non cavenda pericula salutis propriæ corporalis, aut spiritualis. Illsung. *tr.* 6. *disp.* 9. *q.* 4. *art.* 2. *n.* 146. Babenst. ubi suprà *num.* 34. Ex quo iidem DD. inferunt, Conjugem posse divertere, si alter incidat in hæresin, eidemque pertinaciter adhæreat, aut si incidat in lepram, pestem, vel alium morbum contagiosum &c.

382 Colliges Quartò Conjugem, qui alteri causam dedit vel facultatem adulterandi, sive expressè, sive tacitè; ut si adulterium, dum facilè potuisset, non impedivit, vel si debitum negavit per longum tempus v.g. 5. aut 6. menses, dum tamen advertit, alterum ideò fore in periculo incontinentiæ &c. non posse propterea petere divortium. Item dicendum de eo, qui adulterium, vel potius injuriam vi adulterii ab altero conjuge commissi sibi illatam expressè, vel tacitè condonavit. Ratio est: quia tales censentpr renuntiare juri suo: qui autem juri suo renuntiat, illud non potest repetere *c. Quam periculosum* 7. *q.* 1. Censetur autem Conjux innocens tacitè condonare injuriam, si post cognitum adulterium alterius actum conjugalem cum eo exerceat: secùs dicendum foret, pro foro conscientiæ, si exercendo hujusmodi actum expressè intendisset, alteri non remittere injuriam, ut notat Spor. *num.* 511. Vid. Reiffenst. *numer.* 113. La Croix *num.* 433. & 434. ubi plures pro hac opinione refert.

Dices adhuc. At quid, si Conjux post cognitum alterius adulterium, vel etiam post sententiam divortii jam latam à Judice, & ipse committat adulterium, possetne in hoc casu manere divortiatus, an verò teneretur regredi ad alterum, si repetatur.

383 R. In tali casu probabilius tenetur regredi. Ita contra Sylvest. Sanchez, & alios, Schmier. *tr.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 109. Engel hic *n.* 15. wiestner, Reiffenst. aliique plures apud Schmalzg. *tit.* 19. *n.* 135. Ratio est: quia sententia non dat jus divertendi, sed solùm illud ex adulterio innocenti aquisitum declarat, ut eo publicè uti possit: atqui jus divdrtendi ex adulterio quæsitum innocenti, solùm est conditionatum, *Si actor servaverit continentiam, & quamdiu innocens est*: aliàs matrimonium restaurare non teneretur innocens, si post divortium propria auctoritate institutum, ipse pariter fuisset lapsus in adulterium, quod tamen certò videtur falsum: ergo non obstante divortii sententia probabiliùs tenetur regredi, si ab altero petatur.

CONFERENTIA

DECIMASEXTA.

De Matrimonii usu licito, & debito.

SUMMARIUM.

§. I.

Proponuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad debitè resolvendos casus de licito ac debito Matrimonii usu.

384 QUæres primò utrùm usus matrimonii, seu actus conjugalis ex se sit licitus?

R. Est omnino licitus veris conjugibus, immò & honestus ac meritorius, dummodo sit vestitus debitis circumstantiis. *Communissima* DD. Ratio est: quia est medium ex natura rei ordinatum ad finem bonum, atque honestum, scilicet ad legitimam propagationem humani Generis. Unde Deus ipse Protoparentibus nostris primò conjugatis *Gen.* 2. dixit: *crescite, & multiplicamini*: atqui blasphemum foret, dicere, quòd Deus aliquid ex se malum præceperit: ergo &c. Additum tamen fuit: *Dummodo sit vestitus debitis circumstantiis &c.* fine scilicet, & modo debito &c. quem, si conjuges non servent, possunt peccare etiam graviter, prout constabit ex dicendis *à n.* 409.

Quær. 2. Utrùm actus conjugalis etiam sit debitus, & quando?

385 R. Est etiam debitus, & quidem toties, quoties alter conjux debitum seriò, justè, & rationabiliter, ac licitè saltem ex parte copulæ petit, sive dein expressè, sive tacitè. Ita rursus *Commun. DD.* Sporer. *nu.* 506. Babenstuber. *hic disp.* 4. *art.* 1. *num.* 1. Ratio est: quia ex ipsa natura contractus matrimonialis conjuges invicem transferunt potestatem corporum, in ordine ad usum generationis, & quidem proximum, regulariter loquendo; & cùm res hæc gravis momenti, si quippe ex cujus negatione sæpè sæpiùs exponuntur periculo incontinentiæ; hinc sine gravi peccato justè petenti debitum denegari non potest.

386 Dictum verò fuit 1. *Seriò petenti &c.* si enim seriò non peteret, vel etiam levi tergiversatione, suasione aut prece de facili averti possit, communiter fatentur DD. non esse peccatum grave, sicut nec graviter peccat, qui redditionem pauxillùm

lùm differret, dummodo respectu alterius non sit præsens periculum incontinentiæ, nec talis dilatio, aut tergiversatio ægrè feratur. Additum insuper est. 2. *justè petenti*; quia ubi cessat jus petendi consequenter cessat obligatio reddendi. 3. dictum est: *rationabiliter petenti*; quia petitio debiti obligans ad reddendum, debet esse humana & rationabilis; hinc Illsung. proximè *cit. nu.* 127. infert, quòd conjux non teneatur reddere si petens sit ebrius, aut amens, nisi aliud grave malum ex denegatione oriturum prævideret. Quòd autem etiam tacitè petenti debitum sit reddendum, inde colligi potest & concludi: quia jus petendi & obligatio reddendi supponitur certa ex parte utriusque: ergo conjux tenetur reddere sive petens expressè, sive tacitè, seu per aliqua signa suam voluntatem manifestet. Vid. Illsung. & Babenst. citt.

Quær. tertiò, quandonam usus Matrimonii non sit debitus, proindeque petenti negari possit justè?

387 R. Varii varias enumerant causas & casus, ut videre licet apud Cleric. *decis.* 38. *num.* 13. Certum tamen videtur, quòd in sequentibus casibus debitum justè negari possit. 1. Si unus Conjugum culpabiliter commisit adulterium, ut proximè dictum fuit. 2. Si divortium sit legitimè factum. 3. Si conjux ob commissum incestum cum consanguinea Uxoris in primo vel secundo gradu, amisit jus petendi. 4. Si petens careat usu rationis, aut ebrius sit. vel 5. Si priùs cessit juri proximo petendi. 6. Si reddens rationabiliter possit timere grave damnum vel periculum salutis corporalis aut spiritualis, ut puta, si v. g. Maritus sit peste, morbo gallico vel lepra infectus &c. quia in his casibus conjuges non censentur se obligasse ad reddendum. 7. Neque tenentur debitum reddere intrà primum bimestre. ex speciali privilegio & concessione juris. *c. ex publico. de Convers. Conjug.* 8. Multi tenent, debitum negari posse ex eo etiam capite, ne proles nimiùm multiplicetur, dummodo absit periculum incontinentiæ: alii tamen hoc negant; eò quòd matrimonium principaliter sit institutum ad finem propagationis. Verùm P. Herincx de Matr. *disp.* 7. *num.* 5. *fine*. sapienter, meo judicio, ait, hoc judicio prudentis, attentis personarum circumstantiis, discernendum esse. Unde Sporer. *nu.* 516. à peccato gravi excusandam meritò censet Uxorem miseram, quæ Marito omnia abligurienti, cogebatur domi cum liberis esurire, proptereaque, ne ampliùs multiplicetur miseranda proles, negabat debitum; quòusque vir se emendaret.

388 Notandum tamen hìc venit, quòd licet in casibus mox enumeratis Conjux negando debitum non peccet contra justitiam, possit tamen subinde, & frequenter quidem graviter peccare contra charitatem, ut si advertat alterum Conjugem versari in gravi periculo incontinentiæ &c. tunc enim, si absque graviori incommodo possit, tenetur reddere debitum exigenti, prout DD. communiter advertunt. Et meritò quidem (debito tamen cum moderamine) reprehendendæ erunt Uxores, quæ Maritis suis absque justa vel sufficienti causa debitum negant, ad eos mortificandos; quia tales, prætequam quòd justum negando graviter peccent contra justitiam, insuper & contra charitatem delinquunt, exponendo Maritum periculo incontinentiæ, & aliorum gravium peccatorum.

Quær. quartò, Sitne usus matrimonii licitus pro eo tempore, quo Uxor patitur menstruum, vel lactans, aut prægnans, aut omnino sterilis est?

389 R. primò. Usus matrimonii tempore fluxus menstrui naturalis, quem fœminæ regulariter loquendo singulis mensibus patiuntur, non est graviter illicitus, sed ad summum venialiter peccaminosus. Ratio inde desumitur: ideò enim secundùm AA. esset graviter peccaminosus, quia parentes sese, aut certè prolem nascituram exponerent periculo infirmitatum, vel quia semen videtur frustrà effundi; cùm eo tempore rarissimè soleant concipere fœminæ: atqui hæc minimè urgent; nam innumeri conjuges coeunt tempore menstrui, (ait Sanchez. *lib.* 9. *disp.* 21. *numer.* 7.) & tamen rarissimè, sibi, vel proli damnum inferunt; item sine peccato coeunt tempore prægnationis aut sterilitatis, ut proximè dicemus,

mus, & tamen per se loquendo non peccant: ergo &c. Quia tamen talis accessus ad menstruatam videtur præseferre aliquam inhonestatem, & turpitudinem, vel etiam aliqualem incontinentiam contra rectæ rationis dictamen; hinc Sanch. *loc. cit.* Filliuc. Castrop. de Sponsal. *disp.* 3. *punct.* 4. §. 4. *n.* 7. & 8. aliique communiter dicunt, taliter accedentem peccare venialiter *per se loquendo*, nisi scilicet adsit justa causa excusans; qualis esset periculum incontinentiæ aut fornicationis; tunc enim accessus omni culpa vacabit. Unde Filliuc & Castrop. *cit. n.* 9. rectè dicunt, uxorem tali tempore licitè reddere, immò teneri ad reddendum, si Maritus de periculo prolis concipiendæ admonitus, nolit desistere.

390 R. Secundò. Actus conjugalis tempore lactationis vel prægnationis per se loquendo non est illicitus. Ita rursus Sanch. Bonacin. Illsung. ubi suprà *numer.* 132. Ratio est: tum quia nulla lex prohibens exstat; tum etiam quia esset onus longè difficillimum, si vir toto tempore lactationis aut prægnationis cogeretur abstinere ab usu conjugii: nec dubitandum, quin hujusmodi conjuges innumeris exponerentur peccandi periculis. Dictum tamen est *per se loquendo*; nam si ex congressu cum uxore propinqua partui timendum esset periculum abortus, vel suffocationis, peccarent mortaliter, ut de se clarum est. Eodem modo discurrendum est de usu matrimonii post partum ante purificationem. Cùm enim nulla exstet, aut ostendi possit lex prohibens actum conjugalem pro illo tempore, & ex altera parte non rarò possit oriri periculum incontinentiæ, non videtur, cur usus matrimonii non sit licitus, immò cur non etiam sit debitus, præsertim si puerpera ab immunditiis corporis jam supponatur expurgata; etenim regulariter loquendo potest debitum in tali statu reddi absque difficultate vel periculo morbi &c. Etsi videatur nonnulla indecentia venialiter culpabilis, si Maritus accederet ad nondum expurgatam corporaliter, ut proximè dictum fuit. Quin etiam, si ex tali coitu fœminæ rationabiliter timeretur gravis morbus imminere, cessaret obligatio reddendi debitum: quia Conjuges non censentur cum tanto periculo sese obligasse ad usum matrimonii: immò verò, cùm vitam suam teneantur conservare nec licet eam sine urgentiori causa gravi discrimini exponere, non potuerant se obligare ad reddendum in talibus circumstantiis, prout bene docent Sotus, Ledesma, Angelus, Palacios, quos citat, & sequitur Sanchez *de Matr. lib.* 9. *disp.* 24. *à n.* 11. & *disp.* 24.

391 Resp. Tertiò. Etiam sterilibus licitus est usus conjugii. Ita Kugler, Laym. Sporer, Herincx. *p.* 4. *disp.* 6. *n.* 92. & alii communiter. Ratio est: tum quia nulla lex in contrarium ostendi potest: tum etiam, quia steriles de se sunt capaces ad actum conjugalem perficiendum: quòd autem ex tali congressu nulla sequatur generatio, est merè per accidens: neque enim hoc provenit ex natura ipsius actus conjugalis, sed solùm ex indispositione, Conjugis, vel etiam ex eo, quòd semen non sit proliferum. Vid. Babenst. *cit. disp.* 4. *art.* 1. *n.* 9. Kugler. *n.* 2036.

Quær. 5. Utrùm Conjugatis liceant tactus impudici, aspectus, amplexus, verba, vel etiam oscula?

392 R. 1. Si fiant in ordine ad copulam vel contestandum amorem conjugalem &c. omnino licent, modò absit periculum voluntariæ pollutionis, & actus ipsi ex suo objecto non sint nimis obscæni, & bestiales potiùs aut sodomitici, quàm conjugales: tunc enim Sanchez, Gobat, Fagundez, Castrop. Sporer, la Croix *num.* 345. meritò putant, conjuges mortaliter peccare; eò quòd tales actus nimiùm à recta ratione, & fine matrimonii deflectant, & bruta animantia magis, quàm homines ratione præditos deceant. Ratio autem hujus responsionis est: quia Conjugibus licitus est usus matrimonii, seu copula ad finem generationis: ergo & tactus &c. velut media ad hunc finem necessaria, vel certè conducentia, eisdem permitti debent. Si tamen facerent ob meram voluptatem, peccarent venialiter; quia tunc interveniret quædam subversio finis, & inordinata delectatio in re de se licita conjugibus. Tambur. *lib.* 7. *decal. c.* 3. §. 5. *n.* 10. & 42. Illsung. *cit. n.* 129.

Resp. 2.

393 Resp. 2. Si Conjux vel in proprio, vel in alterius corpore exerceat hujusmodi tactus, amplexus &c. cum prævisio periculo pollutionis, & quidem sine gravi, vel etiam urgente causa, peccat mortaliter. Ita communiter DD. Mastr. Herincx q. 7. n. 33. & alii. Ratio est clara: quia pollutio voluntaria est peccatum mortale: ergo etiam tactus, amplexus &c. ex quibus velut mediis ex sua natura in hunc finem ordinatis, subsecutura prævidetur pollutio, absque lethali culpa exerceri non possunt sine justa vel urgente causa; quod notanter additur; nam si justa subsit causa, non consentur procurare, sed potiùs permittere pollutionem: permitti autem potest sine culpa, dummodo excludatur consensus in delectationem. Sanchez *l. 9. disp. 45. à n. 33.* Herincx *cit. disp. 7. num. 21.* Sporer. *num. 499. & 500.* Perez, Kugler.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de licito ac debito usu Matrimonii.

CASUS PRIMUS.

Titius deprehendit uxorem suam ab alio concepisse; qua propter timens, ne deinceps simile quid contingeret, & ipse cogeretur alere proles spurias, & suppositias petiit quidem frequenter debitum, debito tamen modo hactenus nunquam perfecit, sed abrupta copula semen ad extra semper dispersit. Quæritur jam in hoc casu 1. an Titia Uxor teneatur, vel saltem deinceps possit suo Marito debitum reddere? 2. an etiam Maritus teneatur, reddere Uxori modo competenti?

394 R. Ad primum. Si maritus nollit perficere actum conjugalem modò debito, Titia non tenetur reddere: Nihilominus reddere potest licitè, si absque gravi incommodo, offensa, periculo rixarum, aut incontinentiæ (quod rarò abesse solet in similibus casibus) illud declinare nequeat. Ratio primi est: quia Conjuges vi contractus matrimonialis non solent se obligare, nisi ad usum matrimonii à Deo ordinatum, & de se aptum ad generationem, seu propagationem humani generis: ergo si Maritus non velit matrimonio uti prout oportet, Titia justè id recusare potest. Ratio autem 2. quòd scilicet possit, si velit, reddere, hæc est: quia maritus habet jus ad copulam saltem perfectam, ad quam Titia concurrere potest, & intendit: quòd autem Maritus debito modo eandem non perficiat, ex sola ipsius culpa immediatè, & proximè oritur, ad quam uxor justa, & gravi de causa merùm permissivè se habet: atqui peccatum alterius permittere, vel etiam ad materiale peccati, gravi ex causa cooperari est licitum: ergo si Titia abusum Mariti sui suavi, & charitativa dehortatione impedire nequit, potest illum permittere. Sporer *numer. 490.*

395 Dixi tamen: *si charitativa dehortatione impedire nequit* &c. Certum quippe videtur, quòd Titia in hoc casu omni modo moraliter possibili laborare teneatur, ut vel per se, vel per alium virum prudentem v. g. Confessarius Marito persuadeat, quatenus matrimonio debitè velit uti; & hoc quidem eò ampliùs, quo ipsa per suum adulterium causam, vel potiùs occasionem tot peccatis & abusibus dedit. Forsitan non erit difficile hoc impetrare à Titio, ubi is in uxore deprehenderit emendationem seriam, atque animum, ab omni extravagante commercio carnali alienum. Vid. Sanch. *lib. 9. disp. 16.* La Croix *n. 356.*

396 Resp. Ad Secundum. Si Titio moraliter certò constet, de adulterio ab uxore culpabiliter commisso, & injuriam sibi factum nondum condonavit, non tenetur eidem reddere debitum, prout dictum fuit *num. 368. & 387.* Certum tamen est, quòd, si velit uti matrimonio, teneatur illo uti, modo à natura, & Deo auctore naturæ ordinato, ad finem scilicet generationis. *Comm. DD.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronia post primum puerperium hactenus semper denegavit debitum Ma-

rito suo, sequentibus de causis 1. quia ab eo tempore, quo primò concepit semper se malè habuit, continuis succumbens infirmitatibus 2. quia in partu sensit dolores inexplicabiles seu ingentes 3. quia cum summo vitæ periculo tandem enixa est fœtum, & quidem mortuum. Quæritur jam, an singulæ causæ, vel saltem omnes modo enumeratæ simul sumptæ, Semproniam exeusent ab onere debiti conjugalis, an verè hactenus illud recusando peccaverit?

397 Resp. Primò Causæ modo allatæ non videntur sufficientes ad eximendam Semproniam ab onere debiti conjugalis. Non enim prima; tum quia infirmitates, si sint leves tantùm, ut puta, dolores capitis, dentium, vel etiam parvæ febris, inquit Clericatus *decis.* 38. *numer.* 13. non excusant; tum etiam quia Mulieres primò uterum gestantes plerùmque majoribus subjiciuntur difficultatibus, quàm aliæ jam assuetæ ferendo oneri. Nec secunda causa excusat; quia cum vi contractus matrimonialis se obligaverit ad usum corporis tradendum ad finem generationis, eò ipso censetur se obligasse ad concomitantia partum seu generationem, scilicet dolores in partu sufferendos. Nec denique tertia causa satis excusare videtur Semproniam; quippe experientia constat, mulieres in primo partu regulariter loquendo, majores experiri difficultates, quàm in sequentibus. Quin immò Mulieres, quæ pluries faciliter parturiere, subinde sentiunt maximos dolores, pericula &c. edunt fœtum mortuum &c. Quapropter, cùm obligatio reddendi debitum sit certa, pericula autem aut difficultates extraordinariæ in proximo partu sufferendæ, omnino incerta, & dubia, Sempronia omnino obliganda videtur, & inducenda ad subeunda Conjugii onera, præsertim ex eo, quod procul dubio Maritus innumeris exponeretur incontinentiæ periculis. Nec dubitandum, quin Sempronia hactenus negando debitum, per se loquendo, graviter peccavit, & quidem toties, quoties justè petenti denegavit, quamvis ob ignorantiam fortè inculpabilem, aut bonam fidem à peccato formali possit excusari.

398 Resp. Tamen secundò. Si Semproniæ Medicorum judicio certò constaret, se ex iterata conceptione exponitum iri gravium morborum periculis, aut vitæ discrimini, vel etiam fœtum non nisi mortuum edituram, & posset protinus absque peccato recusare debitum, prout communiter fatentur DD. D. Th. Scot. 4. *distinct.* 32. Sanchez Laym. Sporer *numer* 514. Ratio est: quia Conjuges corporum suorum potestatem non aliter censentur transferre, nisi salva semper suarum Personarum incolumitate: immò nec possunt se aliter obligare; cùm non habeant absolutum corporum suorum dominium.

Dices. At quid, si uxor non obstantibus hujuscemodi periculis prævisis, nihilominùs velit obtemperare Marito, licebitne?

399 Resp. Licebit: tum quia pericula hujusmodi non sunt adeò certa, aut infallibilia? immò ordinario Dei beneficio fieri potest, ut felicem omnino edat partum: & cum ex altera parte difficillimum, immò, & periculosum existat, quasi semper uri, & nunqnam aduri venereis flammis; hinc videntur manere in possessione sui Juris, & petendi, & reddendi debitum: tum denique, quia etsi proles nasceretur mortua, tamen melius illi foret existere privatam visione DEI, quàm nunquam exstitisse, prout post D. August. communiter notant DD. Vid. Sporer cit. *numer.* 115. *fine.*

CASUS TERTIUS.

Cajus, & Caja Conjugati, communi consensu voverunt, quòd diebus festivis Communionis, & Sabbathinis, nec non per totam quadragesimam vellent abstinere ab opere conjugali. Verùm Cajus post editum votum advertit, se memoratis diebus solitò acrioribus carnis stimulis urgeri; quibus cùm non rarò succubuisset, petiit aliquoties à Conjuge debitum. Caja voti haud immemor, timet hinc offensam Dei, si reddat: illinc verò, si non reddat, offensam Mariti, quem probè animadvertit, ob debitum sibi denegatum, aliquoties sese polluisse. Quærit proin, an teneatur

vel

vel saltem tuta conscientia possit aquiescere Marito?

400 R. Si, ut Casus fert, votum abstinendi communi consensu, & quidem absolutè & irrevocabiliter emiserunt, non possunt absque peccato sacrilegii uti matrimonio diebus illis. Ita D. August. S. Gregor. Albertus M. aliisque pluribus congestis Sanch. *l.* 9. *disp.* 37. *numer.* 10. & 17. La Croix. *numer.* 370. Ratio est: quia tale votum fuit validum, & de bono meliori: ergo obligat ad abstinendum ab opere conjugali, præsertim quia mutuo consensu vovendo, conjuges à se abdicarunt jus proximum ad illum actum. Ex quo Sanch. *cit.* Laym. & alii inferunt, conjugem, qui in tali casu petit usum tanquam sibi debitum, nedum contra votum & virtutem religionis, sed etiam contra justitiam peccare. Addit La Croix *l. cit.* hujusmodi conjuges per Judicem Ecclesiasticum compelli non posse, ut redeant ad usum corporis, etiamsi essent obnoxii periculo, vel alteruter lapsus fuisset in fornicationem, sed tenerentur vel fortiùs resistendo vincere tentationes, vel petere dispensationem: & hoc ultimum remedium censeo suggerendum hujusmodi Conjugibus, nempe ut dispensationem petant; quam procul dubio obtinebunt, vel ab Episcopo, vel etiam ab aliquo Confessario Mendicantium, qui in hujusmodi votis dispensare possunt, prout jam alibi notatum fuit.

Dices Ergòne Uxor in tali casu votum Mariti, aut vicissim Maritus votum Uxoris irritare non potest?

401 R. Non possunt. Ita *cum communi* Abbas, Tanchez, Laym. tom. 2. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 7. *numer.* 16. Ratio est: quia cùm mutuo consensu voverint, censentur juri suo renuntiasse Secùs dicendum foret, si voventes sibi reservassent jus irritandi tale votum, casu quo adverterent magnum incontinentiæ periculum. Meritò etiam monet Laym. *cit. fine*. Conjugibus (nisi senes sint) non esse suadendum facilè, ut edant votum continentiæ, præsertim perpetuæ; iuxta quod hortatur Apostolus 1. *Cor.* 7. *Revertimini in idipsum, ne tentet vos Sathanas.*

Dices adhuc. At quid, si solùm fecissent votum non petendi debitum diebus suprà specificatis?

402 R. Adhuc fuisset validum, & teneretur quilibet abstinere à petendo: hoc tamen non obstante, si unus adverteret, alterum versari in periculo incontinentiæ, posset, immò secundùm Navarrum, Sanchez, La Croix. cit. & alios, ex charitate teneretur alteri reddere debitum: quia per votum *non petendi* non voluerunt excludere usum *reddendi* ex justitia, vel saltem ex præcepto charitatis debitum. Quin etiam si unus adverteret, alterum versari in periculo incontinentiæ, posset se insinuare & offerre ad usum; tum quia talis insinuatio vel oblatio non est debiti petitio, sed potiùs redditio; tum etiam, quia in tali casu neuter verè petit, sed quodam modo reddit; cùm neuter id faciat sibi satisfaciendi gratia, sed morem gerendi alteri. Videatur Filliuc. proximè citandus *nnmer.* 313. vel Sanch. *l.* 9. *disp.* 7. *numer.* 11.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

403 Colliges ex dictis primò, neutrum ex conjugibus teneri ad petendum debitum, regulariter loquendo. Ratio est: quia nemo tenetur uti jure suo, sed potest quivis illi cedere. *c. ad Apostolicam. de Regular.*

Dictum tamen est: *per se loquendo*: nam per accidens, ob periculum incontinentiæ, quod Conjux advertit in se vel in altero, potest esse obligatio petendi. Vid. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 10. *n.* 304. Babenst. *cit. art.* 1. *n.* 5.

404 Collig. secundò, Conjugem qui alteri seriò, justè & rationabiliter petenti, debitum negat sine justa & sufficienti causa peccare mortaliter. Ratio est: quia secundùm dicta *nu.* 385. hæc obligatio est omnino gravis. Quin etiam contra charitatem peccabit graviter negando, dum animadvertit alterum incontinentiæ periculo expositum. Ex quo inferunt Sanch. *lib.* 9. *disp.* 3. *n.* 3. Bonac. Filliuc. *cit. n.* 305. & alii, Conjugem, qui vel crebris pollutionibus, vel etiam immoderatis vitæ au-

austeritatibus v. g. jejuniis, vigiliis &c. se reddit inhabilem ad commodè reddendum debitum, peccare mortaliter: quia Conjux eadem obligatione justitiæ, qua tenetur reddere debitum, etiam tenetur non efficere se impotentem ad ejus redditionem. Inferunt item, Conjugem non posse diu abesse ab altero conjuge, nisi hic consentiat, vel talem absentiam exigat necessitas. Ratio est: quia per absentiam impeditur usus Matrimonii. Vid. Babenstuber ubi suprà *disput. 4. artic. 1. num. 2. & seqq.*

405 Colliges Tertiò, Confessario incumbere, ut moneat pœnitentem suæ obligationis, quando adverrit eum absque justa causa negare debitum; quia aliàs perseveraret in malo statu. Laym. *lib. 5. tr. 10. part. 4. cap. 1. num. 1.* Tunc autem, inquit La Croix, *num. 399.* habebit justam causam suspicandi de tali defectu, si deprehendat, conjuges continuò rixari; hinc suaviter pœnitentem rogare poterit, an etjam omnia præstet, ad quæ obligatur conjugi suo vel suæ?

406 Colliges quartò, etiam illis Conjugibus, qui ob aliquam causam extrinsecam, v. g. morbum, periculum abortus, vel etiam aliam impotentiam supervenientem, impediuntur ab ipso usu matrimonii, vel alia de causa nollent eo uti, nihilominus licitos esse tactus impudicos, aspectus, oscula &c. dummodo absit periculum pollutionis, & tales actus fiant ad honestum finem, v. g. ad concitandum vel etiam contestandum amorem conjugalem (si enim fierent ex mera, & sola voluptate, essent peccaminosi venialiter, ut suprà dictum) Ita Castrop: *de Sponf. disp. 3. punc. 4. §. 2. n. 3.* Illsung. *disp. 9. n. 129.* La Croix. *n. 341.* ubi refert pro hac opinione 36. alios DD. Ratio est: quia si tales actus Conjugibus essent graviter prohibiti, matrimonium foret perpetua, & proxima occasio æternæ damnationis; ideòque illicita foret omnis societas conjugalis præsertim in toro: quia hæc afferret proximum periculum mortaliter peccandi (ac proinde taliter cohabitantes, & perseverare volentes absolvi non possent; quod tamen sicut à ratione, ita, & à veritate alienum est.

Dices. Status matrimonialis illos tantùm actus cohonestat, qui hic, & nunc possunt esse usus conjugii: ergo si conjuges nolint, aut non possint uti matrimonio, etiam hujusmodi actus erunt ipsis graviter illiciti.

407 R. Cum P. La Croix *cit. neg. antecedens* alioqui non licerent illis ulla oscula, amplexus vel aspectus, nisi dum actu cogitarent coire: quod tamen falsum est: nam tales actus vel tactus, utpote conjugis, natura sua referuntur ad copulam conjugalem, à qua relatione non eximuntur, esto Conjux copulam non intendat; aut etiam impossibilis sit v. g. ob absentiam alterius conjugis: hæc enim per accidens contingunt, nec relationem intrinsecam illorum actuum mutant: & sicut matrimonium cohonestat ipsam copulam conjugalem; ita & tales actus, tametsi per accidens hic, & nunc non deserviant copulæ. Sanch. Hurtado, Ochagavia, Palao *cit. num. 5.*

408 Colliges tandem quintò, Conjugibus licitum esse desistere ab actu conjugali jam inchoato, modò non sit facta seminatio ad generationem insufficiens, nec periculum illius faciendæ. Ratio est: quia reliqua, quæ acta sunt, non differunt à tactibus impudicis. Cajetanus, Palud. Saa, Sporer *num. 490.* Illsung. *cit. num. 129. fin.*

CONFERENTIA

DECIMASEPTIMA.

De Matrimonii usu illicito, seu peccatis Conjugum.

SUMMARIUM.

409 *Usus Conjugii ex triplici capite potest reddi illicitus.*

410 *Substantia actus conjugalis postulat, ut fiat cum immissione seminis intra vas &c.*

411 *Modus autem, ut fiat Muliere Succ — Viro incubo &c.*

412 In-

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria, ad ritè decidendos casus de usu illicito Matrimonii, seu peccatis Conjugum.

QUæres primò, an vel qua ratione usus Matrimonii reddatur illicitus, seu peccaminosus?

R. 409 Ex triplici capite potest, & frequenter satis redditur peccaminosus, videlicet 1. ex eo, quòd Conjuges non observent id, quod est de substantia actus conjugalis 2. vel quod non servent debitum modum, vel denique 3. quòd alia accedat circumstantia reddens eundem actum peccaminosum. Ita *Communis*.

Quær. 2. quid quoad substantiam usus conjugalis sit observandum?

410 Resp. Est vel maximè observandum, ut fiat cum immissione, & retentione seminis intra vas naturale debitum, scilicet matricem. Ratio est: quia usus conjugii permissus, & institutus est principaliter ad finem generationis, seu propagationis speciei humanæ: atqui nulla potest sperari generatio, ubi seminis fit dispersio extrà vas naturale: ergo. Ex quo Babenstub. *cit. disp.* 4. *art.* 1. *num.* 6. bene concludit, fœminam sub peccato mortali obligari 1. ut semen viri receptum retineat 2. ut, quando ipsa jam seminavit, exspectet seminationem viri; quia semen fœmineum se solo non est sufficiens ad generationem. Vid. Gobat. *tr.* 10. *n.* 590. Spor. *num.* 490.

Quær. Tertiò, quid quoad modum debitum servandum sit in actu Conjugali?

411 R. Cum *DD. cit.* Modus debitus per se loquendo postulat, ut fiat Muliere succuba, viro autem incubo; quia hic modus est ad generatiouem accommodatissimus. Ex hoc autem licet colligere, Conjuges à modo debito deflectere, si vel stantes, vel sedentes, vel à latere jacentes, vel præposterè more pecudum, vel denique Viro succubo, & Muliere incuba congrediantur; quare Sporer *n.* 394. meritò dicit,

cit, Conjuges taliter congredientes sine necessitate, esse dehortandos, immò redarguendos. Ratio autem est: quia in his modis omnibus, si sit periculum effundendi, seu extra spargendi semen (erit autem periculum à potiori) peccabunt mortaliter; quia in materia gravi deflectunt à debito fine generationis. Si tamen aliqui ex tali congressu vel modo, nullum sentirent periculum, non peccarent, nisi ad summum venialiter; immò etiam à veniali erunt excusandi, si id faciant ex aliqua justa vel gravi causa, ut puta, si mulier jam sit nimis gravida, & proli periculum timeatur, vel si vir esset nimiùm pinguis aut crassus &c. D. Antoninus, Sanchez, Mastr. Aversa, Card. de Lauræa, Bonac. Basil. Pont. & alii apud Clericat. *decis.* 38. *numer.* 21.

Quær. 4. quænam Circumstantiæ sint observandæ conjugibus, ne peccent in opere conjugali?

412 R. Sunt observandæ sequentes quatuor 1. Circumstantia debiti finis 2. Loci 3. Temporis, & 4. Personarum: 1. itaque circumstantia finis postulat, ut opus conjugii exerceatur ex bono, vel saltem honesto fine; cujusmodi sunt 1. generatio prolis (qui est primarius) vel 2. ut incontinentiam vitent, aut 3. fidem sibi servent, vel denique 4. ut significationem Sacramenti perficiant (qui sunt fines secundarii) Quod si ex sola voluptate congrediantur, peccabunt venialiter; eò quòd finem hujus actus de se liciti, quodammodo pervertant. Hac ratione Innocent. XI. damnavit sequentem propositionem *n.* 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* Nonnulli existimant, conjuges venialiter peccare, si operi conjugali vacent ad sanitatem corporis conservandam, vel restaurandam: verùm ConinK. Herincx *disp.* 7. *n.* 27. aliique plures, tales à culpa etiam veniali meritò absolvunt; quia sanitas est finis de se honestus, & cùm actus conjugalis supponatur huic fini deservire, non apparet, cur ob talem finem evadat illicitus.

413 2. Circumstantia loci exigit, ut non exerceatur in loco publico, vel coram aliis, idque ob verecundiam naturalem, & periculum scandali præcavendum. Item ne exerceatur (absque necessitate) in loco sacro, id est, Ecclesia: quia Ecclesia per humani seminis effusionem (saltem notoriam) polluitur, aut certè irreverentia magna ipsi irrogatur per hujusmodi opus carnale. Notant tamen Sanch. *lib.* 9. *disput.* 15. *à n.* 24. & Salmanticenses *c.* 15. *nu.* 70. apud Clericat. *decis.* 38. *nu.* 20. nomine Ecclesiæ hìc non venire Cœmeterium, neque Claustra Religiosorum, nec Sacristiam, nec Turrim campanariam, neque Oratoria privata non benedicta.

414 Tertiò Circumstantia temporis requirit, ut non exerceatur diebus festivis: hæc tamen circumstantia potiùs cadit sub consilium, quàm sub præceptum. At verò in die communionis petere debitum absque necessitate aliqua, vel rationabili causa (qualis esse posset periculum incontinentiæ) videtur non vacare culpa, saltem veniali; quia reverentia tanti Sacramenti exigit, ut sumatur ab impollutis non solùm mente, sed, & corpore. Fatentur tamen DD. communiter, ne venialiter quidem delinquere Conjugem, qui in die communionis, ut suæ satisfaciat obligationi, reddit debitum postulanti. Vid. Clericat. *cit. n.* 15.

415 Quartò denique, ut actus conjugii sit licitus ob circumstantiam Personarum, necessum omnino est, ut Conjuges non sint irretiti aliquo impedimento dirimente, immò nec impedimento impediente voti simplicis castitatis; quia talis petendo graviter peccat. 2. Ut de valore matrimonii sint moraliter certi, vel ad minùs de honestate, seu liceitate actus conjugalis practicè non dubitent; secùs enim se exponerent periculo fornicandi 3. Ut operi conjugali non vacent cum detrimento notabili sanitatis, aut cum gravi periculo morbi, infectionis, abortus &c. Ratio est: quia in his circumstantiis usum matrimonii velut vergens in grave detrimentum corporis, est prohibitus, prout consideranti facilè patebit, ergo; &c.

Quær. 5. utrùm conjux debitum *reddendo* peccet toties, quoties alter illud illicitè petit?

416. Resp. Non semper peccat *reddendo* illicitè petenti, prout jam colligi potest ex dictis. Ut tamen meliùs dignoscatur,

ſcatur, quandonam reddens peccet, *DD. communiter* ſtatuunt ſequentes tres regulas. Prima eſt: ſi petitio eſt illicita ob circumſtantiam tenentem ſe ex parte ſolius petentis, ut puta, ex eo, quòd ſit obſtrictus voto caſtitatis &c. tunc licitum eſt ei reddere: ſecunda. Si petitio eſt illicita ratione circumſtantiæ tenentis ſe ex parte ipſius actus conjugalis; ùt ſi petatur cum periculo abortus, ſcandali &c. tunc ordinariè, & per ſe loquendo reddère erit illicitum: tertia. Si peterere debitum eſt, ſolùm venialiter illicitum, tunc reddere omni culpa vacat; quia ſemper adeſt juſta cauſa excuſans; videlicet obligatio reddendi. Vide de his regulis fuſiùs differentes Sanch. *lib.* 9. *diſp.* 6. Filliuc. *tract.* 10. *pag.* 1. *cap.* 10. *à num.* 308. Laym. ubi ſuprà *p.* 3. *c.* 1. *nu.* 17. Sporer *n.* 518. *& ſeqq.*

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur caſus practici de uſu illicito Matrimonii.

CASUS PRIMUS.

Titia valde abhorret conceptionem, quia advertit cùm prole etiam ærumnas ſimul multiplicari. Hinc ſuo Marito debitum non rarò negavit; ſubinde coegit eundem ſimulata infirmitate, opus conjugale nondum perfectum abrumpere; nonnunquam verò uſum corporis quidem permiſit, animo tamen ad alia converſo & diſtracto, ne & ipſa concitaretur ad ſeminandum, & evaderet gravida. Quæritur jam 1. *an, vel quomodo hactenus peccaverit?* 2. *an eadem protinus liceat practicare?*

417 R. Ad primum. Titia ea ſolùm de cauſa, ne evaderet gravida, negando debitum, per ſe loquendo peccavit mortaliter toties, quoties illud negavit; quia allegata cauſa minimè excuſat; ſiquidem conjuges obligando ſe ad uſum Matrimonii, cenſentur hoc ipſo ſe obligare ad conſequentia uſus, inter quæ etiam computantur ærumnæ tum in partu, tum etiam in educatione prolium ſufferendæ. 2. Similiter ſimulando infirmitatem, ſic que cogendo Maritum ad abrumpendam copulam, peccavit mortaliter & contra juſtitiam, & contra naturam, ſi res eò jam deveniſſe ſupponatur, ut vir abſque pollutione, vel evidenti periculo pollutionis non potuerit recedere: ſecùs dicendum de peccato contra naturam, ſi res eò nondum fuiſſet deducta, & ſine tali peericulo Maritus potuerit recedere. Ratio facilè colligetur ex dictis hactenus. Tertiò tandem per hoc, quòd animum aliò diſtraxerit, & quaſi merùm permiſſivè ſe habuerit, non videtur peccaſſe, dummodo finem generationis non excluſerit poſitivè. Ita Sanch. Perez, Dicaſtillo, Eſcobar, Gobat *cit. n.* 592. Diana, aliique apud Sporer *numer.* 491. Ratio eſt: quia conjux non tenetur ſemper promovere, & procurare generationem modo meliori, quo poſſet, ſed ſolùm obligatur illam non impedire poſitivè: atqui diſtrahendo animum aliò, non impedit poſitivè; quandoquidem ſecundùm probabilem ſententiam D. Thomæ, & aliorum multorum, ſolum ſemen virile ſufficiat ad generationem: ergo per hoc præcisè, quòd ipſa conetur cohibere naturam, non impedit poſitivè, ſed ſolùm non promovet generationem meliori modo, quo poſſet. *Vid. DD. citat.*

418 R. Jam ad ſecundum. Hoc tertium Titiæ protinus practicare licet, non item primum & ſecundum. Ratio eſt evidens: quia ſecundùm dicta, debitum negare, vel ad illud abrumpendum Maritum cogere non poteſt ſine gravi injuria, & peccato contra naturam, bene autem animum aliò diſtrahere: ergo hoc tertium protinus licebit practicare, non item illud primum & ſecundum, niſi in hoc ſupponatur abeſſe periculum pollutionis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia optima fide nupſit Sempronio: ſed quia ab hujus conſanguineo in ſecundo gradu priùs aliquoties fuit carnaliter cognita, & quidem perfectè; hinc Confeſſarius eidem intimavit, matrimonium eſſe nullum, ob contractum impedimentum affinitatis.

Ti-

Timens proin conscientiæ suæ, aliquoties debitum negavit Marito, à quo propterea malè excepta & tractata, clam discessit ad aliquot dies. Verùm à Judice Ecclesiastico redum restituta, sed etiam condemnata fuit, ut Marito cohabitaret, & postulanti redderet debitum. Dubitat ergo, an sibi (non obstante nullitate matrimonii certò cognita) non liceret reddere debitum; tum quia à Judice fuit ad hoc condemnata; tum quia Maritus bona fide petit; tum etiam quia huic impedimentum & nullitatem matrimonii revelare nequit sine periculo perpetuarum rixarum, & gravissima sui diffamatione; tum denique quia redditionem declinare protinus videtur impossibile moraliter, partim ob rationes, jamjam allegatas, partim etiam ob incontinentiam, & importunitatem Mariti. Quæritur jam, quid dubitanti respondendum, aut consulendum?

419 R. Licèt nonnulli, quos referunt La Croix & Engel citandi, existimarunt in tali casu debitum licitè reddi, non obstante nullitate matrimonii etiam certò cognita; nihilominus simpliciter dicendum est, debitum in tali casu reddi non posse absque mortali peccato. Ita Tann. Perez, Castrop. Dicastill. Gobat. Sanch. Bonacin. apud Sporer *num.* 471. Henricx. *disput.* 7. *numer.* 30. Tambur. *Decalog. lib.* 7. *capit.* 3. §. 5. *numer.* 12. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *capit.* 5. *numer.* 24. La Croix *numer.* 315. Babenstuber, ubi suprà. *artic.* 2. *numer.* 10. Kugler *numer.* 116. Bosco *disput.* 12. *Sect.* 15. *num.* 249. & *seqq.* Engel. *lib.* 4. *tit.* 21. Et est hodie *communissima DD.* quibus novissimè accessit noster P. Kazenberger. *in suo supplemento II. P. Sporer. Conferentia* 45. *à numer.* 126. Ratio convincens, & irrefragabilis hujus opinionis, licèt rigorosæ, est hæc: quia fornicari est malum intrinsecum, prout patenter colligi potest ex propositione, inter damnatas ab Innocentio XI. *numer.* 48. quæ est hujus tenoris: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta: ut contrarium omnino rationi dissonum videatur:* atqui malum intrinsecè tale nunquam licet operari: ergo. Unde & Innocentius III. *cap. Inquisitioni. De Sent. Excomm. in* 6. clarè decidit, quòd *mulier certò sciens impedimentum conjugii, debeat potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.* Idem deciditur. *c. Litteras. de restitut. spoliat.* Quare sententia opposita ne quidem tenuiter probabilis videtur; cùm contra eam pugnet ratio ineluctabilis, nempe malitia fornicationis certò certiùs admittenda à Conjuge, qui conscius nullitatis nihilominus reddit debitum utpote merùm solutus. Quemadmodum ergo nunquam licet procurare pollutionem, eòquòd hæc sit intrinsecè mala; ita nec unquam licet committere fornicationem, ob eandem rationem: atqui committeret, & quidem formalem, Conjunx putatitius, de nullitate sui matrimonii conscius: ergo &c. &c.

420 Nec refert, vel excusat, quòd Judex Ecclesiasticus illam condemnaverit; quia sententia hæc procedit ex falsa præsumptione facti, proindeque non obligat, prout in simili dictum fuit supra, & nota La Croix *cit.* Profectò si Judici constaret de impedimento latente, & nullitate matrimonii, nunquam condemnaret Conjugem ad reddendum, priùs quàm obtinuisset dispensationem.

Dices tamen primò. Judex licitè condemnat ad mortem, quem privata scientia novit esse innocentem, tametsi occisio innocentis sit intrinsecè mala: ergo etiam talis conjux licitè reddit debitum &c. &c.

421 R. Antecedens probabiliùs est falsum, ob rationem allegatam. Transmisso tamen, quòd posset condemnare Judex, negari potest & debet consequentia. Disparitas est: quia Judex condemnat ùt persona publica: atqui ut persona publica, prorsus invincibiliter ignorat, hunc esse innocentem: sed potiùs credere debet nocentem: ergo cum ignoranter condemnet, non peccat: è contra Conjux ùt persona privata reddit debitum, & quia certò scit, talem redditionem esse meram fornicationem, non potest non peccare reddendo.

Dices secundò Peccatori occulto publicè petenti, tenetur Sacerdos administrare Sacramentum v. g. Eucharistiæ, ne illum diffamet, quamvis aliàs esset sacrile-

ci legium: ergo etiam Conjux licitè reddit debitum, quamvis aliàs esset malum, ubi nullum foret periculum diffamationis &c.

422 R. Neg. rursus conseq. quia Peccator occultus habet jus justitiæ ad suam famam, & ne publicè infametur, negata sibi Eucharistia. Vir autem non habet verum jus petendi, ubi matrimonium certò noscitur fuisse nullum, sed tantùm ex ignorantia putat se habere jus. Deinde Sacerdos ministrans Sacramentum, facit actionem de se bonam, ita, ut tota malitia se teneat ex parte suscipientis indignè, ad quam se merùm permissivè habet Sacerdos. Unde etiam Christus Dominus Judæ ceu peccatori occulto dedit Eucharistiam in ultima Cœna; at verò reddens debitum in nostro casu, operatur quod per se, & intrinsecè malum est: *quia admittit non suum*: non sunt autem ullatenus facienda mala, ut eveniant bona: ergo &c.

423 Dices tertiò. Non tenetur puella cum suo gravi dispendio corporaliter resistere viro sibi vim inferenti, sed potest se permissivè habere, permittendo virum in se agere: ergo & talis Conjux potest debitum reddere.

R. Rursus neg. Conseq. quia secundùm communem usum & modum loquendi, reddere debitum non idem est vel sonat, ac *merùm permissivè se habere*, constanter excludendo omnem prorsus consensum in delectationem, & nullo modo positivè cooperando. Et qualem Tu finges Virum, qui reddendo debitum merùm passivè se habeat? Dato tandem, quòd conjugi liceat merùm passivè se habere, quæso, mulierem tam fortem quis inveniet, quæ permissivè tantùm se habens constanter excludat omnem consensum in delectationem, & nullo prorsus modo positivè cooperetur, v. gr. corpus suum aptando, membra disponendo ac congressum? atqui hæc absque peccato fieri nequeunt, ut bene animadvertit, Sotus, Bosco *cit. n.* 272. & *alii communiter*: ergo. Nunquid ergo jam cernis, hoc medium esse valde periculosum, nec amplectendum, nisi in extrema necessitate? Quid ergo agendum?

424 R. secundò laborandum esse quantocyùs pro impetranda dispensatione, quam in tali casu & necessitate non tantùm Episcopus, sed probabiliter etiam quilibet Confessarius Mendicantium impertiri valet ex speciali privilegio à Leone X. concesso, prout infrà *nu.* 496. videbimus. Scio equidem, hoc privilegium à nonnullis vocari in dubium, noverint tamen illi, consultius esse in morbis tam desperatis adhibere dubiam, quàm nullam medicinam. Ego sanè in simili casu necessitatis non hærerem uti hoc privilegio, pro quo hodiedum strenuè pugnant Bosco, Reinffest., & noster Kazenberger, inferiùs *nu.* 496. citandi. Confirmor ampliùs in hac opinione mea verbis P. Gobat *tract.* 9. *n.* 720. ubi ait: *quia verò tam Veracrucius, quàm Chassainus adhuc tribuunt ipsi* (*memorato scilicet privilegio*) *robur, Pellizarius, & Bonagratia non negant, sicut nec Bassæus, non esset manifesti criminis seu imprudentiæ reus, ille ex Ordine Mendicantium Regularis, qui nactus ejusmodi Conjuges, conscios impedimenti, orti ex fornicatione --- diceret iis: dispenso vobiscum quoad possum: quia tamen valde dubium est, an possim, petam à Pœnitentiaria Romana, vel ab Episcopo certam dispensationem: interim si continere non potestis* (renovato tamen priùs consensu, & revalidato matrimonio secundùm dicta superiùs *à nu.* 343.) *revertimini in id ipsum, sperantes bene de benignitate divina*. Hactenus Gobat, more suo, sapienter.

CASUS TERTIUS.

Caja Maritum sortita est optima quidem (ut ait) indolis, calidioris tamen naturæ, qui propterea debitum haud infrequenter postulat, sed citiùs, quàm optaret, pro parte sua perficit. Et quia præfata Uxor post viri recessum venerem in se vehementer quidem exagitatam, nondum tamen expletam animadvertit; hinc eandem proprii corporis tactibus explere nitebatur. Quæritur 1. an licitè? secundò, quid consilii suggerendum in tali casu?

425 R. Ad primum. Caja licitè potuit hoc facere. Ita sentiunt Sanch. *lib.* 9. *disp.* 17. *num.* 12. (in Editione Brixinensi & An-

Antuerpiensi) item Bonacin. Perez. Bas. Pont. Dicastillo, Diana, Homobonus, Lessius, Filliuc. *tr.* 10. *numer.* 330. Gobat. *tract.* 10. *numer.* 589. Sporer *numer.* 491. Bosco *disput.* 12. *sectione* 15. *numer.* 576. Clericat. *Erotem. cap.* 145. *num.* 33. item *de Matr. decis.* 38. *num.* 23. Felix Potestas *Tom.* 1. *part.* 4. *num.* 4310. Tambur. *Decal. lib.* 7. *cap.* 3. §. 5. *num.* 18. *& alii*, contra Castrop. Burghab. La Croix, & nonnullos alios. Ratio autem hujus opinionis est: tum quia est probabilis etiam illa sententia, quòd semen mulieris multùm conferat, immò verò necessarium sit ad generationem, tum quia nimis durum esset, irritam naturam compescere, proptereàque talis Mulier semper quasi foret exposita evidentissimo periculo mortaliter peccandi, quoties ex justitia redderet quod debet; tum denique quia illa seminatio mulieris in tali casu est complementum præcedentis actus maritalis Esto autem nonnulli opositum sentient, minimè tamen evertunt fundamenta hujus nostræ opinionis, quo minùs maneat verè probabilis: atqui sententiam verè probabilem licet sequi, ubi agitur de sola honestate actionis: ergo &c.

Dices: At quid, si Mulier fateatur, se semper ad extra profundere semen, quoties se tangit?

426 Resp. Dubitabunt forsitan nonnulli, an hoc contingere sit natum, eò quòd judicio Medicorum semen mulieris plerùmque soleat defluere ad matricem, raro ad extra, ut testatur Gobat *Theol. exper. tr.* 9. *numer.* 391. Certè Medici hac super re à me consulti, non responderunt unanimiter. Negavit unus aut alter id fieri posse: è contra alius quidam insignis Medicus affirmavit, allegans propriam, & multiplicem quidem experientiam: cujus judicio eò faciliùs assentire jubeor, quo certius multorum tum Virorum tum fœminarum etiam confessionibus propriis persuasum mihi est, muliebre semen extra vas contactibus lascivis fuisse provocatum, & dispersum, utinam non frequenter nimis! Supposito itaque, quòd, ut Casus fert, Mulier experta sciat se semper ad extra diffundere semen; dicendum mihi videtur (salvo meliori judicio) hujusmodi tactus esse illicitos, ideoque interdicendos. Ratio est: quia certum videtur, ne conjugibus quidem permissos esse tactus, quibus certò certius prævident, se esse polluendos, seu tendere ad pollutionem: atqui in nostro casu supponitur Mulieri constare, quòd semper soleat pollui per hujusmodi tactus: ergo non licent; præsertim cum in tali casu non merùm patiatur, sed potiùs agat, seu procuret polutionem.

427 Ad 2. quid nempe consilii in tali casu suggerendum? Respondet P. Sporer *n.* 491. his omnino formalibus: tardiori ad seminandum permittendum, immò consulendum est, ut ante concubitum tactibus excitetur ad venerem, ut sic possit in ipso concubitu simul seminare: eò quòd in multum conducere ad prolificandum doceant Medici. *Vid. D. cit.*

§. III.

Corrolaria ex dictis inferenda.

428 Colliges ex dictis primò, nunquam esse licitum impedire generationem positivè, ut puta semen ad extra spargendo, vel jam receptum, rursus effundendo, aut procurando abortum &c. Ratio est: quia semen humanum non in alium finem instituitur, vel administratur à Natura, quàm ut deserviat propagationi humani generis: ergo quicunque generationem positivè impediunt modo prædicto, peccant contra naturam, & finem Conjugii Et, amabo te quantum putas inferretur detrimentum speciei humanæ, si scirent homines esse permissam hujusmodi procurationem? Unde Sanch. Laym. Gobat, Spor. aliique DD. meritò inferunt mulierem, quæ priùs seminavit, teneri sub mortali peccato (per se loquendo) expectare seminationem viri; quandoquidem certum sit, solam mulieris seminationem non esse sufficientem ad procreationem prolis: secùs dicendum de viro, qui per se loquendo, non tenetur exspectare seminationem mulieris, eò quòd solum virile semen probabiliter sufficiat ad generationem.

429 Col-

429 Colliges secundò, ne conjugatis quidem permissos, vel permittendos esse tales tactus, qui ita ad pollutionem tendunt, ut sint quasi inchoata pollutio, seu ex quibus prævident se esse polluendos. Ratio est: quia cum supponantur esse in materia venerea, & per se vehementer tendant ad pollutionem; hinc qui eos vult, prævidens inde secuturam talem turpitudinem, convincitur voluisse ipsam pollutionem. Ita Aversa apud La Croix *nu.* 343. Secùs dicendum existimant Gobat *tr.* 10. *n.* 666. Sporer *n.* 500. & alii plures, si tactus sint tales, ut ordinariè fiant absque pollutione, tametsi præter intentionem & exspectationem conjugum, una alterave vice fuisset secuta pollutio: quia conjuges vacant rei de se licitæ, & pollutio sequitur merè per accidens, præter intentionem vel approbationem, aut consensum illorum, ut supponitur. *Vid. DD. citt.*

430 Colliges tertiò, Conjugem, qui in usu conjugii sibi imaginatur, & repræsentat aliam personam, ita, ut in ea carnaliter delectetur, peccare mortaliter. *Communissima DD.* Ratio est: quia delectatio sumit suam specificationem ab objecto: atqui objectum talis delectationis est prohibitum, & mortaliter illicitum; cùm supponatur esse aliena persona: ergo.

431 Dictum tamen est: *Si in ea carnaliter delectetur &c.* ita videlicet, ut eam loco propriæ conjugis optet habere præsentem, aut desideret cum illa habere rem, seu turpiter agere, vel actu putet, sibi rem esse cum illa &c. secùs dicendum foret, si aliam sibi imaginaretur præcisè ob naturalem illius pulchritudinem, in ea sistendo, & quodammodo quiescendo v. g. ex intentione generandi prolem ejusdem formæ aut pulchritudinis; quia, ut notat Sanch. aliique, in hoc nulla apparet turpitudo: quàmvis omnes hoc ipsum etiam dissuadeant, ob periculum incidendi, & admittendi delectationem carnalem graviter illicitam.

Dices. Tenebiturne hujusmodi morosus Delectator exprimere in Confessione objectum suæ delectationis, seu ipsam personam, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias, puta, an fuerit soluta vel ligata? consanguinea vel non? &c.

432 R. Omnes fatentur, objectum quoad substantiam saltem, necessariò esse exprimendum, dicendo, quòd fuerit aliena &c. an autem circumstantiæ illius pariter exprimi debeant, non conveniunt DD. Distinguendum tamen videtur cum Laym. Lessio, Reiffenst. *Theol. mor. tr.* 9. *dist.* 7. *n.* 15. & interrogandum (si pœnitens se ipsum non explicet) an desideraverit, & quantùm in se est, intenderit peccare cum aliena, an verò præscindendo ab hujusmodi desiderio, præcisè in simplici delectatione quodammodo steterit ac quieverit? Si primum, tenebitur explicare circumstantias personæ concupitæ seu desideratæ: quia actus desiderii, utpote efficax, quantùm in se est, tendit in actum externum cum persona aliena perficiendum; ergo si hæc sit re ipsa aliena, consanguinea, vel ligata &c. participabit malitiam ab objecto concupito prout in se est. Si secundum, multi etiam gravissimi DD. videndi apud Babenstub. *tr.* 2. *disp.* 3. *art.* 6. *n.* 37. satis probabile & tutum censent, quòd pœnitens non teneatur explicare circumstantias personæ. Ratio est: quia actus simplicis complacentiæ, utpote de se inefficax, non tendit in opus externum ut perficiendum, sed præcisè sistit in objecto secundùm se, præscindendo à reliquis circumstantiis: ergo ab his nullam participat malitiam. Fatendum tamen est, tutius esse, etiam in tali casu exprimere circumstantias; quia, ut notat Henricx *p.* 2. *tr.* 2. *disp.* 7. *numer.* 33. hujusmodi homines lubrici non solent multum præscindere à circumstantiis, sed regulariter loquendo feruntur in objectum cum suis circumstantiis propositum. Quare idem Doctor censet, in praxi hanc sententiam esse sequendam. Et procul dubio tenebitur exprimere circumstantias personæ, si in ipsis qua talibus v. g. de persona aliena qua ligata, aut qua consanguinea, fuisset delectatus, prout bene notarunt Sanch. Azorius & alii apud Sporer *n.* 524.

433 Colliges quartò, Conjugem voto castitatis obstrictum peccare mortaliter, si petat debitum. Ratio est: quia vovens castitatem simpliciter obligat se ad continen-

dum ab omni actu venereo, ideoque tale votum imitatur naturam præcepti negativi, quod semper & pro semper obligat, in quantùm servari potest: at conjux habens hujusmodi votum potest abstinere à petendo; quia, ut jam suprà intimatum fuit, conjuges non tenentur petere per se loquendo, sed tantùm reddere: ergo petendo peccat. Vid. dicta *nu.* 70.

434 Colliges tandem quintò, similiter illum conjugem, petendo usum matrimonii, mortaliter peccare, qui scienter commisit incestum cum consanguinea suæ Uxoris in primo vel secundo gradu; quia per talem culpam (perfectam, ut supponitur) contraxit affinitatem cum propria Uxore, & amisit jus petendi debitum: accedere autem ad affinem, & ab ea petere debitum, non vacat gravi culpa: ergo. Nihilominus Uxori, utpote innocenti, tenetur reddere, dum petierit. Vid. de hoc dicta *n.* 231. *& seqq.* ubi decisum reperies, quænam conditiones requirantur ad hanc pœnam incurrendam, & quisnam dispensare valeat in petendo debito.

CONFERENTIA
DECIMAOCTAVA.

De Adulterio, & obligatione restituendi inde contracta.

SUMMARIUM.

435 *Adulterium est violatio Tori alieni.*
436 *Est quatruplex;*
437 *Et semper qualificatum, seu duplex peccatum. Hinc*
438 *Diversas post se trahit pœnas, tum civiles, tum etiam canonicas.*
439 *Adultera non tenetur ad restitutionem, si ex adulterio non concepit; bene autem si prolem spuriam genuerit.*
440 *Subinde tamen per accidens excusatur ab onere restitutionis.*
441 *Adulter, si sit moraliter certus, prolem esse à se generatam, tenetur ad compensanda damna Marito, & aliis legitimis prolibus illata.*
442 *Idque probabiliùs, tametsi non suasit adulteræ, ut Marito prolem spuriam supponat.*
443 *Si tamen non sit moraliter certus, prolem esse suam &c. ad nihil tenetur.*
444 *Neque tenetur compensare damna ex adulterio merè per accidens consequentia alia.*
445 *Resolvitur Casus I. de Uxore, quæ dubitat, an à Marito, an verò à b Adultero conceperit?*
446 *Resolvitur Casus II. de Marito, qui fœminæ ex adulterio à se impraegnatæ, dederat pecunias pro alimentanda prole, quæ tamen cum pecunia abiit, prole relicta &c. Hinc.*
447 *Tali Marito etiamnum incumbit obligatio providendi efficaciter proli &c.*
448 *Quod si non faciat, licebit spurio clam subtrahere alimenta sibi necessaria;*
449 *Nisi spurius supponatur sibimet comparando jamjam sufficiens.*
450 *Non tamen licet spurio clam surripere portionem hæreditatis communem aliis prolibus legitimis simul existentibus.*
451 *Resolvitur Casus III. de fœmina, quæ circa idem tempus duobus Mœchis fecerat potestatem sui corporis, & ab alterutro evasit gravida.*
452 *Si Adulteri isti sese non ignorarunt, uterque tenetur contribuere in alimenta prolis.*
453 *Si autem invicem ignorarunt, probabiliùs nullus tenetur quidquam expendere;*
454 *Proindeque soli Adulteræ incumbet obligatio impediendi; vel etiam resarciendi damna Marito &c. illata.*
455 *Quo modo hæc compensare debeat?*
456 *Qui, consentiente etiam Marito, carnaliter cognoscit conjugatam, committit adulterium.*
457 *Recensentur causæ excusantes Adulteram, ut non teneatur fateri crimen adulterii.*
458 *Si Mulier supponatur esse famæ jam pro-*

prostitutæ, solum periculum ulterioris infamiæ eam non excusat, quò minùs fateri teneatur crimen &c. &c.

459 *Si spurius convincatur esse illegitimus, tenetur abstinere ab hæreditate adeunda: secùs, si convinci nequeat esse illegitimus.*

460 *In praxi admodum rarò contingit, ut Adultera teneatur fateri crimen admissum.*

461 *An Parentes teneantur ad restitutionem, si prolem ex adulterio natam exponant alendam in Orphanotropbio?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur, quæsita, scitu necessaria ad ritè resolvendos Casus de Adulterio, & obligatione restituendi inde contracta.

Quæres primò, quid sit Adulterium?

435 R. Est violatio tori alieni: seu, ut alii dicunt: est peccatum luxuriæ, quo violatur fides conjugalis, & fit accessus ad alienum torum. Contingit autem adulterium tribus modis: 1. quando solutus miscetur carnaliter cum conjugata. 2. quando conjugatus cum soluta. 3. quando conjugatus cum conjugata. Hoc tertium gravius est duobus præcedentibus; quia violatur dupliciter fides conjugalis, in quantum utraque pars torum violat, & committit injuriam respectu innocentis: proindeque in confessione necessariò aperiendum erit, fueritne adulterium commissum simplex, videlicet inter solutum & conjugatam, aut vicissim, an verò duplex, nempe à duobus Conjugatis. *Communissima DD.*

Quæres secundò, quotuplex sit adulterium?

436 R. Est quadruplex. 1. Mentale tantùm. 2. Formale tantùm. 3. Materiale tantùm, & 4. Reale, id est, materiale & formale simul. 1. Mentale dicitur, dum sola mente, seu actu interno tantùm violatur fides conjugalis; ut si conjugata, vel conjugatus proponat, aut desideret rem habere cum aliena, vel si solutus concupiscat conjugatam, juxta illud *Matth. 5. qui viderit Mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* 2. Formale tantùm committit, qui re ipsa cognoscit suam credens tamen, vel putans esse alienam, & non suam. 3. è contra materiale tantùm committit, qui re ipsa cognoscit alienam, invincibiliter ignorans esse alienam, & putans esse suam; quale commisit Jacob cognoscendo Liam, quam invincibiliter putaverat esse Rachelem, ut habetur *Gen.* 29. 4. Tandem adulterium reale committitur, dum scienter & voluntariè cognoscitur aliena, & torus seu fides conjugii violatur. Atque de hoc potissimùm nobis erit negotium in præsenti.

437 Quæres tertiò, quale peccatum sit adulterium, & quales post se trahat pœnas?

R. Ad primum. Adulterium semper est peccatum mortale, & quidem duplex nempe contra castitatem, & contra justitiam; quia teste Apostolo 1. *Cor. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir:* ergo prostituendo suum corpus, Marito infert injuriam (idem dic de viro prostituente suum corpus) & quidem gravissimam; qua ratione idem Apostolus 1. *Cor. 6.* ait: *neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.*

438 R. Ad secundum. Adulterium diversas tum ex jure civili, tum ex canonico etiam, post se trahit pœnas. Prima pœna civilis est pœna capitis. *l. quamvis 30. fin. Cod. ad L. Julian. de Adult.* Hæc tamen pœna non ampliùs videtur in usu, ut notat Engel. *l. 5. tit. 15. n. 6.* & alii. Unde Pirhing. *l. 5. tit. 16. num. 18.* apud La Croix *lib. 3. part. 2. nu. 341.* ait: hodie in nostris partibus pena adulterii est statio ante fores Ecclesiæ cum candela accensa, tribus diebus Dominicis, vel festis, quando est concursus populi, vel alia pena arbitraria, etiam pecuniaria. Secunda pena civilis est amissio dotis, vel donatorum propter nuptias. Tertia pena canonica est, quòd propter adulterium fieri possit divortium juxta dicta *n.* 368. Quarta, est privatio petendi debitum conjugale; de qua diximus *n.* 387.

Quær. quartò, an, vel qualis obligatio restituendi incumbat Adulteræ?

 439 R.

439 R. Cum distinctione. Vel enim ex adulterio nata est proles, aut aliud damnum conjugi innocenti illatum, vel non? Si non: Adultera non tenetur ad restitutionem, sed tantùm ad satisfactionem pro offensa, petendo veniam, vel alio modo quærendo reconciliationem cum offenso conjuge innocente, si forsitan huic innotuit adulterium; nam supposito, quòd omnino maneat occultum adulterium, ad nihil tenebitur, nisi ad veram pœnitentiam, & satisfactionem Deo præstandam: quia in tali casu conjux innocens nullum fuit passus damnum, sed meram injuriam non damnosam: atqui pro sola injuria non damnosa nulla debetur restitutio, sed mera satisfactio, ut docetur in materia de Restitutione: ergo &c. Si autem ex adulterio sit genita proles, vel aliud damnum illatum, tenebitur Adultera, quantum fieri potest sine dispendio famæ, vel periculo vitæ &c. procurare, ne legitimæ proles, vel Maritus innocens, ex suppositione partus adulterini damnum patiantur. Ratio clara est: quia æquitas naturalis dictat, innocentem non esse damnificandum, & damnum illatum esse reparandum: atqui Adultera procul dubio damnificaret Maritum innocentem, supponendo huic prolem spuriam, quam cogeretur alere: damnificaret insuper proles legitimas, quarum hæreditas diminueretur: ergo (saltem per se loquendo) Adultera tenetur hujusmodi damna inferenda præcludere, vel illata jam compensare Sanch. Tambur. Illsung, Reiffenstuel *Theol. Mor. tr. 9. dist. 4. n. 29.* & alii *communiter.*

440 Dictum tamen est: *per se loquendo tenetur &c.* Nam per accidens excusabitur, si non sit certa, sed dubia, sitne proles ex adulterio concepta, vel verò ex toro legitimo. Item non tenebitur, si Maritus & liberi legitimi sponte remittant, vel liberè remittere credantur prudenter. Item non tenebitur, si absque notabiliter graviori damno suo in bonis famæ, corporis, vel etiam fortunæ compensare nequeat damna illata. Tamb. *lib. 7. Decal. c. 3. §. 4. à n. 9.* Babenst. *tr. 7. disp. 5. art. 3. n. 40.* & *alii communiter.*

Quæres quintò, an, vel qualis obligatio restituendi incumbat Adultero?

441 R. Si Adulter moraliter sit certus prolem à se esse genitam, vel certè non habeat rationabilem causam de hoc dubitandi, tenetur (per se loquendo) ad resarcienda omnia illa damna, quæ ex suppositione adulterinæ prolis per se sequuntur Marito, & aliis legitimis prolibus. Quin etiam in defectu Adulteræ ad hæc damna resarcienda tenebitur in solidum. Ita Scot. 4. *dist. 15. q. 2. ad 7.* Molina Caspens. Lugo, aliique apud Mastr *Theol. Mor. disp. 9. n. 54.* Ratio communis, & fundamentalis est hæc: quia Adulter ipsemet, adulterio dat causam toti illi damno, quod ex adulterio, vel potiùs ex suppositione filii illegitimi pro legitimo, aliis consequitur. Unde tenetur in primis restituere ea, quæ sunt expensa in alimenta prolis à 3. anno ætatis, & deinceps; nam educatio prolis illegitimæ primo quidem triennio ad solam Matrem pertinet, sequentibus verò annis ad Patrem 2. tenetur itidem Adulter cum Adultera compensare omnia alia damna legitimis prolibus v. g. per diminutionem hæreditatis illata vel inferenda, item alias expensas factas v. g. pro vestitu necessario, pro studiis, vel aliis artibus addiscendis à prole spuria;

442 Idque probabiliùs, tametsi non mandasset, vel consuluisset Adulteræ, ut prolem spuriam supponeret Marito. Ratio est: tum quia adulter ipso facto suo iniquo fuit causa damnorum per se subsequentium, & adulteram quodammodo conjecit in eam necessitatem, ut ad evadendam infamiam, & perpetuas rixas &c. cogeretur Marito supponere partum adulterinum. Et certè Adultera de facto non concurrit aliter ad illa damna, nisi quatenus prolem illegitimam permittit esse in domo, & familia Mariti, ut Maritus, & alii credant esse prolem legitimam: neque enim ad hæc damna inferenda necessum est, ut Mater dicat hanc prolem esse legitimam: immò nec dicere solent, sed solùm permittunt prolem credi, & tractari velut legitimam: atque id ipsum facit Adulter, ut supponitur: ergo etiam hic tenetur ad compensanda damna. Idcirco hanc sententiam Sporer *n. 542.* dicit esse certam, eamque tenent Mol. Lessius Lugo, Laym. Herincx hic *disp. 6. numer. 93.* Quamvis Hen-

Henriquez, Sotus, & alii nonnulli (certè tamen minùs immò vix probabiliter) oppositum teneant de Adultero, qui non suasit, ut infans spurius supponeretur Marito; eòquòd talis in ordine ad damna illata; vel inferenda videatur merùm permissivè se habere. *Vid. DD. citt.*

443 Dictum tamen fuit primò: *Si Adulter moraliter certus sit, prolem esse à se genitam &c.* Tunc autem erit moraliter certus, quando ita prudenter credit, aut credere debet, prolem esse suam, ut oppositum nullo modo videatur probabile, ut puta si Maritus toto illo tempore, quo adulterium commisit, absuit, vel non cohabitavit Uxori, vel etiam propter ægritudinem impotens fuit ad actualem usum conjugii &c. E contra in dubio rationabili, an proles non sit à proprio Marito, ut si hic tempore conceptionis cohabitavit Uxori, nec aliunde fuit impotens, aut infœcundus &c. licèt nonnulli existiment, nihilominus esse obligandum ad restitutionem, vel compensationem damnorum pro rata dubii: mihi tamen probabilissimum videtur, in tali casu Adulterum non teneri ad ullam compensationem. Ita etiam censent Sotus. Navarr. Lugo, Dicastillo, Tamb. Spor. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *nu.* 335. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 96. Babenstunb. *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 3. *n.* 33. & 34. Ratio est: quia in dubio nemo debet dejici sua possessione certa, si sit possessor bonæ fidei: & quamdiu quis rationabiliter dubitat de debito, seu obligatione contracta, tamdiu manet melior conditio possidentis, ita, ut non teneatur sese privare bonis suis: atqui Adulter est in certa possessione bonorum suorum, & quidem bona fide (quamvìs non habeat bonam fidem respectu adulterii à se commissi) & insuper supponitur rationabiliter dubitare, an Maritum damnificaverit adulterando: ergo non tenetur pecuniam suam vel alia bona expendere in alimenta prolis &c. Deinde infans genitus præsumitur in tali casu legitimus, nec potest repudiari à Marito, ut jura statuunt; & hoc ideò: quia in dubio non est privandus possessione legitimitatis, utpote genitus ex toro matrimoniali: ergo similiter non tenetur Adulter alere hujusmodi prolem, vel quidpiam pro ea expendere; secùs enim talis infans esset melioris conditionis, quàm alii legitimi; quia à Parentibus posset prætendere æqualem portionem cum aliis, & simul ab Adultero alimenta, vel dotem, aut alias expensas. Vid. Sporer. *nu.* 544.

444 Dictum fuit secundò, Adulterum obligari ad resarcienda omnia damna, *quæ per se sequuntur ex suppositione &c.* Neque enim adulter, nec Adultera tenetur restituere pro damnis illatis merè per accidens, seu in talibus bonis, quæ filiis legitimis de jure non debebantur, & illegitimo collata sunt; ut si bonus amicus Mariti, vel alius aliquid liberaliter leget, aut donet, aut etiam sumptus ad doctoratum, vel alia studia conferat filio spurio, quem putat esse legitimum, nunquam collaturus, si scivisset, esse illegitimè natum. Ratio est: quia liberi legitimi supponuntur nullum habuisse jus ad talia bona aquirenda, aut sibi conferenda: ergo per hoc non fuerunt læsi in aliquo jure: cui autem non est facta injuria nulla debetur restitutio: ergo. Lugo *disput.* 13. *sect.* 3. *numer.* 39. apud Sporer *nu.* 550. Tambur. *cit. cap.* 3. §. 4. *num.* 8.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Adulterio, & obligatione restituendi inde contracta.

CASUS PRIMUS.

Titia in absentia Mariti cuidam alteri corporis sui potestatem fecerat: elapso postmodùm uno mense, suo Marito aliunde reverso, eandem fecit potestatem. Verùm elapsis dein duobus vel tribus mensibus, videbatur Marito suo jam nimis prægnans; qua ratione ab eodem sæpiùs objurgata fuit & increpata, velut suspecta de commercio carnali alieno interim admisso. Et quia Titia ipsamet multùm dubitat, an non conceperit ab Adultero: hinc valde sollicita, & anxia petit scire, an teneatur suo Marito fateri, quòd interim, dum is absens fuit, commiserit adulterium, &, an teneatur Marito, aliisque liberis aliquid compensare, si prolem pepererit?

445 R. Titia non tenetur fateri adulterium, nec aliquid compensare Marito, vel aliis prolibus, etiamsi probabiliùs credat, se ex adulterio concepisse. Hæc resolutio patenter sequitur ex dictis *nu*. 443. quia ubi damnum alteri illatum non est certum, ibi non debet imponi obligatio restituendi; eòquòd in dubio maneat melior conditio possidentis sua bona, famam &c. &c. atqui etiamsi probabilius videatur, Titiam concepisse ex adulterio, per hoc tamen non fit certum, quòd damnificaverit Maritum; quia probabiliter potuit concepisse à proprio Marito: ergo. Et quia secundùm axioma vulgare: *dum cessat finis, pariter cessat ratio agendi propter finem*; hinc dicendum, quòd non teneatur Titia fateri crimen admissum. Profectò in tali casu Judex Ecclesiasticus, immò & civilis præsumeret pro prole legitimè genita, proindeque absolveret adulteros ab onere restitutionis; quia, ut dicunt Juristæ: *Reus dubius est absolvendus, & in dubio favendum est Reo*: ad quid ergo deserviret talis confessio, vel manifestatio criminis, nisi fortè ad concitandas, & fovendas perpetuas inter conjuges inimicitias, odia, atque animorum aversiones, & alia innumera mala?

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Uxoratus pauperculam quandam, sed pulchram & honestam puellam, nomine Semproniam, sæpiùs ad peccandum sollicitaverat, cui etiam pro singulis corporis usibus singulos solvit ducatos. Tandem verò illam imprægnavit: & ne patefacto crimine infamiæ notam incurreret, misit Semproniam ad tertium quendam locum, datis eidem ducentis ducatis, quibus & se sustentare, & prolem nascituram honestè educare posset. Abiit Sempronia, feliciterque peperit. Verùm post paucas septimanas prole unà cum nomine Patris (Sempronii scilicet) inscripto relictis in domo cujusdam pauperculi Opificis, ipsa cum pecunia clam abiit in alienam terram, nunquam ampliùs reditura. Quæritur jam 1. An Sempronius teneatur protinus aliquid expendere pro alimentanda hac prole spuria? 2. an, Casu quo Pater negaret alimenta, hujusmodi infanti jam adulto liceat aliquid occultè surripere Parenti?

446 R. Ad primum. Sempronius tenetur ad præstanda alimenta, saltem necessaria, proli spuriæ. Ita Abbas Laym. *tom*. 2 *lib*. 5. *tract*. 10. *part*. 3. *cap*. 5. *nu*. 4. Lugo *citand*. Sporer *tract*. 6. *cap*. 3. *nu*. 109. La Croix *lib*. 3. *part*. 2. *num*. 1167. Ratio est: quia tam jure naturali charitatis, quàm etiam jure can. *c. cùm haberet de eo, qui duxit*. Parentes tenentur præbere alimenta proli, etiam spuriæ: & hæc quidem obligatio erga prolem spuriam post elapsum triennium incumbit soli Patri, ùt suprà *n*. 441. notatum fuit: at, Sempronius supponitur esse verus Pater prolis hujus: ergo tenetur eidem præbere alimenta necessaria.

447 Nec refert, quòd Sempronius videatur jam satis providisse, dando præfatæ Puellæ ducentos ducatos pro ejusdem congrua educatione; nam talis provisio fuit revera inefficax, quamvìs id contigerit ex defectu, & malitia Matris, quemadmodum ergo, si Mater obiisset, vel pecunia illa casu periisset, Sempronius adhuc teneretur providere proli, modo moraliter possibili; ita & in hoc casu. Deinde, si Pater non providisset, obligatio alendi transit ad ascendentes paternos, ùt colligitur ex *lib. si quis à liberis*. §. *utrum autem ff. de agnos. lib*. & docent Sylvest. apud Laym. *cit*. *n*. 7. item Lugo *disp*. 24. *nu*. 125. & 136. apud La Croix *l. cit*. ergo à fortiori tenebitur providere ipse Pater, casu quo Mater deficit in cura prolis; quamvis fatendum, in hoc casu Matri primariò incumbere, ut pecuniam sibi datam à Sempronio expendat in educationem prolis.

448 R. Jam ad secundum. Si Parens alimenta neget, & spurius sibimet comparando non sufficit, nec aliunde (ut puta per Matrem, vel per Judicem, vel denique per industriam & laborem proprium) obtinere potest, licebit eidem (quantum fieri potest absque notabili detrimento uxoris, & legitimarum prolium) clam surripere Patri. Ratio est: quia Pater tenetur in hoc casu præstare alimenta, & alia necessaria pro educatione spurii: ergo si hoc non faciat, proptereaque Filius clam subtrahat

trahat sibi necessaria, nequit esse rationabiliter invitus. Tum quia talis acipit rem æquivalenter suam; tum etiam quia aliter recuperare non potest, quod sibi debetur.

449 Dictum tamen fuit: *si spurius sibimet comparando non sufficit &c.* si enim spurius sufficientem sustentationem aliunde habeat, vel laborando honestè aquirere possit, spectata qualitate personæ ac status sui, non tenetur Parens eum alere, juxta *l. si quis à liberis §. denique idem ff. eod.* ut notant Sporer & Layman. *cit. nu.* 7. Ideoque ex hac sup positione nihil amplius tuta conscientia liceret surripere; præsertim cùm aliunde constet, non esse licitum uti tacita compensatione aut subtractione, ubi debitum non est certum & liquidum.

450 R. tertiò. Certum insuper & indubitatum videtur, quòd hujusmodi spurio non liceat clam surripere Parenti portionem hæreditatis cum aliis prolibus legitimis. Ratio est: quia spurii omnis successionis in bonis tam paternis, quàm etiam maternis incapaces sunt, per *Authent. licet C. de natural. lib.* & *L. si quis C. de incest. Nuptiis.* Vid. Laym. *cit. num.* 13. La Croix ubi suprà *n.* 1164.

CASUS TERTIUS.

Caja nobilis fœmina longo tempore non potuit à suo Marito perfectè cognosci; & quia libenter vidisset se Matrem, hinc circa idem quasi tempus aliis duobus Mœchis corporis sui copiam fecit, fuitque ab alterutro eorum impræguata, quamvis determinatè scire nequeat, à quonam? Quoniam verò post primum puerperium plures adhuc suscepit proles à proprio Marito, simulque prævidet, Filium natu primum, quem ex adulterio conceperat, aliis legitimis prolibus prærepturum magnam portionem hæreditatis, & insuper vi primogenituræ, obtenturum aliquod fidei commissum, non sine magno præjudicio legitimi Primogeniti; hinc quærit 1. quid jam sibi agendum? 2. an, vel quid à duobus Mœchis? 3. vel à se sit restituendum, casu quo spurium non posset avertere ab adeunda hæreditate?

451 R. Ad primum. Cajæ omnimodis incumbit sub gravissima obligatione, ut omni modo moraliter possibili studeat præcavere damna legitimis liberis inferenda v. g. suadendo. ut Filius spurius amplectatur statum Religiosorum, incapacium dominii seu bonorum temporalium; vel si hoc medium non proficiat, ex bonis suis paraphernalibus (vel in horum defectu) ex Amicorum subsidiis providendo sustentationi necessariæ, aliisque necessitatibus spurii. Ratio patet ex dictis *n.* 439.

452 R. Ad secundum. Multi, & gravissimi quidem DD. tenent, in tali casu utrumque ex adulteris teneri pro rata dubii ad alendam prolem, & compensanda damna per adulterium illata; quia certò constat, prolem ab istis adulteris, vel uno saltem eorum esse natam. Videtur tamen in tali casu distiguendum, & vel maximè attendendum, utrùm adulteri mutuò sese invincibiliter ignoraverint, vel non? si non sese ignorarunt, sed sciverunt, Cajam utrique fecisse, vel proximè facturam esse potestatem sui corporis, tunc uterque tenebitur contribuere ad alimentandam prolem, Ratio est: quia licèt incertum supponatur, uter eorum sit determinatè Pater, certum tamen est, prolem esse ab illis progenitam, & quilibet est determinatè causa talis incertitudinis, vi cujus ignoratur, quisnam eorum sit determinatè Pater, proindeque teneatur alere infantem: atqui hæc incertitudo est grave damnum, & æquale cum eo, quod illatum est per adulterium; quia vi hujus Maritus non potest ab uno determinato exigere alimenta recipienda: ergo uterque tenetur ad compensationem istorum damnorum Marito & aliis legitimis prolibus emergentium.

453 Contra verò, si Adulteri invincibiliter non præviderunt memoratum damnum incertitudinis, eò quòd mutuò se invincibiliter ignoraverint, probabile est, neutrum in conscientia obligari ad aliquam compensationem. Ratio est: quia in tali casu nullus ex Mœchis voluntaria extitit causa hujus incertitudinis damniferæ: ergo ratione hujus incertitudinis causatæ neuter eorum tenetur ad compensanda damna; atqui neque tenentur ob prolem genitam præcisè; quia quilibet ex istis adulteris est incertus, an sit Pater hujus prolis, & hoc ipso incertus est, an damnificaverit Maritum &c. ubi autem dubitatur de damno illato alteri, cessat

sat obligatio restitutionis, seu compensationis; cum in tali casu sit, & maneat melior conditio possidentis sua bona: ergo Petschacher *de restitut. pag.* 409. quem refert & sequitur Babenstuber *cit. tr. 7. disp. 5. art. 3. n.* 39. Ex his.

454 R. Ad tertium quæsitum. Ex hac suppositione, quòd Adulteri invicem se ignoraverint, sola adultera tenebitur ad compensanda damna illata Marito, & aliis legitimis prolibus. Ratio est: quia, ut supponitur, sola Adultera est causa injusta hujus incertitudinis damniferæ, eòquòd sciens & volens admiserit plures Adulteros, quorum opera nata fuit proles incerti Parentis: ergo hæc sola tenetur ad restitutionem. Vid. Gob. *Quin. tr. 5. c.* 28. *n.* 40. *& seqq.* La Croix *l. 3. parr. nu.* 704.

Dices. Quibus ego modis, vel mediis Adultera compensabit damna illata per adulterium?

455 R. Tenebitur illa compensare vel 1. ex bonis paraphernalibus, aut ex suo proprio peculio, si quod habeat; vel 2. solitos sumptus in vestium pompam, lusus &c. concessos &c. moderatè minuendo; vel 3. etiam labore manuum (si quid tamen lucrari valeat) resarciendo, vel 4. Filium inducendo ad Religionem, ut jam dictum est; vel denique alio quodam modo procurando, ut Maritus & alii hæredes legitimi alia via vel modo emolumentum capiant, & damna ratione illegitimæ prolis illata compensentur. Fateor, has regulas esse nimiùm latas, & quasi generales, neque ad omnem casum applicabiles: noverit tamen prudens Confessarius in hac materia universalem regulam statui non posse ob diversitatem Personarum & circumstantiarum. Quare prudenti judicio cujuslibet Confessarii incumbet, ut in casu emergente pro diversitate circumstantiarum diversa suggerat consilia, & modos compensandi. Ubi verò nullum suppetet medium, Adultera excusabitur per accidens ab onere restitutionis, quamdiu duraverit status impotentiæ, prout constare debet ex regulis communiter tradi solitis in materia, ubi agitur de causis excusantibus ab onere restitutionis, & videri potest in P. Sporer *tr. 4. Decal. c. 4. Sect. 3. à n.* 50.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

456 Colliges primò, etiam illum qui copulam habet cum conjugata, consentiente ipsius Marito committere adulterium, proindeque teneri ad explicandam hanc circumstantiam in confessione, nec satisfaceret dicendo: *fui fornicatus* (idem dicendum est de Muliere, quæ accessit ad alium Maritum, consentiente Uxore illius) Ratio autem est hæc: quamvis enim in tali casu parti v. g. Uxori consentienti, non fiat injuria, tamen fit injuria, gravis ipsi matrimonio & bono prolis ac fidei, vi cujus conjux tenetur corpus suum non prostituere, vel commiscere alteri: atqui huic juri non possunt conjuges renunciare: ergo nec impedire consentiendo, ne committatur adulterium, & duplex specie peccatum, scilicet contra castitatem, & justitiam. Unde Innocent. XI. meritò proscripsit sequentem *nu.* 50. propositionem: *copula cum conjugata: consentiente Marito non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Vid. Viva. *ad hanc propos.* 50. Illsung *tr. 4. disp. 1. n.* 58.

457 Colliges secundò, Adulteram non teneri ad manifestandum, seu fatendum adulterium in sequentibus casibus. 1. Si manifestatio non sit profutura. 2. vel etiam, quando non est moraliter certum, quòd sit profutura. 3. quando non potest fateri crimen absque periculo vitæ, vel famæ, quam hactenus possederat integram. Ratio primi est: quia dum cessat finis, cessat enim ratio agendi propter finem, nec tenetur Mater se frustrà diffamare. Ratio secundi: quia ut notat Lessius de just. *lib. 2. c. 10. dub. 7. n.* 50. & Sporer *nu.* 558. in dubio, an manifestatio sit profutura, melior est conditio possidentis famam, &c. Ratio autem tertii & quarti est: quia bonum vitæ & famæ sunt altioris ordinis, superantque omnem æstimationem pecuniariam: ergo nemo tenetur vitam, vel famam prodigere, ob compensationem damni in bonis fortunæ; quia, ut communiter tradunt DD. in materia de Restitut. quando debitor restituere nequit absque longè majori suo damno,

no, præsertim in bonis superioris ordinis, licitè differt, vel omnino intermittit restitutionem, si tale periculum semper durare supponatur, prout in nostro casu contingit. Ita contra paucos communissima DD. quam sequuntur Molina, Lugo, Sporer *cit. nu.* 560. & alii.

458 Dictum tamen fuit, Adulteram non teneri cum periculo famæ, *quam hactenus possederat integram &c.* Nam si fama Adulteræ jam sit læsa, ut puta, si de tali crimine suspecta hactenus jam malè audivit, & ex altera parte manifestatio criminis prævideatur utilis, & necessaria, ad reparanda vel præcludenda damna, probabiliùs tenebitur adultera fateri crimen. Ita Sotus, Molina, Lessius, Laym. Lugo, Sporer *cit. n.* 566. Ratio solida hujus opinionis est: quia injustè damnificans tenetur præpedire, vel etiam resarcire damnum illatum, quoties id facere potest absque majori suo detrimento: at hoc potest Mulier in tali casu; quia bonum famæ talis Mulieris, utpote jam prostitutæ & suspectæ, non reputatur magni momenti; nec talis Mulier crimen fatendo propriè & simpliciter perdit famam, quippe quam hactenus non ampliùs possedit, saltem integram: ergo. Meritò tamen monet Lugo *disp.* 3. *Sect.* 3. *n.* 57. non sufficere quamlibet suspicionem vel rumorem de infamia talis personæ ad hoc, ut obligetur manifestare crimen admissum; sed debere tantam esse, ut vulgò jam malè audiat: difficillimum enim accideret, si ob levem suspicionem, vel rumorem incertum teneretur se ipsam prostituere, & certam subire jacturam famæ. Et quandoquidem res hæc semper sit plena periculo; hinc oportet, ut Confessarius cum hujuscemodi pœnitente quàm cautissimè procedat, ne temerè & præproperè decidendo, plùs quàm oportet, gravet illam, utique non sine evidenti periculo salutis.

459 Colliges tertiò, Nothum, seu spurium, postquam omnino convictus est, quòd sit illegitimus (ut si Mater testibus probaverit, Maritum toto illo tempore ad conceptum & partum exactò abfuisse) teneri abstinere ab hæreditate cum legitimis adeunda. Ratio patet: quia adeundo hæreditatem, aliis damnum injustum inferret.

Cæterùm, nisi afferantur tales rationes, quæ inducant moralem certitudinem, Filius (idem dicito de Filia) non tenetur credere Matri asseveranti, ipsum esse spurium, etiamsi sciret, fuisse Adulteram. Ratio est: tum quia Filius est in possessione, ac præsumptione legitimæ filiationis, qua non tenetur cedere, nisi convincatur esse illegitimus: tum etiam quia alleganti propriam turpitudinem nulla debetur fides, quando id cedit in præjudicium: præsertim cum teste Lessio *de just. l.* 2. *c.* 10. *dub.* 7. *nu.* 51. & Babenstuber proximè *cit. n.* 43. aliunde constet, ingenium fœminarum esse, alios præter modum amare, alios præter modum odisse. Ex hoc

460 Colliges quartò, in praxi rarò occurrere casum, in quo Adultera suum crimen Marito vel etiam spurio prodere teneatur; quia hoc rarò fieri potest sine gravi periculo vitæ, aut famæ, discordiarum & perpetuarum rixarum &c. tum etiam quia rarò continget, ut Filius ob aliquam ex enumeratis causam teneatur adhibere fidem Matri, & hæreditatem derelinquere. Vid. Babenstub. *cit. n.* 43.

Dices adhuc. At quid, si Parentes prolem ex adulterio natam, criminis tegendi causa, exponant alendam in Orphanotrophio, tenebunturne Orphanotrophio refundere expensas in sustentationem prolis factas, si Parentes aliunde sint satis habentes?

461 R. Est probabile, quòd non teneantur aliquid compensare. Ita Henriquez *lib.* 11. *de Matr. cap.* 19. *n.* 3. Dicastillo, & cum Molina Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *nu.* 4. ubi hoc probabile censet, saltem si Orphanotrophium sit dives. Ratio est: quia Orphanotrophia, & alia hujusmodi misericordiæ domicilia, in hunc finem sunt erecta & fundata, ut in necessitate constitutis subveniatur, absque onere aliquid compensandi: hac enim ratione peregrinantes infirmi ob præsentem necessitatem aluntur in hospitalibus, tametsi in Patria sint divites. Et hæc sententia posset deservire Confessario in casu, ubi ex parte pœnitentis adverteret periculum, vel magnam difficultatem in compensandis hujusmodi expensis.

Nihilominus communior sententia tenet,

net. Divitibus incumbere obligationem compensandi memoratas expensas; quia Orphanotrophia sunt instituta pro pauperibus & indigentibus infantibus: talis autem infans, cùm supponatur habere Parentes divites, à quibus ali potest ac debet, non est pauper, nec verè indigus. Nec videtur subesse periculum diffamationis in compensatione talium damnorum; quia sin minùs per se, saltem per alium bonum amicum, aut virum prudentem v.g. Confessarium, id ipsum exequi potuerunt; aut si nolint facere titulo justitiæ, faciant titulo gratuito v.g. per modum piæ largitionis aut oblationis. Vid. Lessius *l. cit. cap. 19. dubit. 6. num. 69.* Lugo *de Restit. tom. 1. disp. 13. Sect. 1. à n. 4.* Laym. *loc. cit.*

CONFERENTIA

DECIMANONA.

De Abortu, ejusdemque pœnis.

SUMMARIUM.

462 *Abortus est ejectio fœtus immaturi.*

463 *Nunquam licet procurare abortum per se & directe;*

464 *Etiamsi fœtus supponatur nondum animatus.*

465 *Indirectè tamen procurare subinde licet.*

466 *An Mater cum periculo vitæ teneatur abstinere à medicamine, ex quo prævidet secuturum abortum?*

467 *Refertur rigor constitutionis Sixtinæ.* Effrenatam. *Ejusdemque moderatio facta per Gregorium XIV.*

468 *Enumerantur quatuor pœnæ, quas effectu secuto, etiamnum incurrunt procurantes abortum fœtus animati.*

469 *Ab his pœnis incurrendis excusat ignorantia, licèt supponatur crassa & supina.*

470 *Quo tempore fœtus soleat animari, vel præsumi animatus?*

471 *Ab excommunicatione ex procuratione abortus, contracta possunt absolvere 1. summus Pontifex, 2. Episcopus & 3. alius ab Episcopo ad hoc deputatus Confessarius.*

472 *In irregularitate inde contracta dispensare competit soli summo Pontifici.*

473 *In Casu necessitatis etiam Episcopo.*

474 *Reliquas pœnas, puta, inhabilitatem ad beneficia, vel beneficii privationem, relaxare potest S. Pontifex immò & Episcopus.*

475 *Resolvitur Casus I. de Presbytero, qui Puellæ à se impraegnatæ præbuit poculum medicum, quo & abortum, & (præter intentionem) mortem puellæ procuravit.*

476 *Si fœtus fuit animatus, & excommunicationem, & irregularitatem incurrit.*

477 *Ab his pœnis potest vel à Pontifice, vel in casu urgentis necessitatis, ab Episcopo liberari.*

478 *An pœnam privationis beneficii, & inhabilitatis &c. statim ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, incurrat? duplex sententia DD.*

479 *Si rationabiliter dubitetur, an fœtus fuerit animatus, non incurrit.*

480 *Neque per hoc, quòd præter intentionem sit secuta mors Puellæ.*

481 *Resolvitur Casus II. de Marito, qui Uxorem prægnantem dirè tractavit verberibus, ita, ut abortum fecerit;*

482 *Quid, si abortum directè non intendit, eò ipso non incidit in excommunicationem Sixti V. & à quolibet absolvi valet.*

483 *Resolvitur Casus III. de Adultera, quæ sibimet non raro vim intulit, ut tandem fœtum immaturum ejecerit.*

484 *Procuratio abortus facta à Parentibus semper est duplex peccatum.*

485 *Clericus, post procuratum abortum fœtus animati, exercendo solemniter actum ordinis sine necessitate, incurrit irregularitatem.*

486 *Non item, si faceret hoc in casu necessitatis, ad evitandum scandalum.*

487 *Ta-*

487 *Tali Clerico illicò est laborandum pro dispensatione.*

488 *Quàm miser sit Clericus, qui procuravit abortum.*

489 *Qui dubitat rationabiliter, an ex sua actione, vel cooperatione fuerit secutus abortus fetus animati, non tenetur se gerere ut excommunicatum, aut irregularem.*

490 *Secùs dicendum foret, ubi constat, quòd dederis causam efficacissimam ad abortum fetus animati, & solùm negativè dubitat, an forsitan abortus non fuerit non secutus?*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de Procurantibus abortum.

Quæres primò, quid sit abortus, & quid procurare abortum?

462 R. Abortus est ejectio fœtus immaturi, sive animati anima rationali, sive etiam inanimati. Unde procurare abortum idem est, ac studiosè quærere & applicare media, ut fœtus conceptus immaturè ejiciatur: quod quidem diversis modis contingere assolet. 1. Directè, dum applicatur medium, seu etiam medicamentum per se efficax ad expellendum fœtum, vel dum Mulier prægnans percutitur, comprimitur, aut etiam gravia eidem imponuntur onera, ut fætum immaturum ejiciat: secundò. Indirectè, dum prægnanti applicatur medicamentum, per se & directè solùm tendens ad recuperandam sanitatem, v. g. secando venam &c. ex quo per accidens, & præter intentionem fœtus ejicitur.

Quæres secundò, sitne aliquando licitum procurare abortum?

463 R. Abortum fœtus animati per se, & directè procurare nunquam est licitum. Et ita *communissimè DD.* Ratio est: quia in nullo casu scienter innocentem licet occidere per se ac directè: fœtus autem animatus est innocens, & scienter occideretur; ergo. De procuratione tamen abortus, ubi fetus noscitur nondum esse animatus, DD. non ita conveniunt. Diana, Navarrus Sanchez *lib.* 9. *disp.* 20. *nu.* 9. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 4. & alii plures tenent, licitum esse etiam per se & directè procurare abortum fœtus nondum animati, in hoc unico casu, ubi scilicet Mater prægnans ex præsenti morbo extremè periclitatur, & nullum aliud remedium suppetit; quia tunc fetus censetur injustus aggressor vitæ maternæ. Et hanc sententiam non comprehendi in propositione sequenti *n.* 34. ab Innocentio XI. proscripta *Licitum est procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida, occidatur aut infametur*, censent Cardenas *crif. diss.* 22. *n.* 21. Viva *ad eandem proposi.* quamvis oppositum teneat Illsung. proximè citandus. Item Mattheuci *in Cautel. Confes. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 8.

464 R. secundò. Firmiter tenendum videtur, quòd nunquam, ne quidem in casu allato, liceat per se ac directè procurare abortum fœtus, etiam nondum animati. Ita tenent Lessius *de just. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 10. *nu.* 61. Navarr. Lugo, Filliuc. *tr.* 29. *c.* 6. *nu.* 101. Sporer *n.* 704. La Croix *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 825. Babenst. *tr.* 5. *disp.* 6. *a.* 1. *n.* 6. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 63. ubi dicit, hanc sententiam hodie esse certam. Ratio autem solita hujus sumitur à pari 1. quia nunquam licet per se ac directè procurare pollutionem: ergo nec abortum; cùm hoc sit majus peccatum, & magis oppositum generationi, quippe, quo frustratur duplex semen jam assumptum à natura, & præparatum ad procreationem individui humani: secundò. Ideò concludimus pollutionem esse intrinsecè malam, consequenter illicitam; quia si semel permitteretur, procul dubio maximum damnum habituale inferretur humano Generi: atqui idem damnum imminet humano Generi, si permittatur semel procuratio abortus directa; quia homines avidiùs quærerent delectationem carnalem, utique longè majorem ex copula, quàm ex sola pollutione, proindeque fingerent sibi, nescio quos casus similis licentiæ & necessitatis, & rursus post coitum procurarent abortum, parùm curantes de generatione prolis: per consequens impediretur usus legitimi matrimonii, & daretur magna occasio stupris ac

for-

fornicationibus, à quibus de facto multos absterret timor infamiæ, & prolis alendæ &c. tertiò tandem. Si ob periculum vitæ liceret per se & directè procurare abortum, idem foret permittendum ob evitandum periculum infamiæ aut mortis ab alio inferendæ, prout bene arguunt Illsung, & Babenstub. cit. : Sequela autem est falsa, prout ex propositione damnata patenter colligitur: ergo &c. Nec bene dicitur, quòd talis fœtus velut injustus aggressor possit expelli; nam si hoc sit verum, pariter licebit expellere fœtum animatum, tanquam injustum aggressorem.

465 Dictum tamen est, non esse licitum *per se & directè procurare &c.* Quod enim indirectè hoc liceat v. gr. adhibendo medium, per se & directè solùm tendens ad recuperandam sanitatem Matri v. g. sectionem venæ, pharmacum purgativum &c. ex quo prævidetur fortè secuturus abortus fętus nondum animati, non videtur illicitum, prout fatentur *DD. communissimè*. Ratio est: quia Mater habet jus ad conservandam vitam & sanitatem suam: ergo etiam ad sumenda medicamenta, quæ per se solùm tendunt ad recuperandam pristinam sanitatem, esto per accidens inde secuturus prævideatur abortus: sicut ex gravi causa licitum est, adhibere medicinam, ex qua per accidens, & præter intentionem prævidetur secutura pollutio.

Dices: quid si autem fętus supponatur jam animatus, licebitne etiam tunc sumere medicinam, per se & directè solùm tendentem ad sanitatem, tametsi prævideatur periculum abortus?

466 R. Cum distinctione. Si enim affulgeat spes, & prævideatur, fore, ut, si Mater abstineat à medicina, infans sit nasciturus vivus, & perventurus ad Baptismi gratiam, tenebitur Mater abstinere à medicamine etiam cum periculo vitæ; quia virtute charitatis & pietatis obligatur vitam æternam & spiritualem infantis præferre saluti proprii, corporis. Contra verò, si vel nulla, aut certè exigua appareat spes, deducendi prolem ad Baptismi gratiam, non tenebitur abstinere à medicamentis: quem enim in finem? Quia regulariter loquendo cum morte matris fœtus extingui solet; nam Matre lethaliter ægrotante corrumpuntur humores, & alimentum inficiunt, quo fœtus erat nutrendus; hinc si Medicorum judicio moraliter certò futura prævideatur mors Matris, nisi medicamenta sumat; potest ea absque scrupulo in tali casu sumere, etiam cum probabili periculo mortis infantis. Ita Sanchez, Diana, Amicus, Cardin. de Lugo, quos refert, & sequitur Mastr. *Theol. mor. disp.* 8. *n.* 31.

Quær. tertiò, quibus subjiciantur pœnis procurantes abortum?

467 R. 1. Contra *scienter* procurantes abortum fętus sive animati, sive inanimati, & quocunque modo consentientes, aut præbentes venena sterilitatis Mulieribus &c. Sixtus V. anno 1588. Bullam edidit satis rigidam, vi cujus illos subjecit omnibus pęnis, tum jure divino, tum etiam humano canonico ac civili contra veros homicidas constitutis, præsertim irregularitati, atque excommunicationi ipso facto incurrendæ (effectu secuto) à qua nequeant absolvi (nisi in mortis articulo) neque etiam in Jubilæo, aut vigore Concilii Tridentini, nisi à Romano Pontifice; atque etiam ab eo duntaxat urgentissimis de causis dispensari in irregularitate inde contracta. Verùm rigorem hujus constitutionis Sixtinæ Gregor. XIV. Bulla *Sedes Apostolica* edita. 1591. & videnda in *tom.* 1. *Bullarii Rom. constit.* 87. *dicti Pontif.* moderatus est in duobus principalibus punctis. Primò ita, ut pœnas procurantium abortum fętus inanimati, vel præbentium mulieribus venena sterilitatis, reduxerit ad terminos juris communis, vi cujus tales puniendi sunt, ut homicidæ. *c. si aliquis de homicid.* Non tamen fiunt irregulares, ut habetur *c. sicut ex litterarum. Eodem tit.* Secundò. Pœnas verò eorum, qui abortum fœtus animati procurant, eatenus est moderatus, ut à peccato, & excommunicatione, quam ex constitutione Sixtina tales incurrunt summo Pontifici reservatam, quilibet Confessarius ad hos casus, per Ordinarium loci specialiter deputatus absolvere possit. Unde

468 R. Jam secundò. *Scienter procurans* abortum fœtus animati (effectu secuto) incurrit de facto sequentes pœnas. 1. Excom-

communicationem latæ sententiæ, non tamen ampliùs reservatam soli Papæ, ut mox dictum. 2. Pœnas in utroque jure homicidis constitutas. 3. Insuper si procurans fuerit Clericus, incurrit cujusvis privilegii clericalis, dignitatis, & beneficii ecclesiastici privationem; 4. Sicque inhabilis ad talia in posterum consequenda. Quin etiam per dictam constitut. Sixti V. Clericus jubetur post degradationem extradi foro sæculari, capitali sententia feriendus. Vid. Sporer. *nu.* 700. *& seqq.*

469 Signanter tamen dictum est: *scienter procurans*, *&c* communiter enim notant DD. ut videre est apud Sanchez *de Matr. lib.* 9. *disp.* 32. ab his pœnis incurrendis excusare ignorantiam tum juris, tum etiam facti: quia Pontifex cit. in sua constitutione iteratò, posuit particulam *scienter*, seu *inscienter* procurantes, &c. at, qui facit ex ignorantia juris vel facti, dummodo non sit conjuncta cum temeritate, &c. non reputatur *scienter* fecisse: ergo nec incurrit pęnas Bullæ Sixtinæ. Quin etiam ignorantiam affectam excusare à censura, quæ est lata in *scienter* committentes crimen, probabile censent Diana, Burchab. *Cent.* 1. *cas.* 78. & alii: quia etiam talis non agit *scienter*, & aliunde constat, odiosa esse restringenda. Quia verò memoratæ pęnæ afficiunt scienter procurantes abortum fętus *animati*; hinc non abs re

Quær. quartò, quo tempore fętus soleat animari, vel præsumi animatus?

470 R. Res hæc valde est ambigua: nec Medici in hoc puncto conveniunt. Nonnulli etiam magni nominis tenent, animam rationalem ordinariè statim infundi circa septimum à conceptione diem, quæ proin, ut Themistius *in lib.* 1. *de Anim. c.* 22. loquitur, *ipsa sibi efformat*, *& præparat domicilium*, *non efformatum ante*, *& præparatum subit*. Lessius è contrà *lib.* 2. *de just. cap.* 9. *n.* 65. Lugo, Babenstub. *cit. n.* 9. & alii ab eo relati, cum Hypocrate tenent, animationem fętus ordinariè fieri post organizationem Embrionis, & regulariter contingere in masculis die circiter 35. à conceptione, in fœmellis autem circa circiter die 40. vel 45.

Tandem communior opinio fert, animationem masculi 40. fœmellæ autem 80. circiter die à conceptione fieri: & hanc sententiam, utpote benigniorem etiam forum externum, seu Judices sequuntur, quantùm ad pœnas ordinarias homicidis inferendas, ut testatur Reinffestuel *Theol. moral. tract.* 9. *dist.* 3. *numer.* 34. Schmalzgrueber. *lib.* 5. *tit.* 10. *numero* 29.

Quær. quintò. Quinam pœnas proximè commemoratas valeant relaxare?

471 R. 1. Ab excommunicatione contracta ex procuratione abortus post fœtum jam animatum, absolvere possunt sequentes. 1. Ipse summus Pontifex. 2. Episcopus. 3. Omnis ab Episcopo ad hos Casus specialiter deputatus. Nomine autem specialiter deputati Bonacina apud Sporer intelligit etiam illum, qui habet facultatem ab Episcopo, absolvendi ab omnibus casibus, & censuris ipsi Episcopo ab homine vel jure reservatis. 4. Item ab hac excommunicatione absolvere possunt Prælati majores Regularium jurisdictione quasi Episcopali gaudentes, sed suos duntaxat subditos; pro quibus etiam, ut absolvantur, possunt deputare alios. Quintò denique satis communiter tenent Doctores, etiam Confessariis privilegiatis quales sunt Mendicantes, & horum privilegiis communicantes) competere potestatem absolvendi ab hac excommunicatione pro foro interno. Rationem reddunt hanc: quia satis verosimile est, Pontificem Gregorium XIV. ubi facultatem absolvendi ab hac excommunicatione denegavit aliis, ab Episcopo non specialiter deputatis, noluisse eandem potestatem denegare privilegiatis, quibus aliunde potestas in casus etiam Papæ reservatos jam fuit concessa. Sporer tamen *n.* 721. sapienter monet, ac suadet, ut Confessarius privilegiatus, cui facilis est recursus ad Ordinarium, nec aliunde timendum periculum suspicionum de pęnitente, vel aliis innocentibus, in re tam gravi viam incedat securiorem. Certum etiam, atque exploratum esse debet post propositionem *n.* 12. ab Alexandro VII. damnatam, quòd, si Episcopus pro sua Diœcesi sibi reservaverit procurationem abortus, vel etiam homicidium quodcunque voluntariè commissum (quod in hac nostra Diœcesi est reser-

servatum) regularis privilegiatus absolvere non valeat, nisi desuper obtinuerit ab Episcopo specialem potestatem.

472 R. secundò. In irregularitate ex procuratione abortus fœtus animati, per se loquendo dispensare potest solus summus Pontifex. Ratio est: quia Gregorius XIV. constitutionem Sixti V. voluit observari, & in suo robore perseverare, præter ea, quæ ipse Gregorius moderatus fuit: atqui quoad irregularitatem (cujus dispensationem Sixtus V. soli summo Pontifici reservavit) nihil relaxavit, vel moderatus fuit: ergo.

473 Dixi etiam: *per se loquendo solus summus Pontifex potest, &c.* Nam Episcopus saltem per accidens dispensare potest cum Clerico in casu necessitatis, ubi Clericus tenetur administrare Sacramenta, vel conficere, nec facilè recurrere potest ad S. Pontificem. Ita Henriquez, Avila, aliisque pluribus relatis, Laym. *cit. c. 12. n. 6.* Ratio desumitur inde: quia suave Ecclesiæ regimen videtur postulare, ut summus Pontifex in tanta necessitate, & casu tam urgente, Episcopo concedat facultatem dispensandi, ne hujus defectu scandalum oriatur in populo, vel animarum salus periclitetur. Insuper Superiores Regulares jurisdictionem quasi Episcopalem habentes cum suis duntaxat subditis vi privilegiorum posse dispensare in hac irregularitate, tenent cum pluribus allegatis Diana, *p. 7. tr. 5. resol. 22.* & Portel. *V. Abortus n. 10.* quos sequitur Spor. *nu. 715.* In reliquis verò pœnis, utpute privationis, & inhabilitatis ad obtinenda beneficia ecclesiastica, solum Pontificem, non item Episcopum vel alium dispensare posse, censet Reinff. *lib. 5. decret. tit. 10. n. 22.* eoquod S. Pontifex hanc potestatem sibi & suis successoribus specialiter reservaverit: aliunde etiam constat, quòd nullus inferior in lege Superioris valeat dispensare: ergo, &c. Huic opinioni, & ego adhæseram, dum prima vice hanc materiam typis commisi. Verùm re meliùs perpensa:

474 R. Jam tertiò. In pœna privationis, & inhabilitatis ad officia, & beneficia ecclesiastica obtinenda probabilissimè possunt dispensare Episcopi, & Superiores Regulares respectu suorum subditorum. Ratio est: quia secundùm communissimam DD. opinionem, quam etiam tenent S. Bonavent. *4. d. 18. p. 2. q. 6. fin.* Scotus & alii: ab omnibus censuris ac pœnis generaliter duntaxat à jure latis, & non specialiter reservatis, possunt absolvere & dispensare illi, qui gaudent jurisdictione Episcopali, vel quasi Episcopali, prout constat ex *c. nuper 29. de sentent. excommun.*: atqui S. Pontifex non reservavit sibi specialiter potestatem relaxandi præfatas pœnas, prout bene notavit P. Sporer *cit. p. 4. c. 4. n. 722.* & satis patebit considerate legenti Bullam Sixti V. *Effrenatam*. Cùm enim altefatus Pontifex in procurantes abortum varias decrevisset pœnas scilicet privationis, & inhabilitatis, §. 2. item excommunicationis ipso facto incurrenda §. 7. nec non & irregularitatis §. 8. tandem subjunxit hæc formalia *l. cit. decernentes --- ne personæ sic, ut præfertur, delinquentes* & excommunicatæ, *præterquàm in mortis articulo absolvi valeant, nec cum iis Clericis, qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum crimen occultum fuerit*, super irregularitate *præmissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, &c. dispensari possit. Ac tam absolvendi quàm dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiæ in casibus superiùs expressis* (NB. non ait: *in pœnis superiùs expressis*, sed in casibus, quando scilicet abortus aut sterilitas jussu, consilio, vel auxilio, &c. procuratur, &c), *Nobis, & successoribus nostris duntaxat reservamus.* Ita Pontifex. Ex quibus patet, quòd solam excommunicationem & irregularitatem sibi specialiter reservaverit, non item reliquas pœnas. Quare cùm odiosa semper sint restringenda, asserendum potiùs videtur cum Spor. *cit.* quòd Episcopo competat facultas dispensandi in pœna privationis, & inhabilitatis, &c. *argum. C. nuper 29. de sentent. excom.* Et certè Prælatis Regularibus vi suorum Privilegiorum competere potestatem dispensandi tam in irregularitate contracta ex procuratione abortus fœtus animati, quàm habilitandi ad officia suos Religiosos, etiam pro foro externo, teste Diana *part. 7. tr. 5. resolut. 22. fin.* solidè probat Bordonus *in consiliis regular. resolut. 13. q. 5. n. 19.* item Novarius *in summa*

ma Bullarii tom. 2. tit. de abortu n. 21. Et Portel. *in duab. regular. verb. Abortus. n.* 12. Quos vide, si placet.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Procurantibus Abortum.

CASUS PRIMUS.

Titius Presbyter imprægnaverat Titiam; quare ut infamiam sibi imminentem, & scandalum in populo inde oriturum præcaveret, malè cautus præbuit poculum medicum, quo non solùm fœtum, ut intenderat, sed etiam (præter intentionem) animam Titiæ expulit: Dubitatur jam 1. An Titius peccaverit? 2. An, vel quas pœnas incurrerit? 3. Quisnam in tali casu mederi, vel pœnas relaxare valeat?

475 R. Ad primum: Titius præbendo poculum ex intentione procurandi abortum, peccavit mortaliter, ut de se clarum est: quia non oportuit facere malum, ut eveniret bonum, seu, ut vitaret infamiam & scandalum: atqui procurare abortum est malum, & quidem intrinsecè tale secundùm dicta: ergo, &c.

476. R. Ad secundum, esse distinguendum, & vel maximè in hoc puncto attendendum, an fętus fuerit jam animatus vel non? Si non, dicendum, quòd Titius nec excommunicationem incurrerit, nec irregularitatem. Ratio est: quia Gregorius XIV. memoratam constitutionem Sixti V. restrinxit ad terminos juris communis, nempe Sacrorum Canonum, & Concilii Trid. at, neque in Concilio Trid. neque in S. Canonibus ullibi legitur excommunicatio, vel irregularitas lata in procurantes abortum fętus nondum animati: ergo, &c. Si autem constet, fœtum jam fuisse animatum, dicendum erit, quòd Titium nedum excommunicationem, sed etiam irregularitatem, & reliquas pęnas *n.* 468. recensitas incurrerit. Ratio patet ex dictis *l. cit.*

477 R. Jam ad tertium. Dato, quòd fœtus fuerit animatus, Titius 1. ab excommunicatione absolvi poterit vel à summo Pontifice, vel etiam ab Episcopo, aut alio ab hoc specialiter in hunc finem delegato, vel denique probabiliter à Confessario privilegiato. 2. In irregularitate autem dispensari potest à solo summo Pontifice per se loquendo: per accidens verò etiam ab Episcopo, vel (si supponatur esse Sacerdos Regularis) à suo Prælato seu Superiore habente jurisdictionem quasi Episcopalem in suos. 3. Reliquas verò pęnas tum ab Episcopo, tum etiam à Superioribus regularibus relaxari posse, constat ex dictis *n.* 474.

Dices. Ergone Titius statim ipso facto incurrit privationem beneficii ecclesiastici, si quod habuit, & inhabilitatem ad tale imposterum consequendum?

478 R. Plures DD. censent, has pęnas statim incurri ante omnem sententiam Judicis; quia pontifex dicit: *ipso facto privamus &c.* idque verum existimat Sporer, quando delictum esset notorium. At verò, si supponatur adhuc esse, ac manere occultum, probabile censet idem Sporer *n.* 722. neutram ex istis duabus pęnis incurri ante sententiam declaratoriam criminis. Non *privationis*; quia hæc est pęna positiva, exigens ad sui executionem actum positivum; qualem nemo tenetur in se ipsum exercere ante omnem sententiam. Nec *inhabilitatis*; licèt enim hæc sit pęna purè privativa, nullum exigens actum positivum: quia tamen apponitur immediatè ad pęnam privationis, quæ actum ad sui executionem postulat; hinc putat Spor. *cit.* eam sequi conditionem pęnæ privationis, ideòque non incurri ante sententiam declaratoriam criminis. In hanc opinionem pariter inclinare videntur noster Portel. *in dubiis Regular. V. inhabilitas. n.* 3. ubi citat Sanch. Navarr. Sotum, Molin. & Ledesm. ac novissimè noster Kazenb. *in Supplem. Decalog.* P. Spor. *c.* 1. *Sect.* 3. *n.* 268. Idem tenent (contra Reinffest. Schmalzgrueb. & alios) Sanctarellus, Marchinus, Diana, Barb. *de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 44. *n.* 29. P. Thesaurus *in praxi part.* 1. *c.* 28.

Dices adhuc. Quidsi autem omnibus pensatis maneat dubium etiam invincibile, fueritne fętus jam animatus nec ne? tenebiturne se Titius gerere ut excom-

communicatum , irregularem , inhabilem ? &c.

479 R. Negativè. Ita Tambur. *Decal. lib. 1. c. 3. §. 7. V. Irregularitas. n. 2.* Diana, Franc. Bard. *de consc. disc. 6. c. 7. §. 4.* Sporer, & alii plures contra Sanchez Molin. Matthæucci, & nonnullos alios. Ratio nostra est: quia non est ponenda irregularitas (idem dicito de aliis pœnis) nisi in casibus jure expressis, ut habetur *c. Is qui de sent. excom. 6.* at in jure nullibi exprimitur irregularitas pro casu , ubi de morte, vel homicidio causato dubitabatur , sed duntaxat pro casibus , ubi constabat de corpore delicti , seu de homicidio certè patrato, & dubitatur de efficacia cooperationis ad mortem: ergo cùm in nostro casu non constet , homicidium esse perpetratum , dicendum quòd Titius, noster non incurrerit præfatas pœnas , eò præsertim , quòd dicitur *Regul. 49. Jur. in 6. In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

Dices tandem . Sed nunquid Titius iteratò incurrit excommunicationem , & irregularitatem ex eo , quòd propinato à se pharmaco mulieri animam expulerit ?

480 R. Multi opinantur, eum, qui vacat operi illicito , fieri irregularem , si mors inde sequatur , etiam contra intentionem operantis ; cùm enim posuerit caussam de se illicitam , & periculosam ad inferendam mortem , præsumitur voluisse ipsam mortem . Nec dubitandum , quin Titius noster in foro externo pronuntiaretur irregularis , ob rationem mox allegatam. Quin etiam in foro interno sese ut talem gerere deberet, si mortem Mulieris intendisset . Quia tamen , ut casus fert , mors puellæ accidit præter intentionem ; hinc dicendum , quòd ex hoc capite nec excommunicationem , nec irregularitatem incurrerit. Ita Avila , Henriquez, quorum opinionem tutam censet Layman. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4. fine.* La Croix *lib. 7. n. 492.* Ratio est; quia pœna excommunicationis, vel etiam irregularitatis ex delicto , non infligitur ex eo , quòd opus in se licitum , vel illicitum , seu etiam periculosum fit, sed ex eo, quòd ex tali opere culpabiliter homini mors inferatur: ergo si supponatur non intendisse mortem mulieris, sed hanc præter , immò contra ipsius intentionem fuisse secutam , saltem in foro conscientiæ immunis erit à prædictis pœnis. Vid. Sporer *de Matr. n. 741.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Uxorem suam valde prægnantem non verbis solùm , sed & verberibus dirè tractavit ; unde contigit , ut uxor abortiretur , & infantulus vix in lucem editus moreretur. Sempronius facti jam pœnitens quærit & dubitat , an à quolibet Confessario approbato ab Episcopo possit absolvi ? quid respondendum ?

481 R. In hoc casu pariter attendendum , & accuratè inquirendum est , an Sempronius Uxorem suam tam dirè tractando intenderit abortum, & mortem infantis, vel non ? si intendit , procul dubio incidit in excommunicationem à Sixto V. fulminatam ; immò & casum Celsissimo Passaviensi reservatum : unde non potest absolvi à quolibet Confessario, sed ab eo duntaxat , qui gaudet potestate absolvendi à Casibus summo Pontifici , & Episcopo reservatis, nisi supponatur ignorasse hujusmodi pœnas. Sin verò homicidium aut abortum minimè intendisset (prout plerùmque fieri solet à similibus) dicendum , quòd possit absolvi à quolibet approbato Confessario . Ratio est : quia Sixtus V. suo fulmine illos tantùm ferire intendit , qui *voluntariè procurant* , seu etiam *studiosè quærunt* abortum . Consimiliter , decretum Celsissimi Passaviensis , ubi homicidium reservatur , solùm loquitur de homicidio *voluntariè commisso* : ergo si Sempronius fateatur , se homicidium vel abortum minimè intendisse , non incurrit dictas pœnas , nec casum reservatum .

Dices. Quid si autem Sempronius dicat , se percutiendo advertisse quidem aliqualiter periculum abortus , non tamen intendisse abortum ?

482 R. Nec in tali casu incurrit excommunicationem Sixti V. quia non supponitur *procurasse abortum* : probabiliter nec Casum reservatum Episcopo : licet hoc non obstante potuerit indicere irregularitatem ex delicto homicidii casualis . Unde P. Sporer *num. 743.* bene docet , Episcopum posse

posse dispensare in irregularitate ex tali abortu, sicut & quolibet homicidio casuali occulto, indirectè solùm voluntario: quia Pontifex *cit.* tantùm loquitur de abortu *voluntariè procurato*, & Concilium Trid. in facultate concessa Episcopis solùm excipit *homicidium voluntarium*: atqui homicidium tantùm indirectè & imperfectè voluntarium, non potest dici simpliciter voluntarium: ergo. Suarez *disp. 45. Sect. 1. n. 2. & commun. DD.* quam sequitur Filliuc. *tr. 2. c. 3. n. 86.*

CASUS TERTIUS.

Caja ex adulterio conceperat à Cajo, qui eidem, ne prolem adulterinam alere, vel Marito supponere cogeretur, sæpius suaserat, ut priusquàm fœtus animaretur, abortum procuraret. Caja à longo tempore renuit exequi malignum consilium: tandem verò, posteàquam fœtum jam senserat animatum, mutavit animum, & sibimet non rarò vim intulit, ventrem & corpus suum vehementer comprimendo, subinde etiam asseribus allidendo, nec non gravibus oneribus subjiciendo; quibus de causis tandem, non sine extremo vitæ periculo, enixa est fœtum exanimen. Quæritur jam qualiter isti adulteri peccaverint, & quales incurrerint pœnas?

483 R. Caja peccavit multipliciter, & gravissimè quidem. 1. Adulterando contra castitatem & justitiam. 2. Committendo parricidium contra charitatem & pietatem proli debitam, immò & 3. contra charitatem erga se ipsam; quia enecando fœtum in utero, exposuit se evidenti periculo vitæ, prout eventus monstravit, nec potuit hoc periculum (si tamen sanæ mentis fuit) non prævidere. Quare indubitanter (nisi excusset ignorantia) incidit in excommunicationem Sixti V. & casum in hac Diœcesi Passav. reservatum Episcopo. Cajum verò quod attinet, dicendum, quòd etiam ipse peccaverit mortaliter suadendo abortum. Et siquidem consilium suum nunquam revocasse supponatur, ita, ut Mulier in tali consilio inducta fœtum enecaverit, procul dubio incurrit pœnas jam recensitas. At verò si consilium malignum pro possibili revocando, & contrariis rationibus evertendo, Mulierem quantùm in se erat, retrahere studuit à concepto scelere, & præsertim si protestatus fuit, se nolle ut fœtus jam animatus occideretur, probabiliter nec Casum reservatum, nec excommunicationem, nec alias pœnas à Sixto V. latas incurrit. Ratio est: quia, ut supponitur, parricidium, seu etiam procuratio abortus post fœtum animatum, ipsi non fuit voluntaria; quare in tali casu Mulier non tam vi consilii, quàm motu propriæ improbitatis ac nequitiæ abortum procurasse censetur. Vid. Laym. *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 7.* Sporer. *n. 730.* ubi plures pro hac opinione referunt *DD.*

§. III.

Corrolaria ex dictis inferenda.

484 Colliges ex dictis primò, procurationem abortus à Parentibus factam semper esse qualificatam, seu duplex peccatum. Ratio patet ex dictis: quia nòn tantùm repugnat virtuti justitiæ, sed vel maximè etiam virtuti pietatis, prout communissimè notant DD. Et licèt procurantes abortum fœtus nondum animati, homicidium propriè tale non committant, attamen committunt quasi homicidium. Unde Tertullianus *in Apologetico c. 9. scripsit. Nobis homicidio semper interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem.*

485 Colliges secundò. Clericum: qui post procuratum abortum fœtus animati solemniter exercet actum Ordinis v. g. baptizando, celebrando &c. peccare mortaliter *per se loquendo*. Ratio est: quia procurando talem abortum incidit in excommunicationem, & irregularitatem: atqui talibus non licet exercere actum Ordinis: ergo. Quin etiam, si actum Ordinis exerceat solemniter de novo incurrit irregularitatem, ob violationem censuræ Ecclesiasticæ, ut habetur *in Jur. Can. toto titul. de cleric. excomm. ministrante*,

486 Dictum tamen fuit, quod *per se loquendo peccet*. Per accidens enim, & à peccato, & ab irregularitate modò dicta excusabitur, si actum Ordinis, etiam solemniter, in tali statu exercuerit exigente casu necessitatis, ita ut absque periculo infamiæ, vel scandali abstinere non potuerit. Ratio est: quia lege naturali, ac divina quivis, & maximè Clericus tenetur cavere scandalum, nec non vitam suam, atque famam tueri: ergo eadem lege tenetur in tali casu (ad evitandum scandalum) exercere actum Ordinis: è contrà lex, quæ prohibet irregulari, & excommunicato exercitium Ordinis, est tantùm humana: atqui lex humana debet cedere divinæ, & naturali, dum non potest simul cum illa observari: ergo lex Ecclesiæ in tali casu non obligat. Hinc.

487 Colliges tertiò Hujusmodi Clerico excommunicato &c. illicò laborandum esse, ut quàm citissimè dispensationem, & absolutionem impetret, vel à summò Pontifice, vel, si necessitas urgeat, ab Episcopo: interim tamen post peractam pœnitentiam celebrare poterit, quoties necessitas postulaverit ad vitandam infamiam vel scandalum &c. ob rationem proximè datam.

488 Colliges quartò, & cum Reiffenst. *cit. lib. 5. tit. 20. n. 25.* inferes valdè miseros ac infelices esse, qui abortum fœtus animati directè, & voluntariè procurant, vel consilium aut auxilium ad abortum quovis modo præbent, præsertim si sint Clerici, sive curati, sive etiam simplices, beneficium habentes, vel non. Si enim nullum pro illo tempore adhuc habeant beneficium, nullum ampliùs consequi valent, nisi dispensentur. Si autem habeant beneficium, illud quidem ante sententiam criminis declaratoriam dimittere non tenentur; nihilominus ante eandem sententiam, & licèt delictum sit occultum sunt ipso facto irregulares; per consequens præter alios irregularitatis effectus, non ampliùs possunt celebrare Missas (nisi subsit periculum scandali) quot tamen plurima beneficia requirunt; ut proin saltem ex hoc capite ante omnem judicis sententiam in foro conscientiæ teneantur dimittere sua beneficia; eò quòd suæ obligationi rationne beneficii contractæ, non ampliùs possint satisfacere, nisi à S. Pontifice dispensentur; quod difficillimè, & non nisi urgentissimis de causis fieri potest, ut habet Bulla Sixtina *Effrenatam* jam sæpiùs *cit.* §. 8. Vid. Reiffenst. *cit.*

489 Colliges tandem quintò eum, qui dubitat invincibiliter, an procuraverit abortum, vel, an ex sua procuratione ac cooperatione abortus sit secutus nec ne, sive dubio merùm negativo, sive etiam positivo dubitet, non teneri se gerere ut excommunicatum aut irregularem. Id ipsum à fortiori dicendum est de eo, qui habet rationes probabiles, quòd non sit secutus abortus, & tantùm negativè dubitat, an non fortè sit secutus? Ratio jam suprà *num.* 479. insinuata fuit: præsertim etiam, quia, *nemo in dubiis præsumitur deliquisse L. meritò ff. pro Socio.*

Dices. At quid, si talis solùm habeat rationes probabiles contra se, quòd scilicet sit secutus abortus, quia v. g. post fœtum jam certò animatum propinavit Mulieri medicamentum de se efficacissimum ad procurationem ejusdem, & merùm negativè dubitat, an abortus sit subsecutus, tenebiturne se gerere ut irregularem, & excommunicatum?

490 R. Tenetur. Ratio est: quia supponitur præbuisse medium de se efficacissimum, ex quo naturaliter subsequi consuevit abortus: ergo præsumi debet fuisse subsecutus: quare cùm nullam supponatur habere rationem, non esset secutus, atque merùm negativè dubitet; hinc debet se gerere ut irregularem, prout habetur *c. petitio tua 25. de homicid.* Ita Tambur. *hic c. 5. §. un. n. 17.* Et licèt facta in dubio non præsumantur, fallit tamen hæc regula: quando sunt solita fieri *L. ult. C. de fid. instrum.* Ita & P. Thesaurus apud Dian. *tract. 5. resol. 26.* Mascardus *Conclus. 732. n. 5. & 7.* apud Sporer *n. 752.*

CON-

CONFERENTIA VIGESIMA.

De impetrandis, vel non impetrandis dispensationibus super impedimentis Matrimonii.

SUMMARIUM.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus circa dispensationes in causis matrimonialibus impetrandas, vel non impetrandas.

QUæres primò, in quibus impedimentis S. Pontifex possit, & in quibus soleat dispensare?

491 R. 1. Summus Pontifex in omnibus impedimentis Matrimonii tam impedientibus, quàm etiam jure humano solùm dirimentibus potest dispensare. Ratio est: quia omnia impedimenta jure duntaxat humano dirimentia, sunt introducta auctoritate & voluntate SS. Pontificum: ergo eadem auctoritate & voluntate Pontificis possunt relaxari, abrogari, vel etiam dispensari; quia ut dicitur *c. 1. de Reg. Jur. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem etiam dissolvitur*, Quænam autem impedimenta jure humano solùm dirimant, diximus superiùs *n.* 334.

492 R. secundò. Quamvis secundùm dicta, Papa dispensare valeat in omnibus impedimentis jure humano tantùm dirimentibus: in sequentibus tamen non solet dispensare. 1. quidem non dispensat cum personis consanguineis in linea recta, seu talibus, quarum una ab altera descendit per carnalem propagationem, in quocunque demum gradu distent, 2. Cum consanguineis etiam in primo vel secundo gradu lineæ transversæ conjunctis nunquam, vel vix unquam dispensare consuevit: certè non, nisi cum magnis Principibus, & ob publicam causam, ut vult Concil. Trid. *Sess.* 24. *de Reform. Matr. c. 5. numer.* 8. 3. Similiter cum personis voto solemni adstrictis, vel etiam in sacris Ordinibus constitutis rarissimè, & non, nisi urgentissimis de causis dispensare consuevit. 4. Item cum illis Personis, quæ vel sine solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis, vel etiam in gradibus prohibitis scienter contrahere attentarunt, vix unquam, aut certè non, nisi difficillimè dispensatur, prout Sporer *numer.* 446. La Croix, & alii DD. communiter notant, & statuitur in Concilio Trid. *de reform. Matr. Ss.* 24. *c.* 5. In impedimentis verò jure divino, & præsertim naturali dirimentibus, dispensari non posse, & nunquam dispensari pariter dictum fuit suprà *n.* 335. *&* 336.

Quær. secundò, Utrùm etiam Episcopus dispensare valeat in impedimentis dirimentibus jure Pontificio tantùm introductis?

493 R. primò. Potest in his Episcopus dispensare post contractum Matrimonium pro foro conscientiæ, si concurrant sequentia. 1. Si Matrimonium sit publicum. 2. & impedimentum occultum. 3. Si initum sit bona fide, seu cum ignorantia impedimenti, saltem ex parte unius. 4. Si in separatione esset scandalum. Etsi non sit facilis aditus ad Papam, ob paupertatem, vel aliam causam, vel certè si sit periculum peccandi ex dilatione dispensationis. Ita Sanchez, Krimer, Filliuc, Kugler, aliisque pluribus congestis La Croix *de Matr. n.*835.

R. secundò. Etiam ante contractum matrimonium potest Episcopus in dictis impedimentis dispensare, qnando est urgentissima necessitas salutis animæ, vel periculum in mora: & non est aditus ad Papam. Ita rursus La Croix *cit. n.* 838. Cardenas *diss.* 2. *n.* 636. Gobat, Filliuc. Sporer, Mastrius & alii plurimi apud Kugler *n* 2124. Et ita declarasse Sixtum V. Corradus testatur apud La Croix *L.* 6. *p.* 1. *n.* 117. Ratio autem est: quia secundùm communissimam, & receptam Theologorum, ac Canonistarum sententiam, potest Episcopus dispensare in legibus Pontificiis in casibus urgentissimis, ubi non datur facilis recursus ad summam Sedem, & est periculum in mora; tum quia non est verosimile, quòd Pontifex in tali casu cum dispendio boni communis, & periculo animarum, velit sibi soli reservare potestatem à Christo concessam in bonum animarum: tum etiam quia praxis & consuetudo (quæ est optima legum interpres, immò confert jurisdictionem) docet, Episcopum dispensare, ubi tanta urget necessitas, in impedimentis v. g. Affinitatis, Criminis &c. itemque impedimento impediente orto ex voto perpetuæ castitatis, prout testan-

testantur Gobat *tr.* 9. *n.* 574. La Croix & Kugler *ll. cit.* ergo. Utrùm autem Episcopus ita dispensare valeat jure ordinario, & per se, an verò per accidens tantùm, non est una omnium DD. opinio. Placet in hoc judicium P. Kugler *num.* 2124. ubi pro dirimenda hac controversia, (quæ videtur de modo loquendi potius, quam de ipsa re) ait dictam potestatem Episcopi esse *quasi ordinariam*, in quantùm imitatur ordinariam in hoc, quòd non sit delegata certæ personæ, & officio adhæreat: deficit autem ab ordinaria strictè tali, quòd se non extendat ad casus ordinarios, prout deberet ex ipso nominis etymo, seu *ordinaria* potestate.

495 Quær. Tertiò Utrum etiam Mendicantes gaudeant potestate dispensandi in impedimentis Matrimonii?

R. 1. In impedimento impediente, orto ex voto, quando illud votum non est unum ex quinque Pontifici specialiter reservatis, possunt dispensare. Ita communissimè DD. Herincx hic. Bosco, Spor. Reiffenstuel, Kazenberger *de legibus c.* 1. *Sect.* 4. *n.* 389. Ratio est: quia vi suorum privilegiorum possunt dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi possunt dispensare jure ordinario, prout videri potest apud Sporer *tr.* 3. *Decal. c.* 3. *Sect.* 3. *n.* 54. atqui Episcopi jure ordinario dispensare possunt in omnibus votis Papæ specialiter non reservatis: ergo. Hinc sequitur, Regulares Mendicantes dispensare posse 1. in voto suscipiendi Ordines 2. in voto castitatis non perpetuæ 3. vel perpetuæ quidem, sed pœnalis; vel Quartò conditionatæ &c. item in voto non nubendi, non fornicandi, servandi virginitatem &c. Ratio est: quia hæc vota non sunt specialiter reservata summo Pontifici.

Quin etiam in voto castitatis perpetuæ, & integræ, quamvis hoc sit specialiter reservatum summo Pontifici, nihilominus in casu urgentissimæ necessitatis dispensari posse à Confessario Mendicantium (contra communionem aliorum) docet Reiffenstuel *l.* 3. *Decret. tit.* 34. *nu.* 40. quam opinionem probabilem censent Herincx *de Vot. disp.* 4. *q.* 6. *num.* 73. Bassæus, Crousers *in cap.* 7. *Reg. S. Francisci lect.* 29. Kazenberger *l. proximè cit.* Ratio est: quia certum est, quòd Regulares vi privilegiorum suorum dispensare valeant in omnibus votis, in quibus Episcopi possunt jure ordinario: atqui Episcopi in casu urgentissimæ necessitatis possunt jure ordinario dispensare in voto perpetuæ castitatis; quia in tali casu dispensant vi sui Officii, aut certè vi consuetudinis universaliter receptæ: consuetudo autem, & Officium tribuunt jurisdictionem ordinariam: ergo etiam in simili casu probabiliter id possunt Mendicantes. Et dato etiam, quòd Episcopus in tali casu solùm dispenset per potestatem, *quasi Ordinariam* (ut loquitur Kugler cit.) attamen, quia hæc potestas *dispensandi in omnibus votis in quibus Episcopi possunt, potestate ordinaria* Mendicantibus concessa est favorabilis, ideòque late interpretanda; hinc non improbabiliter dicitur, Mendicantes etiam tunc posse dispensare, quandò Episcopus potest potestate *quasi ordinaria*: sicut dum aliquid favorabile conceditur Religiosis, concessum censetur non solùm illis, qui sunt propriè, & strictè, Religiosi, sed etiam qui sunt quasi Religiosi, seu Novitii, prout communiter fatentur DD. & colligitur *Argum. c. Religioso §. quamvis de Sentent. excommun. in* 6. Unde Bassæus apud Herincx cit. testatur, hanc sententiam an. 1629. in Consistorio Cardinalium visam fuisse, & toleratam.

496 Resp. Secundò. Insuper Regulares Mendicantes post matrimonium sive bona sive mala fide contractum, dispensare, possunt super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, & prolem inde susceptam legitimam declarare 2. In aliis autem impedimentis dirimentibus nihil possunt; quia talis potestas nec ex jure, nec ex privilegio ipsis competit, prout bene notavit Gobat *tractat.* 9. *numer.* 721. Prior autem pars, quòd scilicet in impedimento occulto affinitatis dispensare valeant, docetur (contra communiorem aliorum) à Richardo Roffensi Episcopo, & Martyre in Anglia *in suo libello de causa Matrimonii Regis Angliæ* Chassaing. *de Privileg. Mendicant. tract.* 5. *cap.* 5. *propos.* 3. Vera-Crux 2. *part. speculi aurei a.* 27. Bosco *disp.* 12. *Sect.* 13. *nu.* 198. Reiffenst. *ad* 4. *lib. Decret. in Appen-*

dice de dispensat. super impediment. §. 11. *n.* 542. *& seqq.* ac novissimè à nostro P. Kazenberger *in suo Supplem Decalog. P. Sporer c.* 1. *Sect.* 4. *num.* 390. Ratio hujus est: quia Patribus Augustinianis per totum Mundum existentibus Leo X. præclarissimum, idque bullatum privilegium concessit, *quòd cum his, qui in primo affinitatis gradu scienter, aut ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in judicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima*: ita tenor privilegii apud Richardum Rossens. *l. cit.* videndi: atqui in eodem privilegio communicant alii quoque Mendicantes, ut DD. cit. notant: ergo &c. Esto etiam memoratum privilegium velut invisum à nonnullis aliis impugnetur, nihilominus satis bene à Chassaingo, Reiffenst, & Kazenberger *ll. cit.* vindicatur, & propugnatur hodiedum, quamvis iidemmet DD. moneant, ut Regulares Mendicantes hoc privilegio non utantur (nisi periculum incontinentiæ, vel alia necessitas urgeat) sed ad S. Pænitentiariam, vel ad Episcopum pro dispensatione recurrant; quia ubi agitur de valore Sacramenti semper oportet sequi sententias tutiores. Vid. dicta *n.* 424.

Quær. quartò, quomodo practicè sit procedendum ad impetrandam dispensationem, & à quo, vel quibus hæc sit petenda?

497 R. 1. Ante omnia attendendum est, sitne impedimentum publicum seu notorium, an verò occultum? Notorium (teste Clericato *de Matr. decis.* 40. *nu.* 29.) censetur, si sit cognitum à majori parte viciniæ vel Parochiæ: item si deductum sit ad forum contentiosum, & super eo pars est citata: à fortiori, si jam in judicio sit probatum, & pro impedimento sententia lata. E contra occultum reputatur, si Reus fuerit absolutus à Judice, quamvis per falsos testes se purgasset; vel si unus duntaxat aut alter sciat impedimentum. Notat tamen idem Doctor cit. quòd si in litteris Pontificiis adderetur hæc clausula: dummodo delictum seu impedimentum *omnino sit occultum*, tunc si duo sint, qui illud sciant & probare possint, non ampliùs censetur *omnino seu totaliter occultum*, ac per consequens talis dispensatio foret nulla; eòquòd non subsistat hæc conditio vel clausula.

498 R. ad secundum cum distinctione. Si enim dispensatio sit petenda pro foro fori, eòquòd impedimentum supponatur publicum & notorium, tunc oportebit litteras supplices dirigere Romam ad Datariam seu Cancellariam. Si autem dispensatio sit petenda pro foro conscientiæ tantùm, seu ut alii dicunt, pro foro Poli, eò quòd impedimentum omnino sit occultum, tunc per se loquendo litteræ erunt dirigendæ ad S. Pœnitentiariam, seu ad eminent. Dominum Cardinalem majorem Pœnitentiarum; qui in similibus dispensat, & quidem gratis pro DEO.

499 Dixi tamen: *per se loquendo erunt dirigendæ &c.* Nam si impedimentum sit occultum, & necessitas urgeat, vel instet periculum animæ, subinde potest peti dispensatio ab Episcopo, secundùm dicta hactenus.

Quær. quintò, quidnam in ipsis litteris seu in Supplica observandum sit, & exprimendum?

500 R. Est vel maximè cavendum, & observandum, ne in Supplica verum supprimatur seu reticeatur, aut falsum exprimatur; secùs enim dispensatio evaderet sub-vel obreptitia, ideòque nulla. Quapropter, ne talis error contingat, observanda erunt sequentia. 1. Ut impedimentum ritè in sua specie exprimatur; quia si unum poneretur pro alio v. g. affinitatis pro impedimento consanguinitatis, dispensatio esset nulla. 3. Ut accuratè exprimatur gradus; etenim, si pro gradu primo vel secundo exprimeretur tertius aut quartus, rursus dispensatio nulla foret; secùs dicendum, si loco gradus v. g. tertii fuisset positus primus aut secundus; quia dispensans in gradu primo vel secundo, meritò creditur dispensasse à fortiori in gradu tertio non vicissim. 3. Si Sponsi v. g. distent in gradibus inæqualibus, exprimi debet in quoto gradu quævis Persona distet à communi stipite; quia quò minor est distantia, eò difficilis dispensatur. 4. Si plura simul impedimenta ver-

versentur inter personas, sive sint impedimenta diversæ, sive etiam ejusdem speciei, debent singula exprimi; aliàs vel nullum omnino, vel illud solùm, quòd expressum fuit, relaxabitur. 5. Exprimendum est, utrùm v. g. Affinitas orta sit ex copula licita, vel verò illicita; item an v. g. publica Honestas sit contracta ex sponsalibus de futuro, an verò ex sponsalibus de præsenti, seu matrimonio rato. 6. Si petatur dispensatio post Matrimonium jamjam contractum, exponendum est, an Matrimonium sit scienter contractum cum impedimento dirimente, vel etiam, an cum spe faciliùs hoc modo impetrandi dispensationem; item, an cum, vel sine solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis; & hoc ob decretum Tridentini *SS. 24. de reform. Matr.* superiùs *nu.* 492. allegatum. 7. Si in casu necessitatis petatur dispensatio ab Episcopo, debet ostendi, hìc revera subesse necessitatem v. g. ob periculum animarum, scandalorum, incontinentiæ, &c. quatenus Episcopo innotescat, subesse sufficientem, & rationabilem causam dispensandi in tali casu. 8. Tandem venit observandum, quòd, ubi dispensatio petitur pro foro externo, exprimi necessariò debeant nomina, & cognomina dispensandorum, eorumque conditio ac status, itemque nomen Diœceseos ac loci, seu etiam Parochiæ ad quam dirigendæ sint litteræ, gratiam dispensationis continentes. Sin autem postuletur dispensatio tantùm pro foro interno seu conscientiæ, tunc nomen petentis seu dispensandi debet reticeri, aut substitui aliud nomen fictum v. g. Titii, &c. quamvis etiam in tali casu sit exprimendum, ad quem dispensatio dirigenda, vel cuinam executio demandanda. Pro meliori captu hactenus dictorum ponam breviter unum, alterumve Exemplar Epistolarum. Primum esto Exemplar Epistolæ dirigendæ ad Eminent. & Reverend. Card. Majorem Pœnitentiarum pro impetranda dispensatione in voto castitatis ad contrahendum matrimonium. Summat ergo Confessarius (vel quisquis demum impetrare cupit dictam gratiam) mediam tantùm Philyram, & intus formetur Epistola hoc modo.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE. &c. &c.

501 T*itia emisit votum simplex castitatis; quia verò versatur in continuo periculo incontinentiæ nisi nubat; hinc supplicat humillimè pro commutatione ejusdem voti ad effectum contrahendi matrimonium.* Deinde terminetur Epistola sic. *Dignetur Eminentia sua rescribere ad me* (hìc Confessarius nomen suum, & cognomen exprimat) *& breve seu gratiam dirigere per Mantuam, Augustam, Passaviam.* Exteriùs, seu à foris Epistolæ scribatur: *Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino S. R. E. Cardinali, Majori Pœnitentiario. Romam.*

Quòdsi Confessarius in causa gravissima credat, Majorem Pœnitentiarium dispensare non posse, instituat seu formet Supplicam ad ipsum summum Pontificem, modo, qui sequitur.

BEATISSIME PATRE.

502 E*Xponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte Sempronii ac Semproniæ, quòd ipsi, ignorantes se esse consanguineos in secundo gradu, præmissis denuntiationibus coram Parocho ac testibus bona fide contraxerint ante 12. annos & aliquot jam proles susceperint. Cùm autem dicti Oratores, ob memoratum impedimentum consanguinitatis, quod occultum est, in Matrimonio suo permanere nequeant absque beneficio dispensationis Apostolicæ, neque separari absque scandalis & aliis incommodis, cohabitare verò per modum Fratris ac Sororis difficillimum videatur, ob præsentissimum incontinentiæ periculum; hinc humiliter supplicant Sanctitati Vestræ, quatenus cum eisdem super dicto consanguinitatis impedimento, ut in matrimonio perseverare queant, dispensare, prolesque susceptas legitimas declarare dignetur. Gratiosum verò rescriptum supplicant dirigi ad NN. &c.*

Notandum hìc venit, quòd in tali etiam casu, inscriptio exterior non sit dirigenda ad summum Pontificem, sed ad

Majorem Pœnitentiarium, modò proximè præscripto.

Tandem etiam, si urgeat necessitas in casu, ubi Episcopus dispensare valet secundùm hactenus dicta, poterunt litteræ supplices formari modo qui sequitur. v. g. Ad Celsissimum Ordinarium, ac Principem Passaviensem sic.

CELSISSIME AC REVERENDISSIME S. R. I. PRINCEPS, DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME!
&c. &c.

503 *Exponitur humiliter Celsitudini Vestræ, quòd Cajus bona fide, & præmissis debitis solemnitatibus, in matrimonium sibi copulaverit Cajam viduam, cujus sororem priùs (sæpiùs cognoverat copulæ carnali perfecta. Et quia Cajus ob impedimentum affinitatis in primo gradu (quod occultum est) inde contractum, Uxori suæ putatitiæ protinus adhærere non potest absque evidenti periculo incontinentiæ, neque ab eadem separari sine periculo scandalorum, & præjudicio duarum prolium, quas jam susceperunt ex hoc matrimonio; hinc humillimè supplicat Celsitudini Vestræ, quatenus in tantis periculis constituto subvenire, & super prædicto impedimento gratiam dispensationis clementissimè impartiri dignetur, ut in suo Matrimonio protinus perseverare, debitum petere & reddere liberè & licitè valeat, & denique etiam proles jam susceptas legitimas declarare. Gratiosum rescriptum dignetur Celsitudo Vestra dirigere ad NN.*

Hic oportet addi nomen & cognomen illius, ad quem dispensatio dirigi debeat. Locus tamen & Parochia, in qua supplicans degit, quantùm fieri potest, debet reticeri & occultari, ne fortè ipse Orator diffametur, aut aliis reddatur suspectus de crimine, & contracto inde impedimento.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur casus practici circa dispensationes in causis matrimonialibus.

CASUS PRIMUS.

Titius cupiens inire Matrimonium cum Titia sibi jam pridem desponsata, petiit, ut Confessarius sibi impetraret Romæ dispensationem super impedimento affinitatis, quod incurrerat peccando aliquoties carnaliter cum consanguinea suæ sponsæ in secundo gradu. Confessarius lubens hoc beneficium præstitit suo Pœnitenti. Sed ecce! priùs, quam gratia dispensationis Roma advenit, Titius ex humana fragilitate denuò lapsus, peccavit cum eadem consanguinea suæ sponsæ, qua ratione Confessarius dubitat, an hoc non obstante possit dispensationem executioni mandare? Quid judicii?

504 R. Potest Confessarius, hoc non obstante, dispensationem exequi. Ratio est: quia Titius iteratò peccando cum eadem consanguinea, non contraxit duplex impedimentum; quemadmodum non incurrit duplicem irregularitatem, qui in eadem excommunicatione constitutus sæpiùs celebrat: sicut ergo talis non tenetur in Supplica exprimere, quòd sæpiùs celebraverit, ita nec ille tenebatur exprimere, quòd iteratò, vel sæpiùs peccando cum eadem consanguinea, contraxerit impedimentum cum sua sponsa.

505 Secùs dicendum foret, si Titius interea non ampliùs cum eadem, sed cum alia ejusdem sponsæ suæ consanguinea peccasset carnaliter; quia per talem copulam contraxisset aliud, & numero saltem distinctum impedimentum affinitatis. Quare cum Confessario non fuerit delegata potestas dispensandi in pluribus impedimentis, sed in illo solùm, quod Titius contraxerat peccando carnaliter cum consanguinea sponsæ in litteris seu Supplica expressa; hinc Confessarius vi hujus dispensationis præcisè non posset Titium habilitare, ad validè contrahendum cum Titia sua sponsa Matrimonium.

Vid.

Vid. Carden *in* 2. *Crisi diss.* 2. *n.* 624. La Croix *n.* 919. & 990.

Dices: Sed Titius supponitur iteratò peccasse cum eadem suæ sponsæ consanguinea, posteaquam dispansatio Romæ jam fuit expedita: ergo Confessarius nullatenus potest procedere ad executionem dispensationis.

506 Resp. Neg. consequent. Quia, ut notant Doctores communiter, tales dispensationes non sortiuntur effectum à die expeditionis Romæ factæ, sed à tempore executionis faciendæ per Ordinarium, vel alium delegatum, cui executio demandata est: neque ante executionem habent rationem gratiæ factæ, sed faciendæ primùm. Vid. Gabat. *Theol. exper. tractat.* 9. *numer.* 744. vel Quin. *tractat.* 5. *capit.* 37. *à n.* 197.

Dices adhuc. Ad quid, si Titius, à Confessario jam dispensatus, iteratò peccasset carnaliter cum eadem suæ sponsæ consanguinea, antequàm contraxit Matrimonium, possetne ab eodem Confessario dispensari?

507 Respondeo. Non posset. Ratio est: quia Confessarius solùm potest dispensare in impedimento jam contracto pro eo tempore, quo dispensat: communiter enim in litteris Apostolicis solet committi potestas cum hac clausula: *ut dispenses hac vice*: ergo si post dispensationem supponatur iteratò peccasse, & peccando contraxisse impedimentum, jam Confessarius nihil amplius poterit vi prioris dispensationis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Romæ impetravit facultatem seu dispensationem, contrahendi matrimonium cum Sempronia, sibi in Tertio gradu consanguinea; quod, & factum. Jam verò post matrimonium celebratum incipit dubitare 1. *An dispensatio obtenta non fuerit subreptitia, & nulla, eò quòd in sua supplica nullam fecerit mentionem de voto Religionis ingrediendæ, quo se obstrinxerat. Et quia modò versatur in periculo incontinentiæ; hinc pariter Secundò dubitat; an super impedimentis mox recensitis non possit dispensari ab Episcopo? Quid respondendum.*

508 Respondeo. Ad primum. Sempronius non immeritò dubitat de valore dispensationis, & matrimonii: licèt enim nonnulli affirment, posse impetrari, & peti dispensationem pro uno impedimento, altero reticito seu non expresso, præsertim si hoc sit diffamatorium, ex cujus scilicet manifestatione sequeretur infamia: attamen si ex tali manifestatione nulla sequatur infamia, prout contingeret in nostro casu ex manifestatione voti ingrediendi Religionem, probabilius omnino est, dispensationem esse nullam, si petatur pro uno tantùm, altero impedimento suppresso: Ita Sanchez *lib.* 8. *disputat.* 13. *numer. secundo*. Basil. Pont. Suarez, & Salmanticens. apud Clericat. *decis.* 40. *numer. decimo*. Ratio est quia in Supplica omnia illa sunt exprimenda, ex quibus difficilior redditur, dispensatio: atqui procul dubio difficilior redditur, dum Orator pluribus est obstrictus impedimentis, quàm dum uno tantùm: ergo si non omnia, illa saltem, quæ sine diffamia potest exprimere, referat in Supplica; dispensatio probabiliùs redditur nulla.

509 Respondeo Ad Secundum. Potest in tali Casu Ordinarius dispensare. Ratio est: quia secundùm dicta *numer.* 493. & 494. Episcopus potest dispensare in impedimentis occultis jure duntaxat Pontificio introductis, dum urget necessitas, & instat periculum animarum, præsertim post Matrimonium jam contractum: at in nostro casu supponitur subesse periculum animarum, & simul impedimentum (si quod adhuc subsit) est occultum: licèt enim supponatur constare, Sempronium contraxisse cum consanguinea, omnes tamen jam credunt, & supponunt, hoc impedimentum beneficio, dispensationis Pontificiæ fuisse sublatum: ergo. Sanchez *lib. secundo de Matrim. disputat.* 40. *numer.* 3. & 4. Tambur. *lib.* 8. *tractat. secundo capit.* 4. apud La Croix *numer.* 844.

CA-

CASUS TERTIUS.

Cajus per Confessarium petiit Romæ dispensationem super impedimento affinitatis, contracto ex incestu commisso cum sorore putatitiæ suæ Uxoris. Quia verò in Brevi Apostolico continebatur hæc clausula, ut dispenses sublata occasione, *& Cajus dictam sororem suæ putatitiæ conjugis noluit domo ejicere; hinc Confessarius noluit exequi dispensationem. Qua ratione idem Cajus postulavit Breve Apostolicum sibi restitui, quæsiturus alium Confessarium minus rigidum vel scrupulosum, qui sibi gratiam dispensationis impertiretur. Quæritur jam primò. An Confessarius bene fecerit negando executionem dispensationis? 2. Utrùm tradendo Breve Apostolicum Cajo, non incurrerit excommunicationem? Quia in litteris Apostolicis continebatur sequens clausula:* quas (litteras sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare teneanis, ita, ut nullum earum exemplar exstet, neque eas Latori restituas. *Tertiò. Utrùm alius Confessarius potuerit, easdem litteras exequi, dispensando cum Cajo?*

510 Respondeo. Ad primum cum distinctione. Etenim si Cajus cohabitando dictæ Mulieri, supponatur fuisse constitutus in occasione proxima, eò quòd etiamnum cum ea peccare assueverit, simulque occasionem nolit relinquere, vel ex occasione proxima facere remotam, dicendum, quòd Confessarius bene fecerit non exequendo dispensationem, quippe quæ in tali supposito nullam habuisset vim. Contra verò, si supponatur Cajus non fuisse constitutus in occasione proxima, aut certè paratus ex occasione proxima facere remotam, fœminamque quàmprimum absque periculo infamiæ potuerit, dimittere, Confessarius malè fecisset, eidem denegando beneficium dispensationis, utique non sine gravi injuria. Ratio est: quia hæc clausula: *ut dispenses sublata occasione*, intelligitur de occasione proxima, quam dispensandus tenetur deserere, non autem de occasione remota, prout rectè docet Gobat. *Quin. tractat. quinto cap. 37. num.* 189. La Croix *n.* 957. & alii.

511 Resp. Ad Secundùm. Confessarius tradendo litteras, non incurrit excommunicationem. Ratio est: quia per memoratam clausulam tantùm jubetur, ut litteræ Apostolicæ lanientur, seu lacerentur post, non verò ante executionem illarum. Quin etiam, si post executionem eas restituisset, præsertim jam laniatas (id est, ut Gobat *citat. numer.* 267. & alii intelligunt) ita destructas, ut pro foro externo non ampliùs essent usui, ut puta si sigillum fregisset, vel lituram per medium induxisset, &c. probabilius non incidisset in excommunicationem; quia hæc censura videtur in eum solùm ferri, qui non laniat, non verò in illum, qui laniatas restituit: Pontifex enim ideò solùm videtur præcipere ut dilanientur, & non restituantur Latori, ne ampliùs possint esse usui: at, licèt restituantur, tamen non ampliùs erunt usui jam dilaniatæ, seu laceratæ: ergo.

512 Resp. Ad Tertium, attendendum esse ad externam Brevis Apostolici inscriptionem, cuinam scilicet executio fuerit demandata? Quando enim executio demandatur sub his terminis: *Discreto viro Confessario ex approbatis ab Ordinario*, tunc quilibet ex approbatis ab Ordinario Confessariis, potest exequi dispensationem; de quolibet enim Confessario approbato supponitur, quòd sit vir discretus. Ita Sanchez *lib. 8. disputat.* 27. *numer.* 40. Bonacin. Tamb. & alii, quos sequitur Cleric. *cit. n.* 36. Si autem executio dispensationis sit demandata, & inscripta hoc mado: *Discreto viro Confessori Magistro Theologiæ, vel Decretorum Doctori*, tunc dispensationem, exequi nullus poterit, nisi sit Doctor in Theologia, vel juris canonici, vel aliunde privilegiatus. Ita rursus Sanch. Gob. *cit. num.* 155. Kazenberger. ubi suprà *n.* 395.

513 Dictum tamen est: *nisi sit aliunde privilegiatus*; nam tale privilegium speciale exequendi litteras Apostolicas clausula mox commemorata inscriptas, obtinuit Inclyta Societas Jesu per Gregorium XIII. 3. *April.*

April. 1582. vi cujus, non quidem omnes ejusdem Societatis Confessarii, sed illi duntaxat, qui à suo Præposito Generali, vel de hujus licentia à suis Superioribus ad id specialiter fuerint designati, litteras Apostolicas, datas cum clausula memorata, possunt exequi. Et quia eodem privilegio per communicationem alii Mendicantes gaudent, prout docent Sanchez *cit. loc.* 8. *disput.* 34. *num.* 11. Bosco, Herincx, Reiffenstuel, Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Reg. q.* 63. *num.* 8. *fin.* & aliis; hinc etiam nostri Confessarii, ab A. R. P. Ministro Provinciali de licentia Reverendissimi Patris Generalis ad hoc specialiter deputati, possent hujusmodi litteras exequi, Secundo. Idem Privilegium per specialem Bullam *Exponi nobis*, datam die 27. *Novemb.* 1679. Innocentius XI. concessit Lectoribus Jubilatis nostri Seraphici Ordinis Vid. *Supplem. Decalog. nostri P. Kazemberg. cap.* 1. *Sect.* 4. *n.* 395. Reiffenst. *Append. num.* 444.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

514 Colliges ex dictis primò, clausulas, quæ in Brevibus, seu litteris Apostolicis communiter solent apponi, accuratè, & ad amussim esse observandas; tum quia negotium est gravissimi momenti, & nulla sine speciali consideratione solet apponi, proindeque meritò summus Pontifex præsumitur velle, ut omnes, & singulæ accuratè observentur; tum etiam quia potiores solent apponi per modum conditionis sine qua non. Quare si Confessarius eas non observet, invalidè, aut certè illicitè aget dispensando. Cæterùm, declarare, quo sensu quævis clausula sit intelligenda, res esset haud exigui momenti, & fusioris tractationis: nonnullas hactenus explicuimus per decursum. De reliquis verò, si dubium oriatur, placeat videre nostrum P. Kazenberger *proximè citat.* vel Gobat *Quin citat. tract.* 5. *cap.* 17. *à num.* 140. vel denique Clericat. *cit. decis.* 40. *à num.* 18. aut La Croix *à n.* 938. ubi diffusiùs singulas explicant clausulas.

515 Colliges Secundò, & ex dictis cum eodem P. La Croix *num.* 977. inferes, quomodo in praxi sit procedendum ad executionem litterarum Apostolicarum. Primò itaque, si accepto Rescripto dispensandus te elegerit ad earum executionem ipso præsente oportebit aperire litteras; & siquidem consideratis omnibus conditionibus ac clausulis inibi contentis, deprehendas, preces supplicantis veritate nixas, ipsumque pœnitentem esse paratum ad præstanda omnia, quæ in dictis litteris apponuntur 2. jube, ut ad confessionem sese disponat 3. Audita confessione, injunge pœnitentias præscriptas, adjunctis debitis admonitionibus 4. Declara prolem si quam ex putatitio matrimonio susceperint, legitimam 5. Impertire absolutionem tum à Censuris, tum etiam à peccatis cum intentione, vel potius expressione dispensationis in impedimento 6. Denique hoc ipsum, quod dispensaveris, pœnitenti tuo declara, & 7 litteras modo prædicto dilania, frangendo sigillum, &c. 8. Tandem esto sollicitus, & circumspectus, quo meliori modo matrimonium inter putatitios Conjuges possit, vel debeat revalidari, juxta dicta superios *nu.* 349. *& seqq.*

Dices At quid, si omnibus pensatis oriatur dubium, an facultas aut gratia dispensandi se extendat ad talem casum, & circumstantias in quibus pœnitens nosci-tur constitutus?

516 Resp. Ad hoc cum Thom. Tanbur. *lib.* 1. *Decal. c.* 3. *§.* 7. *V. Dispensatio num.* 2. Si certus sis, te potestatem habere dispensandi, & dubites, an ad hunc casum se extendat, præsumendum est pro extensione; quia potestas dispensandi velut quid favorabile, est latè interpretanda: è contra si dubites, an ipsa dispensatio, quæ tibi concessa fuit se extendat ad hanc vel illam circumstantiam v. gr. an Pontifex in voto castitatis dispensaverit totaliter, an verò solùm ad effectum contrahendi matrimonium? judicandum erit, dispensasse solùm ad effectum matrimonii; quia dispensatio velut quid odiosum, & à jure exorbitans, est strictè interpretanda; unde si conjux taliter dispensatus peccet cum alia, non solùm contra castitatem,

tatem, & justitiam, sed etiam contra suum votum semel emissum delinquet.

517 Colliges Tertiò, eum, qui certus est de impetrata dispensatione, & dubitat, an ea sit valida quia v.g. dubitat, an quod expressit vel tacuit; sit causa finalis, necne? satis probabiliter posse præsumere esse validam. Ratio est: quia in dubio est inclinandum potiùs pro valore, quàm pro nullitate actus, Tambur. *cit. n.* 5. Gobat *tract.* 9. *n.* 682. Eadem ratione. Sanch. Dicastillo de *Matr. disp.* 8. *dubit.* 6. *n.* 118. & alii inferunt, generatim in dubio, an satis probetur veritas narratorum; item an causa allegata sit finalis, vel verò impulsiva tantùm, esse præsumendum pro valore actus seu dispensationis.

FINIS.

CON-

CONFERENTIÆ
THEOLOGICO - MORALES,
SEU
CASUS CONSCIENTIÆ
De Restitutione tum in genere, tum in Specie.

CONFERENTIA PRIMA.

De restitutione in genere, ejusdemque Radicibus.

SUMMARIUM.

1 *Restitutio est redditio debiti alterius &c.*
2 *Radices ultimatæ restitutionis congruè assignantur duæ:*
3 *Etsi alii quatuor, alii omnino quinque assignent.*
4 *Traduntur nonnullæ regulæ generales, restitutionis, semper ante oculos habendæ.*
5 *Obligatio restituendi oritur ex læsione solius justitiæ commutativæ.*
6 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium factæ.*
7 *Præceptum restituendi principaliùs est affirmativum?*
8 *Etsi secundariò, & minùs principaliter negativum dici possit.*
9 *Restitutio ad salutem est necessaria, non simpliciter, & necessitate medii, sed necessitate præcepti duntaxat.*
10 *Resolvitur Casus I. de quodam Negotiatore Vini, inducente alium ad dissimulandam exactionem Gabellarum &c.*
11 *An uterque à Confessario obligandus sit ad restitutionem.*
12 *Si Dominus Gabellarum aliquid debeat subdito, isque alia via illud obtinere nequeat, licitè subtrahet gabellas per modum tacitæ compensationis.*
13 *Idque etiam in casu, quo Princeps supponitur gabellas alteri elocasse.*
14 *Resolvitur Casus II. cujusdam feripetæ, qui jaculando feras in magna quantitate, peccavit contra justitiam.*
15 *Unde in foro externo condemnatus ad mulctam pecuniariam, illicitè ageret plures jaculando feras sub titulo, & prætextu tacitæ compensationis.*
16 *Ad restitutionem tamen pro ipsis feris nec ipse, nec alii fortè participantes tenentur in foro conscientiæ &c.*
17 *Nisi tales feræ jam actu inclusæ, aut omnino assicuratæ fuissent sub actuali dominio Principis.*
18 *Et quid, si quis feram continuò se suaque invadentem, & infestantem trucidet.*
19 *Resolvitur Casus III. de eo, qui mutuum negavit alteri, propterea furtum sacrilegum commitenti, & capitis condemnato.*

20 An

20 *An teneatur propterea refarcire damna aliis fecuta.*

21 *Et quid, fi hujufmodi damna prævidens, pecuniam alteri ex juftitia debitam folvere neglexiffet.*

22 *Obligatio reftituendi non oritur ex omni, & quavis actione injuriofa.*

23 *Unde Prælatus Beneficium prætermiffo digniori minùs digno conferens, non tenetur ad reftitutionem.*

24 *Infuper actio externa injufta opere externo debuit fuiffe confummata &c.*

25 *Injufta detentio rei alienæ non eft peccatum diftinctum ab injufta ablatione.*

26 *Neque verum eft, animam defuncti tamdiu detineri, & cruciari in purgatorio, donec hæres pro ea reftituat.*

27 *Solvitur quædam inftantia contra hæc.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter refolvuntur quæfita fcitu neceffaria ad debitè refolvendos Cafus de reftitutione in genere, ejusdemque Radicibus.

QUæres primò, quid fit reftitutio?

1 Refp. Reftitutio eft redditio debiti alterius. Vel, ut alii dicunt: eft rei acceptæ redditio, vel damni illati compenfatio. Ita cum *communi* Theologor. Leffius *lib. 2. cap. 7. dubitat. quart. num. 15.* Sporer *tractat. quarto Theolog. Mor. c. 1. num. 1.*

Bonitas hujus defcriptionis facilè colligetur ex ipfa nominis Etymologia; etenim reftituere idem fonat, ac aliquem iteratò ftatuere in poffeffionem, vel dominium rei fuæ: at, hoc fit, dum redditur alteri quod ipfi debetur, five dein ob rem ab eo acceptam, five ob injuftam acceptionem, aut damnificationem, five denique ex contractu: ergo bene dicitur, quod reftitutio fit redditio debiti, alterius &c.

Quæres Secundò, quæ, vel quot fint radices reftitutionis?

2 R. cum Laymanno *l. 3. tr. 2. c. 1. nu. 2.* & *communi* aliorium. Radices reftitutionis ultimatæ congruè affignantur duæ, fcilicet 1. *ex re accepta*, & 2. *ex injufta acceptione, vel læfione*; etenim qui rem alterius accepit vel poffidet, etfi optima fide, utpote exiftimans, & firmiter credens, effe fuam &c. nihilominus quamprimùm advertit, eam affe alienam, tenetur illam reftituere, fi poffit; idque titulo rei acceptæ. A fortiori, qui rem alterius injuftè accepit, aliumve damnificavit, tametfi inde nihil prorfus acceperit, aut poffideat, ut fi alterius fegetes vel domum conbuffiffet &c. tenetur reftituere, & damnum injuftè illatum compenfare, fecundùm *omnes*; idque titulo injuftæ acceptionis, vel læfionis.

3 Scio equidem à P. Sporer *cit. n. 9.* recenferi quatuor radices immediatas reftitutionis, fcilicet 1. ex re accepta 2. ex injufta acceptione 3. ex injufta damnificatione, & 4. ex contractu. P. la Croix *l. 3. p. 2. n. 18.* fuperaddidit quintam, fcilicet ex *lege pofitiva*; quia, inquit ille, fi tuum animal occiderit meum, jus in certis cafibus ftatuit, teneri te ad reftitutionem damni, quamvis nec fit accepta, nec injufta acceptio, vel damnificatio, neque contractus &c. ergo duntaxat ex lege pofitiva: Fatetur tamen idemet, etiam hanc radicem, ficut, & illam ex contractu, aut damnificatione injufta commodè reduci poffe ad illas duas radices ultimatas, mox à nobis recenfitas; nam ad obligationem ex injufta acceptione reduci poteft obligatio ex damnificatione injufta, quippe quæ eft quædam acceptio, vel fubtractio rei alienæ, quamvis fubtrahenti fit inutilis: ad eandem reduci poffunt obligationes reftituendi ex contractu, & lege pofitiva; quia in his præfupponitur injufta læfio, aut præcavetur, eò quòd quandoque foleat, & fæpe poffit intervenire. Ita La Croix, placuit proin hæc infinuare, prioribus verò regulis fundamentalibus quafi ab omnibus receptis refpondendo inhærrere: certò enim, qui in examine refpondebit duas effe radices ultimatas reftitutionis, ubique audietur.

4 Hic etiam velut oportuno loco fubnectendas duxi nonnullas regulas generales reftitutionis, bene memoriæ imprimendas, & femper ante occulos haben-

bendas à Confessario; quarum prima concernit possessorem bonæ, altera possessorem malæ fidei.

I. Itaque Regula est hæc: mensura restitutionis ex delicto materiali ratione rei acceptæ, *est quantitas possessionis*, id est: Possessor bonæ fidei tenetur restituere, tantum, quantum de re aliena adhuc possidet, vel quantum inde factus est ditior.

II. Regula est hæc: mensura restitutionis ex delicto formali quocunque *est quantitas damni illati*; id est: possessor malæ fidei tenetur restituere tantum, quantum intulit damni, sive inde aliquid possideat, sive nihil. Porro pro restitutione ex contractu debita observanda erunt sequentia duo axiomata.

I. *Omnis res, quæ casu perit, suo Domino perit.*

II. *Omnis res, quæ culpa perit, culpabili perit*, id est, illi, qui culpam commisit, juxta proportionem tamen culpæ, & contractus initi, veluti rectè observat, Sporer *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 10. & 11. quem vide.

Quæres 3. utrùm hæc obligatio restituendi oriatur ex sola læsione justitiæ, vel etjam ex læsione aliarum virtutum, v. grat. charitatis, pietatis &c. &c.

5. R. Eam oriri ex læsione solius justitiæ, & quidem commutativæ duntaxat non item ex læsione aliarum virtutum. Ita *DD. communissimè*. Ratio est: quia actus, quo constitnitur æqualitas, eaque arithmeticainter datum, & acceptum, inter damnum, ejusque reparationem, est proprius solius justitiæ commutativæ: atqui restitutio est actus, quo constituitur ejusmodi æqualitas: ergo, &c.

Dices tamen contra hoc: Superior vel Magistratus non æqualiter distribuens bona Communitatis inter cives, peccat contra justitiam distributivam duntaxat, & tamen obligatur ad restitutionem. Rursus 2. qui quempiam impedit à consecutione alicujus beneficii, non peccat contra justitiam commutativam, & tamen tenetur ad restitutionem: ergo falsum est, hanc obligationem oriri ex læsione solius justitiæ commutativæ.

6 R. ad primum cum distinctione. Superior vel Magistratus &c. peccat contra justitiam distributivam duntaxat &c. si cives in illa bona nondum habuere jus quæsitum, concedo si supponantur jam habuisse jus quæsitum, nego ant. cum conf. Itaque sciendum, & bene animadvertendum est hoc loco, reperiri bona Ccommunitatis in duplici differentia; nam alia sunt, quorum distributio pendet quasi ex solo arbitrio Superioris, veluti sunt quædam officia publica v. g. Medici, Consulis &c. ad quæ nullus habet jus quæsitum, proindeque si Princeps, Superior, aut Magistratus hujusmodi officia inæqualiter distribuat, utputa conferendo minùs digno, prætermisso digniori, huic ad nullam tenetur restitutionem; quia solam justitiam distributivam læsit. Alia autem dantur bona singulis ex Communitate membris debita, & destinata, ita, ut ante distributionem singuli jam habeant jus quæsitum; ut si aliquis Benefactor legando destinet v.g. sylvam aliquam eo pacto, ut singuli cives singulis annis certam aliquam portionem lignorum seu asserum inde percipiant; vel si leget mille aureos, eo fine, ut ex eorum censu annuo certæ quædam Virgines, aut studiosi pauperes annuatim juxta cujusvis merita vel inopiam certam portionem recipiant &c. quo casu Superior inæqualiter distribuens peccat nedum contra justitiam distributivam, sed etiam contra commutativam, cujus ratio est hæc: quia, cùm talis Benefactor, & fundator æquam proportionem servari voluerit, perinde est, ac si singulis certam pecuniæ summam assignasset, veluti rectè observat Mastrius *Theol. mor. disp.* 7. *q.* 1. *n.* 9. *fin.* Ad alterum similiter dicendum, eum, qui aliquem à consecutione alicujus beneficii impedit sine dolo vel fraude, non teneri ad restitutionem, quia supponitur, quod ille alter, nondum habuerit jus quæsitum respectu, illius benuficii: at verò si vi, dolo vel fraude illum impediat, utique obligabitur, quia delinquit contra justitiam commutativam: esto enim talis nondum supponatur habuisse jus strictum ad hujusmodi beneficium, habuit tamen jus strictum contra quemcunque, ne per vim vel fraudem impediatur à consecutione talis beneficii, prout amplius constabit ex dicendis infrà *cap.* 4. *à num.* 96. Vide etiam de hoc Felix Potestas *tom. primo part.* 2. *numer.* 2355. vel

2355. vel Babenstuber *tract. 7. disp. 4. a. 1. num. 3. in fine.*

Quæres Quartò, sitnè præceptum restituendi affirmativum, vel verò negativum?

7 Resp. Est principaliter affirmativum. Ita contra Mastrium cit. Lessius, Sporer, Poncius, Herincx, & alii plures. Ratio est: quia illud præceptum censetur affirmativum, quo intenditur positio alicujus actus: atqui hoc præcepto intenditur positio alicujus actus, scilicet restitutionis; quippe quo solo reparatur, damnum, & obtinetur æqualitas inter partes læsas: ergo &c.

8 Dixi tamen: *principaliter affirmativum;* negari enim minimè potest, quin saltem secundariò, implicitè, & minùs principaliter sit negativum, utpote fundatum in illo septimo præcepto decalogi: *non furtum facies*: enim verò hoc ipso, quòd jubeamur reddere alienum, implicitè, & virtualiter jubemur illud non retinere: ergo hoc præceptum est virtualiter, & implicitè negativum; & hoc ipso juxta naturam præceptorum negativorum obligat semper ac pro semper sub ea ratione, qua negativum est, scilicet in tantum, ut non retineamus alienum *rationabiliter invito Domino*. Babenstuber *cit. disp. 4. a. 1. n. 7.* Lugo *tom. 1. de just. disput. 8. Sect. 2. num. 19.*

Quæres 5. an, vel quomodo restitutio sit necessaria ad salutem?

9 R. Est necessaria, non quidem simpliciter, seu (ut alii loquuntur) necessitate medii, quasi verò sine illa etiam inculpabiliter non facta salus æterna neutiquam posset obtineri: sed est necessaria necessitate præcepti duntaxat. Ratio prioris est: quia restitutio non est ad salutem necessaria per modum medii collativi gratiæ, sed potiùs ut per eam cessetur à peccato, & hoc evitetur; quo modo necessaria etiam est ad salutem observantia aliorum præceptorum; quam ob rem omnes admittunt, ab hoc onere excusare ignorantiam, & impotentiam restituendi, prout inferiùs videbimus: ergo dici non potest, esse necessariam necessitate medii. Ratio autem posterioris, quòd scilicet necessaria sit necessitate præcepti, passim colligitur tum ex Scriptura *ad Rom. 13. Reddite omnibus debita* &c item *Tobiæ 2. videte, ne fortè furtivus sit hœdus: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*; tum ex eo etiam, quòd conservatio justitiæ sit necessaria ad salutem, quippe qua in materia gravi læsa conservari nequit status gratiæ; atqui justitia conservari nequit absque restitutione rei ablatæ: ergo &c. Unde illud notissimum Sancti Augustini effatum *epist. 25. ad Macedonium.*, relatum *c. 1. 14. q. 6. Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur, pœnitentia non agitur, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui possit, ut dictum est.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de restitutionis natura, & necessitate.

CASUS PRIMUS.

Titius ingentem vini quantitatem transportari curavit ex Austria occasione navali; ne verò nimiam vectigalium summam propterea solvere cogeretur, hinc cuidam, vectigalium Præfecto aliquot urnas vini per modum regalis, vel potius Schmirbalis (ut vocant) gratis obtulit, animo illum inducendi, ut dissimulata exactiori inquisitione acceptaret vectigal pro certa vini quantitate, obiter quasi computata; quo factum, ut Titius feliciter evaserit præfatum onus, non solvendo vectigal pro quinquaginta circiter urnis. Jam dubitare licet 1. an, vel quomodo deliquerit? 2. an teneatur ipse; vel etiam Præfectus vectigalium ad aliquam restitutionem?

10 R. ad primum. Probabiliter nedum Titius, sed etiam Præfectus peccavit contra justitiam. Ratio est: quia vectigalia, justo titulo imposita, ex justitia commutativa præstari debent; cùm enim Princeps vel Magistratus serviat Reipublicæ, jure merito ab eadem prætendere possunt ea, quæ sibi sunt necessaria, tum ad propriam sustentationem, tum etiam ad portanda alia

alia plura onera publica, utputa ad reparandas & conservandas vias publicas, flumina, pontes &c. atqui vectigalia ab Imperatore, aliisque Principibus præsumi debent justè imposita: ergo non solus Titius, inducendo Præfectum, verùm etiam ipse Præfectus ad hujusmodi dissimulationem inductus, per se loquendo peccavit contra justitiam: fortassis etiam contra juramentum fidelitatis, quod hujusmodi Officiales officium aggressuri communiter præstare debent, & solent. Videatur Lessius *l.* 2. *c.* 33. *dubit.* 8. *num.* 56. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 269. Pro praxi tamen Confessarius interrogare debet hujusmodi pœnitentem, qua conscientia tunc temporis processerit? & an non putaverit se graviter peccare?

11 R. jam ad secundum. Supposita semper justitia Gabellæ, primariò quidem Titius; secundariò autem, & in defectum illius Præfectus teneretur ad restitutionem defraudati, ob rationem jam datam. Nec dubitandum, quin in foro externo deprehensi, nedum ad hanc summam, verùm etiam ad multò majorem mulctam condemnarentur. Nihilominus cùm multi Doctores dubitent, immò negent, leges tributorum & vectigalium obligare in conscientia ad actum, præsertim quando non exiguntur à Præfectis; Insuper cùm multi viri sapientes dubitent prudenter, an tributa & vectigalia in tanta quantitate (uti hodie fieri experimur) justè exigantur (constat enim, quòd intra spatium unius sæculi memoratum vectigal in singulas urnas vini ad minùs tribus florenis alicubi sit auctum) hinc ego cum Mol na Lugo, Marchantio *tom.* 3. *p.* 3. *tr.* 2. *tit.* 6. *q.* 5. Sporer *tract.* 5. *in decalog. c.* 5. *num.* 156. La Croix *l. cit. numer.* 282. & aliis sapientibus viris existimo, hujusmodi pœnitentem ex post facto non esse facilè condemnandum à Confessario ad restitutionem; tametsi ante factum omnimodis inducendi sint & persuadendi ad exactam solutionem. Vid. Mastrius *Theolog. Mor. disp.* 6. *n.* 19. Herincx *part.* 3. *disp.* 7. *n.* 83.

Dices. Princeps mihi aliquot millia debet, de quibus ne unum quidem ampliùs florenum sperare licet: habere tamen commodam occasionem aliquando subtrahendi vectigalia, & occultè compensandi debitum, sin minùs ex toto, saltem ex parte: an licitè hoc faciam?

12 Resp. Ne dubites de hoc pro foro conscientiæ. Ratio est: quia ubi debitum est certum, & solutio illius alia via recuperari non valet, ibi datur locus occultæ compensationi, juxta communissimam DD. quam etiam tenent Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *nu.* 9. Molina *disp.* 691. Navarrus, Lopez &c. ergo si tuum debitum sit certum, illudque alia via recuperare non valeas, tuta conscientia illud, etiam privata, & propria auctoritate compensabis.

At verò (inquis) Princeps vectigalia sua elocavit alteri, qui mihi nihil debet.

13 R. Hoc non obstante licitè uteris tacita compensatione. Ratio est: quia conductor non habet in te majus jus, quàm habuit Princeps; quippe qui plus non potuit conferre in illum elocando vectigalia: ergo cùm ratione debiti jus Principis respectu tui fuerit elisum in tantum, ut illud tacita compensatione potueris subtrahere, etiam non obstante hujusmodi elocatione justè uteris hoc tuo jure. Et certè hujusmodi Redemptores vectigalium vix unquam patientur damnum; quandoquidem ob plurimas subditorum fraudes, quas ipsimet norunt intervenire, longè minoris ea redimant, quàm valerent; propterea que in ipso contractu censentur esse parati ad subeundas hujusmodi subtractiones uti rectè notarunt Lessius *l.* 2. *c.* 33. *dubit.* 10. *n.* 75. Sylvest., Verbo Gabella, Petrus Navarra, Herincx *cit. disp.* 7. *n.* 82.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius feripeta contra prohibitionem Principis non paucos cervos ac, cervas, capras, capreolosque globo trajecit: qui tandem à Venatoribus deprehensus, captus, & ad satis amplam pecuniæ summam coactus fuit. Jam verò à vinculis absolutus sciscitatur è Confessario 1. an feripetæ peccent jaculando feras? secundò an sibi non liceat deinceps jaculari feras, eousque saltem, dum

dum mulctam hanc pecuniariam tacitè compensaverit? Quid respondendum?

14 R. Ad primum. Si Princeps justè prohibuit venationem (veluti regulariter loquendo supponi debet) Sempronius, & quicunque alius feripeta peccat contra justitiam. Ratio est: quia non solùm agunt contra justam prohibitionem (ratione cujus inobedientiæ justè puniri possunt) sed etiam contra jus venandi, quod (ut supponitur) in tali loco soli Principi competit. Ex quo liquet, nedum sinistram, sed, & iniquam esse persuasionem illorum, qui credunt, hujusmodi venationem vacare omni culpa; etenim præterquam quòd hujusmodi feriptæ lædant jus Principis, insuper se (fortassis etiam uxorem, prolesque suas) exponunt evidenti periculo damnorum gravissimorum, sive in ære, sive etiam in cute luendorum. Accedit, quòd tales sæpe sæpius sese exponant periculo vitæ vel propriæ, vel alienæ, scilicet vel occidendi Venatores insidiantes, vel ab iisdem subeundæ mortis, utì jam sæpiùs quàm parest, evenit.

15 R. 2. Non ampliùs fas est Sempronio jaculando petere feras sub schemmate tacitæ compensationis. Ratio desumitur, partim ex eo, quod justo præcepto Superioris, itemque sententiæ justæ Judicis, non innixæ falsæ præsumptioni facti particularis, teneamur etiam in foro conscientiæ acquiescere, & nos accomodare: Sententia autem Principis, ejusdemque præceptum justum est: ergo; partim etiam ex eo, quòd tacitæ compensationi locus non detur, nisi debitum sit certum, & liquidum: at minimè certum, immò verò ne quidem probabile est, Principem aliquid debere Sempronio ob mulctam justè impositam: ergo &c. Unde is protinus venando feras, nedum læderet jus Principis, sed insuper se, suosque exponeret evidenti periculo gravioris damni, & mulctæ: ergo à Confessario omnimodis dehortandus est. Vide Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 7. disp. 5. n. 16.* Illsung *tr. 4. disp. 3. num.* 173. La Croix *l. 3. p. 1. n.* 962.

Dices Ergo ne Sempronius obligatur ad restitutionem pro feris hactenus injustè captis, aut occisis?

16 R. Nec Sempronius, neque alii inde participantes, quibus fortè præfatas feras vendidit, tenentur ad restitutionem pro ipsis feris: 2. si tamen Sempronius venando Principi intulit grave damnum ex eo, quòd tam multa animalia occidendo, sobolem ferinam notabiliter extinxisset (unam enim vel alteram feram duntaxat capere aut occidere, regulariter loquendo non reputatur grave damnum, nec graviter peccaminosum, nisi forsitan quis, ex officio, & ob datum Salarium obstrictus esset, feras talis sylvæ ejusdem domino restituere; ait rectè Reiffenstuel. *loc. prox. cit.*) aut ob venationis frequentiam feras fugasset &c. teneretur resarcire hujuscemodi damnum, arbitrio viri prudentis, & rem intelligentis dimetiendum. Ratio prioris est hæc: quia Princeps in ipsas feras sylvestres, utpote adhuc vagabundas, & naturali libertate gaudentes, nullum habuit dominium: ergo cessere in dominium Sempronii primò capientis, seu occupantis. Ratio autem posterioris desumitur à contraria: quia secundùm dicta Princeps supponitur habuere jus strictum ne jus venandi, utpote sibi proprium, ab alio lædatur modò jam dicto; consequenter si Sempronius graviter læsit jus Principis (de quo vix dubitandum; quandoquidem fertur tam multas occidisse feras) tenetur ad compensationem damni. Minimè tamen ambigo, quin damna à se illata jam satis compensaverit per mulctam persolutam; cum justitia vindicativa non solùm attendat æqualitatem, sed insuper delicti quantitatem, & qualitatem; quam ob rem feripetæ plerùmque satis rigorosè tractari solent, utì exempla monstrant.

17 Dictum tamen fuit, Sempronium non teneri ad restitutionem pro ipsis *feris vagabundis, & libertate naturali adhuc gaudentibus*; Secus quippe dicendum foret, si alias feras jamjam conclusas, vel omnino cicuratas fuisset jaculatus, uti cum communissima D. D. tenet Sporer, & Reiffenstuel *ubi suprà dist. 5. n.* 20. eò ipso enim, quod hujusmodi animalia supponantur jam capta, & inclusa, vel cicurata, jam substant stricto dominio includentis, consequenter ea auferens infert veram injuriam

juriam Domino, cum obligatione restituendi, saltem per se loquendo; etsi plerùmque hujusmodi homines pauperculi ob inopiam, & moralem impotentiam per accidens excusentur ab isto onere, quo casu tamen à Confessario seriosè admonendi, & dehortandi, sunt.

Dices Adhuc: At ego tantam patior infestationem ab istis feris (cervis scilicet) ut profectò opus esset, diu noctuque vigilare, & ejulare ad eas abigendas & fugandas: quin, & nuperrimè agrum domini meæ vicinum depasta fuit fera quædam pessima, quam propterea in vindictam criminis globulo trajeci: ergonè, propterea malè egi, vel ad ullam restitutionem condemnandus sum?

18 Resp. In foro interno neutiquam te condemno, mi bone Vir, quin potius, compatior tuæ miseriæ, etenim haud ignoro, quòd etiam contra hominem te injustè invadentem justæ defensioni cum inculpata tutela locus sit, præsertim si toties te invaderet, ut te, tuaque servanda, quasi diu noctuque armatus stare cogereris. Idcirco P. Vega in Sua Summa *part. 1. cap. 39. casu 4.* cum Corduva, Lopez, & Navarra rectè resolvit, Principes graviter peccare, & ad restitutionem damnorum teneri, si per abundantiam ferarum subditos suos ita premi sinant, ut quasi diu noctuque vigilare, agrosque suos custodire cogantur, quin tamen eos servare valeant incolumes; quia Principes tuta, conscientia non possunt suos subditos nimium gravare, multo minùs eorum bona auferre, aut destruere, nisi id exigat bonum publicum, vel necessitas publica: at hæc certè non exigit tantam ferarum, abundantiam: ergo &c. Facilè etiam credo mi bone Vir, damnum ex incursu ferarum tibi imminens longè majus, & intolerabilius videri, quàm illud, quod ex simili justa defensione Principi imminet, contra suum jus venandi, proptereaque in his circumstantiis quas enarrasti, pro hoc foro conscientiæ ego cum Covarruvia, Medina, Lessio *cit. lib. secund. cap. 5. dubit. 9. num. 45.* te absolvo ab omni culpa, & pœna: at verò an te feripetam deprehensum in foro externo Judex tam facilè sit absoluturus, dubito. Tu videris.

CASUS TERTIUS.

Cajus multis liberis, nec paucioribus, debitis gravatus, totus quasi desperabundus, venit ad Titium optimum suum amicum, humiliter rogans, quatenus in tantis pressuris vellet sibi succurrere, & ad minus centum florenos creditò dare, quibus partim liberorum suorum necessitatibus prospiceret, partim etiam ab importunissima creditorum suorum vexa se redimeret. Verùm Titius timore perdendi suam, pecuniam petitum Caji absolutè recusavit: quam ob rem iste aggressus Ecclesiam, unum alterumvè calicem cum Ciborio abstulit, vendiditque: sed paulo post deprehensus ac confessus, capite plexus fuit. Quærit jam Titius 1. an hæc mala sibi habeat imputare? 2. anteneatur resarcire damna, tum Ecclesiæ, tum aliis Creditoribus, tum denique Uxori ac liberis Caji inde secutis? Quid respondendum?

19 R. Ad primum, Titio præfata mala, & damna neutiquam imputanda esse. Ratio est: quia nec exstitit illorum, causa physica, ut de se patet, neque moralis; esto enim ex charitate fuisset obligatus ad dandum commodatò centum florenos (nisi rationabiliter eorum amissionem providisset) hæc tamen denegatio nec Creditoribus extorsit peccuniam, nec Cajum coegit ad furandum calices ac Ciborium, nec denique Judicem compulit, ad condemnandum Capitis, sed hæc, omnia merè per accidens, & præter, intentionem Titii forsitan contigerunt ad quæ impedienda is nulla lege fuit adstrictus, præsertim cum sine periculo amittendi peccuniam suam commodare ei nequiverit: ergo Titio nullatenus imputanda veniunt præfata damna. Profectò nec ullus Judex illum propterea condemnaret alicujus culpæ. Ex quo ulteriùs

20 R. jam ad secundum quæsitum. Titius nullum prorsus damnum resarcire tenetur. Ratio est: quia juxta unanimem Doctorum Sententiam obligatio restituendi oritur ex læsione solius justitiæ com-

mutativæ, non verò ex læsione aliarum virtutum v. g. charitatis, pietatis, misericordiæ &c. atqui Titius negando centum florenos Cajo postulanti, non læsit justitiam commutativam, fortè nec charitatem: ergo &c. Et certè nullus monstrari potest titulus, ex quo Titius ad talem, compensationem teneretur; non enim ex re accepta, aut injusta acceptione, cùm nihil prorsus acceperit; neque ex injusta damnificatione, quippe qui nullum damnificavit; nec denique ex aliquo contractu, aut positiva lege, veluti liquet ex specie facti, hactenus enarrata: ergo, &c.

Dices. At quid, si supponamus Titium fuisse debitorem Caji, huncque ex negatione debiti in desperationem actum, attentasse furtum Sacrilegum?

21 Resp. Esto etiam hoc supponatur: esto insuper Titius prævidisset, Cajum ex denegatione debiti justè prætensi, actum iri in omnimodam desperationem, & furaturum, nihilominus ab onere compensandi præfata damna absolvendus esset, idque hac ratione; quia negatio solutionis debitæ non fuit per se, causa furti Sacrilegi, neque mortis subsecutæ, quippe qua stante, & non obstante Cajus potuisset, ac debuisset non furari, nec Titius supponitur aliunde, fuisse obligatus ex justitia ad impedienda hujusmodi damna: ergo licèt negando solutionem debiti deliquerit contra justitiam commutativam, minimè tamen condemnandus est ad compensanda illa, damna merùm per accidens, & contingenter inde subsecuta: sed solùm ad ea, quæ ex negatione debiti per se fuissent subsecuta, utputa si Cajus propterea, fuisset passus aliquod lucrum cessans, aut damnum emergens, veluti ampliùs patebit ex dicendis infrà *C. tertio à num.* 67. Vide etiam *tractat. quart. capit. secundo num.* 55.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

22 Colliges ex hactenus dictis primò, obligationem restituendi non oriri ex omni, aut quavis actione injuriosa. Ratio est: quia non ex omni actione justitiæ opposita alteri aufertur id, quod jam suum erat, veluti patet ex læsione justitiæ distributivæ, vel legalis præcisè talis. Quin etiamsi quis lædat justitiam commutativam, sed sine damno alterius, ut si quis cum Uxore Titii committat adulterium merè occultum, nulla etiam prole inde suscepta, non tenetur ad restitutionem, sed solùm ad satisfactionem, id est, ad amicam reconciliationem cum offenso exhibendo eidem speciale obsequium, vel petendo veniam, &c. Ratio autem est: quia restitutio strictè, & propriè accepta significat reparationem damni, alteri in rebus suis illati: ergo is, qui alteri nullum damnum effectivè infert, non tenetur ad restitutionem. Ex quo liquet, restitutionem differre à Satisfactione, quia hæc consistit in amica reconciliatione, illa autem in damni illati, compensatione: unde fit, quod Deo, quidem satisfacere, nihil tamen restituere valeamus. Vide Babenstuber ubi suprà *disputat. quart. à* 1. *numer. quarto*, Layman *lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. Sporer *tr.* 4. *cap.* 1. *num.* 13.

23 Colliges secundò, Prælatum, qui confert beneficium non curatum digno, prætermisso digniori; peccare quidem contra justitiam, & quidem graviter, non tamen teneri ad restitutionem. Ratio est: quia lædit solam justitiam distributivam. At verò si instituto concursu, relicto digniori conferat beneficium curatum digno, peccat graviter, & tenetur insuper ad restitutionem. Ratio est: quia hoc modo lædit justitiam commutativam; eo ipso enim, quòd concursum instituat, facit contractum quendam innominatum, *dandi scilicet beneficium illi, qui inventus fuerit cæteris dignior*: ergo Clericus ad examen accedens, & suo competitori (omnibus pensatis) prævalens, acquirit jus strictum ad tale beneficium, pro quo tam strenuè decertavit. Vide de hoc Felix Potestas *to.* 1. *par.* 2. *num.* 2660.

24 Colliges Tertiò obligationem restitutionis non contrahi, nisi jus alterius per

per actionem externam injustam lædatur. Ratio facilis est: quia nisi actio injusta exterior intercedat, jus alterius effectivè nunquam lædetur, nec fiet inæqualitas inter partes: at, hoc ipso nulla opus est restitutione. Unde qui anfert pecuniam, vel vestem, quam putat alienam, postea autem agnoscit, non esse alienam, sed suam, etsi in affectu interno graviter forsitan deliquerit, ad nullam tamen restitutionem adstringitur, ob rationem mox datam Felix Potestas. *l. cit.* 2664. Sporer *c.* 2. *n.* 36. & alii *DD. communiter*.

25 Colliges quartò, Quòd, esto injusta rei alienæ detentio non sit peccatum distinctum ab injusta illius ablatione; nam injusta detentio censetur continuata ablatio, & utraque opponitur eidem formaliter præcepto; nihilominus fatendum sit, tantò ampliùs aggravari peccatum, quanto diutiùs voluntariè retinetur res aliena; quia detinendo semper continuatur peccatum, immò verò etiam augetur secundùm intrinsecam rationem injustitiæ, si ex tali detentione major molestia, aut damnum proximo accrescat; uti rectè docent Lessius *de just. l.* 2. *capit.* 12. *dubit.* 3. & 4. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *capit.* 2. *numer.* 3. *in fine*. Vasquez, & alii plures.

26 Colliges quintò, inanem esse illam quorundam de plebe persuasionem, qua credunt, restitutionem ad salutem ita esse necessariam, ut anima defuncti tamdiu detineatur in purgatorio, donec Hæres loco ipsius restituat. Ita Theologi communiter, teste Dicastillo apud Joseph. Vogler *de restit. in gen. quæst.* 3. *numer.* 39. & Babenstuber *tract.* 7. *d.* 4. *a.* 1. *numer.* 10. Ratio est: quia vel defunctus in vivis fecit, quantum potuit, aut certè, quantum debuit sub peccato gravi ad implendum hoc præceptum restituendi, vel non fecit? si hoc posterius; profectò non in purgatorio, sed in ipso inferno erit, privatus omni spe redemptionis. Si prius; æquitati non foret consentaneum, eum tamdiu cruciari in purgatorio, quamdiu hæres ex sua culpa non restituit; & certè si hæres nunquam restitueret, talis anima deberet cruciari in purgatorio per totam æternitatem; quod tamen inconveniens & absurdum esse, nemo prudentum non videt.

Dices: Constat ex pluribus historiis fide dignis, hujusmodi animas post mortem apparuisse viventibus, & monuisse hæredes vel alios, ad faciendam suo nomine restitutionem, quatenus è purgatorii flammis liberarentur.

27 R. cum P. Babenstuber *cit. numer.* 11. hoc argumento plus non evinci, quàm animabus sæpissimè prodesse restitutionem, ut citiùs liberentur: quod omnino concedendum est; nam talis restitutio sæpe fit à viventibus velut opus satisfactorium, vel etiam ex affectu commiserationis, quæ instar orationis juvat ad impetrandam mitigationem, vel etiam abbreviationem pœnarum; vel denique, quia illi, quibus restitutio fit, aut eleemosyna præbetur, excitari solent ad suffragia pro defuncto &c.

CONFERENTIA

SECUNDA.

De Mensura restitutionis in genere, nec non de restitutione debita ex delicto materiali à Possessore bonæ, vel etiam dubiæ fidei.

SUMMARIUM.

28 *Generaliter loquendo id, & tantum est restituendum, quod, & quantum ablatum, vel damno datum fuit.*
29 *Per accidens tamen subinde quis excusari potest.*
30 *Quisnam censendus sit possessor bonæ, & quis dubiæ fidei.*
31 *Mensura restituendi ex delicto materiali à possessore bonæ fidei est quantitas rei possessæ.*
32 *Nemo tenetur restituere, nisi certò agnoscat rem esse alienam.*
33 *Fructus ex re aliena percipi soliti, multiplices recensentur.*
34 *Possessor bonæ fidei non tenetur restitue-*

tuere fructus merè industriales, bene verò naturales & mixtos.

35 *Detractis tamen expensis, & melioramentis tum necessariis, tum etiam utilibus.*

36 *Quantum temporis sit necessarium ad præscriptionem rei alienæ.*

37 *Quid possessori agendum, ubi incipit dubitare, an non possideat alienum.*

38 *Possessor bonæ fidei licitè rem restituit furi, si pretium pro ea expensum alia via recuperare non valeat.*

39 *Idipsum multi DD. permittunt possessori malæ fidei;*

40 *Modò post veritatem agnitam rem illam non diu detineat.*

41 *Resolvitur Casus I. de quodam cive Augustano, qui tempore belli Bavarici multam suppellectilem Bavaris ereptam à militibus Cæsareis exiguo pretio emit;*

42 *Unde non ampliùs tenebatur restituere eam, quæ personis laicalibus; bene verò illam, quæ Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis fuerat erepta.*

43 *Esto etiam hanc licitè potuerit emere, animo illam denuo suis Dominis postea fortè comparituris restituendi.*

44 *Et quid, si res illæ injustè fuissent ablatæ Bavaris.*

45 *Quando milites prædam justè partam hostibus denuo eripiunt, eamque in loco tuto reponunt, jure Cæsareo fiunt Domini rerum mobilium;*

46 *Non item rerum immobilium, nec earum, quæ gaudent privilegio postliminii.*

47 *Resolvitur Casus II. cujusdam Aurifabri, qui bona fide emerat quandam massam argenti, & calicem ex ea confectum vendidit eidem Monasterio, cui argentum erat subtractum.*

48 *An propterea teneatur aliquid restituere huic Monasterio.*

49 *Et undenam colligendum, quòd possessor ex re aliena factus sit ditior.*

50 *Resolvitur Casus III. cujusdam, qui bona fide quadriennio possederat fundum alienum;*

51 *Hinc probabiliter non tenetur restituere fructus bona fide consumptos, etsi ex illis fuerit factus ditior;*

52 *Bene tamen illos, quos percepit post litis contestationem.*

53 *Cuilibet Domino competit potestas rem suam, ubicunque demum existat, evincendi.*

54 *Quinimo Possessor, etiam bonæ fidei, tenetur eam propria sponte restituere legitimo Domino, saltem per se loquendo.*

55 *Et quid si talis v.g. ob ruditatem non agnoscens obligationem suam, eam absumat.*

56 *Qui rem alienam bona fide emit, eodemque pretio rursus vendidit, ad nihil tenetur: & quid, si majus lucrum inde cœpisset.*

57 *Possessor bonæ fidei, quantum valeat prætendere intuitu melioramentorum.*

58 *Qui rem alienam omnino gratis accepit à fure tenetur eandem immediatè restituere Domino, & non furi.*

59 *Qui post ortum dubium, an res quam possidet non sit aliena? culpabiliter non inquirit veritatem tenetur postea Domino restituere nedum rem ipsam, sed etiam fructus à tempore dubii exorti inde perceptos.*

60 *Et quid, si talis possessor modò in bona, modò autem in mala fide extitit.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de restitutione facienda à possessore bonæ fidei, seu ex delicto materiali.

QUeres primò, quantum generaliter loquendo sit restituendum?

28 R. Generatim id & tantum restituendum est, quod & quantum ablatum, vel damno datum est. Hanc velut generalem regulam restitutionis, ex communi DD. tradit noster P. Sporer *tr. 4. in decal. c. 2. n. 56.* Ratio hujus est facilis: quia restitutio est actus justitiæ commutativæ, vi cujus reparari debet jus læsum, & introduci æqualitas: atqui hæc æqualitas obtinetur ex eo, quòd restituatur id, & tantum, quantum ablatum: aut damno datum fuit: ergo, saltem per se loquendo id & tantum est restituendum &c.

29 Dixi: *Saltem per se loquendo*; quando enim

enim possessor bonæ fidei rem ablatam non ampliùs habet, vel saltem non in toto, quasi per accidens deobligatur ab hoc onere, veluti habetur *l. item veniunt §. præter hæc. ff. de petitione hæreditatis*. Abbas *in c. gravis. n. 6. de rest. spoliat.* & Layman *l. 3. tr. 2. c. 3. nu. 1.* idque ampliùs patebit ex dicendis hac conferentia.

Quæres secundò, quisnam dicendus sit possessor bonæ, & quis possessor dubiæ fidei?

30 R. Ille est possessor bonæ fidei, qui rem ita possidet, ut putet, esse suam, aut certè ignoret esse alienam, utputa quia illam aquisivit ex aliquo titulo de se translativo dominii v. g. hæreditatis, legationis, donationis, aut emptionis &c. Sporer *cit. tr. 4. c. 2. n. 87.* Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 7. dist. 3. n. 20.* Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 2. n. 2.* ubi rectè ait, dubiæ fidei possessorem illum esse, qui nec habet rationem saltem probabilem existimandi rem esse suam, nec existimandi, esse alienam; uno verbo: qui suspendit judicium de hoc, sitnè res quam possidet, sua, vel verò aliena.

Quæres tertiò, quænam sit mensura restitutionis ex delicto materiali, seu quantum possessor bonæ fidei teneatur restituere?

31 R. Mensura restitutionis ex delicto materiali est *quantitas rei possessæ* sive in natura, sive in emolumento, ita scilicet, ut possessor bonæ fidei, posteaquam certò scit, rem esse alienam, teneatur restituere tantum, quantum de re aliena adhuc possidet, sive in natura, sive in fructu, vel alio emolumento, utputa quia inde factus est ditior &c. Communis DD. S. Thom. *2. 2. q. 62. a. 6.* Scotus *4. dist. 15. q. 2.* Ratio fundamentalis hæc est: quia non licet scienter retinere rem alienam, Domino rationabiliter invito: at, nisi talis possessor restitueret, utique illam scienter retineret; quia supponitur jam certò agnoscere, rem esse alienam: ergo &c. Quia tamen nullo alio titulo, quàm rei alienæ possessæ tenetur ad restitutionem; hinc nequit obligari ad restituendum plus, quàm adhuc actu possidet, sive in natura, sive in emolumento &c. qua ratione *l. item veniunt* proximè citata, rectè dicitur: *eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona* (hæreditatis) *ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quò locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos*.

32 Dixi etiam: *posteaquam certò scit &c.* Etenim si dubitet solùm, an res fortè non sit aliena, & adhibita morali diligentia, gravitati rei proportionata, dubium illud vincere non possit, rem licitè sibi retinet, vel consumit. Ratio est: quia in dubio melior est conditio possidentis. Idem est tenendum de eo, qui probabiliter quidem, vel omnino probabilius existimat rem esse alienam, simulque verè probabiliter putat esse suam; tunc enim prudenter judicat, rem esse suam, adeoque licitè non restituit vel absumit, patrocinante sibi titulo possessionis. Babenstuber *cit. 1. a. 2. nu. 4. ex communi*.

Quæres quartò, an Possessor bonæ fidei teneatur etiam restituere fructus ex re aliena perceptos, & quos?

33 Ante responsionem animadvertendum est, hujuscemodi fructus à Theologis communiter distingui in naturales, Industriales, & mixtos. Naturales appellantur, quos res vel natura ex se ipsa producit, nullo, vel vix ullo hominum labore aut industria interveniente, veluti sunt fœtus animalium, poma arbornm, herbæ, & gramina. Industriales dicuntur illi, quos res ex se nullatenus progignit, sed ex solo labore atqui industria illius, qui tali re utitur, proficiscuntur; uti est quæstus vel lucrum, quod quis capit ex negotiatione cum pecunia, v. g. emendo vili pretio, occasione temporis aut loci: pecunia enim est res sterilis, ac proinde hujuscemodi quæstus non pecuniæ, sed industriæ ea utentis est adscribendus. Mixti fructus vocantur, qui partim ex ipsa re seu natura, partim etiam ex humana industria proveniunt, uti sunt Segetes agrorum, & alia hujusmodi, quæ serendo gignuntur. His superaddi meritò possunt fructus civiles, hoc est, tales, qui ex jure & obligatione alterius oriuntur, uti sunt certæ pensiones v. g. pro elocatione domus &c. Denique alii ex memoratis fructibus dicuntur pendentes, alii percepti, alii percipiendi. Pendentes sunt, qui nondum à solo & re fructificante separati existunt; ut poma adhuc in arboribus, frumenta & segetes adhuc solo adhærentes.

KK 4 Per-

Percepti sunt, qui vel jam reconditi in horreis, vel saltem jam sunt collecti, ut recondantur. Percipiendi vocantur, qui percipi quidem potuerunt, revera tamen non sunt percepti. Hoc supposito.

34 R. ad quesitum 1. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus merè industriales, bene tamen 2. naturales & mixtos, si adhuc existant, & necdum præscripti sint. Ita DD. communissimè Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 2. Layman ubi supra *tr.* 2. *cap.* 3. La Croix, Sporer &c. Ratio prioris est: quia fructus mere industriales sunt lucra, non rem alienam, sed propriam industriam sequentia: ergo quemadmodum quilibet est Dominus propriæ suæ industriæ, ita & talis lucri. Ex quo palam sequitur, eum, qui cum aliena pecunia, sive bona, sive etiam mala fide ludendo, lucratus est v. g. 100. non teneri restituere hoc lucrum, sed duntaxat alienam pecuniam. Ratio autem posterioris hæc datur: quia quævis res fructificans suo Domino fructificat: atqui fructus naturales, sicut & mixti sunt fructus ipsius rei, uti facilè constabit perpendenti ea, quæ *num.* mox præcedenti diximus: ergo illius sunt, cujus est ipsa res. Unde rursus colliges, quòd, si tu frumentum tuum in alieno agro seminasti, quantumvis bona, & fortassis optima fide, nihilominus segetem ex illo natam tenearis restituere illi, cujus est ager; quia non est fructus tuæ industriæ, sed potiùs agri seu fundi alieni; idque verum est, & manet semper, etsi Dominus ipse nullos ex suo agro collegisset fructus &c. &c.

35 Nihilominus velut possessor bonæ fidei justè prætendere poteris nedum expensas, quas ipse Dominus facere debuisset, utputa pro agricultura, aut pro frumento seminato seu sparso; verùm etiam pro melioramentis necessariis & Domino utilibus; cujus ratio hæc est: quia non teneris restituere plus, quàm quod est alienum; atqui labor tuus, tuæ expensæ, vel etiam melioramenta &c. non sunt aliena, sed tua: ergo hæc omnia jure merito detrahere, & in utroque foro prætendere potes; secus enim Dominus reciperet ultra id quod suum est, & hoc ipso teneretur ad restitutionem. Hac de causa *l. fructus ff. soluto matrimonio dicitur*: *fructus non intelliguntur*, *nisi deductis impediis. item l. fundus ff. familiæ berciscundæ*, *habetur*: *nullus casus intervenire potest*, *qui hoc genus deductionis* (impendiorum scilicet in fructibus) *impediat*. Quo circa ulteriùs notandum hìc venit, possessorem nequiquam teneri ad restitutionem illorum fructuum, quos jam præscripsit. Unde

Quæres quintò, quantum temporis spatium requiratur ad usucapiendos seu præscribendos fructus ex re aliena perceptos?

36 R. Requiri triennium. Ratio est: quia sunt res mobiles: ad præscriptionem verò rerum mobilium cum titulo sufficit triennium, etsi ad præscribendas res immobiles requiratur longius tempus, scilicet, decennium inter præsentes, inter absentes autem spatium viginti anorum, uti latiùs diversis ex juribus probat Layman *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 8. *nu.* 13. Ex quo rursus vides, fieri posse, ut possessor bonæ fidei titulo usucapionis aquirat dominium in fructus ex fundo alieno ante triennium collectos, non tamen in ipsum fundum, quippe ad quem, ceu rem immobilem, præscribendum jura requirunt majorem temporis tractum. Videatur Layman *loc. cit.* Sporer *nu.* 89. aut Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *a.* 2. *n.* 25.

Quæres sextò, quid possessori bonæ fidei agendum, ubi incipit dubitare, sitnè res quam possidet sua, vel aliena?

37 R. Si dubitare incipiat ex levibus duntaxat motivis aut fundmentis, non tenetur indagare veritatem, aut contra seipsum instituere inquisitionem, quemadmodum nec Judex aut Superior ex hujusmodi levibus motivis ad inquisitionem procedere potest aut debet; meritò proin hujusmodi dubium velut merum scrupulum contemnet. At verò si motiva dudirandi sint gravi fundamento nixa, tunc tenetur diligentia morali & humana (quæ tantò debet esse major, quantò res est gravior, de qua dubitatur) inquirere; Secus enim exponeret se periculo graviter damnificandi alterum, & eo ipso evaderet possessor malæ fidei. Si tamen adhibita hujuscemodi diligentia dubium vincere non potest in tantum, ut certò agnoscat rem esse alterius, tuta conscientia se resolvet, quòd ad nullam resti-

restitutionem teneatur, tametsi omnibus pensatis probabilius videretur esse aliena. Ratio est: quia ut jam dictum fuit *n.* 32. possessio bona fide cœpta prævalet contra omnes rationes non convincentes, veluti latiùs ostendit P. Sporer. *c.* 2. *n.* 93. ubi de hoc fundatè discurrit. Potestque de eodem videri Sanchez *l.* 1. *mor. c.* 10. *nu.* 9. Lugo *disp.* 17. *Sect.* 4. Babenstuber *cit. disp.* 4. *a.* 2. *n.* 36. *& Seqq.*

38 Quæres septimò an possessori bonæ fidei liceat rem furtivam restituere furi, ad recuperandum suum pretium pro ea expensum, casu quo illud aliter recuperare non potest?

R. Affirmativè. Ita satis communiter Doctores; nominatim Dicastillo *l.* 2. *tr.* 2. *disp.* 5. *dubit.* 4. Lessius *de just. l.* 2. *c.* 14. *dubitat.* 3. Herincx *disp.* 8. *q.* 4. *nu.* 77. contra Laym. Molinam, & alios nonnullos. Ratio hujus nostræ opinionis hæc est: quia neque justitia, neque charitas hujusmodi possessorem in his circumstantiis obligat ad reddendum rem furtivam v. g. equum Domino immediatè, & non furi; justitia enim obligat duntaxat, ut alterum non damnificemus, utque eidem rem suam restituamus, quando id possumus sine gravi, vel æquali damno nostro, at, hoc in nostro casu supponitur non posse fieri: neque verum est, quòd possessor eum furi restituendo, ponat in statu positivè deteriori, sed potiùs eum reponit in illum statum, quem priùs habuit. Charitas etiam, quæ, ut dicitur communiter, *incipit ab Ego*, suadet, ut in pari causa unusquisque suis potiùs rebus prospiciat & consulat, quàm alienis, quando id fieri potest medio aliquo licito: atqui rescissio contractus cum fure initi est medium licitum: ergo cùm possessor aliàs deberet subire æquale damnum amissione sui pretii, non est, cur à fure illud non possit repetere, eidemque rem furtivam reddere. Et certè oppositum nulla ratione efficaciter evincitur, veluti latiùs ostendunt DD. citati, præsertim verò Herincx, Sporer *à n.* 121. & Babenstuber *art.* 2. *num.* 16. ubi AA. fundamenta evertunt.

39 Major tamen controversia est inter Doctores utrùm id ipsum permittendum sit possessori malæ fidei, utpote qui scienter rem emit à fure. Quocirca quidem potior pars respondet negativè; quia inquiunt) cùm talis rem alienam mala fide emerit, Domino rationabiliter utique invito; hinc non solo titulo rei acceptæ (sicut possessor bonæ fidei) sed etiam titulo injustæ acceptionis tenetur ad restitutionem, eamque vero Domino immediatè, & non furi faciendam, tametsi ob id cogeretur subire jacturam sui pretii; secus enim Dominus maneret rationabiliter invitus. Hoc tamen non obstante sat multi graves Doctores, uti Lessius *cit. num.* 21. Lugo, Tamburinus, Diana, pluribusque allegatis Sporer *loc. cit. nu.* 123. probabile censent, hujusmodi rem, etiam à possessore malæ fidei, licitè restitui furi immediatè, casu quo is pretium suum aliter recuperare non posset. Ratio eadem hìc videtur urgere: quia sibi quisque consulere potest præ altero.

Accedit, quòd etiam talis possessor, rescindendo contractum, & v. g. equum furi restituendo, non ponat illum in statu positivè deteriori, sed potiùs relinquit in eodem statu, quo priùs exstiterat; immò verò hoc ipso imponit furi obligationem naturalem, eum ulteriùs restituendi legitimo Domino. Quòd autem fortassis prævideat, eum ex malitia furis nunquam redditurum ad verum possessorem, est merè per accidens: nec censetur ad tale peccatum cooperari, sed potiùs permissivè se habere, quippe quod sine gravi suo damno impedire non potest. Et certè, si malæ fidei possessor hunc equum priùs furi abstulisset, postea autem animadverteret, se ex tali furto magnam incursurum jacturam, procul dubio ad se indemnem servandum, eundem equum licitè reponeret in eo loco, ubi illum priùs invenit, scilicet apud furem: ergo idem licitè faciet ob eandem rationem, non obstante mala fide, qua priùs illum emerat; quibus de causis hanc sententiam judico verè probabilem in praxi.

40 Illud tamen Doctores communissimè monent, tam possessorem malæ, quàm etiam bonæ fidei obligari ad illico restituendam hujusmodi rem furi, quamprimùm

mùm agnoſcit eam eſſe alienam, ita, ut ſi ſecus faciant, quivis teneatur vero Domino compenſare omne lucrum ceſſans, vel etiam omne damnum emergens ex tali culpabili detentione rei alienæ.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de obligatione reſtituendi, incumbente Poſſeſſori bonæ fidei.

CASUS PRIMUS.

Titius civis Auguſtanus tempore belli Bavarici in caſtris Cæſareis à militibus multam ſuppellectilem, quà profanam, (utputa cantaros, orbes, lectos, culcitras &c.) quà ſpiritualem etiam (ſcilicet tintinabula, cruces, candelabra, calicem &c.) miseræ Bavarorum genti tunc temporis ereptam reſpectivè viliſſimo pretio coemerat. Tandem verò ſedatis nonnihil fluctibus bellicis, conſcientiæ ſtimulis adactus quæſivit 1. an tuta conſcientia potuerit hujuſmodi merces comparare? 2. an caſu quo Domini illarum vellent denuo eaſdem recuperare, vel eodem pretio redimere, teneatur in conſcientia illas reſtituere ſaltem pro eodem vili pretio? Quid Confeſſarius reſpondebit interroganti?

41 R. ad primum quæſitum, Titium noſtrum tuta conſcientia potuiſſe ſibi coemere ſupellectilem illam profanam, perſonis laicalibus ereptam; non tamen ſpiritualem, vel eam, quæ perſonis Eccleſiaſticis fuit erepta. Ratio hujus reſponſionis & diſparitatis hæc eſt: quia eſtò in bello juſto (quale ex utraque parte communiter habebatur illud Bavaricum) licitum ſit militibus (cum conſenſu tamen ſuorum Belli Ducum) diripere bona omnia tam mobilia quàm immobilia laicorum, etiam innocentium, ſi ita viſum fuerit ad ſuppreſſionem, vel etiam juſtam vindictam ab hoſte ſummendam; neutiquam tamen licet diripere bona Eccleſiæ, vel perſonarum eccleſiaſticarum; quippe quæ non ſunt membra Reipublicæ ſæcularis, neque hoſtes, ac per conſequens ob delictum à Republica vel Principe commiſſum puniri non debent: eſto igitur Titius noſter licitè potuerit coemere bona illa ſæcularium, quorum milites erant Domini, non tamen licitè (ſaltem per ſe loquendo coemit bona eccleſiaſtica, aut perſonarum eccleſiaſticarum; quia milites horum non habebant verum dominium. Videatur Felix Poteſtas *tom. 1. pag. 2. cap. 1. num. 2316.* Herincx *part. 4. diſp. 8. num. 87.* vel Molina *loco proximè citando*. Ex quo

42 R. jam ad ſecundum, Titium non ampliùs ex juſtitia teneri (etſi charitas aliud ſuadeat) ad reſtituendam ſupellectilem perſonis laicalibus, utpote non privilegiatis ereptam, ne quidem pro eodem vili pretio. Ratio patet ex mox præmiſſis; quia cùm milites Cæſarei jure belli illius dominium obtinuerint, quo pauperculi illi extitere privati, eo ipſo potuerunt illud validè transferre in quemcunque, & quolibet, quantumvis exiguo pretio, conſequenter & in Titium noſtrum, at, hoc ipſo, quòd iſte obtinuerit verum dominium, non ampliùs tenebatur ex juſtitia illam reſtituere, ne quidem pro eodem vili pretio: ergo. At verò ſuppellectilem illam perſonis eccleſiaſticis aut Eccleſiis ereptam reſtituere tenebatur, ob rationem jamjam inſinuatam. Vide Molinam *de juſtit. to. 1. tract. 2. diſp. 121. n. 3.*

Dices: ergonè Titius peccavit coemendo prædictam ſupellectilem indifferenter, eſto dubitaſſet, an non fuerit erepta Eccleſiis, vel perſonis ſpiritualibus, ſeu eccleſiaſticis?

43 R. Non peccavit, modò habuerit intentionem, & animum eodem vili pretio rem emptam reſtituendi, ſi ex poſt facto reſciret, hujuſmodi ſupellectilem perſonis eccleſiaſticis fuiſſe raptam à militibus. Rationem hujus ſubminiſtrat Molina mox *cit. diſp. 118. n. 15.* Quia omnino prudenter & veroſimiliter credere licuit, eam eſſe talium perſonarum voluntatem, ut ſcilicet hujuſmodi res potiùs pervenirent ad manus alicujus Catholici, cum ſpe aliquando eas eodem vili pretio redimendi, quàm ut pervenirent ad manus aliorum v. g. Acatholicorum, aut Judæorum, ſine ulla ſpe, unquam aliquid de iis obtinendi, prout procul dubio contigiſſet. Rectè tamen docet idem Molina *l. cit.* Etiam tales perſonas teneri, tum in conſcientia, tum in exteriori etiam foro, ſolvere pretium illud exiguum

gnum pro iis à possessore expensum; quia Emptor supponitur utiliter gessisse negotium Domini Ecclesiæ scilicet vel personæ ecclesiasticæ. Secus dicendum, si Emptor pretio magno emisset, quia in hoc supposito non gessisset utiliter negotium Domini, adeoque hic non teneretur ad tantam refusionem. Videatur Lessius *de just. l.* 2. *c.* 14. *dubit.* 3. *nu.* 20. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 33. *a.* 1. *n.* 4.

At quid (ais) si milites Cæsarei præfatam suppellectilem Bavaris eripuissent per meram rapinam, vel etiam furtivè, utpote contra voluntatem Imperatoris, aut suorum Belli Ducum, sicut revera calamitoso illo tempore pluribus contigisse novimus?

44 R. si de hoc constitisset, Titius noster salva conscientia eum coemere nequaquam potuisset (nisi fortè animo, postea illam eodem exiguo pretio restituendi suis Dominis comparituris:) Ratio est: quia hoc ipso quòd injustè rapta supponatur, raptores nullum in eam obtinuere dominium; consequenter nec potuerunt eam tuta conscientia alienare: ergo neque Titius comparare: certum quippe est, quòd hoc modo iniquitati rapientium quodammodo cooperatus fuisset, non sine scandalo & periculo eosdem animandi ad continuandas & inferendas miseris ulteriores rapinas, quas tam facilè non commisissent, si nullos, qui rapta inique solverent, Emptores scivissent Molina *c. t. 1. de just. tr. 2. disp.* 118. *n.* 2.

Dices adhuc. Quidsi autem milites hostibus prædam justè partam denuo eripiant, sicut novimus illo tempore à militibus Cæsareis aliquot mulos ære tributario à Gallis in Suevia collecto, onustos, denuo ereptos & interceptos fuisse: cujus hæc erunt?

45 R. si hostes prædam injustè rapuerint, tunc ea denuo illis erepta restituenda erit suis Dominis, quippe qui illorum dominium nunquam amiserunt; etsi Victores justè possint prætendere compensationem industriæ & operæ, vel etiam periculi in recuperanda præda exantlati, cùm hoc utiliter gesserint pro Dominis, ut supponitur. At verò, quia secundùm dicta bellum illud Bavaricum ex utraque parte justum habebatur à Viris doctis; hinc credere jubemur, illud tributum à Gallis justè fuisse collectum; quo supposito dicendum, milites Cæsareos, qui rursus intercepere prædam illam, evasisse illius Dominos, posteaquam eam in tuto collocarunt; nam quemadmodum Galli jure belli illius semel partæ obtinuere Dominium; ita eodem jure militibus Cæsareis denuo eandem intercipientibus id ipsum est concedendum: nec tenebantur ampliùs summam illam restituere Subditis, utpote qui jam amiserant illius dominium. Et licet milites Cæsarei, utpote stipendio conducti ad defendendum Patriam, videantur fuisse ex justitia obligati ad evincendam hostibus prædam, evictamque pristinis suis Dominis restituendam, jure tamen Cæsareo *C. si quid bello. ff. de capt. & post limin. reverſ.* Sancitum est, *ut res mobiles*, quæ bello ex hostibus recuperantur, fiant capientium, quando ad tutum locum ab hostibus erant perductæ, aut per diem naturalem (moderna praxi vix per sex horas, ait Sporer) erant possessæ.

46 Dictum fuit *res mobiles*; nam immobiles denuo ab hostibus recuperatæ pertinent ad antiquos Dominos l. *si captivus.* §. *expulsis hostibus. ff. de captivis, & postlim. reverſ.* Præterea ex rebus mobilibus excipiuntur illæ res, quæ gaudent privilegio postliminii; uti sunt naves oblongæ, equi, muli &c. qui proin hostibus erepti, denuo restitui debent pristinis Dominis. Ita Molina *cit. n.* 5. Dicastillo *l.* 2. *to.* 1. *disp.* 10. *n.* 44. quem referens sequitur la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 113.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Aurifaber emit quandam argenti conflati massam 40. florenis ad pondus ordinarium, ex qua confecit calicem, quem rursus optima fide vendidit certo cuidam Monasterio pro 70. florenis. At verò interposito modico temporis intervallo certò audivit, argentum illud fuisse furtivè subtractum eidem Monasterio, cui calicem vendiderat; unde scire cupit, an in conscientia teneatur aliquid restituere Abbati illius Monasterii, cui argentum fuerat ablatum. Quid Confessarius

re-

respondebit, vel observabit circa Sempronium?

47 R. Confessarius examinabit Sempronium, an de præfato argento aliquid adhuc habeat, an verò totum illud impenderit calici confecto? si adhuc aliquid inde habeat, tenetur illud restituere. Ratio est: quia etiam possessor bonæ fidei, posteaquam certò agnoscit, rem esse alienam, tenetur illam adhuc exstantem restituere, sive in natura, sive in æquivalenti v. reddendo pecuniam; ergo si de tali massa argenti adhuc aliquid possideat Sempronius, etsi optima fide illud emerit, tenebitur illud restituere præfato Monasterio.

At verò, si totam illam massam supponatur impendisse calici elaborando, ad nihil amplius tenebitur Monasterio. Ratio est: quia, ut supponitur, de massa illa aliena nihil ampliùs possidet, ne quidem in emolumento, neque inde factus est ditior, quandoquidem pro ea expenderit propriam suam pecuniam puta 40. florenos: atqui possessor bonæ fidei nihil tenetur restituere, nisi rem alienam actu possideat, aut inde evaserit ditior, veluti omnes tenent, nomitatim Bonacina *de restit. disp. 1. q. 2. pu. 1. n. 9.* Dicastillo *disp. 5. de restit. dub. 1. nu. 112.* Lessius *lib. 2. c. 14. dubit. 1. nu. 4.* Sporer, & alii ergo &c.

Dices forsitan. Titius fertur præfatum calicem vendidisse 70. florenis, pro argento autem expendisse 40. duntaxat: ergo ex re aliena factus est ditior.

48 R. negando conseq. Nam excessum illum (triginta scilicet florenos) non obtinuit velut pretium rei alienæ, scilicet argenti, sed velut pretium artis, industriæ, ac laboris sui. Esto igitur in hoc casu dici possit factus fuisse ditior occasione rei alienæ, non tamen factus est ditior ex re aliena; ferè quemadmodum si fur ludendo cum pecunia furtim ablata lucretur v. g. 100. non tenetur hos reddere Domino illius pecuniæ furtivæ, quippe qui non sunt fructus pecuniæ, ceu rei de se sterilis, sed fructus industriæ aut fortunæ: neque talis fur dicitur factus ditior *ex re aliena*, sed duntaxat *occasione* rei alienæ. Vide Tamburin. *in decalogo lib. 8. tr. 3. c. 3. n. 7.* Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 2. num. 6.*

Dices adhuc: undenam igitur colligendum, an talis possessor ex re aliena factus sit ditior, vel non?

49 R. Inde colligendum est, quòd fuerit factus ditior, si propter illam rem alienam in suis propriis inveniat aliquid, vel aliquod emolumentum, quod non haberet de facto, nisi habuisset illam rem alienam, ita tamen, ut illud alienum non fuerit mera occasio quasi accidentalis, sed causa vel quasi causa hujuscemodi emolumenti. Exempli gratia; si rem alienam sibi donatam, rursus bona fide donavit alteri, cui aliàs nihil donasset, non propterea censebitur factus ditior, quia totum illud, quod de facto possidet, adhuc haberet. At verò si ex propriis donasset, tantum v. g. 100. florenos, censetur totidem factus ditior. Similiter, si vestem alienam valde pretiosam v. g. constantem 60. florenis bona fide attrivit, ita, ut si eam non habuisset, debuisset atterere propriam, etsi minùs pretiosam v. g. 10. florenis tantùm constantem, reputabitur factus fuisse ditior decem tantùm, & non 60. florenis, ideòque satisfaciet restituendo ipsam vestem attritam, cum decem superadditis. At verò, si vestem propriam adhuc pretiosiorem aliena v. g. 100. florenis constantem attrivisset, non tenebitur restituere 100., sed 60. duntaxat florenos; quia de re aliena nunquam accepit vel possedit plus, quàm vestem 60. florenis æstimatam, ut supponitur. Vide de hoc P. Sporer *cit. c. 2. art. nu. 102.* ubi hanc materiam pluribus casibus & exemplis dilucidat, more suo, practicè & sapienter, ad cujusvis captum.

CASUS TERTIUS.

Cajus prædium quoddam ab aliqua vidua mille taleris emptum, quadriennio integro optima fide ac pace possedit; eo verò elapso à Privigno dictæ viduæ jamjam defunctæ coram Judice conventus, eidemque lis contestata fuit. Cùmque idem Privignus probasset; testamentum paternum, vi cujus dictum prædium ad manus viduæ immediatè pervenerat, inofficiosum fuisse, & penitus nullum, tandem ipsum prædium evicit. Jam verò quærit Cajus, quomodo in foro

con-

conscientiæ se habeat gerere, quidve, vel quantum tum de fundo, tum etiam de fructibus hactenus perceptis restituere teneatur. Quid respondendum interroganti?

50 R. ex dictis *n.* 34. & 35. Cajum teneri nedum ad restitutionem fundi, utpote alieni, & jam evicti, uti supponitur in specie facti; verùm etiam ad restitutionem fructuum, non quidem illorum, quos primo anno possessionis suæ pacificæ collegit (hos enim velut possessor bonæ fidei statim præscripsit post elapsum triennium secundùm dicta *n.* 36.) sed eorum duntaxat quos percepit ultimo triennio ante litis contestationem, si tamen adhuc exstent; etenim si eos jam consumpsisset bona fide, non teneretur ampliùs ad illorum refusionem, uti *n.* 31. diximus. Et ita tenent DD. communissimè, Palao, Layman, Haunold, quos refert, & sequitur Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 49. Idque probatur tum ex leg. bonæ fidei 48. ff. de aquirendo rerum dominio, & clariùs adhuc ex *l.* 22. *Cod. de rei vindicat.* ubi habetur, quòd possessores, etiam bonæ fidei post litis contestationem præstare debeant fructus exstantes universos, quamvis ante litis contestationem eorum dominium aquisiverint. Tum etiam ex eo, quòd jus naturale dictet, lucrum, ex re aliena ipsius rei vices agere, omnemque rem fructificare domino suo: atqui, prædium fuit Privigni: ergo huic debuit fructificare, nisi leges obstent in contrarium. Nec poterit Cajus ab illo (Privigno scilicet) prætendere *interesse* suæ pecuniæ, 1000. scilicet Talerorum expensorum pro prædio; siquidem de his ille nihil possedit: etsi illud, sicut, & ipsum *Capitale* prætendere posset ab ipsa Vidua, vel ejusdem hærede, si supponantur adhuc exstare: sin minus, hoc damnum suo debet imputare infortunio: Justè tamen ab eodem Privigno prætendet omnes expensas necessarias, & melioramenta in prædio, & fundo excolendo vel necessariò, vel saltem utiliter facta, veluti dictum fuit *nu.* 35. & ampliùs constabit ex dicendis *n.* 57.

At quid (inquies forsitan) si Cajus fructus omnes, etiam ultimo triennio ante litis contestationem perceptos jam consumpsit, ita tamen, ut inde evaserit dicior, vel quia suis pepercit, vel quia in horum defectum propriis expensis alios debuisset sibi comparare, tenebiturnè pro his aliquid rependere?

51 R. Juxta communissimam Theologorum, quam tenent etiam Azorius, Molina, Toletus, Rebellus, & alii plures quos referens sequitur Layman *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *la Croix l.* 3. *p.* 2. *n.* 211. etiam tales fructus, utpote æquivalenter adhuc exstantes tenetur possessor restituere, saltem de jure naturæ, Ratio est: quia revera sunt fructus rei alienæ: naturæ autem æquum est neminem alterius detrimento fieri locupletiorem, uti dicitur *l.* 14. *ff. de condict. indeb.* ergo de jure naturæ restitui debent. Nihilominus opposita Sententia Recentiorum Juristarum, nominatim Haunoldi *tr.* 3. *nu.* 281. aliorumque, quos sequitur Illseng. *cit. n.* 5. etiam probabilis est: licèt enim, quantum est de jure naturæ hujusmodi fructus, æquivalenter exstantes restitui deberent, jus tamen positivum bonæ fidei possessori tales fructus non in natura, sed æquivalenter duntaxat exstantes satis clarè videtur concedere sine onere restitutionis; partim ne rerum alienarum cura, & cultura maneat impræmiata; partim etiam, ne bonæ fidei possessoris conscientia gravetur; & sæpè sæpiùs propter difficilem lucri æstimationem scrupulis exponatur. Sic *l. certum* 22. *Cod. de rei vind.* possessor bonæ fidei; *tantùm fructus exstantes jubetur præstare*. Similiter *l. sed & leci* 4. §. *post litem* 2. *ff. finium regundorum dicitur, quòd si possessor, fructus bona fide percepit, lucrari eum oportet*. Denique §. *si quis à non domino Institut de rerum divisione* de tali possessore dicitur: *naturali ratione* (id est æquitate) *placuit, fructus quos percepit ejus esse pro cultura, & cura, & ideo, si postea Dominus supervenerit & fundum vindicet, de fructibus ab eo* (scilicet emptore fundi alieni) *consumptis agere non potest*. Et hanc opinionem in praxi utriusque fori tutam esse, & observari, testantur Rebel. Tom. Sanch. Pinell. & Faber apud P. Illsung. *l. c.* Ex quo facilè colliget prudens Confessarius, quidnam in his circumstantiis suo clienti habeat consulere.

Dices adhuc: sed quid de illis fructibus quos Cajus lite pendente, ultimo, quinto scilicet anno percepit?

52 R. Evicto prædio tenetur restituere hos fructus à tempore litis contestatæ perceptos,

ptos, aut percipiendos, tametsi inde forsan non esset ditior factus: nisi tales fructus pervenissent ex melioramentis à Possessore adjectis. Ita Palao *disp. un. de justit. in genere pu. 24. §. 8. num. 4.* Haunoldus, & Illsung *cit. num. 52.* Ratio est: quia tempore litis motæ quasi suspenditur jus & dominium rei & fructuum, ut contestata lite per sententiam Judicis restituantur ei, etiam pro tempore litis pendentis, qui rem evicerit; qua ratione *l. 25. §. 7. ff. de hæreditatis petitione.* dicitur: *quoniam post litis contestationem, omnes incipiunt malæ fidei possessores esse &c.* scilicet fictione juris: ergo cùm Cajus noster causa ceciderit, tenebitur consequenter fructus illos omnes ultimo anno perceptos refundere.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

53 Colliges ex hactenus dictis primò, quemlibet Dominum rem suam à quocunque demum possessore, etiam bonæ fidei posse recuperare, & evincere, quamdiu illa exstat, ita quidem, ut non ampliùs teneatur restituere aut refundere pro ea pretium. Ratio est: quia ipse semper manet verus Dominus illius rei; neque enim ipso invito potuit rei dominium in possessorem bonæ fidei transferri: aliunde verò neque ex delicto, neque ex contractu quidpiam debet possessori: ergo &c. Excipiendus duntaxat est casus, quo quis modico pretio emit rem furtivam, animo reddendi eam vero Domino, veluti jam superius *n. 43.* dictum fuit; quia tunc Emptor censetur utiliter gessisse negotium Domini, ut colligitur, *instit. de obligationibus, quæ quasi ex contractu. §. 1.* item *l. 2. si quis absentis ff. de negotiis gestis.* Videatur Lessius *l. 2. c. 14. dubit. 3. n. 20.* Lugo *disp. 27 sect. 1. n. 1.* Babenstuber *a. 2. n. 11.*

54 Colliges secundò, possessorem ipsum, posteaquam certò agnoscit rem esse alienam adeoque restituendam, teneri propria sponte quamprimùm moraliter loquendo fieri potest, eam restituere Domino. Ita *ex communi* Tamb. *in decalogo l. 8. tr. 3. c. 3. §. 1.* Ratio est: quia quævis res, ubi demum existat, clamat ad suum Dominum; unde si talis post agnitam obligationem suam non restituat, eo ipso evadit possessor malæ fidei, consequenter ut talis deinceps tenebitur restituere nedum rem ipsam, verùm etiam omne lucrum cessans, & damnum vero Domino emergens ex hujusmodi iniqua detentione, veluti ampliùs dicetur *confer. proximè secutura.* Lessius ubi supra *cap. 14. dub. 1. n. 2.* Babenstuber *a. 2. n. 3. fin.*

55 Dixi tamen: *posteaquam certò agnoscit, rem esse alienam adeoque restituendam &c.* Tametsi enim aliquis agnosceret rem priùs bona fide aquisitam, esse alienam; si tamen ob ruditatem v. g. non apprehenderet suam obligationem restituendi, propterea que eam consumat, probabiliter non tenetur restituere, nisi ad id, quantum inde evasit ditior. Ita tenet Laymann ubi suprà *c. 3. n. 1. in fine.* Et ratio à pari colligi potest; quemadmodum enim pœnitens, esto sciat se peccasse etiam graviter, si tamen inculpabiliter non agnoscens obligationem confitendi, hujusmodi peccatum retineat, dicitur bona fide confessus; ita in nostro proposito talis homo dici potest possessor bonæ fidei, quantum ad consumptionem inculpabiliter factam, licèt non in omni rigore, eò quòd non ignoraverit rem esse alienam, veluti ex dictis suprà *n. 30.* facilè colligi poterit.

56 Colliges tertiò ex dictis *n. 47.* Eum, qui rem furtivam bona fide emit, eandemque postea bona fide eodem pretio, vel omninominori vendidit, non teneri quidpiam restituere Domino postea fortè comparituro. Ratio inde sumitur; partim quia non est factus ditior; partim etiam quia res illa apud ipsum non ampliùs exstat, neque formaliter in natura, neque etiam æquivalenter in aliquo emolumento. Si tamen rem vendendo majori pretio, inde familiam suam auxisset, probabiliter teneretur ad restitutionem hujus excessus, quippe qui censetur aliquid rei alienæ æquivalenter adhuc exstantis. Excipe tamen; nisi possessor talem excessum mera sua industria sibi comparavit, eò quòd rem alibi distraxerit, ubi novit, eam plus valere, quod à Domino factum minimè fuisset; quia talis excessus reputatur merces fructus industrialis, quem non tenetur possessor bonæ fidei restituere:

secun-

secundùm dicta *num.* 34. Vid. Lessius *l.* 2. *cap.* 14. *dubit.* 1. *num.* 4. Tambur. ubi suprà *num.* 10. & 12.

57 Colliges Quartò, possessorem bonæ fidei pro melioramentis sive necessariis, sive utilibus in re aliena factis, non posse plus subtrahere, aut de jure prætendere, quàm illum valorem aut illud quantum, quo ipsi Domino constitissent. Quare si talis possessor pro arbore v. gr. plantata expendit unum ducatum, seu 4. florenos, Dominus autem eandem arborem potuisset comparare pro uno floreno, non poterit ille plus prætendere, quàm unum florenum intuitu talis arboris. Ratio est: quia hoc solum (unicus scilicet florenus) & non plus cedit in utilitatem veri Domini, & hoc solo ex alterius plantatione censetur factus ditior. Id ipsum à fortiori dicendum foret, casu quo eadem arbor jam iterum, decrevisset in tantum, ut defacto prudentum judicio jam non pluris æstimaretur, quàm pretio unius floreni. Quin immò, tametsi supponatur eadem arbor, defacto crevisse in tantum, ut jam valeret 10. aut plures florenos, Dominus, tamen non teneretur pro ea plus, quàm unum florenum refundere; quia huic (cujus erat fundus) & non possessori crevit arbor: ergo pro hoc augmento valoris nihil prorsus tenetur, restituere, sed solas illas expensas, quas ipsemet tunc temporis, quo plantata fuit arbor, facere debuisset. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap. secundo artic.* 3. *numer.* 140. Lugo, *disput.* 17. *Section. tertia numer.* 52. & 61. Tambur. *cit. tract.* 3. *capit.* 3. *§.* 5. *a. numer.* 13.

58 Colliges Quintò, eum, qui rem furtivam omnino gratis, & sine propriis expensis, sive ab ipso fure immediatè, sive ab alio obtinuit, post agnitam veritatem cujus sit, teneri eandem immediatè restituere Domino, ita, ut tuta conscientia eam non possit reddere furi, vel alteri, à quo accepit, nisi fortè habeat, timere infamiam, aut nisi moraliter certus sit, rem ab illo altero indubitanter, restitutum iri. Ita Lessius *l* 2. *c.* 14. *dubit.* 3. *num.* 13. Dicastillo *dubit.* 4. *num.* 104. & alii. Ratio est: quia restitutio ex re accepta immediatè fieri debet illi, cujus est res, quando nulla causa excusans occurrit in contrarium: atqui talis tenetur restituere ex re accepta, & quia simul supponitur nullas fecisse expensas, neque timendum esse periculum infamiæ, vel alterius damni, planè nulla intervenit causa excusans: ergo tenetur immediatè restituere Domino, & non furi, vel alteri: ergo.

59 Colliges tandem Sextò, possessorem qui oborto dubio mala fide, & culpabiliter Dominum rei inquirere neglexit, teneri postea eidem comparenti non tantùm restituere rem ipsam, sed etiam fructus, consumptos, vel alienatos, ex eo tempore, quo dubitare cœpit. Ratio est: quia ab eo tempore cœpit esse possessor malæ, vel certè dubiæ fidei: atqui possessor tam malæ fidei, quàm etiam dubiæ, si hic negligat culpabiliter inquirere veritatem, tenetur ex post facto recompensare omnia damna juxta proportionem culpæ illata: ergo &c. Lessius *cit. n.* 25.

Dices adhuc. At quid tenendum de illo, qui primò rem possedit bona; postea verò mala fide? vel è contra, qui priùs mala fide postea verò bona possidens, rem vel saltem fructus inde perceptos consumpsit?

60 R. Talem in foro conscientiæ teneri ad restituendum illud duntaxat, quod consumpsit, quando erat possessor malæ fidei. Ratio est: quia talis, eo ipso, quòd mala fide consumpreit, obligatur ad mensuram restitutionis malæ fidei possessori incumbentis: atqui huic incumbit nedum, rem ipsam, sed etiam fructus rei mala fide consumptos restituere utì statim dicetur: ergo, Illos autem, quos bona fide, consumpsit, non amplius tenetur restituere secundùm dicta *num.* 34. Videatur Lugo *disp.* 17. *Sect.* 3. *num.* 68. Tambur. *cit.* §. 6. *num.* 1.

CON-

CONFERENTIA TERTIA.

De Restitutione debita ex delicto formali injustæ acceptionis, à possessore malæ fidei.

SUMMARIUM.

61 *Quisnam reputandus sit possessor malæ fidei.*
62 *Culpa alia est theologica, alia juridica.*
63 *In conscientia nullus tenetur ad restitutionem titulo injustæ acceptionis, nisi commisserit culpam theologicam.*
64 *Post Sententiam tamen Judicis tenetur, etsi talem non admiserit.*
65 *Culpa theologica venialis duntaxat multiplici ex capite committi potest.*
66 *Qui intulit grave damnum per furta minuta, probabiliter tenetur ad restitutionem, tametsi auferendo nunquam peccaverit mortaliter.*
67 *Mensura generalis restituendi, incumbens possessori malæ fidei, est quantitas damni illati.*
68 *Tenetur insuper restituere fructus ex re aliena, tametsi Dominus eos nunquam percepisset.*
69 *Licitè tamen in foro conscientiæ subtrahit expensas & emolumenta necessaria &c.*
70 *Et quid de melioramentis merè voluptuariis tenendum.*
71 *Resolvitur Casus I. de quodam Officiale, qui suo Principali annuatim certam summam subtraxerat.*
72 *Et subtrahendo malè fecit, esto cum ordinario suo salario difficulter, vel omnino non potuerit subsistere.*
73 *Nec excusandus est ex eo, quòd labores sibi videantur immensi, vel antea nunquam prævisi.*
74 *Neque ex eo, quòd Officiales sibi similes alibi locorum soleant magis salariari.*
75 *Consequenter ad restitutionem condemnandus est.*
76 *Resolvitur Casus II. cujusdam pœnitentis, qui jam ante triennium equum furto abstulerat;*
77 *Quem proin saltem in æquivalenti tenetur restituere, etsi is interea periisset, casu, quo non similiter periisset apud suum Dominum.*
78 *In dubio, an apud dominum periisset, adhuc fur ille condemnandus est ad restitutionem.*
79 *Quomodo practicè indaganda sit quantitas damni ab hujusmodi possessore malæ fidei illati.*
80 *An is, qui heri abstulit vinum, illudque mox consumpsit, teneatur ad restitutionem, si idem vinum hodie apud dominum simili casu periisset.*
81 *Et quid, si fur illud in hodiernum diem reservasset.*
82 *Resolvitur Casus III. cujusdam famulæ, quæ studiosè quæsiverat merces minori pretio comparare, residuum autem pecuniæ non domino suo, sed sibi applicavit;*
83 *Unde lucrum illud non quidem Mercatori; sed*
84 *Domino suo tenetur restituere.*
85 *Solvitur quædam instantia contra hoc.*
86 *Qui grave damnum intulit cum ignorantia concomitante, non tenetur ad restitutionem;*
87 *Sicut nec ille, qui quidem operi illicito vacans, pro possibili tamen studuit damnum præcavere.*
88 *Neque ille, qui ex culpa veniali duntaxat domum aut vineam non satis custodivit;*
89 *Etsi tales probabiliùs ad aliquam saltem restitutionem teneantur.*
90 *Qui scienter intulit damnum grave, ignorans tamen invincibiliter, illud esse tam grave, non tenetur ad refusionem totius damni.*
91 *Qua cum cautela Confessarius debeat procedere cum similibus.*

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuuntur quæsita, scitu necessaria, & ad debitè resolvendos Casus practicos circa restitutionem à possessore malæ fidei faciendam.

Quæres primò, quisnam dicendus sit possessor malæ fidei?

61 R. Ille meritò reputatur possessor malæ fidei, qui scit, rem quam contrectat, & possidet, esse alienam, aut certè ex ignorantia vincibili, & culpabili, credit, esse suam, & non alienam. Ita cum communi Doctorum tradit Sporer. Ratio hujus facilè colligetur ex dictis suprà *n.* 30. quemadmodum enim ille, qui inculpabiliter ignorat rem esse alienam, aut invincibiliter putat, esse suam rectè dicitur possessor bonæ fidei eò quòd illam possideat sine peccato; ita ab opposito is; qui scienter, vel saltem ex culpabili ignorantia rem alienam contrectet, aut possidet contra voluntatem domini, rectè appellatur possessor malæ fidei; cùm id nunquam fieri valeat sine peccato.

62 Quæres secundò, quænam culpa necessaria sit ad hoc, ut possessor malæ fidei ob injustam acceptionem ad restitutionem teneatur?

Ante responsionem breviter advertendum, & sciendum, culpam ut sic communiter à Doctoribus dividi *in theologicam*, & *juridicam*. *Theologica* dicitur, quæ hominem in conscientia coram DEO verè reddit culpabilem, adeòque est verum peccatum, sive mortale, sive veniale: & cùm ad Theologos pertineat specialiter considerare ea, quæ ad ultimum finem nostrum conducunt, aut ab eo retardant (sicut facit omne peccatum) ideò hæc culpa appellari consuevit theologica, id est, à Theologis specialiter consideranda. Culpa *juridica* (ideò sic dicta, quia à jure vel Juristis pro foro præsertim exteriori, & politico attenditur) describitur, quòd sit omissio alicujus diligentiæ, qua proximi, damnum impediri potuisset, sive dein coram Deo, & in conscientia sit peccatum, sive non. Et hæc culpa juridica rursus dividitur in *latissimam*, *latiorem*, *latam*, *levem*, & *levissimam*. *Lata*, est omissio diligentiæ, quam homines ejusdem conditionis communiter adhibere solent. *Levis* est omissio diligentiæ, quam accuratiores duntaxat, & prudentiores homines illius, conditionis seu professionis adhibere assueverunt. Denique culpa *levissima* reputatur omissio diligentiæ, quam diligentissimi tantùm ac prudentissimi adhibere solent in simili negotio. Res hæc declarari solet sequenti exemplo. Titius v. g. domo egressus non clausit ostium proptereaque fures ingressi rem quampiam abstulerunt &c. censetur commisisse culpam juridicam latam, quia non claudendo ostium omisit diligentiam, quam alii homines etiam mediocriter diligentes adhibere solent.

63 At, si supponatur clausisse quidem, ita tamen, ut facilè ab aliis aperiri potuerit culpam levem commisit; nam bene claudere prudentiores duntaxat, & diligentiores solent. Denique si supponatur clausisse ostium, at, non tentasse, an pessulus sit obductus &c. reputatur commisisse culpam levissimam: quia intermisit diligentiam, quam diligentissimi tantùm, & accuratissimi adhibere solent. Porrò culpa *latissima* dicitur etiam dolus apertus, dum nimirum quis aliquid agit vel omittit, damni inferendi causa, quod inde imminere prævidet, Culpa *latior*, quam etiam appellant dolum præsumptum, datur in eo, qui proximi damnum non intendit quidem, illud tamen ex actione sua, omissione actionis secuturum prævidet hoc notato.

R. ad quæsitum. Ad hoc, ut possessor titulo injustæ acceptionis in foro conscientiæ & ante sententiam Judicis obligetur ad restitutionem, necessum est, ut commisserit culpam theologicam, nec sufficit commisisse meram culpam politicam seu jurisdicam. Ita *communissimè* Theologi Mastrius, Spor. Reiffenst. Haunoldus, Illsung. *tract.* 4. *disputat.* 3. *num.* 4. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 172.

Ratio est: quia radix hujus restitutionis fundatur in injuria formali: at, qui non committit culpam theologicam, non est formaliter injuriosus, neque huic damnum moraliter imputari valet: & certè hanc

hanc ob causam à fatuis non postulatur reparatio damni, si quod intulere, quia scilicet illud fecerunt sine culpa theologica, ait La Croix *l. cit.* Denique repugnat in foro conscientiæ quempiam obligari nisi commiserit injuriam: atqui, ubi nulla fuit admissa culpa theologica, ibi pariter in foro conscientiæ nulla datur injuria: ergo neque obligatio restituendi ante sententiam Judicis.

64 Dixi: *ante sententiam Judicis*: etenim ubi Judex aliquem condemnavit ad reparationem damni, cum sola culpa politica in foro externo admissa illati, tenebitur talis etiam in foro conscientiæ se se accomodare, & damnum illatum reparare; veluti communiter tradunt DD. Sporer cit. Illsung *l. cit. n. 8.* Mezger *disp. 32. a. 6. §. 1. num. 5.* Babenstuber *art. 3. n. 9.* Reiffenstuel. *tr. 9. dist. 5. num.* 90. Ratio est: quia ad acuendam Civium diligentiam Judex justè procedit ad puniendas hujuscemodi culpas etiam juridicas, utì habetur tum *ex cap. ult. de injuriis, & damdat.* tum etiam *ex l. 44. ff. ad legem Aquiliam*: atqui justæ sententiæ Judicis quivis etiam in foro conscientiæ tenetur parere, nisi hæc initatur falsæ præsumptioni alicujus facti particularis; secus enim sententia foret inefficax ac frustranea facilèque eluderetur Judicis auctoritas, nec unquam obtineretur finis legis, qui est, *reddere cives magis cautos* circa evitanda ejusmodi damna: ergo &c. Loquimur autem hic præcisè de restitutione fundata in radice injustæ possessionis; nam de ea, quæ in contractu fundatur, paulò post plura dicemus.

At quid de eo (inquies) qui cum culpa theologica quidem, at veniali duntaxat ab altero quidpiam accepit, aut graviter illum damnificavit, tenebiturnè ad compensationem totius damni?

65 Ante responsionem rursus advertendum est, culpam venialem in damnificatione, vel ablatione rei alienæ duplici ex capite committi posse; primo quidem ob parvitatem materiæ, ut si quis alteri obulum duntaxat injustè auferat: quo casu certum est, non oriri obligationem restituendi, aut reparandi tale damnum, nisi sub culpa veniali, juxta illud Augustini suprà *n.* 9. relatum: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Secundò fieri potest, ut quis venialiter solùm peccet, non ob parvitatem materiæ, quippe quæ de se satis est gravis, & notabilis, sed ob indeliberationem, & inadvertentiam, ut si quis ex motu secundò primo alterius gemmam projiciat in ignem aut fluvium &c. Porro inadvertentia rursus dupliciter contingere potest, scilicet 1. ut quis nec damnum materiale, nec formale advertit, veluti in exemplo mox dato fieri posset, ubi quis gemmam projiceret in aquam, eò quòd putet non esse, nisi merum vitrum, ideòque neque advertit gravitatem materiæ, neque gravitatem malitiæ in tali projectione, comprehensæ Secundò fieri potest, ut quis advertat quidem gravitatem materialem, non item formalem ut si quis animadvertat quidem, materiam alteri ablatam esse gravem, at invincibiliter putat, se propterea non graviter peccare, quia verb. grat. existimat, Dominum, utpote validè divitem, idcirco non damnificari graviter, nec esse graviter invitum; vel etiam ideò, quia materiam illam revera gravem successivè tantùm, & per furta minuta abstulit, ita, ut licèt totam materiam scienter, & volens abstulerit: ideòque sine ignorantia materiali, tamen cum ignorantia formali gravis peccati, ita, ut nunquam apprehenderit (nequidem in ultimo furto) se graviter peccare. Iam de hoc casu potissimùm controvertitur inter Doctores, utrùm hujusmodi fur peccato mortali teneatur ad restitutionem, & refusionem gravis damni, tametsi de re ablata nihil ampliùs possideat; nam si adhuc aliquid possideret, procul dubio ex titulo rei possessæ illud teneretur restituere, & si auferendo mortaliter peccasset, etiam in ultimo furto solùm, teneretur ad restitutionem titulo injustæ acceptionis. His notatis.

66 R. ad quæsitum. Qui alteri rem gravem abstulit scienter, seu cum advertentia materiali damni, esto non cum formali, utì fieri assolet in furtis minutis, tenetur sub gravi culpa damnum resarcire, etsi nihil ampliùs possideat de ablato, nec unquam graviter peccarit auferendo. 2. Qui verò rem alienam auferendo, aut destruendo, venialiter tantùm peccavit, eò quòd nec for-

formalem, nec materialem gravitatem damni adverterit, non tenetur sub gravi culpa illud compensare. Ita re ipsa tenent Haunoldus *tr.* 2. *n.* 194. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 10. & 16 Babenstuber *ubi supra tr.* 7. *disp.* 4. *a.* 3. *n.* 12. & 15. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 185. & 244. ubi pro eadem opinione cit. Lug. *disp.* 8. *à n.* 68. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *c.* 2. §. 5. *n.* 6. Card. *in Crisi* 2. *dissert.* 23. *n.* 19. Ratio autem hujus responsionis, & disparitatis inter utrumque membrum hæc est: quia qui sine omni advertentia tam materiali, quàm formali gravis damni aliquid ab alio abstulit, ad hujus restitutionem tenetur præcisè ob injuriam illatam, ita, ut hæc sit unica causa restitutionis, cùm supponatur nihil ampliùs possidere de ablatis: ergo si injuria non fuit, nisi venialis, etiam obligatio restituendi, & resarciendi damnum, nequit esse major, quàm fuerit injuria, & quia effectus nequit excedere causam suam; hinc clarè sequitur, talem obligari non posse ad plus, quàm ad id, quod correspondet culpæ veniali, veluti dicitur *n.* 89. Econtra, ubi damnum fuit illatum cum advertentia saltem materiali seu materiæ gravis, ibi mensura restituendi desumenda non est præcisè ex gravitate damni realis, neque ex sola gravitate aut levitate injuriæ, sed *ex quantitate damni scienter, & voluntariè illati*; quandoquidem recta ratio, & lumen naturæ nobis congenitum dictat, *damnificantem teneri ad refundendum tantundem alteri, quantum scienter, & voluntariè nocuit*: atqui damnum supponitur re ipsa grave, simulque voluntariè & scienter illatum, quia damnificans totam illam materiam scienter, etsi successivè auferendo, realem gravitatem materialem damni totius sufficienter agnovit. Nec cuipiam absurdum videri debet, quòd ex pluribus culpis, & obligationibus levibus tandem possit consurgere obligatio gravis, quando plures illæ materiæ in morali hominum æstimatione tandem coalescunt in unum aliquid, puta, grave damnum proximo illatum; nam si quis singulis anni diebus accipiat unum solidum mutuum, in fine anni illæ singulæ acceptiones, quamvis de se leves, coalescent ratione materiarum, & causabunt obligationem gravem reddendi totam summam illorum solidorum, tametsi ex his non fuerit factus ditior ille, qui accepit mutuò: at verò, eadem est ratio in nostro casu: sicut enim mutuum accipiens tenetur ideò, quia scivit se rem alienam accipere cum onere naturali tantundem restituendi, etsi ad gravitatem formalem nunquam attendisset; ita profectò in nostro casu fur tenebitur damnum refundere, quia re vera in singulis furtis minutis advertit, se contrectare, aut consumere alienum, utique cum obligatione, & dictamine naturæ, tantundem resarciendi, etsi peccati gravitatem non advertit unquam. Videatur Illung *loc. cit. num.* 16. & *seqq.*

Quæres Tertiò, quænam ergo sit mensura restitutionis, incumbentis possessori malæ fidei ex titulo injustæ acceptionis?

67 R. Juxta dicta superiùs *n.* 4. Est *quantitas damni illati*. Itaque talis injustus acceptor tenetur restituere 1. ipsam rem in individuo exstantem, vel, si non ampliùs existat, ipsius valorem 2. omnes ejus fructus, tam naturales, quàm mixtos 3. item omne lucrum cessans, & damnum emergens vero Domino ex iniqua ablatione, aut injusta detentione. Ita sanè *communissimè* DD. S. Thomas 2. 2. *qu.* 16. *a.* 6. *Scotus* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 4. Molina, Lessius &c. Et habetur expressè in jure. *L. bonæ fidei ff. de acquir. rer. dom. L. fructus ff. de rei vindicat.* Item *Leg. Domum Codic. de rei vindic.* Ratio autem hæc est: quia qui voluntariè violat justitiam commutativam, tenetur restituere ad æqualitatem, secus enim justitia nunquam obtineret finem suum: at, nisi omnia mox enumerata restituat possessor injustus, nunquam fiet, æqualitas, nec Dominus unquam recipiet tantum, quantum haberet, nisi re sua, fuisset iniquè privatus: ergo necessum est, ut talis possessor nedum rei ipsam, sed & fructus &c. restituat. Vide Sporer *tr.* 4. *c.* 2. *num.* 431.

Sed quid de illis fructibus, quos possessor iniquus quidem percepit, Dominus autem nunquam percepturus fuisset, quippe, qui talem fundum nunquam coluisset?

68 R. Etiam hos tenetur restituere. Ratio est: quia omnis res suo domino fructificat:

cat: ergo etiam fructus talis fundi domino suo crescunt, à quocunque demum plantentur, aut percipiantur, ergo etiam huic debent restitui, esto aliàs illos nunquam percepisset. Lessius *de just. l. 2. c. 12. dubit. 17. n m. 118.* Sanchez *l. 2. in decal. c. 23. n. 126.* & alii *communissimè*. Secus tomen dicendum foret, si nec possessor iniquus aliquos fructus percepit, neque Dominus ipse aliquos percepisset; tum quia is nullum inde damnum patitur; tum etiam quia fundus fopponitur non fructificasse: consequenter pro fructibus nihil debetur, sed solus fundus

Dices: at nunquid etiam iniquo possessori licebit subtrahere expensas factas, sicut, & melioramenta tum necessaria, tum utilia etiam?

69 R. affirmativè. Ratio eadem reddi debet, quæ superiùs *n* 35. de possessore bonæ fidei data fuit: quia aliàs dominus plus reciperet, quàm ipsi debetur. Accedit, quòd etiam iniquus possessor rem meliorando, negotium Domini utiliter gesserit: ergo æquitas naturalis dictat; etiam huic congruam compensationem esse debitam. Ex quo Navarrus, Sanchez, Lugo *to. 2. de justit. disp. 17. Sect. 3. n. 66* & alii rectè inferunt, quòd, si talis res aliena una cum melioramentis nondum detractis pervenit ad Dominum suum, hic in conscientia teneatur satisfacere possessori iniquo. Et licèt jura huic negent actionem petendi expensas pro melioramentis factas; quia tamen hæc lex est pœnalis, pœna autem juxta communissimam Doctorum non obligat ante Sententiam Judicis, sequitur, quòd Dominus ante Judicis Sententiam obligetur naturali obligatione ad refundendas hujuscemodi expensas: etsi hoc ipsum Sanch. *l. 2. moral. c. 23. a. 143. & 144.* aliique multi haud improbabiliter negent.

Quæres adhuc quartò, an etiam pro melioramentis voluptuariis, id est, non necessitatis vel utilitatis, sed quasi meræ voluptatis gratia factis, verb. grat. fontanis, arboribus non fructiferis &c. possessor malæ fidei aliquid possit prætendere, aut subtrahere?

70 R. cum P. Sporer *c. 2. n. 85.* & *communi* aliorum, etiam à possessore malæ fidei (à fortiori id ipsum concedendum est possessori bonæ fidei) hujusmodi melioramenta subtrahi posse, si salva re aliena possint de facili ab ea separari, uti sunt v. g. specula, statuæ, picturæ, horologia pretiosa &c. &c. At verò, si ea sint taliter constituta, ut sine damno ab aliena re separari non ampliùs possint, uti fieri amat cum arboribus, aliisve plantis, solo adhærentibus, fixis, & jamjam radicatis in illo; item, cum imaginibus depictis in parietibus immediatè &c. possessor malæ fidei nihil potest prætendere, sed debet sibi imputare, quòd cogatur amittere eas expensas, quas circa rem alienam scienter, & quidem citra consensum vel utilitatem legitimi Domini fecit, uti pluribus probant Sanchez, Lugo, Molina *disp. 712.* & alii. Possessori tamen bonæ fidei conceditur facultas libera, non tantùm auferendi ejusmodi melioramenta, ubi ea separari possint de facili; sed etiam cogendi Dominum ad solvendum pro iis, quantum ipse expendit, aut certè ad sibi vendendam totam rem justo pretio, deductis melioramentis. Ita Tambur. *in decal. lib. 8. tr. 8. c. 3. n. 14. fin.* Sporer *cap. 2. nu. 85.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione restituendi ex delicto formali injustæ acceptionis.

CASUS PRIMUS.

Titius quidam Officialis fatetur, se Domino suo, cui erat à servitiis, jam à 20. annis subtraxisse annuatim ad minus 100. florenos, idque sequentes ob causas 1. quòd pro obtinendo suo servitio debuerit facere multas expensas, vel veriùs loquendo schmirbalia aut honoraria uti vocant, quæ tunc velut pauperculus, & egens, debuit ab aliis creditò mutuare, & interim annuum interesse solvere 2. quòd cum ordinario salario à Domino suo sibi annuatim constituto nequeat Uxorem, liberos, & familiam suam honestè, & juxta rationem status alere. tertiò eò quòd sibi persuaserit, Dominum suum faciliùs posse carere 100. florenis annuatim subtrahendis, quippe quorum defectum nunquam animadverteret

& hoc

& hoc ipso ægre non ferret. Jam ad hanc facti speciem dubitare licet 1. an Titius noster tuta conscientia potuerit subtrahere, schmirbalia seu honoraria illa hinc inde facta? 2. an juste potuerit aliquid prætendere ex eo, quòd cum salario annuo sibi constituto nequiverit sustentare familiam suam?

71 R. ad primum negativè. Ratio responsionis patet; quia nullus prorsus titulus suffragatur Titio, vi cujus Domino, suo licitè aliquid subtrahere, aut prætendere posset ab eo, præsertim cùm expensas illas non fecerit intuitu Domini sui, neque in illius, sed in proprium commodum, pro acquirendo scilicet servitio; atqui sine justo titulo non licet surripere alienum: ergo iniquè egit subtrahendo aliquid intuitu dictarum expensarum.

72 R. ad Secundum pariter negativè. Ratio est: quia Dominus neutiquam tenetur alere totam familiam suorum famulorum, neque iisdem dare salarium juxta quantitatem familiæ aut liberorum, sed juxta proportionem servitiorum, ac meritorum: esto proin Titius nequiverit, alere suam familiam ex suo ordinario, salario, minimè tamen licuit subtrahere Domino.

Neque ex eo capite excusandus est, quòd existimaverit, Dominum faciliùs carere posse 100. aut pluribus, &c quippe quorum subtractionem nunquam sentiret; nam, si talis prætextus justam præberet, causam surripiendi alienum, planè cuilibet pauperum liceret subtrahere ditioribus, aut certè ditissimis, modò hi non adverterent hujusmodi subtractionem. Et quæ tunc, amabo! quæ foret facies Reipublicæ? Liquet proin clarè, Titium nostrum per se loquendo esse obligandum ad restitutionem omnium, quæ hactenus annuatim iniquè subtraxit suo Domino: esto per accidens fortè ob impotentiam physicam aut moralem excusetur, nihil habeat, quod reddat.

At (inquiet forsitan Titius) labores, quos subire cogor, revera sunt quasi immensi, & tales, quos nunquam prævideram, nec credideram, eos fore tantos. Salarium è contra est respectivè exiguum ita, ut nullibi locorum tam tenuiter salariari officiales mihi similes: expensæ pariter ad conservandum statum meum multæ sunt, & nimis copiosæ: quidni ergo tantum subtrahere liceat, quantum opus habeo ad honestè alendam familiam! præsertim, cum, & jus naturæ dictet, & me obliget ad providendum uxori ac liberis, aliunde verò non inveniam, quo succurram inopiæ nostræ?

73 R. Esto labores tui videantur quasi immensi, nec antea prævisi, è contra salarium tuum respectivè exiguum, minimè tamen licebit deinceps aliquid sub hoc prætextu subtrahere. Ita profectò clarè colligere licet ex propositione sequenti *nu.* 37. ab Innocentio XI. damnata: *famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario.* Ratio autem damnandi hanc opinionem, & doctrinam, seu etiam praxin, est multiplex 1. quia acceptando (immò etiam propria sponte cum multis expensis, honorariis atque schmirbalibus, uti paulò ante fatebaris quærendo hoc tuum servitium, te obligasti ad serviendum pro hoc, & non pro majori salario: ergo injustè agis, aliquid ultra subtrahendo 2. quia procul dubio alii plures hos tuos labores libenter subirent pro eodem salario: ergo tibi non debetur majus 3. quia Dominus tuus satisfacit justitiæ compensando labores tuos pretio mediocri, immò etiam pretio infimo, eò præsertim, quod servitia ultra oblata ab Officialibus, quodammodo vilescant: atqui salarium tuum æquat ad minùs pretium infimum, certè non constat illud esse inferius pretio infimo, neque de hoc facilè præsumi debet, sed potiùs de opposito. ergo injuriam manifestam infers subtrahendo aliquid tuo Principali, præsertim cùm is fuerit in certa possessione bonorum suorum. Vide de hoc Dicastillo *lib.* 2. *tract.* 2. *disp.* 9. *dub.* 7. La Croix *l.* 3. *p.* 1. *num.* 974.

Nec refert, quòd alibi locorum officiales tibi similes tam tenuiter salariari non soleant; nam quemadmodum merces non ubique æquali, sed in uno majori, in alio verò loco minori quidem, justo tamen, pretio veneunt; ita & labores seu famulitia pro lucrorum diversitate, majori aut minori famulorum abundantia, diver-

diversimodè compensari assueverunt, ita, ut in uno veneant summo, in altero medio, & in tertio loco infimo pretio justè compensentur, veluti sapienter advertit P. Viva ad *proposit. nu. 73. ab Innocentio XI. damnatam, n. 6.* ergo ex hoc capite nihil licebit subtrahere.

75 Esto etiam jus naturæ dictet, te obligari ad providendum tuæ familiæ; at, minimè dictat, esse huic providendum mediis illicitis, aut ob hanc causam alteri, quod suum est, auferendum. Unde potiùs dictat, te teneri ad omni modo possibili compensanda damna Domino tuo illata. Dictat insuper, te teneri ad parcendum sumptibus non necessariis, aut, minus necessariis. Neque verò opus est, ut aliis tibi similibus officialibus in omnibus (præsertim quoad vestium pompam, famulorum, famularumve copiam) te parem portes; præsertim si alii id faciant, ex propriis bonis, & mediis patrimonialibus, vel alio subsidio &c. &c.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius jam ante triennium à Titio voluit emere equum 60. florenis; verùm quia pro hoc pretio obtinere non potuit tandem eundem clam abstulit, moxque cuidam Judæo vendidit pro 80. florenis. Haud multo post conscientiæ stimulis agitatus, voluit rescindere contractum animo restituendi equum suo Domino, verùm Judæus responderat, equum jamjam periisse. Unde dubitat Sempronius, an, vel quantum de facto restituere teneatur Titio?

76 R. Sempronius velut possessor malæ fidei, & fur iniquus; teneretur per se loquendo restituere primùm ipsum equum, si is adhuc existeret, & secundò omne damnum amergens Titio, aut lucrum cessans ex carentia sui equi, detractis duntaxat expensis, quas Titius ipse in alimentando suo equo necessariò facere debuisset. Ita *omnes*. Et ratio hujus responsionis desumi debet ex dictis mox suprà, *num. 67.* Verùm, cùm equus supponatur jamjam periisse; hinc dicendum, quòd Sempronius loco equi (nisi is simili casu aut infirmitate apud dominum suum certò periisset) teneatur restituere valorem equi, quo Domino valuisset, ita, ut non satisfaciat præcisè restituendo 60. quos, jam semel dare voluit, aut 80. quos ipse à Judæo obtinuit, sed tenetur tantum, quantum juxta prudentum existimationem Dominus accepisset, ut si is eum vendidisset pro summo pretio v. g. 100. teneatur Sempronius restituere totidem, si verò Titius equum reservasset in hodiernum diem, quo jam decrepitus non valeret nisi 50. satisfaciet restituendo 50. unà cum refusione totius damni emergentis, & lucri cessantis, &c. &c. Ratio clara est: quia secundùm dicta *loc. cit* mensura restitutionis possessori iniquo incumbentis est quantitas totius damni illati: atqui, si Titius pro suo equo obtinuisset 100. Sempronius autem redderet duntaxat 60. aut 80. non compensaretur totum damnum Titio illatum: ergo &c. Videantur de hoc Tamburinus *l. 8. decal. tr. 3. cap. 2. §. 7. à num. 6.* Sporer *ubi suprà cap. 2. numer. 147. seqq.* Layman *l. 3. tract. 2. c. 4. numer. 4.* Lessius *cit. dubit. 16. n. 105.*

77 Dixi tamen per parenthesin 1. *nisi equus apud Dominum simili casu aut infirmitate periisset &c.* Etenim si talis equus (idem dicendum de aliis) jam habuisset morbum, aut defectum aliquem naturalem, ut proin etiam apud Dominum manens certò periisset infimitate, vel etiam eodem casu quo apud possessorem periit verb. grat. justo hostium incursu, aut si incendio, vel aquarum illuvie &c. consumptus fuisset, liberabitur Sempronius ab onere restitutionis; idque propterea, quia ex tali suppositione Titio nihil intulit damni in effectu: at, qui revera effectivè non damnificat alterum, ad nullam tenetur compensationem; ergo &c. Secus dicendum foret, si equus apud Dominum manens periisset quidem, sed injuria alterius v. g. injusti invasoris, aut raptoris; nam quemadmodum talis invasor contraheret obligationem restituendi, ita & tu eundem præveniendo, iniqua tua ablatione eandem obligationem in te transtulisti, uti rectè notarunt Molina, Lessius, Dicastillo *lib. 2. de justit. tract. 2. disput. 2. dub. 4. numer. 75.* Sporer *tr. 4. c. 2. n. 162.* Lugo *disp. 18. sect. 6. n. 142.*

78 Dixi Secundò: nisi *certò* periisset; etenim

etenim si solùm dubitetur, an non forsitan apud Dominum similiter periisset? adhuc tenebitur Semprenius noster ad restituendum valorem equi, hac ratione: quia in dubio debet esse melior conditio Domini, ceu possessoris rei suæ, qua privari neutiquam debet, nisi certò constet de amissione, seu interitu. Ita cum *communi* DD. Sylvester, Reginaldus, Lessius *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 15. *num.* 92. Dicastill. *l. cit.* Tambur. *l.* 8. *tr.* 3. *cap.* 2. *§.* 8. *numer. quintò* Sporer *cit. numer.* 163. qui tamen cum Lugone *numer.* 187. probabile existimat, in tali casu possessorem iniquum solùm teneri ad restituendum pro rata dubii.

At verò, inquies, hoc ipsum difficile immò impossibile videtur, divinare scilicet, an res illa apud Dominum periisset vel non? item, quantum damnum, aut lucrum cessans è carentia suæ rei Domino emerserit? quis enim hoc divinabit?

79 Resp. Fateor equidem, hoc oppidò difficile esse, & satis incertum. Verùm, quemadmodum in aliis rebus ab hominum arbitrio, & existimatione dependentibus, dum veritatem ipsam attingere non valemus, jubemur sequi, amplecti, seu etiam indagare id, quod prudentum judicio verosimilius apparet; ita sanè, in hoc puncto nostro id, quod verosimilius apparet, sequendum est, & amplectendum.

Et nunquid si tu scires, Titium tibi aliquid debere, ignorares autem quantum, omnem moveres lapidem ad deprehendendam omnimodam veritatem, qua non apprehensa prætenderes tantum quantum tibi debitum verosimilius existimares? Vade igitur, & idipsum observa erga proximum tuum, & bene tutus eris in tua conscientia; nam in hac materia de restitutione tutissima via incedimus, sequendo, & observando illa duo, lumine naturæ nota principia: *quod tibi vis fieri, alteri feceris; & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Inquirendum proinde est in tali casu diligenter 1. quanti revera pretii, & valoris equus tunc temporis fuerit? 2. an Dominus non fuerit passus damnum emergens ex eo, quòd forsitan propri expensis debuerit sibi procurare alium equum? vel lucrum cessans ex eo, quòd suo equo fuisset usus ad hunc aut illum laborem, vel vecturam lucrativam &c. item 3. an vel quo tempore, aut quo pretio eundem equum vendidisset? quartò quantum aliis suis equis assueverit lucrari? item quintò quantas soleat facere expensas in alimentum, & pabulum aliorum equorum?

Et vel maximè sextò, an radix morbi, quo equus periit, fuerit inveterata, an verò obierit duntaxat ex aliquo alio accidente, v. g. ob incuriam possessoris, vel nimios labores? Hæc, & similia oportet, immò necessum est accuratè conferri, & omnibus maturè perpensis cum aliquo viro rem intelligente, discreto ac prudenti deliberare, aut concludere ad quantam restitutionem tenearis. Tutissimum quoque foret per tertium quendam rem cum Domino conferre, & convenire, quantum is rationabiliter prætendat intuitu talis furti, modò id sine periculo manifestationis, vel alterius damni gravioris fieri valeat.

Dices adhuc: at quid, si ego heri abstulissem vinum aut frumentum; illudque mox consumpsissem mala fide, hodie verò incursu hostili, vel alio casu fortuito omne reliquum vinum aut frumentum consumptum sit, quocum pariter aliud heri à me ablatum certò fuisset consumptum, teneborne aliquid compensare Domino?

80 Resp. Cum distinctione. Vel enim heri jam erat prævisum periculum interitus aut direptionis hodiernæ, vel non? si non: certè teneberis restituere totum pretium vini, aut frumenti. Ratio est: quia illud mala fide iniquè consumendo, illicò contraxisti obligationem compensandi damnum, reddendi æquivalens toti illi valori, quem heri habuit frumentum à te consumptum; quæ obligatio tolli nequit, nisi actu restituas. At verò, si heri quidem aliquale periculum, non autem totum vel tantum fuit prævisum, quantum hodie probavit eventus teneberis quidem adhuc aliquid restituere, non tamen integrum pretium; quia quantò majus pe-

riculum interitus prævidetur, tantò minoris æstimari solent merces, uti patet, tempore imminentis naufragii.

Quinimmò, si heri illud periculum jam certò, & infallibiliter fuisset prævisum, te ab omni onere restitutionis liberat Tamburinus *loc. cit. num.* 10. tum quia res certò peritura nihili æstimatur; tum etiam, quia Dominus in talem consumptionem tacitè consentire præsumitur: quis enim (inquit Doctor proximè citatus) non vellet panem v. g. à te potiùs, quàm ab igne devorante consumi? Lugo *tom.* 1. *de just. disp.* 18. *sect.* 4. *num.* 77. Molina *tom.* 3. *disput.* 726. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 15. *n.* 95.

Dices. Si vinum aut frumentum heri ablatum conservassem illudque hodie communi incendio periisset, profectò nullus me condemnaret ad restitutionem: ergo nec teneor, tametsi illud heri nullo etiam periculo præviso consumpserim, quia revera nullum damnum intuli Domino.

81 R. Negando paritatem; nam si tu frumentum aut vinum illud conservasses, heri effectivè nullum damnum intulisses: & sicut frumentum adhuc mansisset sub dominio illius, cujus ante erat, ita pariter periculum interitûs: omnis quippe res, quæ casu perit, Domino suo perit; consequenter si hodie periisset communi incendio, tu ab onere restitutionis liber evasisses. At verò, si tu heri mala fide, frumentum illud, aut vinum jam consumpsisti, statim in ipso momento consumptionis effectivè damnificasti Dominum, & obligationem restituendi contraxisti, uti jam dictum fuit: & quemadmodum vinum illud vel frumentum heri consumptum hodie non ampliùs exstitit in rerum natura, ita hodie non amplius potuit perire Domino suo. Vide Laymann. *lib. tertio tractat. secundo capit. quart.* Sporer *cap.* 2. *num.* 166.

CASUS TERTIUS.

Caja famula jussa ab Hero suo, ut quædam victualia v. g. Thee, Caffee, Saccrum &c. assignato certo pretio emeret à Mercatore B. hoc prætermisso victualia illa emit ab alio Mercatore C. à quo illa obtinuit minori pretio: & tale commercium jam ab uno, & altero anno exercuisse fatetur, ita tamen, ut illud, quod de pretio superat, non ampliùs suo. Hero, sed sibi, velut lucrum singularis industriæ suæ, atribuerit, ac reservaverit. Unde jam quærit 1. *an Mercatori B. teneatur aliquid restituere?* 2. *an verò lucrum illud tuta conscientia sibi reservare valeat, vel etiam Hero suo reddere teneatur?*

82 R. ad primum. Caja nihil teneatur restituere Mercatori B. Ratio est: quia huic nihil ademit, quod jam suum erat. Et licèt videatur quodammodo illum defraudasse lucro justo, quod inde percipere potuisset; quia tamen ad tale lucrum nullum habuit jus actuale, nec in re, neque ad rem; hinc Caja respectu mercatoris B. non egit contra justitiam commutativam; consequenter nec tenetur ad aliquam recompensationem huic Mercatori faciendam, uti facilè colligetur ex dictis suprà *n.* 5.

Dices forsitan: tale lucrum de voluntate Domini jam erat destinatum pro Mercatore B. ergo hic jam habuit jus saltem ad rem in præfatum lucrum; quod cum famula iniquè læserit, haudquaquam ab onere restitutionis eximenda erit.

83 R. Etiam dato hoc, quòd lucrum illud fuerit quodammodo destinatum, pro Mercatore (de quo dubitari posset) profectò illud nondum erat destinatum absolutè, velut aliquid de jure debitum, sed potiùs sub conditione, si Mercator pro pecunia illa suas merces extradiderit; quod cùm defacto nondum contigerit, dicendum, quòd Mercator B. nullum adhuc jus habuerit in illam peccuniam; quemadmodum nec Dominus peccuniæ habuit jus in merces Mercatoris, nisi illas actu emeret, esto Mercator jam priùs fuerit paratus ad eas vendendas. Secus tamen resolvendum existimarem, casu quo talis Dominus jam antecedenter convenisset cum Mercatore B. universaliter, paciscendo quòd ab eo duntaxat hæc aut illa victualia velit emere, ita, ut Mercator vicissim esset obligatus eas pro certo pretio vendere, & procurare prout sæpe fieri amat à magnis Dominis: hoc enim supposito Mercator vi pacti obtinuisset

muisset jus ad lucrum, quo à famulis aut famulabus, aliisve officialibus privari non posset sine injuria, & onere restituendi, sin minùs totum lucrum, saltem pro spe lucri.

84 R. jam ad secundum. Caja nequit tuta conscientia sibi reservare id, quod de pretio à suo Domino dato supererat. Ratio hujus est: quia pecunia, quamdiu non expenditur pro mercibus, manet sui Domini: neque verum est, quod is voluerit abnegare dominium illarum, quamprimùm eas tradidit Cajæ famulæ suæ, sed voluit duntaxat tradere id, & tantum quantum pro comparandis victualibus existimavit necessarium. Profectò experientia quotidiana probat, hanc esse voluntatem Dominorum, ita, ut inter centum vix unus reperiatur, qui velit hujusmodi excessum remanere famulis aut famulabus suis: atqui certum est, esse illicitum, reservare excessum illum pecuniarum contra voluntatem Domini: ergo hunc tenetur restituere.

Dices. Si Caja à Mercatore B. victualia illa emisset, debuisset totam illam pecuniam expendere, nec Dominus quidquam ampliùs inde recepisset; uti supponit Casus: ergo ex eo, quòd singulari sua industria eas ab alio Mercatore emendo, aliquid reservaverit, neutiquam condemnanda est ad hujus restitutionem.

85 R. Negando Consequent. quia, ut jam dictum, Dominus non censetur renunciasse, aut voluisse renunciare dominio pecuniæ, quæ remaneret in manibus famulæ suæ, quippe aliunde obligatæ ad fideliter gerendum Domini sui negotium. Quemadmodum ergo tali pecunia incendio vel alio casu fortuito consumpta, Dominus amittit illius dominium, non item si industria famuli aut famulæ incendio fuisset erepta: tunc enim debet restitui Domino; ita prorsus in nostro casu fieri necessum est. Pro praxi tamen in hoc casu Confessarius gnaviter advertat 1. an Famula talem pecuniam sibi reservaverit ex quadam speciali, & extraordinaria industria Domino indebita? (quod rarò quidem contingere natum est) 2. an merces à Mercatore C. comparatæ fuerint ejusdem bonitatis cum illis, quas emisset, à Mercatore B.? 3. an Dominus Cajæ sit valdè dives, generosus, & liberalis; ita, ut non soleat de similibus minutiis multum curare? si sic: faciliùs poterit dissimulare onus restitutionis ob rationabiliter præsumptum Domini consensum; idque præsertim tunc, si Caja nihil ampliùs habeat, & totum jam consumpsit: è contra si Dominus sit austerus, ac rerum suarum tenax, nec adeò dives, & præsertim si merces ab alio Mercatore C. comparatæ non fuissent ejusdem bonitatis cum mercibus Mercatoris B, nec industria vel labor Cajæ extraordinarius in iis comparandis, certò præfatam pecuniam tuta conscientia neutiquam sibi poterit reservare, quandoquidem hæc revera sit aliena, & his stantibus Dominus credi debeat rationabiliter invitus. Multò minùs permittendum erit Cajæ, ut idipsum protinus practicet; sed vel tenebitur accedere Mercatorem B. vel certè oportuna occasione quæsita Hero suo intimare, quòd eadem victualia ab alio valeant comparari pretio minori. Vide de hoc, si placet P. Kresslinger *in addit. Theol. Mor. P. Reiffenst. tr. 8. dist. 4. post. nu. 102. addit. quarta.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

Colliges ex hactenus dictis primò, non teneri ad restitutionem illum, qui grave damnum intulit ex ignorantia merùm concomitante, uputa occidendo inimicum suum quem putavit esse feram &c. etsi ita fuerit animo affectus, ut si scivisset esse inimicum, adhuc explodendo & jaculando illum trajecisset. Ratio hæc est: quia talis occisio non fuit voluntaria; supponimus enim, quod v. g. in sylva jaculando, putaverit se petere feram, non verò suum inimicum. Nec obstat voluntas illa interna, vi cujus adhuc voluisset explodere in illum; quia hæc hic & nunc non influxit in occisionem, & hoc ipso eam in esse ho-

homicidii non reddidit voluntariam, neque formaliter injustam. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 190. Babenstuber, Lessius, Dicastillo, & alii.

87 Colliges secundò, neque illum teneri ad restitutionem, qui alium damnificavit, dando quidem operam rei illicitæ, simul tamen pro possibili cavendo, ne injustè damnificaret, ut si alterius domum nocturno tempore fuit ingressus animo furandi v. g. pecuniam aut vestem, diligenter cavit, ne incendium oriretur, idque nihilominus ob inculpabilem curam ortum fuit, quo casu quidem tenebitur ad restitutionem eorum, quæ furto abstulit, quippe quæ voluntariè supponitur abstulisse, non tamen ad resarcienda damna ex incendio secuta. Ratio est: quia tale incendium pariter non fuit voluntarium: ergo in foro conscientiæ moraliter imputari nequit. Nihilominus in foro externo ob admissam culpam politicam justè condemnari valet ad pœnam, & resarcitionem totius damni, qua sententia lata tenebitur etiam in foro conscientiæ sese accomodare, juxta dicta superiùs *n.* 64. Sporer, Lessius Babenstuber *disp.* 4. *a.* 3. *n.* 8. & 9. Dicastillo *l.* 2. *tr.* 2. *disp.* 3. *dubit.* 2. *n.* 68. Petschacher *de restit. pag.* 163. & *seqq.*

88 Colliges tertiò, Eum, qui subita ira percitus, per actionem tantùm venialiter malam grave damnum intulit, v. g. alterum mutilando, defraudando, segetes comburendo &c. Item Custodes ædium aut vinearum, qui per negligentiam venialem duntaxat fores relinquunt apertos, cujus occasione alii intrantes, grave damnum inferunt, non teneri ad refusionem totius damni. Ratio est: quia reparatio gravis damni, ceu effectus pœnalis gravis, nequit oriri, nisi ex culpa gravi: ergo ubi hæc non fuit commissa, ibi pœnitens in foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis non est condemnandus. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 10. Saa, & alii.

89 Nihilominus cùm omnis injuria formalis damnosa nata sit ex sua natura, inducere obligationem resarciendi illam, & satisfaciendi læso; hinc probabilius existimo cum Bonacin. Haunoldo, Illsung, & aliis, quòs citat, & sequitur La Croix *cit. l.* 3. *pag.* 2. *n.* 191. talem teneri ad resarciendam partem gravis damni, proportionatam culpæ veniali; etsi quantitas hæc universaliter determinari nequeat, sed determinanda sit judicio viri prudentis, perpensis maturè omnibus circumstantiis, tum illius, qui damnum intulit, tum alterius etiam, qui fuit injustè damnificatus. Judico proin cum P. Illsung. *mox cit. nu.* 10. talem satisfacturum justitiæ, si restituat tantum, quantum infra quantitatem ad peccatum mortale sufficientem, judicio viri prudentis, commissæ culpæ veniali correspondet, seu, quantum tali Domino subtrahere aut scienter damno dare non posset absque peccato veniali. Immò verò opposita sententia, quam tenent Lessius, Tamburinus, aliique graves Doctores, quòd scilicet is, qui auferendo, aut graviter damnificando proximum cum solo peccato veniali ex mera indeliberatione aut inadvertentia commisso, ad nullam prorsus restitutionem teneatur, verè probabilis videtur, & hodiedum à pluribus probatis, classicisque Doctoribus ut talis propugnatur, hac potissimum ratione: quia ex voto semiplene tantùm voluntario nulla prorsus oritur obligatio præstandi materiam gravem voto promissam neque partem ejus: ergo (inquiunt) neque ex culpa veniali duntaxat oritur obligatio resarciendi damnum grave, aut partem illius. Videatur de hoc Babenstuber *cit. a.* 3. *n.* 14.

90 Colliges quartò, Illum, qui quidem scienter intulit damnum grave, invincibiliter tamen ignoravit, illud esse tam grave (ut si putavit, annulum, qui revera valuit 50. tantùm valere 5. proptereàque in flumen, aut ignem projecit) non teneri ad refundendum totum damnum, sed solùm ad tantum, quantum scienter damnificavit, utputa in hoc casu nostro ad quinque florenos. Ita Pontius, Dicastillo, Haunoldus *tr.* 2. *numer.* 219. Diana *part.* 11. *tr.* 2. *Resolut.* 34. La Croix *cit. numer.* 194. contra Lugonem, Illsung, & alios nonnullos. Ratio est: quia ad illud, quod invincibiliter ignoravit, resarciendum, neque ex lege positiva, neque ex lege naturali tenetur, nam eo ipso, quòd talem excessum damni inculpabiliter non agnoverit, dici nequit

cau-

causa moralis illius, neque is potest ei moraliter imputari: ergo neque obligari ad restitutionem; saltem ante sententiam Judicis.

91 Colliges tandem quintò, quòd, licet illa sententia Lessii, Tamburini, & aliorum, asserentium, non esse obligationem reparandi damnum ex culpa duntaxat veniali, sit verè probabilis, ut proin pœnitens, volens eam amplecti in praxi, absolutionis beneficio privari nec possit, neque debeat, nihilominus Confessario incumbere, ut dum audit, pœnitentem grave damnum intulisse culpabiliter, non nimis faciliter judicet aut inferat, damnificationem contigisse duntaxat ex culpa veniali, ideòque ad nullam restitutionem obligari suum clientem. Ratio est: quia quando damnum est grave, culpa ex qua proficiscitur, ordinariè est gravis seu mortalis; raro enim, dum quis aggreditur opus periculosum, operatur ex inconsideratione, seu deliberatione imperfecta tantùm; præsertim cùm opera externa suum periculum operanti facilè insinuent, animùmque excitare soleant ad advertentiam ac deliberationem, saltem interpretativè talem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter: ideoque tam facilè ab onere restituendi absolvendus non est, sed omnia circumspectè, & cum grano salis tractari debent, ne dum uni nimiùm condescendat, alter injustè gravetur. Videatur Lessius *l. 2. c. 7. dubit. 6. n. 29.* Babenstuber *cit. n. 20.*

CONFERENTIA

QUARTA.

De Restitutione debita ex delicto formali injustæ damnificationis.

SUMMARIUM.

92 *Injusta damnificatio quid sit?*
93 *Hæc potest fieri dupliciter 1. vel directè vel indirectè; item 2. vel positivè, vel negativè.*
94 *Mensura restitutionis injustè damnificanti incumbens est*: quantitas damni illati.
95 *Necessum tamen est, ut intervenerit culpa theologica gravis.*
96 *Potest quis impediri à bono assequendo ad quod vel jus habuit, vel nullum: & hoc à Confessario est specialiter observandum:*
97 *Nam qui alterum impedit ab assecutione boni jam debiti ex justitia commutativa, tenetur ad restitutionem; non item, si nullum habuit jus; nisi fraus aut vis intervenerit impediendo &c.*
98 *Qui aliquid damnificando facit, quod prævidet alteri imputandum, probabiliter non tenetur huic compensare damnum.*
99 *Resolvitur Casus I. de quodam Caupone, qui, ut plures sibi attraheret hospites, cerevisiam, carnes &c. minori pretio, quàm alii, vendidit.*
100 *Qui, si contra prohibitionem Principis vel Magistratus id fecit, peccavit, & tenetur ad restitutionem &c.*
101 *Solvitur quædam instantia contra hoc facta.*
102 *Et quid, si præparet cerevisiam cæteris meliorem, æquali tamen pretio cum aliis eandem vendat hospitibus?*
103 *Resolvitur Casus II. de quodam Advocato, qui pecuniam pauperibus studiosis legatam injustè distribuit;*
104 *Quique ob defectum sufficientis studii perdidit causam sui Clientis.*
105 *Et quid, si Cliens revera habuisset causam injustam.*
106 *Resolvitur Casus III. cujusdam Filiifamilias, qui Parentem suum subdolè impedivit, ne certæ cuidam congregationi legaret mille florenos.*
107 *An, vel quid propterea teneatur resarcire huic congregationi?*
108 *Si ex odio erga hanc Parenti suo persuasisset, ut tantundem legaret alteri, aut sibi relinqueret, probabiliter nihil teneretur compensare dictæ congregationi.*
109 *Confessarii est, præprimis attendere quantitatem culpæ ab injusto damnificatore commissæ.*
110 *Qui Episcopum jam resolutum ac determi-*

terminatum ad conferendum alicui verè digno beneficium, falsis criminationibus, aut mendaciis inducit, ut sibi, vel alteri conferat, graviter delinquit, & tenetur ad restitutionem.

111 *Secus dicendum foret, si homo ille revera non fuisset dignus beneficio.*

112 *Similiter obligationem restituendi contrahunt, qui mendaciis, aut dolo impediunt Opifices, & Operarios à lucro, quod obtinuissent.*

113 *E contra non peccat, nec tenetur ad restitutionem, qui Episcopum vel alium solis precibus aut suasione eò perducit, ut sibi conferat beneficium, quod jam jam intenderat conferre alteri.*

114 *Idem tenendum est de Religioso, simili modo persuadente Moribundo, ut suo potius Monasterio, quàm alteri aliquid leget.*

115 *Est tamen Religiosis quoad hoc circumspectè agendum, & semper ante oculos habenda constitutio* Clement. 2. de privileg.

116 *An restituendi obligationem incurrant, qui fraude impediunt, ne delinquentes deveniant ad manus justitiæ, & mulctam solvere cogantur.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus circa obligationem restituendi ex delicto formali injustè damnificationis.

QUæres primò, quomodo injusta damnificatio differat ab injusta acceptione?

92 R. Differunt in eo, quòd injustè damnificans ex suo delicto nihil emolumenti aut commodi vel lucri accipiat, uti patet si quis alterius domum incendat &c. econtra injustè accipiens ex suo delicto aliquid accipit commodi vel emolumenti, veluti liquet v. g. ex furto rei alienæ &c.

Quæres secundò, quotupliciter injusta damnificatio fieri soleat?

93 R. Duplici modo fieri potest ac solet, scilicet vel 1. directè vel indirectè; vel 2. positivè, aut negativè. Directè fit, dum quis per se intendit damnificare proximum: indirectè autem, dum quis ponit causam, vel positam non amovet, agendo scilicet, vel omittendo aliquid, ex quo prævidet subsecuturum damnum proximi, tametsi illud damnum directè minimè intendat. Porro positivè damnificare dicitur, qui rem alienam destruit aut deteriorem reddit: negativè autem, damnificare existimatur, qui alterum impedit à consecutione alicujus boni, ad quod assequendum iste vel jus, vel saltem spem habuit; de quo mox infrà *n.* 97. Rursus utraque hæc damnificatio fieri potest non tantùm per se, seu per propriam personam, sed etiam per alienum v. g. servum aut filium &c. nam hoc loco procedit illa *Regula* 72. *Juris in sexto; qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

Quæres tertiò, quantum teneatur restituere, qui alium injustè damnificavit?

94 R. Qui cum culpa theologica gravi alterum damnificavit (sive per se ipsum immediatè, sive per suos) tenetur restituere *quantitatem damni illati*; ideòque 1. rem ipsam deterioratam, aut ejus valorem, item 2. omnes fructus illius; nec non 3. omne damnum emergens, & lucrum domino cessans. Ita cum communissima & certa sententia Sporer *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 385. Ratio autem hujus est eadem, quæ data fuit suprà *n.* 67. de possessore iniquo; est enim par utriusque ratio, & æqualis mensura restituendi, scilicet *quantitas damni illati*: at, nisi injustè damnificans restitueret omnia mox enumerata, nunquam sanè perveniret ad quantitatem damni illati, nec justitia unquam suum obtineret finem, ut dictum fuit *l. cit.* ergo &c.

95 Dixi tamen: *qui cum culpa theologica gravi &c.*, etenim is, qui vel nullam culpam theologicam, vel certè non gravem commisit (etsi in foro externo adhuc justè condemnari valeat ad compensationem damni, & facta condemnatione etiam in foro conscientiæ se se accomodare teneatur, secundùm dicta *num.* 46.) ante sententiam Judicis tamen in conscientia non tenetur ad compensationem rei. gravis;

vis; quia hujus obligationis nullus ostendi potest titulus, neque afferri ratio efficax, veluti probatum fuit suprà *n.* 63. Videri etiam de hoc possunt Lessius *l.* 2. *c.* 7. *dubit.* 6. *item c.* 9. *dub.* 19. Molina *disp.* 698. Layman *l.* 3. *tr. p.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Sporer *n.* 191.

Quæres quartò, quantum teneatur restituere is, qui alium impedit à consecutione alicujus boni?

96 Ante responsionem breviter notandum, posse aliquem impediri ab aliquo bono, respectu cujus equidem nullum habuit jus, tamen habuit probabilem spem illud obtinendi, saltem ex liberali collatione alterius; vel etiam impediri potest ab assecutione boni, ad quod jam habuit actuale jus, sive dein perfectum & *in re*, etsi nondum possessa, ut si quis impediatur à consequendo beneficio vel officio sibi jamjam collato & confirmato, aut à consequenda donatione mortis causa facta, vel à capessenda hæreditate jam adita post mortem testatoris, aut à solutione debitorum &c. sive etiam jus imperfectum seu *ad rem*; ut si quis impediatur à beneficio, ad quod jam fuit legitimè præsentatus, etsi nondum confirmatus, vel à consequendo legato, aut alia re promissa & acceptata, ex quocunque demum contractu; idque fieri potest sine, aut cum dolo, fraude, vel vi &c. &c. de quo vide Sporer *cit. tr.* 4. *n.* 197. vel *tr.* 6. *Sect.* 1. *c.* 1. *n.* 3. & 4. h. n.

97 R. 1. Qui impedit aliquem à consecutione alicujus boni, ad quod is jam habuit jus in re, vel ad rem; esto hoc faciat sine vi vel fraude; item 2. qui aliquem impedit à consecutione alicujus boni vi, dolo, aut fraude, esto nullum jus ad illud bonum habuerit, tenetur ad compensationem damni juxta æstimationem illius boni, vel spei habitæ ad illud assequendum: secus, si sine vi vel fraude impedivit. Ita communiter DD. Molina *disp.* 727. Layman *cit. c.* 7. *n.* 1. Lugo *disp.* 18. *Sect.* 5. *n.* 8. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 69. & Ratio prioris est: quia violans jus alterius cum damno, tenetur ad compensationem: atqui impediens ab assecutione alicujus boni, ad quod alter jam habuit jus actuale, violat jus illius, & quidem cum damno: ergo tenetur ad compensationem hujus. Ratio autem posterioris est: quia esto ille alter nondum habuerit actuale jus ad beneficium, vel aliud bonum, mera gratuita voluntate sibi conferendum, habuit tamen verum jus illud ab alio petendi, & ne in hoc ab alio, quocunque demum, vi vel fraude impediatur: ergo qui hoc modo illum impedit, verè agit contra justitiam; consequenter obligatur resarcire hoc damnum, non quidem refundendo totum illud bonum speratum, sed potiùs pro rata spei ad illud consequendum, quippe qua sola alterum privavit ponendo impedimentum.

Quæres quintò, an etiam ille teneatur ad refusionem damni, qui aliquid facit, quod prævidet, alteri imputatum iri, si ille alter propterea damnum patiatur; ut si quis incendat domum, aut segetes Titii, & tale incendium imputetur Cajo, isque propterea compellatur resarcire damnum?

98 R. Quòd non teneatur. Ita tenent Molina, Sanchez, Lessius, & Lugo. *disp.* 8. *n.* 85. qui probabiliter putant, etiam tunc non teneri, quando fecit ideò, quia prævidit, tale delictum alteri imputatum iri, secus nunquam illud facturus: idipsum tenet La Croix *cit. l.* 3 *p.* 2. *n.* 155. Ratio est: quia talis non est causa, cur alter, cui ob ignorantiam imputatur delictum, damnificetur, sed est merùm occasio illius damni, quod ex justitia impedire non tenebatur, sed tantùm ex charitate; ergo respectu hujus, cui damnum imputatur, non peccavit contra justitiam, sed solùm contra charitatem: atqui ex læsione solius charitatis non oritur obligatio restituendi; utì dictum fuit suprà *C.* 1. *n.* 5. ergo huic nihil tenetur ex justitia compensare (etsi charitas hoc suadeat) bene tamen illi, quem voluntariè damnificavit injustè. Vide etiam Tambur. *l.* 6. *decal. c.* 4. *n.* 3.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de obligatione restituendi ex titulo injustę damnificationis.

CASUS PRIMUS.

Titius Caupo cerevisiam, carnes, & alia id genus victualia hospitibus suis vendere consuevit minori pretio, quàm alii Caupones, idque eo fine ac intentione, ut hac via plures sibi attraheret hospites. Cùm verò ipsusmet advertat, hoc cedere in aliorum Cauponum præjudicium, quippe quorum commercium notabiliter propterea diminuitur; hinc dubitat & quærit, an protinus tuta conscientia idem valeat practicare?

99 R. Per se loquendo hæc praxis non videtur illicita, nisi aliunde supponatur prohibita. Ratio est: quia sine injuria aliorum Cauponum Titius posset suam cerevisiam, carnes, & alia id genus victualia hospitibus suis omnino gratis donare: quidni ergo eadem minori pretio, quàm alii vendere? deinde, cuivis licitum est, suum utile & lucrum mediis licitis quærere: at, minori pretio merces vendere, de se non est medium illicitum, sed potiùs licitum: ergo &c. Accedit, quòd ne charitas quidem obliget Titium, ut bono aliorum Concauponum consulat cum suo notabili detrimento, quale esset illa carentia lucri ex concursu hospitum adipiscendi. Deniq; alii Caupones nequeunt de jure prætendere, ut hospites se potiùs, quàm Titium frequentent, cuilibet enim hospitum liberum est accedere quemlibet: ergo Titius hoc modo (quantum est de se) nec delinquit contra justitiam, neque contra charitatem. Quam ob rem Lugo *disp. 37. numer. 111.* meritò excusat à mortali Advocatos, Medicos, Mercatores, aliosque similes, qui sine vi, fraude, & mendacio, etsi cum aliorum præjudicio, curant ad se trahere illos, qui alios frequentabant; quia scilicet charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno suo, vel suorum incommodo. Videatur de hoc Sanchez *l. 1. consil. mor. c. 3. dub. 3. numer. 5.* La Croix *l. cit. num. 81.*

100 Dixi tamen: *nisi hæc praxis sit aliunde prohibita &c.* subinde enim, & quidem frequenter, Princeps, aut Magistratus prohibet suis subditis, ne hoc, vel illud genus mercium majori, vel etiam minori pretio vendere præsumant, quàm publica auctoritate taxatum fuit; idque omnino justè, scilicet ad conservandam pacem & æquitatem in Republica, nec non ad arcendam nonnullorum avaritiam vel astutiam &c. qua lege supposita, utpote justissima, Titius noster potuisset graviter peccare, nedum contra obedientiam Principi, seu etiam Magistratui debitam, verùm etiam contra justitiam, seque incurrere obligationem compensandi damna aliis illata, præsertim si à Judice ad hoc fuisset condemnatus.

101 Nec refert, quòd, ut mox suprà meminimus, hujusmodi victualia, quippe quorum verum habet dominium, hospitibus suis potuisset omnino gratis donare; esto enim id posset per se loquendo, & seclusa omni prohibitione legitima, hac tamen stante neutiquam potest: quia Princeps & Magistratus vi dominii alti exigente id bono publico, justè ac validè prohibere possunt, ne subditi hoc aut illo modo sua bona dilapident, distrahant, vendant vel disponant. Hac de causa Testator, esto ceteroquin supponatur Dominus suorum bonorum, invalidè tamen de illis disponit saltem ad causas profanas; nisi certas quasdam solemnitates de jure requisitas observet, veluti communissimè tenent DD. & constat clarissimis *text. juris. instit. quibus modis testam. infir. §. ex eo 7.* item *L. 12. C. de testam.* nec non *L. Hæc consultissima 21. C. eod. tit.*

At quid (inquies) si talis Caupo suam cerevisiam æquali pretio quidem cum aliis juxta communem taxam vendat, eam tamen praxet meliorem, quàm alii, utputa quia praxando plus hordei aut tritici tosti, vel etiam lupulorum impendit, ut hoc modo sibi attrahat plures hospites?

102 R. Cum eadem distinctione mox data.

data. Vel enim à Magistratu aut Principe intuitu boni publici fuit taxata certa mensura hordei, aut tritici, tosti, seu etiam lupularum adhibenda, vel non? si non, minimè peccabit Titius, ob rationes datas *num.* 99. Si verò supponatur taxata talis mensura (sicuti nonnullis in locis fieri assuevit) peccabit Titius contra justitiam adhibendo majorem quantitatem. Ratio est: quia hoc modo fraudulenter ac subdolè, contra expressam legis prohibitionem, alios saltem indirectè damnificare velle convincitur; ad quod nullum omnino habet jus. Unde etiam tenebitur ad restitutionem, saltem post sententiam Judicis; esto ante Sententiam fortè excusari possit ab hoc onere, eò quòd hujusmodi leges potius pœnales quam directivæ videantur: quod tamen ex praxi ac communi persuasione prudentum colligendum ac decidendum existimo. Ex qua prudens Confessarius facilè concludet, quidnam cum simili pœnitente habeat agere.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius *pium quoddam legatum*, pro quatuor pauperibus studiosis alendis distribuendum, & applicandum juxta ipsorum merita, *non distribuit æqualiter ad præfatam intentionem, sed ex privato affectu cuidam suo consanguineo, etsi non adeò bene merito, nec litterato, impendit notabilem partem. Insuper* 2. *nuper munus advocatiæ in se suscepit, sed causam Clientis sui perdidit, partim quòd causam ipsius non satis penetraverit, partim etiam quòd eidem penetrandæ non satis studuerit. Quæritur jam, utrùm Sempronius sit obligandus à Confessario ad aliquam restitutionem?*

103 R. Ad primum. Si fundator pecuniam illam reliquit pro alendis studiosis pauperibus quasi in genere, nullum determinando in individuo, sed relinquendo hanc determinationem aliis v. g. Sempronio, potuit is inter alios etiam suum consanguineum determinare, modò hic verè pauper fuerit. Certè tamen peccavit ex eo, quòd huic suo consanguineo, utpote minùs litterato, ex privato affectu duntaxat, plus cœteris impenderit. Idcirco talem excessum tenetur compensare aliis diligentioribus utpote magis meritis. Ratio est: quia digniores ex voluntate Domini testatoris acquisiverunt jus strictum ad talem portionem, & illa proportionalis distributio erat illorum juri debita: ergo Sempronius aliter distribuendo legatum, hisce pauperibus studiosis fecit injuriam damnosam. Quin immò, si consanguineus ille Sempronii non fuit verè pauper, tenebitur Sempronius noster, recompensare, & alteri verè pauperi studioso applicare, quidquid demum ex pio legato huic excessivè impendit. Ratio clara est: quia voluntas pii testatoris supponitur fuisse, ut pauperibus duntaxat studiosis pium illud legatum applicaretur: atqui *voluntas ultima defuncti pro lege est servanda C. ultima voluntas* 4. 13. *quæst.* 2. & *nihil magis curandum, quàm, ut ea impleatur leg.* 4. *Cod. de necessar. servis, hæred. instit.* ergo Sempronio etiamnum incumbit, excessum illum alteri studioso verè pauperi impendere. Videatur la Croix *lib. tertio part. secunda numer.* 71.

104 R. jam ad Secundum. Sempronium pariter condemnandum esse ex eo, quòd causa ceciderit defectu sufficientis studii.

Ratio est, quia regulariter loquendo quivis Advocatus ære conducitur (nam secus dicendum, si ex mera charitate patrocinium suscepisset) cum pacto saltem implicito, ut suo Clienti fideliter patrocinetur: ergo si hoc non faciat ex negligentia graviter culpabili (uti supponitur non esse factum) in nostro casu tenebitur ad recompensanda damna Clienti emersa ex hujuscemodi negligentia. Hac ratione Bonacina *tom. secundo in præcep.* 8. *decalog. dub.* 10. *quæst.* 3. Lessius *libr. secundo cap.* 31. *dub.* 8. Laym. *lib. primo cap.* 5. rectè docent, Advocatos, si causarum expeditiones cum præjudicio clientum differant, postponant, vel plures acceptent, quàm expedire possint, peccare, ac teneri ad restitutionem omnium damnorum, quæ per illorum imperitiam, malitiam, aut negligentiam Cliens vel actor incurrit.

Dices

Dices At: quid, si Cliens habuisset revera causam injustam, tenereturne Sempronius Advocatus nihilominus ad aliquam recompensationem damnorum?

105 R. Juxta communem Doctorum Sententiam Advocato ære conducto (de quo Casus hic procedit) incumbere, ut, priusquam patrocinium alicujus causæ in se suscipit, diligenter examinet illius æquitatem & probabilitatem, eamque Clienti suo sinceré indicet. Qua communi doctrina supposita attendendum erit à Confessario, & indagandum, utrùm pœnitens Advocatus injustitiam causæ inculpabiliter ignoraverit, vel non? si culpabiliter, tenebitur ad recompensanda damna suo Clienti, sicut & actori emergentia, quippe quorum exstitit causa culpabilis. Si autem dicat, se injustitiam causæ inculpabiliter ignorasse, eò quod non fuerit satis, vel omnino sinistrè informatus à Cliente, ad nihil tenebitur: quia hoc supposito neminem culpabiliter damnificavit: ergo ad nullam restitutionem condemnari debet. Videantur de hac materia Lessius *loc. proximè cit.* Busenbaum *l. 4. c. 3.* vel Bonacin. *de peccat. disp. 2. q. 4. n. 9.*

CASUS TERTIUS.

Cajus Vir magnarum opum jam pridem hinc inde dixerat, se intendere cuidam certæ congregationi mille florenos legare; quòd, ubi Filius Caji inaudiit, Parentem suum, etsi bene adverterit, eum morti jamjam proximum, spe vitæ ulteriùs prorogandæ continuò lactavit. Quin etiam Patre postulante, ut Notarius publicus cum aliis testibus sibi advocaretur excepturi ultimam suam voluntatem, Filius subdolè respondit, Notarium de facto obtineri non posse, neque testes postulatos; quare contigit tandem, ut Cajus sine ullo testamento conaito moreretur, & filius ab intestato, velut hæres necessarius, successit in omnia bona. Jam verò is dubitat, an dictæ congregationi teneatur aliquid dari? Quid censendum?

106 R. Hunc Filium teneri ad resarciendum damnum dictæ Congregationi illatum. Ratio desumi debet ex dictis *num.* 97. patet enim ex specie facti, quòd per veram fraudulentiam impediverit Parentem à legato: quid enim aliud sapit perniciosum illud mendacium, quo asseruit, haberi non posse notarium? quid aliud, quàm fraudem sapit lactatio illa Parentis de vita ulteriùs protrahenda? profecto per hujusmodi verba aliud significavit, scilicet vitam ulteriùs prorogandam; & aliud intendit, scilicet impedire, ne de paterna hæreditate cogeretur aliis quidquam expendere; quod est fraudulenter agere, uti rectè advertunt la Croix *cit. n.* 78. Lugo *disp.* 18. *n.* 103. Lessius *l. 1. c. 2. n. 26. & 27.* At, qui alium vi vel fraude impedit à consecutione alicujus beneficii, tenetur ad resarciendum damnum, secundùm dicta *l. c.* ergo &c. Et certè hic homo nedum injuriosus exstitit dictæ congrægationi, verùm etiam piissimo suo Parenti, quippe cujus sanctam intentionem non minùs perniciosè, quàm subdolè impedivit, contra ipsius voluntatem. Quia tamen res adhuc in spe, præsertim ut dependens à mutabili, & diversis modis impedibili, vel frustrabili voluntate, notabiliter minùs valet, quàm verè & realiter obtenta; hinc unanimiter Doctores concludunt, hujusmodi fraudulentum impeditorem non esse condemnandum ad restituendam integram summam speratam utputa in nostro casu ad mille florenos, sed tantum pro rata spei. Ita Molina *tom. 3. tr. 2. disp.* 727. *n.* 7. Lugo, Lessius & alii plures, quos citat & sequitur Sporer *tr. 4. c. 2. n.* 201. & 210. quem vide, si placet.

Dices: quantum igitur in hoc casu noster Filius Caji tenebitur compensare dictæ Congregationi?

107 R. Rem difficilem postulasti. Vellem libentiùs audire resolutionem alterius, quàm dare propriam in re tam ambigua. Certè in nullo (etsi plures hac in re consuluerim) reperi, quantum in individuo teneatur talis resarcire: profecto nec dari potest quædam regula universalis, cùm hæc res vel maximè dependeat ex circumstantiis, utputa à majori vel minori spe, à gravitate vel exiguitate ipsius boni sperati, item maximopere attendendum est, an illud bonum jam

fuerit

fuerit debitum de jure, vel verò ex mera alterius liberalitate &c. Quia tamen juxta proximè dicta plurimùm distant spes etiam proxima & res ipsa, ita, ut vix dubitandum, quin bonum quodcunque demum, præsertim ab hominum vertibili arbitrio tantùm dependens (uti fuit hoc pium legatum) reipsa obtentum duplo pluris æstimetur, quàm mera & nuda spes illud obtinendi; hinc (salvo tamen meliori judicio) existimo Filium Caji in hoc casu probabiliter satisfacturum suæ obligationi, si dictæ congregationi reddat medietatem hujus legati, scilicet 500. florenos: quia dicta congregatio nullum adhuc jus habuit ad ipsum legatum, sed tantùm jus habuit, ne fraudulenter impediretur ab illa spe obtinendi: hoc autem jus non videtur tanti valoris, ut excedat quingentos florenos. Consultissimè tamen ac tutissimè ageret Filius Caii si rem hanc pacificè transigeret cum præfata congregatione, aut certè tantum eidem refunderet, quantum unus & alter Vir doctus, discretus, atque pius restituendum existimaverit.

Dices adhuc: at quid, si filius ex odio aut aversione erga hanc congregationem persuasisset suo Parenti, ne quidpiam legaret huic, sed potiùs alteri, vel etiam totum sibi soli relinqueret?

108 R. Juxta probabilem, & verè tutam sententiam (etsi pro opposita scholarum Principes D. Thomas & Scotus communiter referantur) in hoc casu & supposito nihil teneretur restituere. Ita Sporer *cit. nu.* 213. ubi pro eadem opinione citat Sotum, Navarr. Molin. Sanchez, Less. Laym. & Tamburinum *l. 8. tr. 3. c. 4. §. 2. nn. 4.* Ratio est: quia persuasio illa, utpote sine vi vel fraude facta, non est contra justitiam: & licèt supponatur facta ex odio, rancore, vindicta, vel avaritia &c. hæc tamen repugnant soli charitati, consequenter non læditur justitia: at ubi justitia & quidem commutativa non læditur, ibi nec datur obligatio restituendi: ergo ex hac suppositione non teneretur ad satisfactionem.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

109 Ex hactenus dictis colliges primò, circa pœnitentes sese accusantes de injusta damnificatione, à Confessario maximoperè attendendum esse, utrùm damnificando graviter peccaverint, vel non? si enim non peccarunt graviter, sive ob materiæ parvitatem, sive etiam ob meram indeliberationem seu inadvertentiam &c. immunes erunt à gravi onere restitutionis; partim quòd supponatur nihil possidere de alieno; partim etiam, quia cùm culpa merè venialis intervenerit, hæc non potuit parere obligationem gravem restituendi materiam notabilem, juxta communissimam Doctorum, suprà *nu.* 95. relatam & traditam.

110 Colliges secundò, Eum, qui v. g. Episcopum vel Principem jamjam resolutum ac determinatū ad conferendum v. g. Petro beneficium, dolo aut mendaciis &c. persuadet, ut non huic, esto revera dignus esset, sed potiùs sibi, vel etiam alteri conferat, teneri ad restitutionem, non quidem ipsius beneficii, sed juxta proportionem spei, quam ille alter habuit ad obtinendum illud beneficium. Ratio patet ex dictis suprà *num.* 97. & *num.* 106. Quia scilicet fraudelenter agendo læsit jus alterius cum damno. Id ipsum dicendum, si simili vi, fraude &c. impediisset alterius verè digni Procuratorem aut Tabellarium &c. ne pro suo Principali potuisset agere, sicque ipsum ab officio vel beneficio exclusisset. Vide Lugo *citat. disp.* 18.

111 Dictum tamen fuit: *esto revera dignus esset &c.* Etenim qui impedit alium indignum, non peccat contra justitiam, cùm indigni non habeant jus ad obtinenda beneficia ecclesiastica, consequenter nec tenebitur ad restitutionem, qui tales impedit. Quinimmò oportet aliquando, ut hujusccemodi crimina, etsi occulta, quæ hominem reddunt indignum beneficio, collatori (soli tamen, quantum fieri potest) detegantur; tum quia propterea so-

ent capi informationes de idoneitate præficiendorum; tum etiam quia bonum commune præferendum est bono hominis privati, ubi is est ineptus ad officia publica, juxta *communissimam DD.* opinionem.

112 Colliges tertiò, contra justitiam peccare, & restitutionis oneri obnoxios fieri sequentes. 1. qui mendaciis, fraude, vel criminationibus, præsertim falsis, impediunt Opifices, Operarios, vel famulos ab opere aut servitio suo, quo erant lucraturi; item 2. qui Mercatores injusto modo impediunt ab emptionibus aut venditionibus justis. 3. item eos, qui simili fraude Magistris abstrahunt discipulos, eosque ad se, vel alios attrahunt; nec non 4. Judices aliosque potentes, qui injustè detinent Opifices aut Operarios, ne sua opera vel arte interim aliquid valeant lucrari. Denique etiam 5. illos, qui injustè impediunt veros mendicos, quò minus mendicando sibi necessaria aquirere possint; etsi enim hi non habeant jus ad eleemosynas utpote ex sola charitate vel misericordia debitas, habent tamen jus eas petendi, & accipiendi, si dentur, item habent jus strictum, ne ab aliis injustè, utputa fraudulenter vel dolosè impediantur. Videatur Sporer *tract.* 4. *c.* 2. *num.* 204.

113 Colliges è contrario quartò, non peccare, nec oneri restitutionis ullo modo fieri obnoxium, qui Episcopum jam determinatum ad beneficium ecclesiasticum alicui conferendum, sola suasione, aut precibus, seu etiam recommendationibus eò perducit, ut illud sibi, vel alteri, etiam minùs digno conferat, uti cum *communi* docent Navarrus, Lugo *disp.* 8. *sect.* 5. *n.* 93. Laym. *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 2. Ratio est: quia talis utitur jure suo, quod habet ad alterum persuadendum, rogandum, aut solicitandum in sui, aut alterius utilitatem; nec ideò alteri impedito infert injuriam, quandoquidem is ad beneficium sibi destinatum nullum adhuc jus aquisierit: & sicut collator ipse sine injuria poterat liberè mutare suam voluntatem; ita potuit ab alio sine injuria induci, ut hanc suam voluntatem mutaret, modò id fine vi, fraude, vel falsis criminationibus factum sit. Vide Sanchez *lib.* 2. *consil. moral. c.* 49. *nu.* 14.

114 Colliges similiter quintò, non peccare Sacerdotem, qui moribundum jamjam resolutum ad condendum testamentum, & instituendum hæredem v. gr. Titium, sine vi vel fraude &c. eò adducit, ut sibi potiùs aliquid leget, vel se, aut suum consanguineum hæredem instituat; idque præsertim asserendum, si hoc faciat ex bono ac discreto zelo, & prudenti consilio. Ratio facilè eruitur ex hactenus dictis, & jam sæpiùs inculcatis: quia nimirum nulla oritur obligatio restitutionis, ubi justitia non fuit læsa: & prudens consilium non est pœna restitutionis mulctandum, ait sapienter Sporer *cit. num.* 211.

115 Neque obstat, quòd *Clement.* 1. *de Privileg.* sub excommunicationis, & æternæ damnationis comminatione interdicatur Religiosis, ne, dum contingit eos interesse testamentis condendis, retrahant Testatores à legatis faciendis Matricibus Ecclesiis; quia, uti sapienter advertunt Lugo, Tambur. *l.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4. §. 2. *n.* 4. Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 1. *dubit.* 49. *num.* 28. aliique satis communiter, hæc constitutio facta fuit duntaxat pro illo casu particulari, ad pacem inter Clericos & Religiosos conservandam: nec potest habere locum pœna tam gravis, ubi nulla fuit commissa culpa saltem imprudentiæ. Quin immò, tametsi Religiosus imprudenter sese ingerens graviter peccaret, si tamen sine omni vi vel fraude immutarit voluntatem testatoris, ad nullam obligabitur restitutionem, saltem ante Judicis sententiam; quia in canone allegato hæc pœna non continetur. Cautissimè tamen in hoc puncto procedendum est Religiosis, nec facilè sese debent ingerere, ne se suamvè Religionem prostituant, sinistræ affectionis, vel cupiditatis inordinatæ notam incurrant, sæculares scandalizent, & Reverendissimorum Ordinariorum offensas incurrant; quæ omnia ex indiscreto hujuscemodi zelo oriri sunt nata, & jam sæpiùs enata.

116 Colliges denique sextò, probabiliter non teneri ad restitutionem illos, qui fraude vel dolo impediunt, ne reus de-

nun-

nuncietur aut à Judice mulctetur. Ratio est: quia fiscus ante actualem condemnationem non habet jus ad mulctam: & licèt fiscus fortè habeat jus, ne per fraudem proximè & directè impediatur à tali mulcta consequenda, supposita demum citatione; hac tamen non supposita non habet jus. Accedit, quod intentio impedientis non feratur directè & proximè in damnum fisci, sed potiùs in defensionem amici, seu etiam in occultationem delicti, ex quo per accidens videtur sequi fisco illud damnum. Et hanc sententiam velut verè probabilem tenent Sanchez, Lugo, Lessius *lib. 2. cap. 12. n. 136.*

Aliter tamen existimo dicendum de Judice, vel aliis Officialibus ex justitia obligatis, ut hujusmodi crimina debitè puniant mulcta de jure taxata: quia contrarium facientes impingunt contra justitiam: & quamvis ipse delinquens non teneatur ad solvendum hujuscemodi mulctam, nisi ex virtute justitiæ vindicativæ, Judex tamen, utpote ære conductus ex justitia commutativa tenetur punire crimina, & mulctam lege præscriptam tradere fisco: ergo si hoc non faciat, probabiliùs tenetur compensare damnum fisco illatum, etsi oppositum probabile teneant Lessius *cit. l. 2. cap. 13. num. 73.* Lugo *disp. 37. num. 112.* Illsung. *tr. 1. disp. 2. num. 77.* Vasquez, Diana, & alii plures apud La Croix *l. 3. p. 2. n. 83.*

CONFERENTIA QUINTA.

De Restitutione debita ex cooperatione ad injustam damnificationem.

SUMMARIUM.

117 *Causæ cooperantes ad injustam damnificationem recensentur novem, scilicet*: jussio, consilium &c. &c.

118 119 & 120 *Explicatur Causa* mandans, consulens, & consentiens, &c.

121 122 & 123 *Declaratur, quid sit* Palpo, recursum præbens, & participans.

124 125 & 126 *Breviter declarantur tres residuæ causæ negativè tantùm cooperantes, scilicet* mutus, non obstans, & non manifestans, *Ex quibus*

127 *Singuli tenentur restituere juxta proportionem sui influxus in damnum illatum.*

128 *Quo ordine singuli damnificantes teneantur restituere.*

129 *Enumerantur diversa debita, utputa onerosa, gratuita, hypothecata, simplicia &c.*

130 *Declaratur succinctè, quo ordine solvenda sint singula.*

131 *Recensentur debita privilegiata.*

132 *Resolvitur. Casus I. de quibusdam latrunculis, deprædantibus, & malè tractantibus misellum Rusticum.*

133 *Qui, etsi non nihil differmiter concurrerint ad hanc deprædationem, singuli tamen per se loquendo obligantur, ad restituendum in solidum.*

134 *Idque etiam in casu, quo alter vel non posset vel saltem nollet restituere.*

135 *Resolvitur Casus II. cujusdam studiosi, qui de consilio alterius pecuniam Oenopolæ debitam, in vacantiis dilapidavit.*

136 *Quem proin Confessarius desuper consultus admonere debuit suæ obligationis.*

137 *An in hujus defectum Consiliarius ille sit obligatus satisfacere œnopolæ.*

138 *Resolvitur Casus III. cujusdam Cauponis solitarii, qui aliquot fures hospitio excipere consuevit,*

139 *Utrùm eosdem à Ministris justitiæ, seu lictoribus conquisitos licitè absconderit.*

140 *Et quid, si prævidisset, fore, ut hac vice evadentes de novo furentur.*

141 *Caupones receptantes Filios-familias* bo-

bona Parentum suorum dilapidantes, an, vel quando teneantur ad restitutionem.

142 *Mandans, qui efficaciter revocavit suum mandatum, non tenetur ampliùs ad restitutionem, bene tamen si non efficaciter revocavit.*

143 *Id ipsum de consulente probabiliter tenent multi DD. etsi quoad hunc multi teneant oppositum.*

144 *An, vel quando volenti committere majus malum, liceat suadere minus.*

145 *Qui rationabiliter dubitat, an suo consensu vel suffragio efficaciter nocuerit, probabiliter tenetur resarcire damnum pro rata dubii.*

146 *Opposita tamen sententia etiam videtur probabilis.*

147 *Testis in judicio etiam legitimè interrogatus, etsi non manifestando veritatem peccet, minimè tamen obligatur damnum inde secutum innocenti resarcire.*

148 *Quæ sit differentia damni inter causam partialem & totalem damni in ordine ad restitutionem.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad resolvendos casus practicos circa obligationem restituendi, debitam ex copperatione ad injustam damnificationem.

QUæres primò, Quæ, & quot sint causæ cooperantes ad injustam damnificationem?

117 R. Communiter enumerantur novem, sequenti hexametron satis accommodè comprehensæ:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, non Obstans, non Manifestans.

Qui omnes tenentur ad restitutionem; ut patebit ampliùs ex dicendis. Et ratio clara est: quia ut ex hactenus dictis jam liquet, fieri potest, ut quis vel immediatè per se ipsum, vel mediante alio, seu in concursu alterius lædat justitiam commutativam cum damno, prout revera faciunt omnes ac singuli mox enumerati: atqui non solùm ille, qui immediatè per se ipsum, sed & qui per alium lædit justitiam commutativam, tenetur ad compensationem damni: ergo &c. Verùm pro majori claritate

Quæres secundò, quid intelligatur per ly *jussio*, *consilium*, & *consensus*?

118 R. ad primum, nomine jussionis intelligitur mandatum efficax, vel potiùs ille, qui efficaciter mandat, ut alteri inferatur damnum injustum; utputa si Pater filio, Dominus servo vel alteri sibi subdito mandet seriò, ut alium v. g. occidat, mutilet aut quomodolibet damnificet. Quo casu tamen, ut mandans ad restitutionem condemnari valeat, necessum omnino est, ut damnum illud alteri fuerit illatum effectivè, & quidem vi mandati; nam si mandatum fuisset efficaciter revocatum, & mandatarius propria duntaxat malitia damnum inferat, jam non mandans, sed mandatarius ipse tenebitur ad restitutionem. Unde quoad hoc vel maximè attendendum est, utrùm mandans efficaciter, & quantum influxerit in damnum alterius; tantundem enim compensare tenebitur.

119 R. ad secundum. Nomine consilii, vel potius consulentis intelligitur is, qui maligno suo consilio efficaciter influit in alterius damnum injustum (quò etiam spectant preces, adhortationes, promissiones &c. quibus alius efficaciter permovetur ad damnificandum) Dixi rursus *efficaciter influit*; nam si alter consilium malignum respuendo nullum damnum inferat; vel siquidem damnificavit, at non vi consilii, sed propria duntaxat malitia, vel alterius jussu, suasu &c. consiliarius ab onere restitutionis evadit liber, tametsi malè consulendo graviter fortassis deliquerit, saltem in affectu contra justitiam.

120 R. ad tertium. Nomine consensus, vel potiùs consentientis intelligitur ille, qui in ordine ad inferendum damnum injustum suum quoque dedit suffragium & quidem efficax; id, quod vel maximè locum habere potest, quando è plurium con-

consensu v. gr. totius vel saltem majoris partis è Magistratu aut consilio vel Capitulo dependet sententia, utputa de injusto bello inferendo, de imponendo tributo, de homine occidendo aut in exilium mittendo &c. Quocirca tamen bene observandum est, consentientem neutiquam fieri obnoxium restitutioni, nisi suo consensu efficaciter influxerit in damnum injustum. Unde, esto tu approbes, & libenter videas, ut v. g. tuus inimicus etiam sine causa justa damnificetur, aut condemnetur ad aliquam pœnam injustam; si tamen tua approbatio, tuus consensus, vel tuum suffragium non exstitit causa efficax hujus damni, vel quia tu nullam habuisti auctoritatem decidendi, vel si quidem aliquid auctoritatis habueris, aliorum tamen te prævenientium, & priùs te votantium suffragiis sententia injusta jam fuit decisa, tu equidem à peccato gravi immunis non evades, bene tamen ab onere restitutionis, eò quòd inimico tuo efficaciter nihil nocueris. Ita *communis DD.*

Quæres tertiò, quid intelligatur per ly *Palpo*, *Recursus*, & *Participans*.

121 R. ad primum. Nomine Palponis, seu palpantis venit ille, qui vel adulando, vel laudando &c. quempiam efficaciter incitat ad nocendum; vel qui scelus patrandum commendat; item, qui alterum ignaviæ arguendo, exprobat illi, quòd nullius sit animi, aut injuriam illatam non audeat vindicare &c. Ex quo facilè liquet, cur talis fiat obnoxius restitutioni, quandoquidem in materia gravi cum damno proximi agit contra justitiam commutativam.

122 R. ad secundum. Nomine Recursus, id est, recursum præbentis, intelligitur hìc, quicunque refugium, aut securitatem, vel quodlibet receptaculum præbet malefactori, vi cujus is movetur aut ampliùs animatur ad inferendum damnum. Et hæc assecuratio (uti præter alios rectè observat Reinffestuel) potest fieri vel receptando personam, vel rem ablatam, aut occultando instrumenta malefactoris, aliisque similibus modis, quibus id genus hominum facilè animari solet ad inferenda aliis damna injusta, vel saltem ad non restituendum id, quod injustè rapuerunt: de quo mox plura *art. num.* 138.

123 R. ad tertium. Nomine Participantis non solùm intelligitur ille, qui participat de re aliena injustè ablata, utputa quia cum aliis simul furatus fuit, ut dicetur *Casu* 1. *mox secuturo*; nam quòd talis incurrat obligationem restituendi, dictum fuit supra *Confer.* 3. *n.* 63. *& seqq.* Sed hoc loco intelligitur ille, qui participat etiam in ipsa actione mala & injusta, utputa tenendo scalas furi in ordine ad furandum, agendo vigilem & servando excubias interim, dum alii injusta ablatione occupantur, ne fortè deprehendantur; quo casu, si quis voluntariè, præsertim proximè, & efficaciter influat in damnum, tenebitur ad illius reparationem secundùm *omnes*. Secus dicendum foret, si quis hujusmodi actionem de se indifferentem, aut remotè duntaxat se habentem, exercere cogatur contra voluntatem propriam v. gr. ad evitandum malum majus, vel damnum proprium, veluti subinde fieri amat. Videatur de hoc P. Sporer *tr.* 4. *c.* 3. *nu.* 41.

124 Quæres quartò, quid intelligatur per ly *Mutus*, *non Obstans*, *& non manifestans*?

R. ad primum. Nomine Muti hìc intelliguntur illi, qui cùm ex contractu, vel quasi contractu teneantur, & efficaciter possent impedire damnum v. g. imperio, minis, monitis &c. nihilominus non impediunt; ut si Princeps, Belli Dux, vel Magistratus non prohibeat, nec pro possibili impediat furta, latrocinia, & similia mala: si Custos Vineæ vel sylvæ ære conductus, clamando, reprehendendo &c. non abigint fures, vel animalia nociva: si famulus aut famula, cui à Domino concredita fuit specialis cura rei domesticæ v. gr. vini, frumenti, non prohibeant, aut non impediant alios fures, sive domesticos, sive extraneos.

125 R. Ad secundum. Non obstans dicitur ille, qui intermittit operam vel auxilium ad avertendum damnum, quod ex officio impedire tenebatur; uti tenentur Superiores, Principes, Magistratus res-

respectu suorum subditorum, utpote ex contractu, vel quasi contractu conducti à Republica in hunc finem ut damna imminentia avertere nitantur.

126 R. ad tertium. Per non manifestantem hic intelligitur ille, qui negligit aut dissimulat manifestare malefactorem nocivum, quem vi sui officii manifestare tenebatur, sive dein id negligat ante factum, ubi agitur de damno impediendo, vel post factum, ubi agitur de damno resarciendo. Quocirca tamen bene advertendum est, hos tres posteriores (scilicet *mutum*, *non obstantem*, *non manifestantem*) utpote non positivè (uti sex priores) sed negativè tantùm influentes in damnum, tunc solùm teneri ad restitutionem, etiam in solidum, quando hujuscemodi injustum damnum & ex justitia debuerant, & moraliter poterant impedire, uti jam suprà insinuatum fuit, & pluribus dicetur *hac Conferentia*. Qui fusiorem cooperantium notitiam desiderat, consulat P. Sporer *cit. tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 8. *& seqq.* vel P. Herincx *part.* 3. *tr.* 8. *disp.* 8. *à n.* 38. aut Babenstuber *cit. disp.* 2. *art.* 4.

Quæres quintò, quantum singuli ad injustam damnificationem cooperantes mox recensiti restituere teneantur?

127 R. Singuli tenentur secundùm proportionem influxus seu causalitatis in damnificando, proindeque si singuli fuere causa totius damni, ita, ut uno eorum non cooperante damnum non fuisset secutum, singuli etiam tenentur in solidum, id est, totum damnum illatum compensare, nisi reliqui suas compensent partes. Econtra qui non exstitit causa totius damni, sed partis tantùm, tenetur duntaxat ad compensandam partem damni à se illati. Hanc velut regulam generalem & mensuram restitutionis, incumbentis cooperantibus ad injustam damnificationem, tradit Sporer *loc. citat. cap.* 3. *numer.* 63. Ratio autem hujus est hæc: quia tota radix restitutionis ex delicto injustæ damnificationis fundatur in causalitate, seu influxu ad damnum causatum: ergo tanta inde consurgit obligatio, quanta fuit causalitas; consequenter causa totalis totum, & partialis partem duntaxat damni compensare tenetur.

Quæres sextò, quo ordine cooperantes ad injustam damnificationem restituere teneantur, quinam priùs, & quinam posterius?

128 R. Obligantur ordine sequenti: primo loco tenetur is, qui rem alienam in se, vel in æquivalenti possidet; nam res aliena semper clamat ad suum Dominum. 2. Tenetur mandans, si quis fuerit, & non revocavit mandatum; quippe qui censetur principalis auctor damni. 3. Executor, utpote quo mediante alii influunt. 4. Alii positivè cooperantes, qui, si omnes æquè immediatè concurrant æquè primò obligantur ad recompensationem. 5. Denique loco tenentur reliqui cooperantes negativè, quippe quorum culpa est quodammodo posterior illa, quam committunt positivè cooperantes. Qui tamen negativè se habentes eodem ordine tenentur restituere, quo ordine tenebantur impedire, ita, ut hæc obligatio priùs incumbat v. g. Prætori, Custodi, aut Vigili particulari, cui immediata cura incubuit, quàm generali & universali, ad quem mediatè tantùm eadem cura spectabat, uti sapienter notat Herincx *cit. disp.* 8. *n.* 68.

Quæres septimò, qualisnam ordo servandus sit inter ipsa debita solvenda?

129 R. Ante responsionem advertendum 1. non esse servandum ordinem inter debita, quando debitor habet sufficientia bona, ita, ut sit solvendo omnibus; quia tunc ratio, & lex naturalis dictat, omnibus ac singulis ex integro esse satisfaciendum. Unde solùm dubitatur de casu, quo debitor impar est solvendo omnibus suis creditoribus; quo circa advertendum est secundò, dari aliqua debita certa, quorum scilicet creditor certò agnoscitur; alia incerta, quorum Dominus ignoratur. Secundò, alia dicuntur debita realia, dum scilicet creditori competit jus in re; alia personalia, quando creditor habet solam personam debitoris sibi obligatam. 3. Rursus alia dicuntur debita privilegiata, quæ ex jure debent priùs cæteris exsolvi; alia non privilegiata. 4. Alia etiam recensentur debita hypothecata vel

op-

oppignorata; alia nuda. Hypothecata dicuntur, quando debitor ex quodam contractu tradit creditori jus ad solutionem capiendam ex rebus suis, scilicet debitoris; qui, si omnia sua bona obliget, dicitur facere hypothecam generalem: si verò aliquod bonum duntaxat, utputa certam domum, agrum &c, dicitur facere hypothecam specialem. Oppignoratum debitum appellatur, quando debitor suo creditori aliquid tradit v. g. vestem, catenam auream, vel quid hujusmodi, in assecurationem debiti solvendi: reliqua vocantur debita nuda, in quibus scilicet nec hypotheca intervenit, neque pignus. 5. Denique alia dicuntur debita merè gratuita, utputa ex liberali promissione aut voto facta, alia verò onerosa, utpote facta cum certo onere creditoris; ex his alia appellantur jam maturata, quorum terminus solvendi jam est elapsus; alia non maturata, quando nimirum terminus nondum est completus, sed primùm complebitur &c. His notatis

130 R. Breviter cum P. Sporer *cit. tr.* 4. *c.* 4. *nu.* 23. inter debita solvenda servandum esse ordinem sequentem. 1. Debita certa præferenda sunt incertis. 2. Realia debent præferri personalibus. 3. Inter personalia, nudis sunt præferenda privilegiata, item hypothecata & oppignorata. 4. Inter nuda onerosa præferri debent gratuitis, & 5. maturata non maturatis; quæ quidem sunt solvenda proportione quadam Geometrica, pro ratione facultatum. Ratio primi hæc est: quia creditores certi habent jus certum, incerti autem quà tales non habent jus certum: ergo priores meritò sunt præferendi. Ratio secundi est: quia ubi debitum est reale, creditori competit jus in rem ipsam, ubi verò est personale, non competit in rem, sed in personam duntaxat: ergo. Ratio tertii est: quia jura statuere, ut debita privilegiata præferantur aliis. *L. penult. ff. de Religios. & sumptibus fun.* item *L. ult. §. in computatione C. de jure deliber.* Hypothecata verò & oppignorata ideo debent aliis nudis præferri, quia creditores hypothecam vel pignus habentes non tantùm personam, sed etiam rem debitoris sibi habent obligatam: ergo horum potior ratio est habenda, quàm illorum. Ratio quarti hæc est: quia omnis contractus gratuitus, ut sunt promissio, donatio, legatum &c. alicui factus, habet saltem tacitè sibi annexam hanc conditionem: *nisi aliquid obstet, quo minùs res promissa, donata &c. tradi possit:* at, ubi supervenit inopia debitoris gratuiti, ita ut non esset solvendo debita onerosa, jam aliquid obstat, quò minùs donatario vel legatario res promissa solvi, aut tradi possit, scilicet debita onerosa: ergo. Ratio quinti est: quia quando debitum jam est maturatum, creditor jam habet majus & strictius jus illud exigendi (interpellante scilicet pro ipso die, seu termino elapso) quàm si terminus nondum sit elapsus: ergo strictior obligatio debitori incumbit solvendi debita maturata, quàm nondum maturata. Cæterùm quòd in nostro casu, alia debita personalia sint solvenda secundùm proportionem Geometricam, hæc à Doctoribus ratio communiter solet dari: quia Creditores debitorum merè personalium habent æquale jus in personam debitoris immediatè, in ejus verò bona mediatè, & indeterminatè tantùm: ergo creditoribus personalibus æqualiter satisfaciendum est pro rata parte, proportione debitorum & facultatum, esto supponatur unum debitum priùs contractum, quàm alterum. Molina *To. 2. disp. 536. §. quando creditores.* Lessius *L. 2. c. 5. dubit. 6. n.* 44. Laym. *c. 11. n.* 6. & alii plures.

Dices: quænam igitur debita sunt privilegiata?

131 R. Sunt sequentia. 1. Debita pro funere, seu exequiis (quæ tamen, casu quo bona defuncti non sufficiunt pro reliquis creditoribus solvendis, debent moderatè fieri, & sine speciali seu extraordinaria pompa.) 2. Expensæ necessariæ ad confectionem inventarii, & ad apertionem Testamenti. 3. Debita facta pro medicinis, item mercedes, atque salaria Medicorum, & Chyrurgorum. 4. Mercedes operariorum & servitiorum necessariorum plerisque locis, maximè in nostris partibus præferuntur aliis, inquit Sporer *cap.* 4. *num.* 37. *c.* 5. Debita legitima Superiorum. Ratio omnium horum est:

quia ejusmodi debita, adeo necessaria, non censentur contracta in fraudem antecedentium creditorum; secus enim pauci invenirentur, qui indigentibus tali obsequio ministrare vellent, si de solutione juxta prælationis certi non essent. De quo videri possunt Vasquez *de restitut. c. 11. dub. 2. n. 83.* Layman *cit. n. 6.* Sporer, Babenstuber *tr. 7. disp. 4. art. 5. n. 11.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione restituendi, incumbente cooperantibus ad injustam damnificationem.

CASUS PRIMUS.

Titius nonnullos pessimæ ac perditæ vitæ socios, aut veriùs loquendo latrunculos sibi adscivit, quorum ope ipse velut Corriphæus miseræ Rusticorum Genti innumera quasi damna intulit. Nuperrimè quendam è suis subornaverat, ut ab aliquo satis divite Rustico solitario postularet recipi in casam tempore nocturno, quo impetrato ille media nocte consurgens, aperuit januam & valvas suis Comprædonibus, qui ocyùs subintrantes tyrannico modo tractarunt incolas, ligando eorum manus ac pedes, verberibus eos afficiendo, immo verò & flammis eorum plantas adurendo, usque dùm tandem pecuniam omnem, reliquamque suppellectilem pretiosiorem extorsere. De hac præda (quæ usque ad sexcentos circiter florenos se extendit) Titius trecentos sibi retinuit: reliquos suis Comprædonibus distribuit Geometricè, ita scilicet, ut qui plus contulere ad rapinam, plus participarint de præda. Quæritur jam, ad quid dicti latrunculi in hoc casu teneantur?

132 R. Omnes ac singulos teneri in solidum ad restituendum integrum damnum 600. floren. præfato Rustico illatum. Ratio est clara: quia communi opera atque consilio omnes concurrerunt ad inferendum damnum, etsi fortè unus altero proximiùs: ergo omnes ac singuli fuere causa totius damni. Primariò tamen tenetur Titius: tum quia is supponitur fuisse Corriphæus & auctor principalis; tum etiam quia de rapina plus possidet, quàm alii seorsim sumpti. Secundariò verò tenentur reliqui resarcire damnum præsertim id, quod de rapina actu adhuc possident; nam res aliena semper clamat ad Dominum suum, uti jam constare debet ex dictis tum in hac, tum in aliis conferentiis prioribus. Insuper obligantur dicti prædones ad resarciendum omne reliquum damnum Rustico illatum, sicut & omne lucrum ex amissione suorum bonorum eidem fortè emergens, vel emersurum; secus enim nunquam fieret æqualitas, nec justitia suum obtineret finem. An verò etiam teneantur restituere pro damno in bono corporis ex verberatione vel plantarum adustione illato, mox inferiùs *Confer. 8. num. 208.* ex professo dicemus.

Dices: Singuli non concurrerunt æqualiter ad illationem damni; quia unus fortè egit excubias, alter infregit cistas, tertius adussit plantas, alii fortassis alio adhuc remotiori modo fuere cooperati: ergo non possunt omnes ac singuli condemnari ad restitutionem æqualem. Et certè si singuli teneantur in solidum ad refusionem totius damni, utputa 600. florenorum, damnificatus recipiet plus, quàm ipsi fuit ablatum; at hoc netiquam oportet afferere: ergo.

133 R. Hæc nihil obstare, nec quempiam illorum eximere ab onere restitutionis, ob rationem jam datam, quia scilicet cùm hæc omnia communi consilio egerint in ordine ad extorquendas pecunias, & ad obtinendam rapinam, meritò omnes censentur adunare unam causam totalem totius damni, ita ut singuli influxerint in totum damnum: ergo singulis incumbit gravissima obligatio illud totum resarciendi, esto etiam unus fortè graviùs altero peccaverit, præsertim contra charitatem. Ex hoc tamen minimè sequitur, Rusticum plus recepturum quàm ipsi sit ablatum; quia dum dicimus singulos teneri in solidum ad resarciendum totum damnum, per hoc innuimus duntaxat, singulos in defectum aliorum, utputa nihil, quod restituere possent, ampliùs habentium, teneri ad refun-

den-

dendum damnum, ita, ut omnibus simul incumbat resarcire tantum, quantum nocuere utputa 600. florenos in hoc casu, præter reparationem omnis lucri cessantis, & damni fortè emergentis rustico.

Dices: ergonè Titius noster non satisfaciet suæ obligationi, restituendo præcisè 300. florenos, quos ipse obtinuit, sed tenetur totum damnum resarcire, casu quo cæteri vel non ampliùs possent, vel saltem nollent concurrere ad refusionem damni illati?

134 R. Titium teneri ad refusionem totius, casu quo alii nollent, etsi possent resarcire partes suas. Ita ex *communi* DD. Sporer *tr.* 4. *c.* 3. *nu.* 64. Ratio est: quia quicunque voluntariè dat causam totius damni, esto in consortio aliorum, naturali æquitate contrahit onus resarciendi totum damnum respectu damnificati: atqui Titius (immò verò omnes etiam reliqui) exstitit causa voluntaria totius damni: ergo tenetur resarcire totum. Quod verò alius, vel alii plures, etsi possent, nolint restituere partes suas, minimè eximit aut excusat Titium ab hoc onere, sicut nec impedit, quin moraliter loquendo respectu injuriati exstiterit causa totius damni: sed solùm præbet ei jus saltem in foro interno, ut ab iis qui nolunt restituere suas partes, possit postea prætendere id, quod iidem propria sponte contribuere debuissent. Vid. *D. cit.*

CASUS SECUNDUS.

S*Empronius studiosus integro anno Vinum ab aliquo Oenipola creditò accepit, quo elapso, cum venissent ad computum, animadvertit, œnipolam multas mensuras vini ab eo receptas non computasse, idque ex aliqua inadvertentia; quod cùm alteri cuidam suo condiscipulo narrasset, & an dissimulata solutione in conscientia tutus foret? interrogasset, respondit ille alter hæc formalia* bono sis animo, amice, & superfluas abjice curas ac scrupulos: imputet sibi œnipola, quòd non omnes mensuras computarit, tu verò residuam pecuniam tibi resserva pro vacantiis, & bibe subin in sanitatem œnipolæ. *Hoc consilium Sempronius ad ammussim fuit executus: finitis verò vacantiis denuo inquisivit de veritate ex aliquo Confessario. Quid jam de consilio priori tenendum, & quid Confessario desuper interrogato fuit respondendum?*

135 R. ad primum, consilium illud pessimum & iniquum fuisse. Ratio est clara quia debitum certum ac liquidum certò est solvendum, nec debitum vel obligatio tollitur, nisi solutione & satisfactione: *prim. instit. quibus modis tollitur obligat:* ergo sicut ignorantia illa œnipolæ non fecit, quò minùs Sempronius esset debitor, ita prorsus nec potuit extinguere debitum liquidum. Falluntur proin, & graviter quidem falluntur simplices illi, qui (uti frequenter fieri amat) dum aliquid vendunt, emunt, aut commutant &c. bene advertunt, alteram partem errare, utputa vel minùs, quàm sibi debeatur, exigendo, vel plus, quàm debuerat, solvendo, & nihilominus illud recipiunt sine scrupulo falluntur, inquam; nam, quemadmodum talis error vel ignorantia non immutat voluntatem contrahentis, nec efficit, ut is propterea velit cedere suo juri; ita prorsus nec excusat debitorem à satisfactione de jure debita & præstanda. Et certè nedum ille qui accipit, sed etiam qui retinet rem alienam domino rationabiliter invito, tenetur ad restitutionem damni. *argum. can. si res aliena. Caus.* 14. *qu.* 6. atqui tales reipsa accepere rem alienam: ergo &c. Vide Reinffestuel *l.* 3. *decretal. tit.* 17. §. 4. *per totum.*

136 R. Jam ad secundum, Confessario hac super re interrogato incubuisse, ut Sempronio declararet, & inculcaret obligationem solvendi residuum, quod Oenipolæ etiamnum debebat; quia Confessario incumbit instruere pœnitentem, dum advertitur laborare aliqua ignorantia culpabili, præsertim damnosa tertio, idque potissimùm fieri debet tunc, quando pœnitens ipse petit instrui, & utiliter potest admoneri, veluti ex communi DD. diximus *part.* 2. *theolog. Sacrament. de pœnitent. Confer.* 18. *numer.* 459. at, Sempronius laboravit ignorantia culpabili, & qui-

& quidem cum damno tertii, potuitque utiliter admoneri & instrui: ergo Confessarius tenebatur &c.

At quid, si Sempronius noster jam non ampliùs esset habens aut potens solvere debitum, tenereturnè in hujus locum malus ille Consiliarius subire hoc onus?

137 R. Pro foro conscientiæ (quod nos principaliter respicimus) Confessarius disquirat, an Consiliarius bona, an verò mala fide processerit, suggerendo præfatum consilium? si mala, utpote animo nocendi œnipolæ, aut certè non ignorans consilium suum iniquum esse, & nocivum, tenebitur is velut causa cooperans ad injustam damnificationem in defectum Sempronii impotentis, œnipolæ damnum compensare, ob rationes jam datas *numer.* 119. & 127. At verò si hoc consuluit ex mera levitate (uti plerùmque fieri amat à Juvenibus) vel inadvertentia, aut certè ex inculpabili ignorantia obligationis Sempronio incumbentis, à Confessario condemnari nequit ad refusionem damni inde secuti; quandoquidem nullus suppetit titulus; non enim teneretur 1. titulo rei acceptæ, aut 2. injustæ acceptionis, quippe qui ex suo consilio nihil reportavit: neque tertiò titulo injustæ damnificationis, quia hæc supponitur facta inculpabiliter, aut certè absque gravi culpa, ut puta ex mera levitate vel ignorantia: neque 4. titulo alterius contractus, quia hic Consiliarius neque cum Sempronio, neque cum œnipola contractum fecit, vi cujus fuisset obstrictus sana duntaxat consilia suggerere: ergo ex hac suppositione à Confessario neutiquam obligari posset ad compensationem damni inde œnipolæ secuti:

CASUS TERTIUS.

Cajus Caupo solitarius, id est, in loco solitario habens suam tabernam, fatetur, se aliquos hospites jam pridem sibi de furtis hinc inde commissis suspectos, excepisse hospitio, eisdemque nedum administrasse potum, verùm etiam carnes ab iisdemmet allatas (probabiliter furtivas) præparasse: & licèt jam sæpiùs optarit, ne præfati hospites invisi unquam ampliùs ad suam tabernam diverterent, nihilominus timore majoris mali incurrendi ne scilicet vel domum sibi comburerent, vel aliud grave damnum inferrent) nuper eos à ministris justitiæ conquisitos in domo sua abscondisse, & occultasse. Jam verò sciscitatur 1. an peccet eos in domum recipiendo? 2. an peccarit, eos abscondendo &c.? Quid judicii?

138 R. ad primum. Si Cajus rationabiliter timuit hujusmodi grave damnum, & præcisè animo illud evitandi eos recepit hospitio, neutiquam peccavit, ne quidem coquendo, seu etiam præparando carnes, quas probabiliter credere licuit furtivas. Ratio est: quia tam receptio in hospitium, quàm carnium præparatio, est actio de se indifferens. At, qui actionem de se indifferentem exercet, compulsus gravi necessitate, ad evitandum scilicet verè grave damnum, non peccat, veluti communissimè tradunt DD. nominatim Lugo *de justit. tom.* 1. *disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 74. & Tamburinus *l.* 8. *in decalog. tr.* 4. *cap.* 2. §. 4. *num.* 3. ergo

139 R. ad secundum, equidem tam facilè excusari non posse Cajum ex eo, quòd conquisitos à ministris justitiæ occultaverit; si enim eos prodidisset, nullum utique, aut certè exiguum periculum ab iisdem habuisset timendum: unde verendum meritò est, ne hujusmodi Caupones sub schemmate mali declinandi, re ipsa absque sufficienti fundamento, vel fundato timore malignis hominibus præbeant receptaculum, & mentiatur iniquitas sibi. Dato tamen, & supposito, quòd illos ex vero & fundato timore præfati periculi in domo sua absconderit, dicendum, quòd non peccasset: bene tamen, si id fecisset amore præbendi refugii in ordine ad furta ulteriùs continuanda. Ita DD. unanimiter. Herincx *disp.* 8. *num.* 54. Sporer *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 38. Lessius *de justit. l.* 2. *cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 27. Lugo *citat. num.* 72. Bonacina *de restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *pu.* 9. *num.* 6. Ratio est: quia occultando illos ex dicto motivo, neutiquam dici meretur, quòd ad aliorum damnum intenderit cooperari, neque dici debet, quòd illos rece-

receperit, ut erant formaliter fures, & maligni homines, sed potiùs quatenus erant homines miseri, hìc & nunc egentes auxilio. Quapropter si tali receptione vel occultatione, ceu opere charitatis, aliis sequatur aliquod damnum, illud non Cauponi racipienti, quippe ad quod is permissivè tantùm se habet, sed potiùs malitiæ receptorum imputandum venit.

At quid, si Cajus prævidisset, malefactores illos sua occultatione à præsenti periculo liberatos, postea aliis innocentibus gravia damna illaturos, an nihilominus licitè eos abscondisset?

140 R. Sine dubio illicitè (si absque suo notabili detrimento eos prodere potuisset) Ratio est: quia ex hac suppositione charitas potiùs obligabat Cajum, ut niteretur pro possibili avertere damna aliis innocentibus, quàm his nocentibus imminentia: & hac ratione P. Petschacher, eumque secutus Babenstuber existimant, Cajum fore obligandum ad resarcienda ejusmodi damna previsa: Verùm, esto supponatur propterea Cajus graviter peccasse contra charitatem, quia tamen ipse non fuit obligatus ex justitia ad avertenda damna innocentium, hinc planè non video, cur peccasset contra justitiam, nec consequenter, cur esset condemnandus ad compensationem damnorum. Secus dicendum puto, si v. g. Princeps, vel alius quicunque demum ex justitia obligatus, ad avertenda damna à suis subditis, prævisо hujusсemodi periculo, malefactorem vel occultaret, ne caperetur, vel jam captum sine graviori causa à vinculis absolutum dimitteret: quia talis Superior aut Officialis revera peccasset contra justitiam cum præjudicio suorum subditorum; ergo tenetur his satisfacere.

Dices adhuc: sed quid censendum de illis Cauponibus, qui recipiunt filios-familias, quos norunt consumere bona parentibus suis invitis injustè subtracta?

141 R. Si de hoc certò ipsis constet, & eo non obstante foveant illos filios familias; peccant contra justitiam, cum obligatione restituendi damna parentibus inde secuta. Ratio est: quia cooperantur quodammodo ad injustam parentum rationabiliter invitorum (uti supponitur) damnificationem: ergo tenentur ad restitutionem nedum titulo injustæ damnificationis, sed etiam titulo rei acceptæ; vel injustæ acceptionis. Quin etiamsi supponatur, eos nihil recipere à filiisfamilias, sed gratis omnino concedere locum, chartas, lumen, & similia ad heluandum necessaria, peccant nihilominus contra justitiam, veluti positivè concurrentes ad consumendam injustè rem alienam, & idcirco fiunt obnoxii oneri restitutionis, saltem in defectum filiorumfamilias. Aliud dicendum, si permissivè duntaxat se habeant, dum illos è suis ædibus positivè non ejiciunt; tunc enim non pecant contra justitiam, cùm solum ex charitate teneantur impedire damna Parentibus inde sequentia, uti rectè advertit Babenstuber *tr. 7. disp. 4. a. 4. num. 41.* ubi pro eadem opinione citat Sayrum *in clavi reg. lib. 10. tract. 2. c. 11. num. 3.* Bonacin. *nu. 3.* Lugo *num. 75.* Sporer *n. 37.* & Vogler *de restit. in genere q. 19. nu. 308.*

§. III.

Corrolaria ex dictis inferenda.

142 Colliges ex dictis primò, quòd si mandans revocarit quidem suum mandatum, hæc tamen revocatio non pervenit ad aures mandatarii, priùs quàm is fuit executus mandatum, teneatur adhuc mandans ad damnum resarciendum, quippe quod vi mandati fuit secutum proximo: è contra si mandatarius excedat in executione mandati, utputa si jussus aliquem occidere, ipse insuper spoliet occisum, vel hujus domum incendat, tenebitur mandatarius ad resarciendum talem excessum, utpote non ex madato, sed ex malitia duntaxat mandatarii secutum. Si tamen excessus sit talis, qui regulariter est connexus cum damno principali à mandante intento, ut si is jussit quempiam graviter vulnerari, & vulneratus omnino moriatur, homicidium tale meritò imputabitur mandanti, quippe qui saltem in foro externo interpretativè voluisse censetur id, quod cum damno à se intento regulariter est connexum. Diana *p. 8.*

tr. 7. resol. 33. Tambur. *cit. num.* 3. Sporer *c.* 3. *n.* 13. Babenstuber ubi supra *n.* 13. & alii *communiter*.

Dices. At quid, si etiam consulens consilium à se datum revocet, an is etiam evadet obligationem restitutionis, tametsi ille, cui malè consuluit, fuerit executus consilium cum damno tertii?

143 R. Probabiliter tenetur saltem casu, quo consulendo nedum veritatem aliquam simpliciter aperuit, sed etiam suo consilio quandam utilitatem subministravit v. g. quomodo attentandum sit furtum, quo medio procurandum sit homicidium, vel abortus &c. Ita satis communiter tenent DD. Lugo *tom.* 1. *disp.* 19. *Sect.* 2. *n.* 37. Lessius, Bonacina, Mezger & alii. Ratio est: quia hujusmodi consilium non influit præcisè propter auctoritatem consulentis (sicut mandatum præcisè influit propter auctoritatem mandantis) sed propter suam utilitatem: atqui hæc utilitas adhuc manet, & movet ad executionem consilii, etsi consulens illud revocarit: ergo hic probabiliter tenebitur ad compensationem damni, non obstante revocatione.

Hoc tamen non obstante cum Laymanno existimo oppositam sententiam S. Antonini, Navarri, Filliucii & Dianæ *p.* 2. *tr.* 16. *resol.* 15. esse satis probabilem, & practicè tutam. Ratio est: quia consulens revocando suum consilium censetur fecisse, quantum hìc & nunc potuit ad impediendum damnum: & licèt utilitas consilii adhuc influxerit in damnum, tamen non ampliùs influxit de voluntate consulentis, sed duntaxat de voluntate & malitia illud exequentis: ergo probabiliter hic solus tenetur resarcire damnum. Profectò si v. gr. Medicinæ professor è cathedra doceat, hoc vel illud medium esse efficacissimum ad procurandum v. gr. abortum, & aliquis è suis auditoribus propria malitia inductus illud tentet cum effectu, nemo facilè dixerit, Medicum illum esse reum malignæ procurationis, esto adhuc influxerit utilitas medii à professore suggesti; hujus autem non videtur alia ratio quàm quòd hæc utilitas influxerit præter, vel contra intentionem illius: ergo non est, cur condemnemus consulentem, supposito, quòd is seriò & efficaciter revocarit suum consilium.

144 Colliges secundò, haudquaquam illicitum esse, consulere, ut quis ex duobus malis aut damnis, quorum utrumque impedire nequit, consulat id, quod minus est damniferum, ut si fur jamjam sit resolutus, auferre centum fl. à Paulo, licitè eidem consules, ut quinquaginta duntaxat auferat; item si jamjam resolvit auferre centum vel ab Ecclesia, vel ab alio, licitè suggeres, ut ab alio potiùs, quàm ab Ecclesia sacrilegè auferat. Ratio est: quia hoc modo non tam consulis damnum, quàm diminutionem damni; quod utique culpa vacat. Attamen si fur cogitet aliquid auferre alicui determinato v. g. Petro, tu illicitè consuleres, ut potiùs auferat Paulo, de quo fur nihil unquam cogitavit. Ratio est: quia tu proponendo Paulum, furem quodammodo determinas, ut huic innocenti, de quo nihil cogitaverat, damnum inferat: ergo huic infers quodammodo injuriam, & quidem damnosam. Filliucius *tract.* 32. *cap.* 3. *num.* 59. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 34. *a.* 1. *n.* 9. Sayrus, Lessius, Bonacina.

145 Colliges tertiò, Eum, qui rationabiliter dubitat, an suo consensu vel suffragio exstiterit causa damni injustè illati, probabiliter teneri ad restitutionem cum aliis consentientibus, seu votantibus, aut suffragantibus, saltem ad partem pro rata dubii. Ita contra alios Molina *disp.* 736. *n.* 6. Lugo *disp.* 19. *Sect.* 1. *n.* 22. Sporer *n.* 35. Babenstuber *cit. n.* 32. Ratio est: tum quia in foro externo judicatur contra talem, quod scilicet exstiterit causa damni illati, ergo id ipsum in foro interno judicandum est, quippe quod conformari debet interno, quando hoc non innititur falsæ præsumptioni; tum etiam quia possessio videtur stare pro damno, utpote quod supponitur effectivè illatum, ideoque suffragatori incumbit probare, quòd non influxerit in illud, aliàs tenebitur satisfacere pro rata damni.

146 His non obstantibus existimo, sententiam Dianæ, Sayri, & aliorum multorum taliter dubitantem absolventium ab onere restitutionis, haud esse improbabi-

babilem; quia dubitans est in certa possessione suorum bonorum: ergo hæc non tenetur expendere, nisi obligatio sit luce meridiana clarior; qualis hæc non videtur, quippe de qua multi sapientes dutant.

Et licèt constare supponatur de damno, non tamen de hoc constat ut illato ab illo, qui rationabiliter dubitat, an suum suffragium influxerit efficaciter: ergo probabile est, hunc non teneri ad compensationem damni. Videatur de hoc P. Sporer *cit. n.* 34. ubi pro eadem opinione allegat plures alios.

147 Colliges quartò, non teneri ad restitutionem testem illum, qui etiam juridicè interrogatus in judicio, veritatem non manifestat, esto ex tali non manifestatione sequatur damnum alteri læso innocenter vel injustè. Lessius *l.* 2. *cap.* 30. *dubit.* 8. *numer.* 59. Sayrus *l.* 10. *clar. reg. tr.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. Tambur. *l.* 8. *tr.* 4. *c.* 2. *§.* 6. *nu.* 11. Ratio est: quia testis non tenetur ex justitia aperire veritatem, sed solùm ex charitate erga innocentem, & ex obedientia erga Judicem interrogantem, aut denique ex virtute religionis, casu quo juramento sese adstrinxisset ad aperiendam veritatem: at qui non peccat contra justitiam, non tenetur ad restitutionem damni: ergo. Secus dicendum foret, si positivè dixisset falsum testimonium contra innocentem cum damno illius; quia tunc exstitisset positiva causa hujus damni injusti. Vid. Molin. *de justit. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 83.

148 Colliges denique quintò, in casu, quo duo aut plures, etiam eodem tempore, aliquem damnificant, sed ita, ut unus independenter ab alio, utputa, si ex eodem dolio vini alieni bibant, absque eo, quòd unus sit causa, ut alius simul bibendo dominum damnificet, singulos teneri duntaxat ad partem damni, hoc est ad refundendum tantum, quantum quivis damnificavit: è contra si damnum inferant ita, ut influxus unius dependeat ab influxu alterius, utputa in casu, quo duo sese adjuvant ad asportandam aliquam sarcinam furtivam, quam unus solus asportare non potuisset, tunc quivis in defectum alterius obligatur resarcire damnum in solidum. Ratio disparitatis est: quia in priori casu quilibet exisit causa partialis duntaxat, & quidem tam partialitate causæ, quàm etiam effectus: at verò in casu posteriori quilibet est causa totalis damni, sin minùs totalitate causæ, saltem totalitate effectus: atqui juxta superiùs *n.* 127. dicta, singuli cooperantes tenentur restituere secundùm proportionem sui influxus: ergo hi posteriores tenentur resarcire totum, priores verò suas duntaxat partes damni illati. Videatur de hoc Molina *disputat.* 734. Lug. *disput.* 16. *Section.* 3. §. 2. Laym. *l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 6. Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 2. §. 3.

CONFERENTIA

SEXTA.

De Restitutione debita ex contractu.

SUMMARIUM.

149 *Quid sit contractus propriè dictus.*

150 *Et quid sit quasi contractus.*

151 *Ex contractu oritur duplex obligatio restituendi, quorum una immediata & formalis, altera mediata & radicalis appellatur.*

152 *Quid sit* casus, *quid* dolus, *& quid* culpa, *vi quorum res ex contractu debitæ non rarò perire solent.*

153 *Inculcantur rursus duæ regulæ, pro decidenda obligatione restituendi ex contractu debita à Confessario semper præ oculis habendæ.*

154 *Obligatio gravis resarciendi damnum grave ex contractu, in conscientia, & ante sententiam Judicis supponit culpam theologicam gravem.*

155 *Potest nihilominus ex quasi contractu oriri obligatio gravis in conscientia ad damnum resarciendum, etsi non fuerit commissa culpa gravis.*

156 *Leges civiles ex culpa levi, vel levissima condemnantes ad restitutionem,*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos, de obligatione restituendi ex contractu orta.

QUæres primò, quid sit contractus, & quid quasi contractus?

149 R. ad primum. Contractus latissimè sumptus significat conventionem duorum aut plurium inter se. Propriè tamen dictus contractus rectè describitur, quòd sit *pactum reciprocum onerosum, quod ex utraque parte paciscentium seu contrahentium obligationem parit.* Unde *L. Labeo. ff. de verb. signif.* dicitur, quòd *contractus* sit *ultrò, citròque obligatio*, id est, duorum, vel plurium in idem consensus, ultrò, citròque obligationem pariens, qualis est contractus matrimonii, sponsalium, item Emptio, venditio &c.

150 R. ad secundum. Quasi contractus appellatur, quando inter paciscentes non intercedit voluntas formalis & expressa, sed virtualis tantùm, & interpretativa; talem inire censentur v. gr. cum Republica, qui ex pacto in se suscipiunt aliquod officium, utputa Episcopi, Parochi, Confessarii, Gubernatoris, Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chyrurgi &c. etenim hoc ipso, quòd in se susci-

suscipiant hujusmodi munus vel onus, virtualiter & interpretativè reputantur sese obligare ad debitam diligentiam in ejus functione præstandam. Videantur de hoc Reinfestuel *theol. mor. tract.* 8. *dist.* 1. *nu.* 8. & 10. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 579. & *sequentibus*.

Quæres secundò, an, vel qualis obligatio restituendi oriatur ex contractu?

151 R. Oritur inde duplex obligatio, quarum una appellatur formalis & immediata, altera radicalis & mediata. Formalis obligat ad restituendum id, quod mutua conventione promissum, ac debitum est: ut si promisisti centum, teneris reddere totidem: si promisisti v. gr. vinum Austriacum, teneris reddere hoc, & non aliud &c. sicut vicissim alter contrahens tenetur tibi solvere id, & tantum, quod, & quantum promisit; nam ratio naturalis & æquitas hoc dictat, prout cuilibet ex natura & conditione contractus mox descripti facilè patebit. Radicalis autem, & mediata obligatio restituendi ex contractu oriri solita in eo consistit, quòd, si res debita, vel obligata alteri per contractum ante traditionem pereat ex aliqua culpa debitoris, hic juxta proportionem culpæ admissæ teneatur compensare damnum, & satisfacere alteri parti; quocirca vel maximè attendendum est, an res contractu obligata ac promissa alteri vel casu pereat, vel dolo, vel culpa. Quare pro hujus majori dilucidatione

Quæres tertiò, quid hìc intelligatur nomine Casus, doli, & culpæ?

152 R. 1. Per casum hìc intelligitur *rei inopinatæ eventus, qui neque à diligentissimo caveri potuisset*: ut si res tibi vendita vel commodata inopinato incendio, vel direptione hostium pereat. 2. Dolus consistit *in machinatione injustè damnificandi facto vel omissione, consultò & scienter adhibita*, uti illum describit Herincx *disp.* 5. *num.* 17. ubi etiam notat, damnum ex dolo datum in omni negotio esse præstandum. 3. Denique culpa describitur, quod sit defectus ab eo, quod bonum & debitum est, hominisque diligentia præstari potest; quæ vel potest esse theologica, vel politica, eaque vel lata, vel levis, vel omnino levissima, uti jam dictum fuit. *Confer.* 3. *n.* 62.

Quæres quartò, quænam sint Regulæ specialiter observandæ circa obligationem restituendi ex contractu?

153 R. Esse duas, jam superiùs *confer.* 1. *n.* 4. relatas, videlicet 1. omnis res, quæ casu perit, Domino perit. 2. omnis res, quæ culpa perit, culpabili perit; quas vel ideò hoc loco repetere & inculcare volui, quia pro resolvendis casibus innumeris, & decernendo onere restitutionis ex hac radice (contractus scilicet) scitu summopere sunt necessariæ Confessario, & hoc ipso bene imprimendæ memoriæ.

Quæres quintò, qualem culpam supponat obligatio restituendi ex contractu, & quasi contractu?

154 R. 1. Obligatio in conscientia supponit per se loquendo culpam theologicam, & quidem gravem, ubi materia vel onus restituendi est grave. Ratio est: quia lege naturæ nemo tenetur ad majorem diligentiam adhibendam in custodia rei commodatæ aut conductæ &c. quàm Dominus ipse adhiberet: & certè qui munus aliquod, vel officium quoddam in se suscipiunt, regulariter non intendumt sese obligare, nisi ad diligentiam moralem & humanam, quale frugi homines ejusdemque conditionis ordinariè, ac communiter adhibere solent: ergo neque obligantur ad restitutionem, nisi ex omissione diligentiæ communiter adhiberi solitæ, quæ ommissio est culpa lata, & ordinariè theologica mortalis. Lessius *l.* 2. *cap.* 7. *dubit.* 6. *Lugo de just. tom.* 1. *disput.* 8. *sect.* 7. *num.* 93. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 32. *a.* 3. *n.* 1. Vide etiam dicta superiùs. *C.* 1. *nu.* 4.

155 R. secundò. Per accidens tamen in quasi contractu oriri potest obligatio, præstandi diligentiam exquisitissimam, & consequenter illa non præstita obligatio ad restituendum; idque potissimùm in duobus casibus. 1. si accipiat tale officium v. gr. Chyrurgi, Medici &c. cum expressa obligatione ac promissione adhibendi diligentiam exquisitissimam. 2. si saltem tacitè id ipsum promisit, utputa quia se jactando aliis meliorem aut peritiorem, impedivit, ne inquireretur, vel usurparetur

Chy-

Chyrurgus doctior; qui proin, si non præstent, quod promiserunt tenebuntur ad compensationem damni secuti; tum quia non erant periti; tum etiam quia imperitiam suam supplere neglexerunt, uti post Tamburinum *l. 8. in decalog. tract. 3. c. 5. §. 2. num. 2.* rectè observant Sporer, Babenstuber.

Dices: Jure civil. *L. contractus ff. de regul. Jur.* statuitur, ut si contractus sit factus in gratiam utriusque contrahentis, uti fit in locatione, conductione, emptione &c. recipiens v. g. domum locatam teneatur ex dolo, item ex culpa lata, & levi: Quin immò *L. si ut certo ff. commodati.* ulterius statuitur, ut si contractus sit factus in gratiam solius recipientis, uti fit in commodato & precario, resque pereat apud recipientem, is teneatur nedum ex dolo, verùm etiam ex culpa lata, levi, immò levissima: ergo malè diximus, in foro conscientiæ neminem teneri ad restituendum, nisi commiserit culpam theologicam.

156 R. Hujusmodi leges civiles, utpote nimis rigorosas, probabilissimè non obligare in conscientia ante sententiam Judicis. Ita contra Laym. Molin. & alios multos tenent Sotus *l. 5. de just. qu. 7. art. 4.* Lugo, Diana, Tamburinus, Sanchez, Reinffestuel *theol. mor. tract. 8. dist. 2. num. 47.* Ratio est: quia omnino gratis asseri videtur, quòd homines regulariter loquendo velint se obligare ad hujusmodi diligentiam exquisitissimam, & præcavere omnem culpam, etiam politicam; ergo licèt talem committant, si tamen hæc non sit simul theologica, probabiliter non obligantur ad damni compensationem ante Judicis sententiam. Et certè dictæ leges non videntur cum tanto rigore usu receptæ: uti testantur *DD. mox citati*, & etiam Lessius: ergo non obligant &c.

Quæres sextò utrùm in communi periculo v. g. incendii, naufragii &c. teneatur quis rem alienam, quam possidet ex contractu præferre rebus propriis, ita ut si nequeat salvare utramque, teneatur potiùs periculo eripere rem alienam, quàm propriam?

157 R. 1. si res propria sit æquè pretiosa, vel omnino pretiosior aliena, aut si ex amissione rei propriæ deberet subire notabile damnum, sine spe refusionis, in foro conscientiæ non tenetur (quidquid sit de foro externo) bene tamen 2. si res propria sit admodum vilis, ita, ut ex hujus amissione non pateretur magnam jacturam, è contra res aliena valde pretiosa Ita *ex communi* Lugo *tom. 1. disp. 8. sect. 10. num. 139.* Sporer *c. 2. num. 235.* Mezger *ubi suprà a. 6. num. 6.* Ratio prioris est quia nemo præsumitur in contractu obligare se velle ad expensas extraordinarias in conservatione rei alienæ feciendas: at, si quis deberet pro hujus conservatione perdere res proprias æquè pretiosas, vel omnino pretiosiores, eò ipso teneretur ad expensas extraordinarias; quis enim vellet potius conservare rem alienam, quàm propriam in pari periculo aut jactura? profectò nullus; cùm amor erga se ipsum suadeat oppositum: ergo. Ratio autem posterioris hæc datur: quia in contractibus modo humano initis quisque censetur se obligare ad rem alienam conservandam aut custodiendam, modo moraliter possibili: at, ubi res aliena est valde pretiosa, & res propria exigui momenti, præsertim si liceat sperare, jacturam rei propriæ compensatum iri, non est impossibile custodire rem alienam: ergo tenetur. Unde non excusaris à conservatione rei alienæ, quæ valet mille, si timeas jacturam v. g. unius aurei; quia hoc non videtur damnum notabile, inquit Babenstuber *tr. 7. disp. 4. a. 3. n. 41.*

Quæres Septimò: quo loco res aliena sit restituenda?

158 R. 1. Res debita ex contractu restitui debet in eo loco, de quo expressè, vel saltem tacitè inter partes conventum fuit, Ratio est: quia hoc postulat æquitas naturalis, & æqualitas inter partes contrahentes servanda: & regulariter loquendo, si opus sit translatione rei restituendæ, hæc fieri debet expensis debitoris. Unde sequitur, debita ex contractu gratuito, verb. grat. donatione, legatione, testamento &c. restituenda esse in loco, ubi erant, quando donatio, legatum, vel testamentum fuit factum, atque sumptibus donatarii, vel legatarii aliò esse trans-

transferenda: è contra debita ex contractu oneroso, transferente dominium rei, quo scilicet non eadem res, sed pro una re accepta altera reddi debet, uti fit in emptione &c. restituenda sunt in loco, ubi res, pro qua solutio fieri debet, fuit accepta. Ratio est: quia in reciprocis contractibus res una in alterius locum quasi substituitur; quod tunc perfectè fit, si etiam idem locus acceptionis & restitutionis servetur, prout bene observant Vasquez *de restit. c. 9. dub. 2. n. 50.* Lessius *c. 15. dubit. 8. n. 36.* & Laym. *l. 3. tr. 2. c. 10. n. 5.*

159 R. secundò. Res debita ex delicto restituenda est in loco domini seu creditoris, idq; expensis debitoris fieri debet. Ita Molina *tom. 3. disp. 752.* Lessius *l. cit.* Laym. *n. 3.* Lugo *disp. 20. sect. 8. n. 183.* Sporer *tr. 4. c. 3. n. 154.* Ratio est: quia restitutio in hunc finem tendit, ut fiat æqualitas: at, nisi res restituatur in loco domini, ubi scilicet dominus eam haberet, nisi injustè fuisset ablata, nunquam fieret æqualitas, sed dominus gravaretur injustè: ergo. Unde qui equum hic Salisburgi abstulit & traduxit Viennam, debet eum propriis expensis hic Salisburgi restituere: & si dominus equum suum duxisset in Italiam, deberet eum illuc mittere, deductis tamen impendiis necessariis, quæ Dominus in eo traducendo fecisset &c. Limitat tamen hoc Layman *l. cit.* post S. Thomam, Navarrum & alios: nisi fur transferendo talem equum aut aliam rem furtivam, deberet facere expensas excessivas, seu etiam majores, quàm res furtiva constaret; quia tunc Dominus rationabiliter non posset prætendere restitutionem, modò equus ille, vel quæcunque demum res aliena, interim servetur in loco tuto.

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de restitutione debita ex contractu.

CASUS PRIMUS.

Titius in nundinis Lincensibus, ubi plurimi equi venales concurrere solent, unum vendidit pretio excessivo. Cùm enim equus reverà esset cæcus, oculis, vel potiùs pupillis ejus certum quendam pulverem insufflavit, quo easdem pupillas reddidit splendentes in tantum, ut ab emptore crederetur videns; unde factum, ut pro eodem equo obtinuerit ab emptore centum florenos, quem ne quidem ipse Titius voluisset emere quadraginta florenis. Hanc facti speciem, cùm Titius postea cuidam Theologo discursus gratia narrasset, ab eo mox audivit, tuta conscientia id fieri non potuisse, propetereaque Titium teneri saltem ad restituendum Emptori excessum justi pretii. Verùm Titius respondit, se id nunquam sibi duxisse conscientiæ, eò quòd benè sciret, etiam Angelos in Cœlo ridere, dum vident, unum negotiatorem equorum ab alio insigniter decipi. Quæritur jam 1. quid de hac responsione Titii tenendum? 2. an reverà peccaverit, & obligetur ad aliquam restitutionem?

160 R. ad primum, hanc Titii responsionem, vix esse responsione dignam; quandoquidem certum sit, quòd nec ratione nitatur, nec auctoritate, nec consuetudine legitimè recepta sit, nec denique in æquitate naturali habeat fundamentum. Et licèt multiplici experientia constet sæpissimè unum negotiatorem equorum ab alio insigniter decipi, hæc tamen praxis iniqua est, & non legitima; quæ, si impunè permitteretur, aut semel approbaretur, procul dubio aperiret jannam innumeris fraudibus ac dolis: constat autem ex probata praxi, nec non ex jure, quòd fraus & dolus nulli debeant patrocinari, *argum. c. 15. & 16. de Rescript.* ergo nec debent approbari, sicut reverà nec approbantur.

161 R. ad secundum. Titius reverà graviter delinquit (quidquid demum sit de sinistra ipsius persuasione, an scilicet hæc fuerit culpabilis vel non) ratio est: quia naturali æquitate exigente venditor tenetur monere emptorem de notabili vitio mercis, quando advertit, quòd ille non observet vitium: atqui cæcitas equi est vitium valde notabile: ergo. Deinde qui emptorem fraude inducit ad emendum majori pretio, quàm ipse emere vellet, facit injuriam damnosam; quisque enim habet jus, ne fraude aut mendacio in-

inducatur in aliquod damnum; quam ob causam *l. Julianus 13. in principio ff de actionibus empti* statuitur, ut talis teneatur præstare omnia detrimenta, quæ emptor ex ea actione traxit: atqui Titius fraude induxit emptorem: ergo &c. Videatur Layman *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 15.* La Croix *l. 3. p. 2. n. 955.* aut Reiffenstuel *l. 3. decret. tit. 17. numer. 178. & 186.*

Dices: ergonè Titius tenetur contractum rescindere, aut excessum pretii restituere.

162 R. affirmativè. Quin immò contractus ille probabilissimè fuit nullus. Ratio est: quia emptor dolo inductus certò erravit, sin minus in substantia physica equi, certè tamen in substantia morali; nam quando res notabiliter differt ab eo, quod emptor intendit, censetur is errasse in substantia, veluti observat Tamburinus *l. 8. tr. 3. c. 7. n. 17.* atqui equus cœcus notabilissimè differt à vidente: neque præsumere licet, emptorem tantum fuisse daturum, si advertisset vitium cœcitatis, quantum dedit eo non animadverso: ergo cùm dolus hìc dederit causam contractui, defuit verus consensus, quo deficiente ruit contractus *l. in venditionibus. ff. de contrahend. empt.*

Et licèt talis in foro externo à Judice non audiretur forsitan, eò quòd cœcitas equi non reputetur vitium principale, seu ut appellant germanicè: . . . . . . , id tamen solùm fit propterea, quòd emptor non credatur ignorasse hoc vitium, aut certè, ex eo, quòd non constet, eum fuisse dolo venditoris inductum; de quo, si Judici constaret, procul dubio audiretur, & venditor condemnaretur: ergo hic in conscientia & coràm Deo tutus, aut excusabilis esse non potest. Videatur Reiffenstuel *l. cit. n. 186.* Babenstuber *tr. 7. d. 6. a. 3. n. 24.*

At, inquies forsitan mi bone Titi: ipsusmet ego eundem equum jamjam inclinantem ad cœcitatem emi 100. florenis, & quidem ignarus hujus vitii: quidni ergo ad me indemnem servandum pro eodem pretio valeam tuta conscientia eundem alteri denuo vendere?

163 R. Non vales; quemadmodum enim tibi facta fuit injuria gravis à tuo venditore, præsertim si is agnovit vitium mercis, ita & tu novam, & quidem satis gravem injuriam inferres alteri, contra notissimum illud lumine naturæ clarum principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Et sicut tu monetam spuriam ab alio acceptam tuta conscientia non potes alteri reddere velut bonam, nec vitrum, quod pro gemma emisses, rursus alteri pro gemma vendere, ita sanè nec equum cœcum, quem emens existimasti videntem, rursus alteri pro vidente vendere vales salva conscientia, sed teneris recurrere ad venditorem, à quo emisti, ut is tibi damnum resarciat. Videatur Sporer *tr. 6. c. 5. n. 64. & sequent.* La Croix *l. 3. p. 2. n. 948. & 960.* Illsung. *tr. 4. disp. 2. n. 400* Sporer *tr. 6. c. 5. n. 30.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Oenipolæ vinum satis generosum apposuit suis hospitibus, sed quia illud asperum nimis & rigidum visum fuit, hinc aliud vinum melius postularunt. Sempronius meliori non provisus, ut honori suo simul & commodo prospiceret, præmisit, se mox aliud, quod magis saperet allaturum: unde reversus in cellam vinariam eidem vino aquam superinfudit, sicque satis delymphatum hospitibus suis apposuit, & aucto quidem pretio, ne hospites crederent, hoc esse deterius illo priùs allato; quod etiam dicti hospites, utpote ignari fraudis & rei gestæ, gratanter acceptantes, cum gustu biberunt, & solverunt aucto pretio. Quæritur an Sempronius tuta conscientia id facere potuerit?

164 R. Cum distinctione; nam attendendum est in hoc casu 1. an pretium adhoc fuerit justum, etsi fortè summum, an verò non? si non: de se liquet, Sempronium hoc practicando peccasse, sin minùs graviter, saltem leviter, juxta proportionem deceptionis. Secundò, item considerandum est, an quantitas vini ab hospitibus consumpti fuerit magna, vel exigua; nam si supponatur fuisse exigua; non tam facilè credi debent fuisse inviti, quàm si quantitatem magnam

con-

consumpsissent; præsertim si vinum ita delymphatum magis sapuit, quàm priùs. At

Dices. Hoc ipsum est in quæstione, an pretium à Sempronio taxatum fuerit adhuc justum vel non: unde igitur hoc colligendum?

165 R. ex communi Doctorum, aliud esse justum pretium medium, aliud summum, & aliud infimum, quorum quolibet justè exigi potest, secundùm diversitatem circumstantiarum, utputa locorum, personarum &c. putatque la Croix, quòd, si alicubi medium pretium v. gr. pro aimera Vini sint 10. floreni, tunc infimum fore 8. cum dimidio, & summum 11. cum dimidio. Verùm P. Sporer *tract. 6. in decal. c. 5. num. 26.* sapienter, ait, quoad hoc standum esse judicio prudentum, secundùm circumstantias fori, & communem sensum negotiatorum. Unde breviter dicendum existimo, quòd, si vinum Sempronii nondum lymphatum seu aqua mixtum, jam fuisset à Magistratu taxatum illo pretio, quo hospitibus fuit primò oblatum; vel si alii intelligentes prudenter judicassent, vinum illud aqua delibutum, non ampliùs esse dignum tanto pretio, Oenipola nequaquam potuerit salva conscientia prætendere majus pretium, sed potiùs debuerit compensare tantum, quantum auxit pretium; quod quidem facilè potuerit exequi, unam aut alteram mensuram dictis hospitibus vel gratis offerendo, vel saltem non computando.

At verò, si nec à Magistratu, aut alio superiore fuit taxatum pretium vini, & hoc ab aliis prudentibus fuisset abhuc judicatum dignum pretio augmentato, facilè absolverem à peccato, & ab onere restitutionis; tum quia fraus vel nulla vel omnino exigua intervenit; tum præsertim quia Sempronius id suppponitur fecisse ob rationabilem causam, puta ad servandum suum honorem, & ad conservandum hospitum concursum: ob similes autem rationabiles causas faciliùs permitti potest, ut merces aliquo modo corruptæ vendantur, modò deceptio illa non sit æquo gravior. Videatur de hoc Layman *lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 15. §. limitat.* Sporer *tr. 6. c. 5. nu. 80.* Reinffestuel *l. 3. decret. tit. 17. §. 5. n. 124.*

Dices adhuc: quid si autem talis Oenipola vinum uni duntaxat cariùs vendat, quàm cæteris omnibus, ut, si mensuram aliis omnibus dare consuevit pro 6. paciis, & uni Titio eam vendat pro medio floreno, an non impinget in leges justitiæ?

166 R. In hoc casu pariter esse attendendum 1. an hoc vinum à Magistratu vel alio Superiore legitimo fuerit taxatum pro 6. paciis duntaxat, vel non? quia justo pretio taxato in utroque foro standum est, juxta communissimam DD. quam tenent cum Molina, Sanchez, Castropal. & aliis Reinffestuel. *loc. proximè cit. num. 131.* Quòd si pretium non sit taxatum, & ab aliis adhuc reputaretur tale vinum dignum medio floreno in his circumstantiis loci, personarum &c. etsi supponatur summum intra limites justi pretii, non peccat Oenipola; nam qui justo pretio vendit merces suas voluntariè ementibus, nulli facit injuriam. Secus dicendum foret, casu quo pretium jam fuisset taxatum, aut ab aliis intelligentibus reputaretur excessivum; non enim fas est cuilibet pro suo libitu rem vendere, sed justo tantùm; veluti rursus cum communissima tenent Navarrus *in manual. c. 23. n. 84.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17.* Reinffestuel *loc. cit. num. 120.* consequenter ex hac suppositione per se loquendo teneretur Oenipola ad restitutionem damni.

167 Dictum tamen fuit: *per se loquendo, & supposita taxa justi pretii Oenipolam teneri ad restitutionem &c.* nam per accidens excusari subinde posset & à peccato contra justitiam, & ab onere restitutionis, si nimirum sciret, sibi ab hoc vel difficulter & serò nimis, vel omnino nunquam satisfactum iri pro vino. Ratio est: quia subire hujusmodi periculum, etiam est aliquid pretio æstimabile, & plerùmque dilatio solutionis causa est lucri cessantis, vel damni emergentis: ergo quemadmodum in mutuo, cambio & aliis similibus contractibus propter hujuscemodi pericula justè aliquid exigitur ultrà sortem, ita & in hoc casu, non

obstante justa taxa Magistratus vel Principis, quippe qui taxam communem statuendo, sicut non præviderunt tale periculum, ita nec præsumuntur voluisse constitutionem suam extendere ad hujusce modi casum particularem Lessius *lib.* 2. *c.* 21. *dubit.* 6. *nu.* 54. Diana *part.* 1. *tr.* 8 *Resolut.* 57. la Croix *nu.* 945. Illsung. *tract.* 4. *disp.* 2. *num.* 402. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 17. *§.* 6. *num.* 151.

CASUS TERTIUS.

Cajus certæ cujusdam Religionis Professor Budæ ex Hungaria scribendo petiit à quodam Calcographo Augustano, ut sibi pro adornanda disputatione solemni ad festum B. Virginis Mariæ in Cœlos assumptæ per ratem vel navim transmitteret ducentas imagines cum impressis, vel potius cupro incisis conclusionibus theologicis: quod, & factum à Calcographo tempore satis maturo, & debito. Verùm theses illæ (nescio quo fato) in itinere tamdiu detentæ fuerunt, ut primùm ad finem mensis Septembris Budam appulerint quo tempore, cùm dictus Professor non ampliùs opus habuerit, ob disputationem jam ante mensem celebratam, easdem denuo eadem occasione navali Augustam Calcographo remisit. Quæritur jam 1. *an juste* 2. *Quisnam debuisset luere, damnum, casu quo dictæ theses Dannubio immersæ periissent.*

168 R. ad primum Probabiliter justè, saltem pro foro conscientiæ. Ratio est: quia quamdiu contractus nondum est completus, tamdiu manet dominium mercis apud venditorem, uti communissimè tenent DD. Molina, Rebellus, la Croix *cit. lib.* 3. *part.* 2. *num.* 705. Illsung. *tract.* 4. *disp.* 2. *num.* 410. & habetur clarè decisum *l. necessariò ff. de periculo, & commod. rei Vend.* atqui contractus in nostro casu nondum fuit completus, & perfectus; tum quia Professor nondum præstitit solutionem, nec alium fide-jussorem suo nomine substituit; tum etiam quia verosimiliùs, nunquam intendit emere theses primùm obtentas vel obtinendas post disputationem solemniter jam celebratam, ideòque contractus ille fuit saltem tacitè conditionatus, quòd scilicet vellet illas theses solvere, *si tempore oportuno eas recepisset*: atqui hæc conditio non fuit adimpleta: ergo probabiliter tuta conscientia potuit eas remittere Calcographo. Videantur Layman *libr. tertio tractat. quarto capit. quarto numer. secundo* Molina *disputat.* 205. *numer. sexto* Sporer *tractat.* 6. *capit.* 2. *numer.* 15.

169 R. ad Secundum cum distinctione Vel enim culpa alicujus supponitur periisse, vel mero casu aut infortunio? si primum: periissent culpabili; si secundum, probabiliter periissent Calcographo. Ratio petenda est ex dictis *numer.* 153. quia *omnis res, qua casu perit, Domino perit*: è contra *omnis res, quæ culpa perit, culpabili perit* in tantum, ut is teneatur luere damnum juxta proportionem culpæ, ita scilicet, ut si fuit graviter culpabilis coram Deo, teneatur in utroque foro resarcire damnum, si verò levem duntaxat culpam in foro conscientiæ commisit, aut merè politicam, in hoc quidem foro justè condemnabitur ad restitutionem; ante sententiam judicis tamen nullatenus tenetur damnum resarcire, veluti constare debet ex dictis suprà *Confer. quarta numer.* 95.

Dices Calcographus Augustanus tempore satis maturo theses extradidit Nauclero, transferendas Budam; ergo non ampliùs fuit illarum Dominus, sed præsumi debet transtulisse dominium in Professorem, & consequenter casu quo periissent non Calcographo, sed dicto Professori, vel certè Nauclero, si is culpabilis exstitit, periisse censeri debent.

170 R. Neg. Conseq. Etenim vi emptionis dominium mercis etiam traditæ non aquiritur Emptori priùs, quàm is pretium solvit, vel dedit cautionem de solutione præstanda, sive dein mediante pignore, aut fide-jussore &c. uti habetur *instit. de rerum divisione §. venditæ*: & ratio hujus est: quia quamdiu contractus ex parte emptoris non est completus, meritò venditor reputatur rem venditam sibi realiter obligata reservare voluisse: atqui contractus ex parte Emptoris, scilicet Professoris, nondum erat, completus præstita solutione, &c. ergo. Quin, immò ex eò, quòd Calcographus debito

debito tempore extradiderit Nautæ, minimè censeri debet abnegasse earum dominium; quandoquidem Nauta non fuit persona ab ipso Professore, sed potiùs à Calcographo substituta, ut hujus nomine eas transferret: quare potiùs debebant reputari esse in via extraditionis, quàm actu extraditæ professori: consequenter Nauta adhuc debuisset luere damnum, casu quo culpabiliter eas submersisset Danubio.

At quid, si Nauta theses illas assumpsisset transportandas in Hungariam ex mera charitate sive erga Calcographum, sive erga Professorem, tenereturnè ex hac suppositione resarcire damnum, casu quo periissent in itinere?

171 R. Cum distinctione. Vel enim supponitur dedisse causam positivam interitus, utputa quia culpabiliter eas projecit in Danubium, aut vendidit, aliovè modo distraxit &c. vel dedit causam negativam duntaxat, utputa quia eas non satis custodivit, proptereàque malitia alterius aut in flumen projectæ, aut furto ablatæ fuerunt? si primum, tenebitur ad compensationem damni Domino illati; quia non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia tenebatur eas non destruere vel alienare &c. ergo dando causam positivam interitus, violat justitiam cum damno proximi, & hoc ipso contrahit onus restitutionis. Si secundum, neutiquam tenetur ad compensationem damni; quia non peccavit, nisi contra charitatem: atqui ex læsione solius charitatis non oritur obligatio restitutionis, uti dictum fuit *Confer. 1. numer. 5.* ergo. Secùs dicendum foret de Bajulo à re conducto, & ex justitia obligato ad transportandum; nam eo ipso quòd talis permittat rem culpabiliter perire, etsi sine causa positivè data ad interitum, violat justitiæ leges, & per consequens incurrit onus restitutionis, veluti ratio & praxis recepta probat, juxta mox dicta *n. 169.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

172 Colliges ex hactenus dictis primò, in hac materia vel maximè attendendum esse à Confessario, sub cujus dominio steterit res, quæ periit; quia si casu periit, regulariter loquendo Domino perit: si verò periit culpa, is qui culpabiliter dedit causam interitus, cogetur luere damnum.

Notat tamen P. la Croix *l. 3. p. 2. numer. 705.* in venditione & emptione speciale quid observandum: nam licèt dominium non transferatur in emptorem, sed maneat apud venditorem, donec res empta sit tradita; nihilominus emptione semel perfecta, periculum & commodum rei transit ad emptorem, nisi aliter convenissent. Ita statuitur jure civili *l. id quod 7. ff. de pericul. & comod. rei vendit.* item *l. 1. & 2. C. eod. & Instit. de empt. & vendit. §. 3. cùm autem.* Verùm quia Doctores communiter advertunt, has leges tunc duntaxat observandas esse, quando partes aliter non convenerunt; ideò singulariter pro foro conscientia est attendendum ad modum & conditiones, sub quibus contractus fuit initus, nec non ad locorum consuetudines approbatas, & constitutiones municipales loci, in quo contractus fuit celebratus: habet autem hoc (ni fallor) praxis recepta, ut si nunc Mercator v. g. Salisburgensis scribat alteri v. g. Augustano &c. ut sibi hoc vel illud genus mercium transmittat pro solutione præstanda, ille qui petiit, scilicet Salisburgensis, nec dominium illarum, neque periculum in via subeundum in se suscipiat, donec effectivè postulatas merces obtinuerit; id, quod etiam æquitas postulare videtur; nam vice versâ periculum pretii seu solutionis manet apud hunc, scilicet qui merces postulavit, donec alter à quo postulavit pretium transmissum effectivè obtineat: ergo justum est, ut & periculum mercium maneat apud alterum, eò usque, dum ritè fuerint extraditæ postulanti. Vide de hoc Herincx *p. 3. tr. 3. disp. 4. q. 5. item disp. 8. n. 112.* Illsung *ubi suprà numer. 409. & seqq.* Reiffenstuel *l. 3. decret. tit. 17. §. 8.* Unde

173 Colliges secundò, si in Casu tertio mox relato Cajus Professor alium bonum amicum Augustæ substituisset & rogasset, ut is suo nomine à Calcographo the-

theses emeret, sibique transmitteret per aquas, & amicus ille soluto pretio postulatas theses Nautæ concredidisset, damnum illud ex submersione thesium, nec Calcographo Augustano, neque amico illi, sed vel Nautæ culpabili, vel Professori portandum incubuisset. Ratio est: quia ex hac suppositione amicus, utpote non proprio, sed alieno nomine emendo theses, harum dominium illico transtulisset in Professorem, immò fictione juris censetur ipse Professor eas emisse, & consequenter sicut dominium, ita & periculum in se suscepisse, eò præsertim, quòd solutione jam præstita, contractus utraque ex parte jamjam exstiterit completus & perfectus, ergo si periissent, non ampliùs Calcographo, sed Professori, ceu vero earum Domino periissent. Vide de hoc P. Sporer *tr.* 4. *c.* 4. *numer.* 11. Lugo *tom.* 1. *de justit. disp.* 21. *sect.* 5. *n.* 57.

174 Colliges tertiò, in ordine ad decidendam obligationem restitutionis, ortam ex contractu non servato, vel maximè etiam à Confessario esse attendendam gravitatem, vel levitatem culpæ commissæ; nam si is, cujus incuria vel negligentia res ex contractu debita perit, deprehendatur non commisisse culpam gravem, absolvendus est ab onere gravis restitutionis; quia cùm tota radix restitutionis hujus fundetur in delicto, ideò nequit quantitas obligationis excedere quantitatem delicti. Ex quo rectè infert P. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *a.* 3. *numer.* 35. Eum., qui ex ædibus suis aliquid inconsultò effudit, aut ejecit; qui canem alligare, candelam ardentem extinguere, aut furnum claudere fuit oblitus, indeque damnum alteri evenit, etiam in re, quam habebat ex contractu, non teneri aliquid restituere; eò quod nullo jure nec naturali neque positivo hic oriatur obligatio in foro conscientiæ & ante judicis sententiam: secus dicendum foret, casu quo quis sese specialiter obligasset ad evitandam omnem, etiam levem culpam, uti jam dictum fuit *n.* 155.

175 Colliges quartò, ad restitutionem seu damni compensationem obligandos esse Consiliarios, qui vi officii sui ad bene consulendum obligati, nihilominus ex ignorantia crassa vel lata dant consilium malum, ex quo aliis consequitur damnum injustum; ut si 1. Confessarius ex tali ignorantia inducat pœnitentem ad faciendam restitutionem, ad quam is neutiquam est obligatus 2. Si Theologus aliquis vel Jureconsultus respondeat, certum aliquem contractum esse justum, qui revera injustus est &c. Ratio est: quia tales ex suo officio. & professione sua tenebantur habere sufficientem rei notitiam, erroresque in consulendo vitare: ergo cum malè consulendo influxerint etiam positivè in damnum alterius, tenentur illud pro possibili, & pro gravitate, culpæ commissæ compensare, Lessius *cit. l.* 2. *c.* 7. *num.* 33. Mezger *to.* 3. *tr.* 12. *disp.* 32. *a.* 3. *num.* 3.

176 Colliges Quintò, Hujuscemodi, Consiliarios manere obligatos ad revocandum consilium malum, quamprimùm advertunt, se errasse consulendo, dummodo illud utiliter valeant revocare: idque omnino verum est, tametsi priùs consulendo optima fide processissent. Ratio est quia non revocando consilium, quod advertunt esse damniferum, jam reputantur voluntariè continuare causam injustè damnificantem: quemadmodum ergo ille, qui inculpabiliter ignem admovens ad domum vel horreum alterius, tenetur illum inde amovere, quamprimùm advertit incendium oriturum, ita etiam in nostro casu Confessarius &c. tenetur revocare suum consilium, ex quo prævidet alterum iri damnificatum. Veluti *ex communi DD.* tradit Lugo *de justit. tom.* 1. *disput.* 8. *sect.* 7. *num.* 95.

177 Colliges Sextò. Econtra non teneri ad compensationem damni, qui, etsi sit agnitus ut insufficiens, nihilominus ab alio fuit consultus. Ratio est: quia talem consulens debet sibi imputare damnum ex malo consilio ortum: nam scienti ac volenti non fuit facta injuria. Nihilominus si ex hujusmodi consilio, prævideatur secuturum damnum alicui tertio, tenetur consiliarius imperitus illud revocare, vel executionem sui consilii modo humanitùs possibile impedire,

secus

secus enim velut positivè cooperans ad damnificationem injustam, teneretur damnum recompensare, veluti constabit ex dictis *suprà n.* 119. & 137. quæ revide, si placet.

178 Colliges septimò, non teneri ad restitutionem eum, qui juxta sententiam verè probabilem dedit consilium.

Ratio est: quia dans tale consilium prudenter agit, consequenter non peccat, modò sententia illa in his circumstantiis sit & maneat verè probabilis. Excusatur insuper ab onere restitutionis ille, qui simpliciter aperit suam mentem, dicendo ita sibi videri justum, vel licitum, absque eo, quòd positivè suadeat, ut alter illud amplectatur. Item qui consultus respondet, se quidem putare hoc vel illud esse consentaneum æquitati, dubitare tamen, an revera non erret; quia tunc alter illud amplectens, & amplectendo damnificans sive se ipsum, sive alium, debet hujuscemodi damnum imputare suæ temeritati, uti rectè advertunt Lessius *mox citatus num.* 33. eumque secutus Mezger, Pettschacher & Babenstuber *ubi suprà a.* 3. *n.* 25.

179 Colliges denique octavò, non esse tutos in conscientia Aurifabros illos, qui bene advertunt venditorem velut hominem simplicem non agnoscere justum pretium mercis sibi oblatæ v. g. gemmæ, annuli &c. Ratio est: quia emptor non minus tenetur servare æquitatem & justitiam commutativam in contractu, quàm venditor: ergo sicut venditor non potest salva conscientia pluris acceptare, quàm justum pretium exigit, ita emptor non potest minus dare, quàm limites justi pretii exigunt. Nec excusatur ex eo, quòd forte dicat tali homini simplici, ut mercem suam bene consideret, & siquidem majoris forte esset pretii, liberè sibi condonet; quia talis condonatio facta ab ignorante non videtur habere tantum voluntarii, quantum requiritur ad validam condonationem; non enim est verosimile, quòd si, is pretium rei bene intelligeret, vellet condonare, saltem si supponatur excessus pretii ignoratus esse valde magnus. Videantur de hoc Lugo *disp.* 26. *sect.* 8. *numer.* 137. Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 17. §. 7. *nu.* 191. Sporer *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 69. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 951.

CONFERENTIA

SEPTIMA.

De Restitutione debita ex læsione proximi in bonis spiritualibus animæ.

SUMMARIUM.

180 *Quid nomine bonorum spiritualium animæ intelligatur.*

181 *Pro damnificatione facta in potentiis spiritualibus, utputa usu rationis &c. probabiliter nulla debetur restitutio.*

182 *Qui alium inducit in errorem peccat pro gravitate erroris;*

183 *Unde, si inducat in errorem practicum cum notabili damno animæ, graviter delinquit.*

184 *An, & quomodo peccet, qui alium inducit ad peccatum.*

185 *Qui Religiosum, vel Monialem professam seducit, graviter peccat; & quomodo?*

186 *Si fraude vel dolo seduxit, tenetur* 1. *removere dolum, &* 2. *damna inde illata compensare.*

187 *Quo modo compensatio hæc sit facienda.*

188 *Quo modo peccet, qui Candidatum, vel Novitium avertit ab Ordine, vel à Professione religiosa.*

189 *Qui vi vel fraude talem avertit, probabiliter tenetur ad aliquam compensationem Religioni præstandam.*

190 *Resolvitur Casus I. cujusdam viduæ, quæ pauperculo studioso sub spe potiundi matrimonio præbuit necessaria ad studiorum prosecutionem, sed vana spe elusam se sentiens, maleficio illato injuriam vindicavit.*

191 *Si studiosum illum nunquam obligavit ad promissionem matrimonii futuri,*

neque ad refusionem expensarum, debebit sibi imputare, quòd nihil recipiat.

192 *Unde Titia ante omnia tenetur tollere maleficium modo moraliter possibili:*

193 *Et quid, si hoc non amplius possit facere.*

194 *Resolvitur Casus II. de quadam Vetula, quae puellam aliquam sinistrè & dolosè informando, graviter decepit, ut hæc impraegnaretur.*

195 *Non tamen videtur propterea obligata ad aliquam restitutionem.*

196 *Esto etiam habuerit sinistram intentionem decipiendi praefatam puellam.*

197 *Resolvitur Casus III. de quodam Juvene sollicitante quandam puellam ad carnalia, & hac via fraudulenter inducente ad connubium.*

198 *Qui pariter per accidens saltem videtur excusandus ab onere restitutionis vel compensationis faciendae.*

199 *Nedum illi, qui aliquem erroneè instruunt, sed & qui aliquem injustè impediunt ab assequenda doctrina arte, vel à studio litterarum graviter peccare possunt.*

200 *Qui sine vi vel fraude, meris scilicet precibus aut blanditiis quempiam inducit ad peccatum, non peccat contra justitiam respectu inducti.*

201 *Quanta huic incumbat obligatio corrigendi seductum, & reducendi ad meliorem frugem.*

202 *Inducere aliquem ad peccatum veniale, per se loquendo non excedit culpam venialem.*

203 *Qui Novitio sine justa causa negat suffragium ad professionem, peccat mortaliter.*

204 *Solvitur quaedam instantia in contrarium facta.*

205 *Quaenam sint justae causae dissuadendi ingressum in Religionem, vel jamjam ingresso negandi suffragium ad professionem.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos, circa restitutionem faciendam ob læsionem in bonis spiritualibus animæ.

QUæres primò, quid intelligatur nomine bonorum spiritualium?

180 R. Nomine bonorum spiritualium animæ intelligi ea, quæ pertinent ad salutem animæ tam naturalem, quàm supernaturalem. Porro ad salutem supernaturalem pertinere dicuntur gratia, virtutes, Sacramenta, & alia hujusmodi, quæ principaliter conducunt ad salutem æternam; quò etiam reducendum est bonum status religiosi vel Sacerdotalis. Ad naturalem verò salutem animæ pertinent ingenium, usus rationis, & liberum arbitrium, nec non artes & Scientiæ rerum naturalium. Nec ullatenus ambigendum est, aut dubitandum, quin homo in hisce bonis æquè ac in aliis sæpiùs, quàm par est, damnificetur, prout tragica exempla nobis sufficientem dant probationem; idque cum damno tantò intolerabiliori, quantò præponderant hæc bona animæ bonis corporis. Unde

Quæres secundò, an teneatur ad restitutionem, qui alium privat usu rationis v. g. per philtrum, vel maleficium?

181 R. Probabiliùs non teneri ad restitutionem præcisè pro damno ex privatione sensus, seu usus rationis illato: tenebitur tamen reparare damnum bonorum temporalium, si quod emersit taliter privato: ut si is non ampliùs possit exercere suam artem aut functionem, qua hactenus sibi, & fortassis etiam aliis lucrari consuevit panem, aliaque necessaria. Ratio hujus resolutionis, & disparitatis inter utrumque hæc est: quia damnum in ipso usu rationis & aliis hujusce modi potentiis seu bonis spiritualibus illatum nullo pretio censetur æstimabile; quia hæc bona sunt in supremo ordine inter bona humana, nec quidquam reperitur in potestate hominum, quod his reputetur æquivalens:

valens: ergo pro ipso usu rationis fieri nequit, & hoc ipso nec debet fieri compensatio aliqua, sed satis est, quòd delinquens coram DEO agat pœnitentiam & , si fieri possit, ab injuriato postulet veniam: è contra bona illa temporalia verè sunt prætio æstimabilia, & possunt vel formaliter, vel saltem æquivalenter compensari: ergo debent compensari ab injuriante saltem pro rata spei, quam habuit læsus ad hujusmodi lucrum. Gomez *tom. tertio capit. sexto numer.* 12. Lessius *lib. secundo capit. octavo dubiat. prima num* 2. Herincx. *disputat.* 6. *num.* 1. Babenstuber *tract.* 7. *disp.* 5. *art.* 1. *num.* 2. & 5.

Quæres Tertiò, an peccet, & ad quid teneatur inducens alium culpabiliter in aliquem errorem intellectus, utputa vel positivè decipiendo illum, vel saltem finistrè informando? &c.

182. R. Etiam iste peccat contra justitiam, graviter aut leviter, pro gravitate vel levitate erroris, proptereaque obligatur corrigere errorem, & resarcire damnum inde secutum. Ita Navarrus *libr.* 2. *de restit. cap.* 2. *n.* 3. Lugo *disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 3. Sanchez, Sylvester, & alii. Ratio est: quia quivis habet jus ne inducatur in errorem ceu malum quoddam intellectus: ergo contrarium faciens peccat contra justitiam, sin minùs graviter, saltem leviter:

183 Dixi: *graviter vel saltem leviter*, scilicet pro ratione gravitatis vel levitatis seu etiam damni inde illati; pro cujus pleniori intelligentia advertendum est, alios esse errores merùm speculativos, circa veritates nullatenus ad praxim tendentes ut, quòd terra moveatur, cœli verò sient immobiles &c. vel quòd non detur purgatorium, &c. hisce verò erroribus merè speculativis aliquem inhibuere, etsi per se loquendo non videatur injuria gravis, in materia tamen fidei studiosè, & scienter aliquem sinistrè informare, minimè vacat culpa mortali, eò quòd ex hujuscemodi erroribus nata sint sequi innumera mala, animæque pericula, & damna; quam ob rem talis tenetur ad retractandum suum errorem, & ad ingerendam veritatem fidei Catholicæ. Alii autem sunt errores practici, utpote per se tendentes ad praxin, utsi aliquem doceas, quòd non teneatur ad restituendam famam proximo injustè ablatam, aut ad fugiendam occasionem proximam peccandi, tametsi posset &c. & qui tali errore alium imbuit, absque dubio graviter delinquit, cum onere resarciendi damna inde secuta, nisi debito tempore errorem dedoceat, & efficaciter retractet. Sanchez *libr. primo consil. c.* 3. *dubitat. quarta à. numer. undecimo* Lugo *disputat. nona section. prima numer. quarto, & sequentibus* La Croix *leg. tertia part. secunda numer.* 351. & 352.

Quæres quartò, an peccet contra justitiam cum onere restitutionis; qui alium allicit, & inducit ad peccandum?

184 R. cum distinctione. Nam si quempiam inducat sine vi vel fraude, non peccat contra justitiam respectu inducti, sed solùm contra charitatem, ex qua etiam tenetur eundem reducere ad meliorem frugem, & hoc modo reparare damnum illatum: at verò, si vi aut fraude aliquem inducat, peccat contra justitiam, vi cujus pariter obligatur nedum ad tollendam vim vel fraudem, verùm etiam ad procuranda media, quibus seductus gratiam amissam recuperet. Ita *communissimè* DD. Herincx. *ubi suprà numer.* 2. Bonacin. *de restit. disp.* 2. *q.* 1. *pu. un. num.* 1. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 59. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 36. *a.* 1. *n.* 6. Ratio prioris hæc est: quia volenti non fit injuria *c. volenti de R.I. in* 6. at, qui peccat non deceptus aut coactus, peccat sciens ac volens: ergo huic non fit injuria, etsi seductor adhuc possit peccare contra justitiam respectu tertii, si quempiam inducat ad hunc injustè damnificandum, idq; verum est, tametsi seductus ex inculpabili errore vel ignorantia non adverteret, se peccare; nam adhuc tale delictum coram Deo, & hominibus imputabitur Impostori, quippe qui non ignoranter, sed scienter supponitur induxisse ad injustam damnificationem.

Ratio autem posterioris hæc datur: quia quivis ratione sibi congenitæ libertatis habet jus, ne per vim vel fraudem inducatur ad malum: atqui peccatum, est malum: ergo qui inducit, peccat con-

contra justitiam cum onere restitutionis vel potiùs reparationis injuriæ illatæ. Et certè is, qui ab alio per vim extorqueret consensum in peccatum, huic irrogaret, injuriam: ergo etiam ille, qui per fraudem, aut, dolum inducit; quandoquidem dolus æquiparatur violentiæ secundùm omnes, teste P. Pettschacher.

Quæres Quintò, an peccet contra justitiam cum obligatione satisfaciendi, qui Monialem, vel Religiosum jamjam professum avertit seu seducit à Religione, faciendo illum apostatare?

185 R. primò cum distinctione mox data, Si enim seductor agit sine vi vel fraude, non delinquit contra justitiam, nec respectu personæ seductæ; utpote quæ volens supponitur apostatasse; neque respectu Religionis; quia hæc non habet jus, justitiæ in personam seductam, quippe quæ virtute Religionis duntaxat tenebatur perseverare in statu assumpto. Ratio autem posterioris hæc dari potest: quia vi seducens infert gravissimam injuriam tam personæ seductæ, quàm etiam Religioni, utpote habentibus strictum jus, ne per vim aut fraudem damnificentur. Ita rursus communissimè sentiunt DD. uti videre licet, apud Lugo *disp. 9. sect. 3. num. 28.* Suarez *de Relig. lib. 5. cap. 9.* Sanchez *ubi suprà lib. 1. cap. 3. dub. 2. num. 6.* & alios passim Unde.

186 R. Secundò. Talis Seductor ante omnia obligatur ad removendam vim vel fraudem; secus enim semper continuaret illatam injuriam; 2. tenetur insuper resarcire omnia damna inde secuta tum seducto tum etiam Religioni. Ratio patet ex dictis: omnis enim injustè damnificans tenetur ad resarcienda damna illata: ergo si quæ damna vel Religioni, vel etiam seducto supponantur esse illata, tenebitur seducens in conscientia eadem resarcire modo meliori.

At (inquies) quo modo hujusmodi damna Religioni sunt compensanda?

187 R. Ea duntaxat esse compensanda secundùm spem præsentem, quam habuit Religio de percipiendis emolumentis ex tali professo, & quidem deductis expensis, quas Religio facere debuisset. Quare cùm hæc emolumenta potuerint multipliciter adhuc impediri, utputa per mortem aut morbum talis Religiosi, aliisvè pluribus modis, quibus spes lucri reddi solet ambigua aut minùs certa; hinc juxta majorem aut minorem spem tunc præsentem, & juxta majores, minoresve expensas quas Religio debuisset facere, decidi debet quantitas restitutionis arbitrio prudentum; universalem enim Regulam circa hanc materiam tradi non posse, facilè patebit ponderanti, uti etiam rectè annotarunt Scotus *4. dist. 15. qu. 3. §. quantum ad argumenta.* Herincx *cit. numer. 5. fin.* Lessius, Lugo, La Croix *libr. tertiò part. secunda numer.* 347. *quos* vide si placet.

Quæres Sextò, quomodo delinquat, qui Novitium ab ingressu Religionis impedit, vel jam ingressum retrahit ad sæculum?

188 R rursus cum eadem distinctione mox data de retrahente Religiosum professum. Etenim si absque omni vi vel fraude aliquem impediat, non peccat contra justitiam, nec respectu Novitii, utpote consentientis, & volentis; neque respectu Religionis, cùm hæc nullum adhuc jus in Novitium possideat esto adhuc peccare possit contra alias virtutes v. gr. charitatis, pietatis &c. At verò si id faciat vi vel fraude, per se loquendo graviter peccat, utpotè lædens jus, quod Novitius ac Religio habuit, ne fraudulenter à bono sibi conveniente impedirentur. Undè probabilius tenetur tum Novitio, tum Religioni etiam satisfacere pro rata spei, quam habuere in ordine ad bona temporalia percipienda v. g. ex hæreditate, labore, aut industria, donatione &c. quemadmodum qui te vi vel fraude impediret ab obtinendo pio legato etiam gratuito, teneretur tibi satisfacere pro quanto spes illa judicio prudentum æstimaretur, veluti sapienter tenet Lessius *l. 2. c. 8. dub. 3. num. 15.*

189 Haud equidem ignoro, Sanchezio *l. 3. cons. mor. c. 3. dub. 2. n. 22.* placuisse contrariam opinionem, proptereaque probabiliter absolvisse hujusmodi Seductorem, fraudulentum ab onere compensationis, eò quòd Religio non habeat jus percipiendi prædicta emolumenta verb. grat. ex hæ-

hæreditate Novitii &c. nisi mediante professione; quæ, cùm sit valde contingens, & impedibilis, non videtur propriè præbere jus aliquod ad emolumenta proximè intimata. Verùm, esto ex hoc bene probetur, Religioni nondum competere jus actuale in ipsa bona talis Candidati aut Novitii, minimè tamen negari potest, quin actu habuerit spem (utique pretio æstimabilem) illa bona aliquando consequendi post factam jam professionem: ergo qui vi, dolo seu etiam fraude impedit Novitium ab ingressu vel professione, sicque spem illam eludit, tenetur pro rata hujus spei facere compensationem *si tamen inde verum aliquod damnum Religioni emerserit*: quod studiosè additur; nam sæpè contingit, ut loco retracti recipiatur alius, qui loco illius susceptus, vel ex toto, vel ex parte compenset damnum illud: quo casu fieri potest, ut obligatio resarciendi ex parte Seductoris vel notabiliter diminuatur, vel omnino extinguatur, uti rectè notat Tamburinus *l. 5. decalog. cap. 2. §. quint. numer. tertiò* Dicastillo *lib. secundo de justit. tractat secundo disput. 7. dub. secundo à num.* 16. Lugo *tom. 1. disp. 9. sect. 3. à n.* 28.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione restituendi debita ex injusta damnificatione in bonis animæ.

CASUS PRIMUS.

Titia Vidua cuidam studioso pauperculo (quem Titium appellamus) præbuit alimenta, & alia ad prosecutionem studiorum necessaria, animo ut post adeptam utriusque juris lauream ejus connubio potiretur. Verùm postea quam Titius in virum egregium evasit, sui jam compos factus, & insigni quadam Præfectura præditus, relicta Vidua in suo esse, duxit aliam puellam sibi magis arridentem. Quamobrem Titia vana spe elusam se cernens, postulavit refusionem expensarum hactenus factarum; Cui Titius reposuit se eas nunquam acceptasse animo rursus compensandi ex justitia, sed per modum eleemosynæ duntaxat. Contigit proin ut Vidua quasi in desperationem acta ope dæmonis, vel alterius maligni hominis (nescio) maleficium posuerit, vi cujus Titius nedum ad usum matrimonii impotens, verùm insuper usu rationis destitutus fuit, ut tandem evaserit in miserrimum virum. Occasione hujus Casus jam quæritur 1. ad quid Titius fuerit obligatus, & 2. ad quid Vidua sit obliganda, casu quo pœnitens facta recurret ad Confessarium?

190 R. ad primum. Si Titia studiosum nunquam obligavit ad ineundum secum connubium, vel certè ad refundendas expensas, etsi in animo habuisset hanc intentionem (perveniendi scilicet ad matrimonium) Titius nequaquam tenetur ad matrimonium, neque ad expensas de jure refundendas. Ratio hæc est: quia si teneretur, tunc vel maximè ex contractu aliquo cum Vidua inito; at, hoc non; quia ad verum contractum essentialiter requiritur animus, & intentio saltem implicita se obligandi, siquidem tota obligatio ex contractu orta nascitur à voluntate paciscentium *c. contractus* 85. *de Re I. in* 6. atqui Titius fatetur, nunquam habuisse animum sese obligandi ex justitia ad refundendas expensas, quin potiùs asserit, se eas duntaxat acceptasse per modum eleemosynæ, quæ utique non debet ex justitia refundi: ergo vi hujus non tenetur ad alterutrum, etsi gratitudo jure naturæ nota suadeat, ut pro illis animum gratum exhibeat. Hac igitur suppositione facta Vidua sibimet imputare debet, quòd pro nimia sua liberalitate, & charitate nihil ampliùs percipiat; quemadmodum qui facit liberales expensas, animo obtinendi aliquod beneficium vel officium, de jure non ampliùs potest prætendere compensationem expensarum, esto beneficium non obtineat, veluti clarè deducitur *ex l. prima §. conventiones ff. de pactis*. Item *Leg. tertia de obligat. & actionib.*

191 Dixi tamen: si Titia studiosum nunquam obligavit &c. secus enim resolvendum foret, casu quo eidem contestata fuisset, se aliter nolle præbere expensas necessarias, nisi *cum onere ineundi secum matrimonium, &c.* quia hoc supposito, Titius non potuisset aliter acceptare expensas

pensas illas, quàm animo saltem implicito sese obligandi ad jungendas cum illa manus in conjugio: quemadmodum qui acceptat usum corporis à puella non aliter, quàm cum onere matrimonii ineundi concessum, aliter acceptare non potest, nisi ex naturali æquitate, & justitia contrahendo obligationem ducendi talem puellam secundùm communissimam DD. apud Molinam *tom.* 3. *disp.* 106. *num.* 4. Lessium *lib.* 2. *capit.* 10. *dubitat. tertia* Laym. *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *nu.* 10. Coninch. Armillam, & alios.

192 R. jam ad secundum. Titia ante omnia à Confessario est obliganda ad auferendum maleficium; secus enim velut, indispositа, non erit capax absolutionis, ut de se liquet 2. obliganda est ad restituendum, non quidem pro ipso usu rationis, utpote inæstimabili prætiò secundùm dicta *numer.* 181. sed pro damnis, in bonis seu emolumentis temporalibus ex tali privatione consecutis, utputa si Titius propterea nihil potuit lucrifacere, aut omnino suo cedere officio. Ratio jam fuit, data *num. prox. cit.* (Cæterùm, an Titia intuitu expensarum à se factarum justè possit aliquid prætendere, colligendum, ac resolvendum erit ex eo, an Titius studiosus unquam sese obligarit ad refundendas illas expensas, vel non, veluti dictum fuit proximè *n.* 190.

At quid, inquies, si Titiæ non sit ampliùs liberum tollere maleficium?

193 Nihilominus obliganda est ad refundenda omnia damna ex illato maleficio jam consecuta, & in posterum consecutura. Ratio est: quia scienter ponendo maleficium dedit culpabiliter causam omnibus istis damnis: quamvis proin defacto non ampliùs velit nocere, immò, & doleat, aliquando nocuisse, nihilominus omnia hæc damna eidem imputantur velut in causa, voluntariè data, ad quæ resarcienda in omni foro adstringitur: quemadmodum mandans adstringi debet ad compensanda damna vi sui mandati illata, etsi illo tempore, quo à mandatario executivè inferuntur, vel maximè doleat de suo mandato, velletque, illud nunquam à se datum fuisse; veluti rectè docent Lugo *tom. primo de justit. disputat.* 19. *sect. secunda* §. *primo numer.* 26. Sporer *tract. quarto capit. quinto numer.* 10. & *alii communissimè*.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia jam pridem conceperat violentas suspiciones de aliqua puella, quòd inhonestum haberet consortium cum aliquo Juvene, & ideò duntaxat nunquam evasisset gravida, quòd solerent impedire generationem. Idcirco, ut omnimadam deprehenderet veritatem, eidem puella aliquàndo familiariter colloquendo dixit inter alia, se scire quoddam remedium efficacissimum, & infallibile, quo, si qua mulier uteretur, intra 24. *horas non posset impraegnari: cùmque præfata puella cuperet illud nosse, Sempronia protinus aliquod edisseruit, etsi gnara huic remedio nec minimam inesse vim in ordine ad impediendam generationem. Paulò post puella remedii hujus vim, & efficaciam experiri volens, admisit copulam perfectam, sed illico evasit gravida, non sine maxima sua confusione, & pœnitudine. Jam quærere licet ad hunc casum* 1. *utrùm vel quomodo Sempronia deliquerit decipendo puellam?* 2. *utrùm teneatur ad aliquam compensationem damni, quod puella ex sui diffamatione, & impraegnatione incurrit?*

194 R. ad primum. Minimè dubitandum esse, quin Sempronia (saltem per se loquendo) graviter deliquerit. Ratio est: quia puellam hanc graviter decepit, imbuendo intellectum illius errore tam pernicioso. Et licèt error iste ex se fuerit merè speculativus, proptereaque non graviter nocivus; quia tamen prævidit, fore, ut puella effectum, & afficaciam illius velit experiri; immò verò, quia, ut in specie facti narratur, eo fine hunc errorem puellæ ingessit, ut certiorem adipisceretur notitiam de inhonesto consortio, ex quo eam graviter diffamandam prævidit; hinc certum videtur, quod Sempronia contra charitatem graviter deliquerit, & suo modo etiam, contra justitiam; cùm quivis homo habeat jus, ne fraude vel dolo quocunque demum modo circumveniatur, aut inducatur in damnum, veluti satis liquet

quet ex hactenus dictis *nu.* 84. & ampliùs constabit ex dicendis.

195 R. nihilominus ad secundum, Semproniam non teneri ad aliquam compensationem; non enim ad compensationem famæ, utpote jam irrecuperabiliter deperditæ; neque ad compensationem damnorum ex conceptione prolis ejusdemque sustentationis onere incursorum. Ratio est: quia error ille, utpote merè speculativus non exstitit causa horum damnorum; quippe quo stante, & non obstante puella potuisset ac debuisset abstinere ab illo inhonesto consortio. Et licèt fortassis fuerit quoddam motivum impulsivum ad continuandum illud inhonestum consortium, id tamen propterea solùm contigit, quòd puella propria sua malitia, & curiosa non minùs, quam malitiosa voluntate illud experiri volens, copulam perfectam admiserit; quæ, cùm sola extiterit causa impregnationis, cæterorumque damnorum inde sequentium, ideò hæc puellæ, non verò Semproniæ imputari debent velut causæ injustæ damnificanti: constat enim ex regulis generalibus Restitutionis suprà datis, neminem condemnandum esse ad aliquam restitutionem nisi actione externa injusta dederit causam efficacem damni: atqui talem non dedit Sempronia, quippe quæ nec mandavit, neque etiam suasit puællæ ut haberet inhonestum consortium &c. ergo &c. Profectò ne quidem in foro exteriori Sempronia condemnaretur ad compensationem damnorum puellæ impendentium, tametsi Judici constaret, eidem fraudulenter suggestum fuisse remedium, quo non evaderet gravida. Videatur Sporer *tractat. quarto capit. tertio numer. quinto* & quæ diximus suprà *capit.* 4. *num.* 98.

Dices adhuc. Sempronia videtur saltem habuisse intentionem sinistram, qua voluit puellam graviter diffamari, & damnificari, quandoquidem facilè potuerit, prævidere, fore ut puella tale remedium velit experiri cum damno, immò verò ex hoc fine quodammodo illud suggesserit: ergo ab onere restitutionis non est absolvenda.

196 R. Esto etiam supponatur hæc omnia prævidisse, & sinistram hanc intentionem habuisse (potuisset enim habere aliam meliorem) tamen neque hæc intentio, utpote merè interna, neque etiam sinistra illa persuasio vel error intellectui ingestus, fuit per se causa impregnationis, uti jam monstratum est: ergo vi hujus non debet condemnari ad restitutionem. Certè si tu asseveranter diceres, tali aut tali medio hominem reddi invulnerabilem & alius id audiens, ac probare volens, se ipsum lædat, mutilet, aut omnino occidat, vel duellando occidatur ab alio, nemo facilè dicet, te esse homicidam, proptereaque obligatum ad resarcienda damna ex tali homicidio secuta; non enim ex tua persuasione sinistra, sed ab alio fuere illata, veluti fusiùs demonstrat Lessius *lib.* 2. *de justit. capit.* 9. *dub.* 16. *nu.* 111. & apud hunc Sotus *lib. quart. qu.* 6. *à.* 3. *ad quartum argumentum*, Lopez *tom.* 1. *cap.* 63. ergo nec Sempronia nostra dici debet causa impregnationis, vel damnorum inde sequentium; consequenter, &c. &c.

CASUS TERTIUS.

Cajus libenter duxisset puellam quandam satis divitem, pulchram, & modestam, quam, cum in suam sententiam nullis rationibus trahere potuisset, dolo inducendam existimavit. Cœpit exinde eandem ad inhonesta importunissimè ac instantissimè sollicitare, usque dum hæc tandem tactus valdè lascivos, immo, & copulam imperfectam admisit. Post hæc Cajus puellæ, utpote rei valde ignaræ ac innocenti, facilè persuasit, eam indubitanter jamjam concepisse, nec jam aliud superesse remedium evadendi infamiam imminentem, quàm citò dare manus in connubium, quod & factum. At paulò post meliùs edocta de toro conjugali animadvertit, & dolenter ingemuit, se à Cajo Marito suo insigniter fuisse deceptam. Quæritur jam 1. quomodo Cajus peccaverit: secundò an teneatur ad aliquam restitutionem, vel compensationem.

197 R. ad primum, Cajus gravissimè deliquit, tum importunissimis suis sollicitationibus ad peccata luxuriæ; tum etiam falsa persuasione, qua puellam traxit

traxit ad conjugium. Ratio est clara: quisquis enim alterum scandalizat, peccat juxta illud Christi Domini apud *S. Matth. 18. c. v. 7. væ homini illi, per quem scandalum venit*: atqui Cajus sollicitando præbuit scandalum grave: ergo graviter deliquit nedum contra charitatem, sed etiam contra virtutem castitatis: sollicitatio enim ad peccandum sumit suam specificationem ab illa virtute, cui opponitur, ita, ut sollicitatio ad venerea repugnet virtuti castitatis, & sollicitatio ad peccatum injustitiæ virtuti justitiæ secundùm *omnes*.

Quin etiam contra justitiam Cajum graviter deliquisse, vel inde liquet, quòd puellam graviter deceperit, & erroneè persuadendo gravedinem, fraudulenter induxerit ad dandas in conjugium manus, de quo antea semper abhorruit. Ratio hujus petenda est ex dictis *n.* 182.

198 R. Jam ad secundum. Cajum ab onere restitutionis vel etiam compensationis excusari ob impossibilitatem; quæ, ut infrà *C.* 12. *n.*.... ex professo dicemus, excusat ab hoc onere. Ratio autem impossibilitatis facilè suadetur; nam si ad aliquam satisfactionem teneretur, tunc vel maximè 1. ad eximendum errorem conjugi suæ persuasum, & 2. ad reponendam eam in pristinam libertatem, vi cujus poterat nubere cuicunque demum placuisset: atqui errorem non tenetur ampliùs eximere, cùm uxor jamjam supponatur agnovisse omnimodam veritatem. Pristinæ autem libertati eam restituere æquè impossibile erit; esto enim matrimonium fortassis nulliter contractum sit defectu sufficientis consensus, quippe qui forsitan datus fuit ex solo metu & quidem gravi (scilicet incurrendi infamiam) injustè incusso in ordine ad contrahendum matrimonium; nihilominus in foro exteriori nunquam ampliùs impetrabunt dissolutionem matrimonii, partim quia talem metum nunquam poterunt satis probare in hoc foro; in quo aliunde semper præsumitur potiùs pro valore, quàm pro nullitate ejus; partim etiam quia si Conjux diu cohabitaverit pacificè, præsumetur pro valore & ratificatione consensus. Quin immò si mulier hæc ab initio liberè consensit in matrimonium; esto occasione sinistræ persuasionis fuerit mota ad dandum consensum liberum, matrimonium statim valuisset. Nihil proin in hoc casu superesse videtur Confessario, quàm, ut Conjugem illam nitatur persuadere ad ratificandum, vel etiam de novo dandum liberum consensum; idque pro majori certitudine de valore matrimonii, & ad præcludenda omnia peccata etiam materialia, quæ fortè potuissent incurrere dicti Conjuges; qua ratificatione posita ex parte solius etiam Uxoris, matrimonium certò subsistet, veluti diximus *theolog. moral. Sacrament. part. 3. de Matrim. Conf.* 14. *n.* 143. Cum Aversa, Kugler & la Croix *ibi citt.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

199 Colliges ex dictis primò, nedum illos, qui alium sinistrè & erroneè informant, intellectum erroribus imbuendo &c. graviter peccare posse; verùm etiam eos, qui aliquem injustè impediunt ab assequenda vera doctrina v. g. fidei, aut à litterarum studio, vel addiscenda arte &c. Quocirca specialiter delinquere possunt animarum Pastores, negligentes in cura ammarum, & non erudientes subditos in dogmatibus fidei, morum, & doctrina christiana. Item graviter delinquere possunt scholarum Præfecti, qui absque sufficiente causa studiosos è scholis excludunt, vel ad eas non admittunt. Ratio est: quia hoc modo inferunt damnum grave in bono animæ, veluti bene probant Pettschacher, Mezger *tom. 3. tr. 12. disp. 36. a. 1. n. 2.* & Babenstuber *tr. 7. disp. 5. a. 1. n. 3.*

200 Colliges secundò, Non peccare contra justitiam, qui citra vim vel fraudem, utpote meris blanditiis vel precibus aliquem inducit ad peccandum (secus dicendum de eo, qui inducit metu reverentiali, quippe qui æquiparatur violentiæ) Ratio est: quia tali inducto nulla infertur injuria; non enim invitus, sed volens supponitur consentire in peccatum; prout jam constare debet ex dictis, & ma-

ampliùs videri potest apud Layman *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 8. *num.* 1. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 59. *& alios*. Hoc non obstante etiam ille, qui meris blanditiis aliquem induxit ad peccandum, lege charitatis tenetur satagere ut seductus corrigatur, utputa monendo, orando &c. Id quod præcipuè locum habet, casu quo Superior subditum, vel Pastor oviculam seduxit, (utique non sine gravissima injuria in Christum) secus enim meritò timere debent, ne is aliquando animarum sanguinem de manu illorum requirat.

Ergone, inquies, hæc obligatio reducendi, & corrigendi seductum, gravis est?

201 R. Etsi per se loquendo non videatur gravis, quando seductus ipsemet agnoscit suam obligationem, & media resipiscendi; charitas enim, vi cujus seductor tenetur ad correctionem seducti procurandam, in tali casu non obligat graviter, uti rectè docent Lessius *lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 10. & Navarrus *lib.* 5. *consil. tit.* 3. *consil.* 2. *num.* 4. minimè tamen dubitandum est, quin gravior obligatio incumbat illis; qui aliundè constituti sunt non ad seducendum sed ad erudiendum, neque ad mactandum, sed pascendum. Verùm hæc insinuasse sufficiat: nam obligationem hanc gravissimam aliunde notissimam omni jure, pluribus inculcare, supervacaneum duxi.

Dices. Sed quid tenendum de eo, qui aliquem inducit ad mera venialia?

202 Resp Regulariter, & per se loquendo non peccat, nisi venialiter; quia peccatum veniale de se leve duntaxat malum est, aut certè communiter leve reputatur. Fieri tamen potest, ut talis graviter peccet ratione circumstantiarum, quemadmodum juxta *communissimam DD.* peccatum de se veniale ex circumstantiis potest degenerare in mortale. Nec dubitandum, quin graviter peccet ratione scandali, qui inducendo aliquem ad venialia, prævidet, fore ut talis, postea committat plura peccata, etiam graviora. Quo circa meritò de peccato mortali sibi timere possunt ac debent qui innocentes pueros, vel integræ vitæ puellas ad levia, & impura colloquia dolosè inducunt; licèt enim hæc quandoque sint solùm venialiter mala, in eo tamen vitæ statu hujusmodi innocentibus grave nocumentum animæ creare possunt, &. pro dolor! sæpius quàm par est (experientia teste) creant, uti bene notat Babenstuber *proximè cit. à* 1. *n.* 12.

203 Colliges Tertiò, mortaliter nedum contra charitatem, sed & contra justitiam peccare illum, qui sine justa, gravi, & rationabili causa alicui Novitio negat suffragium ad professionem. Ita *Communissimè Doctores* Herincx, Sporer, Sanchez, *lib.* 5. *in decal. c.* 4. *nu.* 59. Ratio est: tum quia talis repulsa à professione est magnum damnum, aut certè nata causare magnum damnum Novitio, quippe quem privat magno bono, & exponit magnis animæ periculis, insuper incurrit notam gravem, cùm de talibus ejectis seu expulsis à Religione mundus soleat malè, aut certè sinistrè judicare. Et certè qui sine gravi causa negat suffragium, inordinato, & passionato affectu ducatur, necessum est: atqui hæc omnia repugnant graviter charitati erga proximum: ergo. Quòd verò etiam justitiæ, inde facilè suaderi potest: quia Novitius cum Religione quasi tacitum pactum inire censetur, ut, si ea, quæ suarum sunt partium, ritè adimpleverit, ad professionem admittatur, & sine verè gravi causa non amplius expellatur: ergo qui huic suffragium negat sine causa justa, peccat contra justitiam: qua ratione taliter dimissus reclamare potest, contra Religionem vel Monasterium, uti tenet Sanchez *leg. proximè cit.* Lugo, & alii.

Dices contra hoc. Novitius non peccat contra justitiam, etsi sine justa, & rationabili causa deserat Religionem: ergo nec Monasterium vel Religio graviter peccat, tametsi sine gravi causa Novitium expellat.

204 R. Negando conseq. & paritatem Nam Religio non patitur grave damnum, nec ullam infamiæ notam ex eo, quòd Novitius erat: econtra Novitius patitur grave damnum, & exponitur periculis animæ suæ. Deinde Religio non habet jus ad retinendum Novitium, quippe qui induendo habitum non censetur

se

se obligare ad permanendum in ordine, sed ad sustinendam probationem, quantum, & quamdiu voluerit: è contra semel admissus in Religionem, & sacro habitu indutus, habet jus permanendi, & profitendi, si per omnia probatus, fuerit inventus dignus, & habilis: ergo qui sine verè gravi ac justa causa ei negat suffragium, graviter delinquit, saltem per se loquendo.

205 Dictum tamen semper fuit, graviter delinquere, *qui sine justa causa negat*, *&c.* secus enim dicendum, si id fiat ex rationabili, gravi, & fundata causa, quales esse possunt sequentes 1. si complexio Novitii sit tali Religioni inepta, utputa quia laborat aliquo defectu præsertim incurabili corporis v. g. oculorum, aurium, pedum &c. secundò si mores Ejus deprehensi sint ita pervicaces v. g. ob capitositatem &c. ut Religione inde meritò timeantur majora mala 3. si alio quodam, impedimento laborare noscatur, verb. gr. promissione matrimonii jam facta, vel si sit ære alieno gravatus, &c. Et hæ causæ à fortiori sufficiunt ad dissuadendum tali homini ingressum in Religionem; quibus Doctores insuper addunt nonnullas alias rationabiles causas ingressum dissuadendi, scilicet sequentes: 1. si status prævideatur futurus noxius Ingredienti 2. si in illa Religione aut Monasterio laxè vivatur 3. si Parentes graviter egeant auxilio, & subsidio illius &c. 4. licitum etiam est Parentibus, in casu, quo prudenter dubitant de viribus aut constantia ingressuri, ad tempus differre ingressum, vel ejus constantiam ac fervorem probare: peccant tamen gravissimè, si talem exponant periculis peccandi, vel si illiciant, aut faciant ab aliis allici ad voluptates, aliave illicita, ut sic à proposito avocent; quia hoc graviter repugnat pietati, & saluti animæ, cujus semper primariam curam deberent portare. Denique in casu, ubi dubitatur sitnè ratio dissuadendi ingressum, aut ingresso votum negandi justa nec ne, standum est pro Religione, utpote quæ securior est, & perfectior. Videatur de hoc Molina *tom. quinto tractat. quarto disput. 31.* Tamburinus *libr. quinto decalog. capit. secundo §. quinto numer. sexto* La Croix *libr. tertio pagina secunda numer. 346.*

CONFERENTIA
OCTAVA.

De Obligatione restituendi debita ex homicidio, mutilatione, stupro, & adulterio.

SUMMARIUM.

206 *Obligatio restituendi oritur ex solo homicidio injusto.*

207 *Quodnam homicidium censeatur justum vel injustum.*

208 *Pro ipsa vita, vel pro abscisso membro corporis de jure probabilius nulla debetur compensatio;*

209 *Bene tamen pro damnis temporalibus inde secutis.*

210 *Quid, & quantum sit restituendum Uxori, prolibus, vel aliis hæredibus defuncti.*

211 *Stuprator Virginis invitæ, etsi non pro ipsa pudicitia, tenetur tamen ipsi satisfacere pro aliis damnis inde secutis.*

212 *Secus dicendum, si puella liberè consensit in usum &c.*

213 *An, vel quantum sit restituendum pro adulterio.*

214 *Resolvitur Casus I. de Rustico, qui alium ligone percutiendo occidit.*

215 *Quid, vel quantum teneatur restituere hujus Uxori, ac prolibus relictis, si homicidium voluntariè commisit.*

216 *Quid item Creditoribus defuncti, vel aliis pauperibus, amicis &c. quibus ille in vivis benefacere consuevit.*

217 *Resolvitur Casus II. de quodam Nobili provocato ad duellum, & occidente alterum provocantem.*

218 *Ad quid teneatur, si culpabiliter alterum provocantem injuriasse supponatur.*

219 *Quid si duellando excessit modum defensionis inculpatæ tutelæ.*

220 Re-

220 *Resolvitur Casus III. cujusdam puellæ violenter oppressæ ab alio nobili stemmate nato.*

221 *An teneatur hic illi aliquid dare, si sola puella divulgavit stuprum sibi illatum, propereaque damnum incurrit.*

222 *Utrùm Confessarius bene consuluerit puellæ, ut interpellato Judice petat sibi satisfieri.*

223 *Qui sine mortali peccato homicidium perpetravit, etsi injustum, ad nihil tenetur.*

224 *Qui verò cum peccato mortali, tenetur refundere expensas in Medicos & Chyrurgos factas.*

225 *Non tamen tenetur ante Judicis sententiam aliquid dare pro ipso vulnere seu cicatrice, vel deformitate inde suborta.*

226 *A fortiori non tenetur aliquid compensare præcisè pro ipsa anima, etsi Confessarius convenienter injungere possit opera pia satisfactoria pro defuncto.*

227 *Puella sponte remittente injuriam, vel damna sibi illata, stuprator ad nihil tenetur.*

228 *Secus dicendum, si coactè solùm aut ex metu gravi remittat hanc obligationem.*

229 *Mulier tuta conscientia retinere nequit expensas, per falsam, seu erroneam sententiam Judicis à stupratore, seu etiam defloratore expressas.*

230 *Qui vera, vel etiam ficta promissione matrimonii obtinuit usum corporis à puella, per se loquendo tenetur eam ducere.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus de restitutione orta ex homicidio, stupro, & adulterio.

Quæres primò, ex quali homicidio oriatur obligatio restitutionis?

206 R. Ex solo homicidio injusto. Ratio est: quia nemo incurrit obligationem compensandi damna, nisi peccaverit contra justitiam: at, homicidium justè illatum; utputa malefactori auctoritate publica &c. non est contra justitiam: idem est de mutilatione justè facta: ergo ex his non oritur obligatio compensandi aliquid. Communis apud Reinffenstuel. *tr.* 9. *d.* 3. *n.* 46.

Quæres secundò, quodnam homicidium censeatur justum, & quodnam injustum?

207 R. 1. Justum censetur 1. quod fit vel auctoritate Dei immediatè, vel 2. saltem auctoritate Principis, seu etiam Reipublicæ exigente gravitate delicti; vel denique 3. quod fit auctoritate quidem privata, sed ex, & cum defensione inculpatæ tutelæ. Ratio primi est: quia DEUS habet supremum dominium in vitam & mortem cujusvis creaturæ viventis: ergo sine injuria potest quemlibet privare vita. Ratio secundi est: quia exigente gravitate delicti, ad conservandam scilicet pacem & tranquillitatem Reipublicæ, DEUS permittit, ut hujuscemodi malefactores publica auctoritate occidantur, veluti habetur *exod.* 22. distinctè expressum, itemque *ad Rom.* 13. *c.* ubi dicitur de Principibus hujus sæculi: *si malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat. DEI enim Minister est: vindex in iram ei, qui malè agit &c.* Ratio tertii est: qua secundùm ordinem charitatis quisque propriam vitam præferre potest alienæ, dummodo agatur de bono privato tantùm, & non etiam de publico: inde est, quòd vim vi repellere, omnia jura, omnesque leges, permittant, veluti citatis legibus demonstrat Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *nu.* 1. quem vide. Qui verò extra hos casus vel se ipsum occidit auctoritate propria, vel alium, injustè agit, tametsi non ex omni & quocunque homicidio oriatur obligatio restituendi, veluti patet, dum quis se ipsum occidit.

Quæres tertiò, quid, vel quantum teneatur restituere homicida, aut mutilator injustus?

208 R. 1. pro ipsa vita aut membro abscisso probabilissimè nihil tenetur restituere; bene tamen 2. pro damno in bonis temporalibus inde fortassis secuto

Hanc opinionem (quo ad primum membrum; nam secundum est commune inter omnes) velut probabilem, & in praxi verè tutam (quidquid in contrarium quondam senserint Doctores magni nominis) hodie tenent Sporer, Herincx *disp.* 6. *numer.* 63. Sanchez, Lessius, Marchantius, Haunoldus, & La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *numer.* 299. Ratio prioris est: quia bonum vitæ & membrorum est ordinis altioris, nullo pretio humano satis æstimabilis vel æquiparabilis: ergo pro his non debetur restitutio, sicut nec pro fama injustè ablata, debet rependi pecunia; eò quòd in similibus casibus, ubi reddi non potest æquivalens, justitia nunquam possit obtinere suum finem, scilicet æqualitatem: idque clarissimè habetur decisum *l.* 3. *ff. si quadrupes pauperiem &c. instit. de oblig. quæ quasi ex delicto nascitur*, *item l. fin. ff. de his, qui effud. vel dejec.* ubi dicitur: *cùm liberi hominis corpus ex eo, quòd dejectum, effusumvè quid erit, læsum fuerit, Judex computat mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus est, ob id, quòd inutilis factus sit. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Ex quibus

209 Ratio etiam posterioris facilè eruitur: quisquis enim scienter & voluntariè alium injustè lædit, tenetur satisfacere, ubi fieri potest æqualitas: atqui in bonis temporalibus Fortunæ fieri potest talis æqualitas; ergo debet. Et quemadmodum fur aut injustus damnificator tenetur non solùm restituere rem ablatam aut damno datam, sed etiam omne lucrum cessans, & damnum inde emergens; ita & talis, qui alium occidendo, vel saltem mutilando membro aliquo, reddidit inusualem, ut propterea nihil ampliùs valeat lucrari, tenetur resarcire hujusmodi damna, uti patet ex proximè dictis & allegatis LL. atque Doctoribus.

Quæres quartò, utrùm injustus homicida teneatur aliquid restituere hæredibus necessariis defuncti, utputa prolibus, Uxori, vel aliis, quibus defunctus tenebatur providere de necessariis?

210 R. Omnibus illis tenetur compensare damna (per se loquendo) quibus defunctus ex justitia tenebatur providere de necessariis. Ita *communissimè DD.* Lessius, Marchantius, Molina, Sporer *tract.* 5. *in decalog. cap.* 3. *num.* 227. Kresslinger *addit.* 1. *post numer.* 51. *tractat.* 9. *dist.* 3. *theolog. moral.* R. P. Reiffenstuel. La Croix *ubi suprà num.* 310. Ratio est: quia tales per homicidam supponuntur fuisse privati vero aliquo jure, sibi jam actu competente: ergo pro hoc ipsis est debita satisfactio. Et certè Parens & filius, Uxor ac Maritus, fictione juris censentur quodammodo una persona: consequenter qui unam personam occidit ex illis, alteram lædit, & quidem cum damno; cui proin satisfaciendum. Cæterùm quantitas seu mensura hujus obligationis capienda est tum ex conditione personæ defunctæ, tum ex aliis etiam circumstantiis, utputa 1. cujus fuerit *ætatis*, & an humanitùs loquendo, diu adhuc supervixisset &c. 2. *qualitatis* seu *conditionis*, cujus nimirum artis peritus, & quantum (demptis expensis) fuisset lucratus defunctus &c. 3. *temporis*, quanto scilicet tempore suis debuisset adhuc præstare necessaria &c.

Quæres quintò, an, vel quid restituendum sit pro stupro?

211 R. Stuprator (id est, violentus oppressor Virginis invitæ) tenetur resarcire damnum, quod ei ex tali injuria fuit secutum, idque vel ducendo illam, vel aucta dote procurando, ut obtineat Maritum talem qualem obtinuisset, si nunquam fuisset corrupta. Ita ex *communi* Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 14. *Filliuc. tract.* 32. *nu.* 220. Herincx *cit. disp.* 6. *nu.* 82. Mastr. *theol. mor. disp.* 9. *nu.* 59. Reiffenstuel *theol. mor. tr.* 9. *dist.* 4 *num.* 24. Ratio est clara: quia hujuscemodi damna in bonis fortunæ illata, sunt reparabilia modò mox specificato: ergo debent reparari juxta arbitrium & æstimationem prudentum; nam universalis regula hujus quantitatis assignari nequit, uti fatentur omnes. Pro ipsa tamen pudicitia non est digna auri ponderatio, inquit sapienter Herincx *l. cit.* adeoque pro hac ante sententiam Judicis probabilissimè nulla debetur compensatio, esto non defuerint Doctores gravissimi,

qui

qui existimarunt, tam pro vita, quàm pro membris etiam, & pudicitia, fieri debere aliquam compensationem pecuniariam; quorum sententiæ locus esse potest, casu quo deflorator pecuniam puellæ promisit, aut à Judice ad certam mulctam est condemnatus.

212 Dixi *stuprator* &c. secus enim discurrendum est de defloratore Virginis consentientis; quia talis (secluso alio pacto, cui utique standum foret) nihil tenetur restituere pro usu corporis. Ratio est: quia volenti & consentienti non fit injuria: & sicut mulier violenter oppressa, posset stupratori remittere injuriam, & condonare obligationem damnorum inde emanatorum; ita & ante factum præbendo liberum consensum in copulam, potest facere, ut inde nulla oriatur obligatio resarciendi aliquod damnum, uti Doctores proximè citati, aliique *communissimè* tenent.

Quæres sextò, an, vel qualis restitutio debeatur pro adulterio?

213 R. cum distinctione. Nam si inde nulla sit nata proles, nulla erit debita restitutio, quippe quæ pro sola injuria non damnosa neutiquam debetur ante Judicis sententiam: è contra si inde nata sit proles, & de hoc certò constet, tenentur adulteri resarcire omnia damna ex tali generatione, tum alteri parti, seu conjugi innocenti, tum etiam aliis legitimis prolibus v. g. ex diminutione hæreditatis seu legitimæ oritura, resarcire. Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. Reinffestuel, Herincx *cit. disp.* 6. *Sum.* 90. & *seqq.* Ratio patet ex dictis hactenus: quia omne damnum reparabile, injustè illatum, est resarciendum damnificato: ergo si adulteri ob prolem genitam supponantur injustè damnificasse conjugem innocentem, & fortassis etiam reliquam sobolem, planè debebunt reparare damna illis illata. Verùm de hoc fusiùs diximus *theolog. mor. part.* 3. *de Matrim. Confer.* 18. *num.* 139. & *seqq.* quò remittimus lectorem.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa restitutionem debitam ex homicidio & stupro &c.

CASUS PRIMUS.

Titius rusticus arando & colendo agrum suum, incidit cum alio suo vicino similiter arante in rixas; noluerat enim ferre, ut terra à se jam cultivata denuo pedibus equorum alterius conculcaretur: alter è contrario, existimans rem aliter fieri non posse, noluit hoc intermittere. Unde à verbis tandem ad verbera ventum est, ita, ut Titius alterum ligone percusserit in capite, qui & post paucas horas diem extremam clausit. Jam verò Vidua relicta cum quinque prolibus pauperculis postulat ab homicida sibi, suisque prolibus satisfieri pro damno illato ex occisione sui mariti. Quæritur utrùm is in conscientia teneatur?

214 R. Quoad forum internum à Confessario attendendum & indagandum esse, an Titius habuerit intentionem verè mortaliter peccaminosam, scilicet occidendi suum vicinum, aut saltem graviter lædendi, vel non? Et siquidem fateatur, se talem habuisse, oppidò sequitur, eum esse condemnandum ad resarcienda damna Viduæ, prolibusque pauperculis, parente jam orbatis illata, veluti constare potest, ac debet ex dictis tum in hac, tum in prioribus etiam Conferentiis, præsertim à n. 94. idem tenendum, si habuit intentionem graviter lædendi; nam cùm percussio ligone facta, & quidem in capite, sit valde periculosa, & communiter quasi connexa cum homicidio, meritò imputabitur ei hoc homicidium velut indirectè saltem voluntarium, uti rectè docet Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 1. & 2. *aliique communiter &c.* Econtra tamen, si Titius fateatur, se nullam habuisse intentionem graviter lædendi, multò minùs occidendi, hocque accidisse præter, immò & contra intentionem suam, eò quòd ex mera indeliberatione, aut motu iracundiæ prævertente, & prædominante rationi al-

terum percusserit, in foro conscientiæ (quidquid sit de foro externo, cui post Judicis sententiam procul dubio tenebitur sese accomodare) absolvendus est ab onere restitutionis. Ratio est: quia juxta principia generalia superiùs *nu.* 63. & 94. data: nemo in conscientia tenetur ad reparationem damni gravis, nisi hoc sit illatum voluntariè, & quidem cum culpa theologica gravi: ergo si Titius fateatur, se nunquam habuisse intentionem graviter nocendi, multò minùs occidendi (quod posterius valde credibile est) absolvendus erit à Confessario ab onere compensandi damna, utì communiter tenent DD. nominatim Sanchez *l.* 1. *consil. cap.* 4. *dubit.* 7. Lugo *tom.* 1. *de just. disp.* 8. *sect.* 5. Tambur. *l.* 6. *decal. capit.* 4. §. 3. *numer.* 1. Sporer, Reinffestuel aliique plures.

At, inquies, demus, hoc homicidium fuisse Titio voluntarium, quid, vel quantum tunc huic viduæ, hisce prolibus in individuo tenebitur dare?

215 R. Quantitatem hujus compensationis illico determinari non posse; quia cùm non possit divinari, quamdiu maritus vixisset, neque etiam sciri, quantum fuisset lucratus demptis expensis, hinc pariter impossibile est, rem hanc tam exactè decidere. Neque verò opus est, ut in similibus eventibus Confessarius illico aliquid determinet aut decidat, sed sufficit, pœnitentem obligare ad diligenter indagandum, quantum maritus (demptis expensis) annuatim assueverit lucrari suæ familiæ, vel quantum alii ejusdem conditionis homines soleant lucrari, quo comperto jubeatur solvere *tantum, quantum omnibus perpensis probi, prudentesque viri, attenta sanitate, ætate, modo vivendi & lucrandi judicarint, viduam & proles fuisse damnificatas.* Quin etiam aliquando contingere natum est, ut hujusmodi homicida obligationem aliquid compensandi omnino evadat, quando scilicet Uxori vel potiùs Viduæ jam aliunde provisum fuit aliis mediis, ut si jam sit sortita alium maritum æquè bonum; vel fortè meliorem & chariorem priore: si proles jam sint adeptæ pubertatem, & se ipsas alere natæ; talibus enim defunctus ex justitia non ampliùs tenebatur providere de necessariis, ideoque morte sui parentis reverà non fuerunt damnificatæ. Id ipsum ob eandem rationem dicendum est, casu quo Parens occisus suis prolibus vel Uxori nihil ampliùs meruisset, tametsi diutiùs vixisset. Vide Lessium *l.* 2. *capit.* 9. *dub.* 20. *num.* 129. Tambur. *l. cit.* §. 3. *numer.* 4. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *à num.* 296. & 309. Sporer *tr.* 5. *cap.* 3. *nu.* 227. Kresslinger *addit.* 2. *ad tr.* 9. *dist.* 3. *post. num.* 51. *theol. mor.* P. Reinffestuel.

Dices adhuc. At quid, si occisus fuit gravatus debitis, vel si aliis, utputa pauperibus, amicis &c. multa præstitit beneficia, tenebiturne homicida his omnibus satisfacere reddendo æquivalens?

216 R. Eum probabiliter nec creditoribus, neque pauperibus vel aliis amicis teneri ad aliquam compensationem faciendam. Ratio est: quia creditores non habuerunt immediatè jus in ipsum debitorem defunctum, sed potiùs in ipsius bona vel præsentia seu actu possessa, vel verosimiliter possidenda; pro quibus tenetur restituere hæredibus, secundùm dicta: ergo hoc modo satisfaciet suæ obligationi; nam restituendo hæredibus illis quodammodo imponit onus satisfaciendi creditoribus defuncti. Amici verò & pauperes nullum prorsus habuerunt jus in bona, vel etiam in beneficia sibi collata, ergo non patiuntur veram injuriam, etsi talibus modò destituantur. Nihilominus fatendum, quòd si homicida benefactorem occideret eo animo, ut hujuscemodi pauperculis noceat (quod tamen rarissimè continget) indubitanter obligandus foret ad resarcienda damna pro rata spei; esto enim nullum habuerint jus ad beneficia, habuerunt tamen jus actuale, ne violenter impedirentur ab aliquo, de bonis etiam ex mera liberalitate sibi conferendis, utì dictum fuit *suprà confer.* 4. *numer.* 97. de quo videri possunt Herincx noster *part.* 3. *tr.* 2. *disp.* 6. *n.* 73. Illsung *tr.* 4. *disp.* 2. *n.* 78. Tambur. *l.* 6. *c.* 4. §. 3. *num.* 13. La Croix *ubi suprà nu.* 310.

CA-

Casus Secundus.

Sempronius illustri stemmate natus cuidam pari nobilitate conspicuæ Domicellæ promiserat matrimonium, in cujus majorem firmitatem eidem dedit chyrographum proprio sigillo munitum. Verùm non multò post promissi sui pœnitens, eundem suum chyrographum sponsæ eripuit, moxque dilaceratum in frusta ad ejusdem pedes abjecit. Quam ob causam Germanus sponsæ, suamque familiam graviter injuriatam existimans, Sempronium provocavit ad duellum, sed infeliciter decretans in palestra confossus ab illo, occubuit, non sine ingenti dolore tam sororis, quàm etiam Matris adhuc superstitis; partim quòd unicus fuerit filius, partim etiam, quòd ob mortem hujus certum aliquod fideicommissum cedere coactæ sint cuidam alteri familiæ. Jam verò ad nostrum propositum dubitatur, an Sempronius teneatur aliquid compensare Matri, vel etiam sorori relictæ?

217 R. Sempronius probabilissimè ad nullam compensationem tenetur in foro conscientiæ (quidquid demum sit de obligatione servandi sponsalia, de qua non loquimur) Ratio est: quia provocans aliquem ad duellum hoc ipso censetur provocato facere potestatem, ut contra se agat, quantum potest, quemadmodum & ipse provocans meritò præsumi debet, quod intendat agere, quantum poterit contra provocatum: ergo pariter censetur consentire in sui occisionem, casu quo fuerit superatus & per consequens remittere obligationem compensandi damna. Ita Lessius *lib.* 2. *dubit.* 21. Tambur. *citat.* §. 3. *numer.* 21. Ex quo Lugo *disput.* 11. *sect.* 3. *num.* 70. aliique multi ulteriùs inferunt, in tali casu homicidam neque teneri ad compensanda damna Uxori aut prolibus, si quæ sint superstites. Ratio est: quia ex nullo alio capite teneretur, quàm ex eo, quòd Uxorem & proles impediverit per vim à consecutione emolumentorum, quæ ab occiso percipere potuissent: atqui in præsenti casu homicida non impedit eas per vim, cùm nullam intulerit occiso, utpote volenti & petenti periculum proximum mortis suæ, aut mutilationis &c. ergo non &c.

Dices contra hoc. Sempronius noster dedit causam huic provocationi, eòquòd lacerando chyrographum suum graviter injuriavit totam aliquam familiam; consequenter ab onere restitutionis minimè excusandus est.

218 R. Esto etiam culpabiliter injuriaverit domicellam hanc, immò totam familiam, nihilominus hæc injuria minimè fuit dirimenda vel potius vindicanda duello: suppeditassent enim aliæ viæ quærendi satisfactionem, utputa interpellando auctoritatem Principis, vel alterius Superioris, ut is cogeret Sempronium ad congruam satisfactionem: ergo sic revera fuit injustè provocatus ad duellum, & compulsus in hanc necessitatem tuendi vitam propriam; consequenter adhuc provocanti debet imputari hæc culpa, & damnum inde secutum. Et certè, licèt perversis hisce temporibus, ubi nedum illustriori, sed inferiori etiam stemmate prognati arbitrantur, injurias sibi illatas alia via, quàm duellando, vindicari non posse, rariùs occurret justa causa provocandi: frequentiùs tamen potest concurrere justa causa acceptandi duellum, præsertim inter homines militiæ adscriptos, utpote qui nedum honoribus, verùm etiam officiis quibuscunque demum, velut inermes aut animo imbelles privari solent, nisi duellum acceptent. Videatur de hoc P. Kreslinger *addit.* 1. & *sequentibus ad tractat.* 9. *dist.* 3. *theol. mor. R. P. Reinfenstuel*, ubi causas duellandi fusiùs examinat.

Dices iterum. At quid, si Sempronius duellando excessit modum inculpatæ tutelæ, utputa quia merùm vulnerando, & non occidendo potuisset evadere omne periculum honoris ac vitæ, tenebiturnè ex hac saltem suppositione compensare damna illata?

219. R. Multi insignes Doctores, inter quos la Croix, Navarrus, Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 83. putant, hunc teneri ad restitutionem, eò quod excedendo moderamen inculpatæ tutelæ graviter deliquerit contra justitiam, & quidem cum gravi damno proximi, quod proin tenebitur compensare.

fare. Nihilominus pro praxi mihi placet opposita sententia, quam de provocato tenent Lessius, Tamburinus *cit.* §. 3. *nu.* 2. & 15. aliique multi. Rationem hujus dant: quia provocans ad duellum (nisi aliter conveniant) eo ipso, videtur provocato dare licentiam agendi contra se; quantum poterit, sicut & ipse præsumitur velle agere quantum valebit: ergo quoad hoc censetur pariter renunciare suo juri in ordine ad damna ab altero resarcienda. Et certè in praxi rarissimè continget, ut unus velit alterum obligatum ad non excedendum moderamen inculpatæ tutelæ, sed potiùs quivis conatur facere quantum potest contra suum adversarium, probè gnarus etiam alterum nihil intermissurum, quo minus nedum evadat periculum, sed & insigniter sese vindicasse credatur. Et hæc quidem dixerim, non quòd perversam hanc duellantium praxin velim approbare, sed ut Confessario insinuem probabilitatem hujus sententiæ, quæ provocatum absolvit ab onere compensandi damna, tametsi modum inculpatæ tutelæ excesserit, eò scilicet, quòd provocans in hoc sponte consensisse & consentiendo juri suo cessisse non sine causa præsumatur.

CASUS TERTIUS.

Caja satis honesta & pulchra puella convenerat quendam Nobilem, integerrimo animo supplicans & postulans ab eo recipi ad servitia domestica in culina peragenda. Vixdum Nobilis ille puellam viderat, jamque ejus amore, vel veriùs loquendo, libidine captus erat; unde jubet eam intrare, & sub schemmate explorandi & genus & preavos, deducit ad secretiorem cameram, claudit & obserat post se januam, moxque ingressam (velut lupus famelicus innocentem agnellum) multùm reluctantem opprimit violenter, oppressam verò sine omni spe obtinendi à se aliquod servitium, abire jussit. Hanc injuriam prorsus inexspectatam Caja quærulosa aperuit cuidam Confessario, postulans consilium, qua via satisfactionem ab illo Nobili posset impetrare? Confessarius suasit, ut adiret Judicem, ab eoque postularet Nobilem illum compelli ad congruam satisfactionem. Quæritur jam in hoc casu 1. Utrùm Nobilis ille reverà fuerit obligatus ad aliquam compensationem? 2. an Confessarii consilium sit approbandum, nec ne?

220 R. ad primum cum distinctione. Vel enim Caja præter stuprum & amissionem Virginitatis aliud adhuc damnum (utpute ob impregnationem aut infamiam &c.) passa fuit, vel nullum: si nullum, ad nihil tenetur stuprator juxta *communissimam Doctorum*. Ratio est: quia virginitas jam fuit amissa, & quidem irrecuperabiliter, quæ, cùm pretio nequeat æstimari secundùm *dicta num.* 211. consequenter recompensari non debet pecuniis. Si autem Caja ex tali stupro incurrit aliud damnum, eòquòd fortè conceperit prolem, aut certè ob infamiam inde incursam non ampliùs potest obtinere tam honestum & favorabile connubium &c. tenebitur stuprator hujuscemodi damna compensare, utputa 1. prolem, si quæ nata sit, alendo, & 2. dotem puellæ augendo, aut certò procurando, ut æquè honestum sortiatur connubium ac fuisset sortita, si semper permansisset Virgo Non tamen tenetur illam ducere in conjugem; tum quia cùm ipse supponatur nobili natus stemmate, ipsa autem de communi plebe, hinc sine permagna difficultate eam procul dubio ducere non posset: & certè ex tali connubio nunquam sperare liceret bonum effectum, pacem &c. tum etiam, quia juxta *communiorem Doctorum* stuprator solùm cogitur, ut vel dotet, vel ducat corruptam teste Engel *l.* 5. *tit.* 16. §. 2. *num.* 11. atqui *in alternativis debitoris est electio. C. in alternativis* 7. *de R. J. in* 6to. item *L. plerùmque. in fin. de jure dotium*: ergo satisfacit stuprator augendo dotem Vid. Sporer *theol. Sacram. p.* 4. *cap.* 3. *num.* 592. Illsung. *tract.* 4. *disp.* 3. *num.* 91. Lugo *disput.* 12. Laym. *l.* 3. *tractat.* 3. *p.* 3. *capit.* 13. *num.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *dubit.* 2.

At quid, inquies, si Caja ideò solùm infametur, & per consequens à meliori connubio impediatur, quia ipsamet stuprum occultè sibi illatum passum divulgavit?

R. Ex

221 R. Ex hac suppositione stuprator probabiliter ad nihil teneretur. Ratio est: quia stuprum secundùm se præcisè sumptum non est causa damnorum inde subsequentium, sed tantùm ut promulgatum, vel potiùs infamia inde nata: atqui hujus infamiæ causa supponitur exstitisse sola puella: ergo etiam huic soli, & non stupratori debet imputari damnum, saltem si supponatur absque gravi & sufficiente causa illud divulgasse; quemadmodum si stuprator (vel alius fortè hujus conscius) absque legitima causa illud promulgando, diffamasset puellam, ipsi deberent imputari damna cum onere ea recompensandi, uti rectè docent Lugo *disp.* 12. *sect.* 1. *n.* 6. Pettschacher *de rest. pag.* 352. eumque secutus Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 3. *nu.* 17.

222 R. jam ad secundum quæsitum hujus casus, Confessarium (ex suppositione quòd Caja non fuerit imprægnata & stuprum manserit occultum) non benè consuluisse. Ratio est: quia ex tali consilio non licuit sperare fructum, multo minùs bonum effectum, sed potiùs diffamationes, odia animorum exacerbationes &c. quod facilè suaderi potest ex eo; etenim Caja adeundo Judicem nedum diffamabit stupratorem, sed & se ipsam subjiciet periculo infamiæ & aliorum damnorum; idque sine causa; nam judex non statim credet, immo nec illico credere debet puellæ, asserenti se esse oppressam, sicut nec adulterium probatur sola confessione vel assertione mulieris *text. in capitul. significasti de adulterio.* Adde quòd nemo *reputetur idoneus testis in propria causa. L. nullus ff. de testibus*: ergo nec hujus testimonio stabit Judex, secus enim aperiretur via innumeris fraudibus & iniquis delationibus; nam puellæ inopes facilè deferrent juvenes divites, ut hi à Judice compellerentur ad aliquid; solvendum &c. uti sapienter advertit Gobat. Quam ob rem nec accusans admittetur ad juramentum supletorium, neque accusato deferetur juramentum purgatorium, nisi mulier fecerit Semiplenam probationem injuriæ sibi irrogatæ: atqui hanc difficilimè, immò nunquam prorsus faciet puella in nostro casu; partim quòd stuprum fuerit occultè illatum; & ex eo non sit imprægnata; partim quòd accusatus sit Nobilis, de quo tam facilè non credetur, quòd voluerit commisceri puellæ ignobili; partim denique, & quidem ex eo potissimùm, quòd non occurrant alia indicia, utputa diutina familiaritas, conversatio, infamia &c. quibus præcisis Judex nullam adhibebit fidem mulieri, veluti perspicuum fit ex mox dictis, & satis communiter tradunt DD. nominatim Menochius *de arbitr. Jud. l.* 2. *centur.* 3. *cas.* 28. *numer.* 25. Thesaurus *in decision. decis.* 3. *numer.* 4. Baldus, aliique plures, quos citat & sequitur Gobat *in sua theolog. exprim. tr.* 10. *numer.* 188. Cùm ergo aliunde constet, quòd cessante fine cesset ratio agendi propter finem: immò cessante causa aditionis (Judicem scilicet) ea per calumniam fieri censeatur teste Baldo *in Rubric. capit. de fide instrument. numer.* 12. *Vers. conclusio* apud Barbosam *axiom. capit.* 17. *axiom.* 2. profectò aliud concludere non licet, quàm, Confessarium malè consuluisse Cajæ, eò præsertim, quòd Confessarius debeat potiùs suadere ea, quæ ad pacem, animarumque salutem conducere nata sunt, quàm quæ ad vindictam, & animarum dissensiones.

§. II.

Corollaria ex dictis inferenda.

223 Colliges ex hactenus dictis primò, homicidam non teneri, consequenter à Confessario nec esse obligandum ad refusionem damnorum nisi voluntariè, & cum peccato mortali contra justitiam perpetraverit homicidium. Ratio facilè eruetur ex dictis: quia hæc obligatio est pœna gravis: atqui pœna gravi affici neutiquam debet, qui non peccavit graviter: ergo &c. Ex quolibet, eum, qui dedit aut posuit causam, ex qua merè per accidens, & contra, vel saltem præter intentionem suam secutum fuit homicidium, aut qui ex motu primo, aut secundò primo aliquem oc-

cidit, ante Judicis sententiam ad nullam restitutionem teneri, veluti jam suprà animadvertimus *Confer*. 4. *n*. 9. *& seqq*.

224 Colliges secundò, homicidam injustum equidem teneri ad refundendas expensas, factas in Medicos aut Chyrurgos; quia horum verè existit causa injusta; non tamen teneri ad refundendas expensas pro funeralibus seu exequiis, nisi ratione loci vel aliarum circumstantiarum solito majores fieri debuissent. Ratio est: quia expensas pro exequiis hæredes debuissent facere, quocunque demum tempore aut morbo obiisset: ergo in his non fuere damnificati. Ita Herincx *disp*. 6. *n*. 67. Reinffenstuel *theolog. mor. tr*. 9. *dist*. 3. *n*. 51.

225 Colliges tertiò, nihil esse restituendum pro vulnere seu cicatrice, neque etiam pro deformitate ex tali cicatrice fortè orta, uti habetur *ex l. fin. ff. de his, qui effud. vel dejec. mox suprà relata*. Et Ratio jam fuit pariter insinuata: quia scilicet hæc bona corporis reputantur altioris ordinis, adeòque pecuniis minime compensabilia; esto talis adhuc teneatur compensare alia damna in bonis temporalibus emergentia, vel etiam lucra inde cessantia resarcire, veluti jam dictum fuit *num*. 209. Videatur si placet, Marchant. *ad* 5. *præcept. decalog. qu*. 5. *conclus*. 2. Haunoldus *t*. 2. *num*. 662. Babenstuber *ubi suprà art*. 2. *à num*. 14.

226. Colliges quartò, à fortiori nihil etiam ex justitia esse restituendum pro ipsa anima, quippè quæ altioris ordinis nullo pretio nec comparabilis, nec æstimabilis vel recuperabilis est. Congruit nihilominus ut Confessarius ejusmodi homicidæ imponat certa aliqua opera pia devotè persolvenda pro anima defuncti, nisi indiciis moraliter certis constaret, eam in malo statu decessisse ex hac vita. Ratio hujus congruentiæ est: quia vix dubitare licet, quin taliter decedentes adhuc indigeant charitativo subsidio bonorum operum, & aliorum satisfactionibus. Unde sapienter faciet Confessarius, si homicidæ diviti pœnitentiæ loco imponat ut curet sacra fieri pro defuncto, aut certam eleemosynam erogari in pauperes; quorum numerus & mensura discretioni Confessarii proportionaliter ad facultates & alias circumstantias pœnitentis relinquitur determinandus. At verò si homicida ipsusmet sit pauper & inops, jubeatur saltem pro defuncto audire certa Sacra quot annis vel mensibus, & pro eodem offerre certas S. Communiones, Rosaria, & alias preces. Plura secundùm diversitatem circumstantiarum dictabit Confessario Unctio sancti Spiritus & lumen prudentiale. Videri insuper de hoc potest Comitolus *in respons. moral. lib*. 4. *qu*. 11. *nu*. 8. Thomas Tamburinus *decal. lib*. 6. *cap*. 3. *§*. 3 Kresslinger *addit. un. post numer*. 54. *ad tract*. 9. *dist*. 3. *theolog. mor. R. P. Reinffenstuel*.

227. Colliges quintò, stupratorem ad nihil teneri, casu quo puella sponte remittit injuriam & damna inde consequentia condonat. Ratio jam superiùs *num*. 212. fuit data: quia talis puella ante factum posset liberè consentire, & in se suscipere onus portandi damna: ergo etiam ex post facto potest consentiendo, vel potiùs liberè & spontè condonando, stupratorem ab hoc onere liberare.

228. Dixi tamen, *stupratorem ad nihil teneri, casu quo puella sponte remittit & condonat &c*. Quemadmodum enim juxta *communem DD*. apud Babenstuber *cit. a*. 3. *n*. 6. *& seqq*. stuprator non liberatur ab onere restitutionis, si puellam aliquam, vel ob continuam & nimiam importunitatem, vel ob verè gravem metum reverentialem, cui hæc non fuit ausa se opponere (uti fieri amat, quando Sollicitator est homo permagnæ auctoritatis, Superior &c) tandem flexit in suam sententiam; eò quòd talis importunitas vel metus reverentialis idem operetur, quod metus injustè incussus; ita profectò ob eandem rationem neutiquam erit tutus in conscientia, si puella non liberè, sed merùm coactè, vel ex gravi metu remittat damna sibi illata.

229 At quid, si puella jam priùs ab alio corrupta, postea coram Judice afferat, se v.g. à Titio esse corruptam, aut omnino imprægnatam, isque propterea condemnetur ad expensas, vel ad alimentandam prolem, poteritnè puella tuta conscientia acceptare & retinere hujusmodi expensas?

230 R.

230 R. Quòd non. Ita Lugo *c. disp. 12. sect. 1. n. 3.* & apud hunc Panormitanus & Molina *disp. 104. n. 14.* Ratio est: quia Titius re ipsa nullum intulit damnum: ergo vi hujus ad nihil tenetur: neque vi sententiæ à Judice latæ, siquidem sententia fundata in falsa præsumptione facti particularis nullam habet vim: atqui hæc sententia supponitur fuisse talis; ergo ex nullo capite puella potest retinere.

Colliges denique sextò, à fortiori adstringendum esse ad compensanda damna, immò per se loquendo etiam ad ducendam, illam, qui vel vera, vel etiam ficta promissione matrimonii à puella obtinuit usum corporis. Ita Herincx *disp. 6. n. 85.* Reinffestuel *cit. num. 26.* Mastrius *theol. moral. disp. 9. n. 60.* Babenstuber *ubi suprà n. 20.* Ratio est: quia talis promissio facta fuit per modum contractus, quem puella ex sua parte supponitur adimplevisse: ergo etiam debet adimpleri ex parte promittentis: & licèt hic fortassis fictè tantum promiserit matrimonium; quia tamen per hujusmodi fictionem injustè decepit, & graviter læsit puellam meritò compelli debet ad ducendam illam. Limitant tamen Doctores, nisi puella advertit fictionem; vel nisi defloratori esset longè disparis conditionis, utputa longè ditior, aut nobilior illa. Vide, si placet, quæ de hoc diximus *theolog. sacrament. part. 3. de Matr. Confer. 1. n. 13. & 14.*

CONFERENTIA NONA.

De Restitutione debita ex læsione famæ.

SUMMARIUM.

231 *Quid importet fama & honor proximi, quæ inter hæc sit differentia.*

232 *Famæ lædi potest vel interiùs tantùm, vel etiam exteriùs.*

233 *Quid intelligatur nomine judicii temerarii, suspicionis &c.*

234 *Quid nomine calumniæ ac contumeliæ.*

235 *Quid sit detractio formalis & materialis.*

236 *Detractio dupliciter fieri potest, scilicet vel 1. directè, vel 2. indirectè.*

237 *Fama injustè ablata debet restitui, & quo modo.*

238 *Ob solum judicium temerarium, an sit debita restitutio?*

239 *Quid tenendum de eo, qui crimina ab aliis relata denuo aliis referre assuevit.*

240 *Causæ excusantes à restitutione famæ breviter recensentur.*

241 *Resolvitur Casus I. de quodam juvene, qui in terminis nimis generalibus sese accusavit de detractionibus hinc inde factis.*

242 *Quando pœnitens rationabiliter dubitat, utrùm ex sua diffamatione quempiam damnificaverit; probabiliter ad nihil tenetur, quàm ad agendam pœnitentiam.*

243 *Et quid, si ex inconsideratione duntaxat aliquid diffamatorium propalavit, ex quo prævidet secuturum damnum.*

244 *Resolvitur Casus II. de quadam famula, suam coancillam graviter objurgante, & ob furtum commissum hinc inde eandem diffamante.*

245 *Utrùm, vel quomodo delinquerit eam diffamando.*

246 *Et utrùm teneatur ad aliquam restitutionem, vel aliam compensationem, præsertim famæ.*

247 *Resolvitur Casus III. de quadam Saga, quæ aliam mulierem innocentem velut complicem injustè diffamavit.*

248 *Unde procul dubio gravissimè peccavit;*

249 *Consequenter à Confessario fuit obliganda ad revocationem injustæ delationis, & quo modo.*

250 *Hæredes injusti diffamatoris (eo defuncto) tenentur quidem ad compensanda*

fanda damna infamato secuta, non tamen ad revocandam infamiam.

251 *Alterius crimen, verè, etsi occultè commissum, revelare fas est ex justa & rationabili causa: & quæ tales.*

252 *A fortiori licet aliis denuo referre crimen aliunde simpliciter notorium sive notoreitate juris, sive facti.*

253 *Non item crimen notorium secundùm quid duntaxat.*

254 *Crimen verò alterius, etsi verum, occultum tamen, sine causa manifestare, nedum charitati, sed & justitiæ repugnat, & quomodo.*

255 *An vel quomodo teneatur revocare, qui dixit certam puellam fuisse corruptam & impraegnatam.*

256 *Utrùm injustus infamator teneatur revocare sua dicta nedum apud audientes immediatos, sed etiam mediatos.*

257 *Et quid, si non prævidit, vel saltem non pensavit, utrùm audientes talem infamiam essent ulteriùs delaturi.*

258 *Etiam mortuis fama injustè ablata est restituenda.*

259 *An, vel quo modo honor injustè læsus debeat resarciri.*

260 *Quomodo Confessario cum detractore practicè sit procedendum;*

261 *Præsertim in casu, quo dubitatur, utrùm diffamatio non sit jamjam oblivione oblitterata.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos de restitutione famæ, & honoris injustè ablati.

231 Quæres primò, quid sit fama, & quid honor?

232 R. Fama genericè sumpta communiter describitur, quòd sit multorum existimatio de vita & moribus alterius. Et quoniam circa hæc diversæ dantur opiniones hominum; hinc fama ut sic communiter dividitur in bonam & malam. Verùm propriè loquendo de fama, ex cujus injusta læsione oritur obligatio restitutionis (secundùm dicenda) breviter respondendum est ad hoc quæsitum, quòd fama sit *opinio de virtute, sapientia, vel prudentia alterius*. Honor verò à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 2. describitur, quod sit *testificatio de alterius excellentia*. Ex quo facilè colligere licet, quænam sit differentia inter utrumque; fama etiam consistit in interna opinione, quæ dum monstratur ad extra, dicitur laus: honor verò consistit in externa significatione nostræ existimationis de excellentia alterius; unde supponit opinionem excellentiæ ipsius, & intentionem exteriùs per aliquod signum eam testificandi; qua sine potiùs fieret illusio, quàm verus honor, uti bene dicit Reiffenst. *tr.* 9. *dist.* 6. *n.* 2.

Quæres secundò, quo modo, vel quot modis proximi fama lædi soleat?

Dupliciter solet lædi, internè scilicet, id est, intra propriam mentem præcisè, vel etiam externè. Priori modo læditur 1. per judicium temerarium 2. per suspicionem, & 3. per dubium de malo proximi. Posteriori modo, exteriùs scilicet lædi potest 1. per detractionem, & 2. per calumniam. *Communis DD.*

Ratio facilis est: quia unusquisque habet jus ad suam famam seu bonam existimationem sui apud quemcunque hominem, donec de crimine à se commisso constet; unde illud decantatum tum apud Juristas, tum etiam apud Theologos axioma: quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus: atqui hæc bona existimatio læditur nedum per detractionem, & publicam calumniam, verùm etiam per judicium, suspicionem, & dubium de malo ab altero commisso: ergo per hæc læditur fama proximi. Pro meliori tamen captu dicendorum

233 Animadvertendum hîc venit 1. primò discrimen inter mox enumeratas famæ læsiones; nam judicium quoad præsens consistit in assensu, & firma credulitate de vitio ab alio commisso; quod, si fiat ex sufficientibus motivis, utputa quia moraliter certò de illo constat &c. tunc caret omni peccato: si autem fiat sine motivis & indiciis sufficientibus, utputa quia talia motiva vel tales circumstantiæ regulatiter non habent connexionem cum tali crimine, dicitur judicium te-

temerarium; quod per se loquendo, & ex suo genere est mortaliter peccaminosum, eò quòd vi hujus in mente judicantis extinguatur quodammodo & depereat fama alterius, quæ est magnum bonum.

Nomine suspicionis intelligitur assensus de vitio alterius, sed debilis, & cum formidine de opposito; quia merùm suspicans non adhæret firmiter suæ opinioni: unde si talis suspicio habeat multum de formidine & parum de assensu, dicitur suspicio levis: econtra si habeat multum de assensu & de formidine parum, appellari solet suspicio gravis. Quia tamen vi suspicionis præcisè, cujuscunque demum, non perditur, etsi quodammodo minuatur bona existimatio de proximo; hinc ex suo genere non excedit gravitatem peccati venialis. Denique dubium de malo alterius dicitur, quando quis non judicat positivè, sed potiùs relinquit quasi in suspenso, vel saltem putat, esse dubium, utrùm commiserit delictum, nec ne? Et hoc dubium esto supponatur temerarium & positivum, nihilominus per se loquendo non est peccatum mortale, ob eandem rationem, quam mox dedimus de suspicione. Et ita communissimè sentiunt DD. Lessius *l.* 2. *c.* 11. Lugo *disp.* 14. *sect.* 2. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 2. Sporer *tr.* 5. *decal. c.* 4. *sect.* 2. *à nu.* 22. Reinffest. Herincx, La Croix &c.

234 Advertendum est secundò, nomine *calumniæ* intelligi detractionem, qua crimen falsum alteri imponitur. Ex quo liquet, calumniam ex suo genere esse peccatum mortale, etsi non raro vel ob parvitatem materiæ, vel ob bonam fidem, vel ob indeliberationem &c. contingat sine peccato gravi. Porro, si tale crimen falsò impositum, immo, si etiam verè commissum, occultum tamen in faciem alicui objiciatur, & exprobetur, dicitur *contumelia*, quæ rursus ex suo genere est grave peccatum, quippe ex qua nata est oriri *diffamatio*, id est, coram multis facta detractio famæ, rixæ, & alia majora mala, uti DD. *communiter* observant.

Quæres jam tertiò, quidnam igitur intelligatur nomine detractionis?

235 R. *Detractio* est alienæ famæ occulta & injusta læsio seu denigratio. Ita cum *communi* Reinffest. *tr.* 9. *dist.* 6. *nu.* 3. Ad hanc igitur requiritur primò, ut aliquid verè læsivum famæ proferatur, & secundò, ut illud proferatur occultè, & non in præsentia illius, cujus fama minuitur; secus enim jam evaderet in contumeliam, & non ampliùs maneret intra limites simplicis detractionis. Illud tamen observandum hìc est, quod, si quis famam alterius denigret cum expressa intentione nocendi, & diminuendi bonam existimationem, dicatur *detractio formalis*: si vero fiat sine tali expressa intentione nocendi, etsi cum prævisione, quòd proximus inde sit incursurus infamiam, vel alia damna, dicitur detractio materialis, & utraque est ex suo genere peccatum mortale, quandoquidem per utramque proximus graviter læditur. Laym. *cit. c.* 3. *n.* 5. Sporer *ubi suprà n.* 39. cum *communi DD.*

Quæres quartò, quot modis detractio fieri soleat?

236 R. Dupliciter fieri solet, scilicet vel directè, vel indirectè. Directa appellatur, ea qua proximi fama positivè læditur cum intentione & voluntate denigrandi; quod, ut rectè advertit S. Thomas, Illsung & alii, quatuor modis fieri consuevit, I. imponendo alicui crimen falsum. II. Verum, vel etiam falsum crimen exaggerando vel augendo. III. manifestando alterius crime occultum. IV. opus alterius, etsi bene factum, finistrè interpretando, seu etiam exteriùs temerè judicando &c.

Indirecta detractio est, qua solùm negativè quasi læditur fama proximi, idque rursus quatuor modis contingere notum est. I. negando rectè facta vel dotes alterius. II. bonum vel dotes alterius diminuendo & extenuando, vel etiam extollendo cum damno alterius proximi. III. tacendo bona, seu dotes alterius eo loco & tempore, quo quis deberet illa manifestare, ut proin hujuscemodi taciturnitas ab aliis apprehendatur velut tacita quædam vituperatio. IV. simulatè & ita frigidè aliquem laudando, ut alii benè advertant, id non animo laudandi, sed potiùs vituperandi contingere. Omnes isti

octo

octo modi succinctè comprehenduntur sequentibus duobus versibus.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.

Quæres quintò, an, vel quo modo fama injustè ablata debeat restitui?

237 R. Fama ablata per detractionem vel calumniam per se loquendo est restituenda, & quidem sub gravi culpa ita tamen, ut is qui crimen falsum alicui imposuit, teneatur retractare sua dicta, dicendo ea non esse vera: qui verò crimen alterius verè quidem commissum, occultum tamen revelavit, tenetur alio modo possibili restituere famam v. g. dicendo se erasse (practicè scilicet; subintelligendo contra justitiam) aut fatuè hæc vel illa dixisse &c. Ita rursus post S. Thomam 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. Scot. 4. *dist.* 15. *qu.* 4. Sporer *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 82. *& seqq.* Reinffest. *dist.* 6. *n.* 33. *&* 34. Ratio est: quia quisquis alterum injustè læsit in bonis alicujus momenti, ex justitia commutativa tenetur ad compensationem damni voluntariè illati: at, non ille duntaxat, qui alteri imponit falsum crimen, sed etiam is, qui verum, occultè tamen commissum, sine sufficienti causa revelat, alterum injustè lædit in bono famæ, quod communiter reputatur magni momenti: ergo tenetur &c. Hac ipsa ratione communissimè DD. ulteriùs inferunt, etiam alia damna in bonis fortunæ secuta ex hujusmodi injusta infamatione esse compensanda à diffamatore: quia diffamatio est actio verè injuriosa. atqui omne damnum per actionem injuriosum proximo illatum, debet compensari eo modo, quo fieri potest: ergo Lessius *ubi suprà dubit.* 19. Layman. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 4.

Quæres sextò, utrùm etiam ille teneatur ad aliquam restitutionem famæ, qui duntaxat per judicium temerarium, vel suspicionem aut dubium &c. læsit famam alterius?

238 R. Talem non teneri ad aliquam restitutionem externam. Ratio est: quia per solum judicium vel suspicionem, dubiumve, utpote actus merè internos nullum damnum exteriùs proximo infertur. Nihilominus talis tenetur ex justitia deponere sinistrum judicium, & malam suspicionem &c. non obstantibus levibus, & nullius momenti fundamentis; quæ contra probitatem læsi concepit; hoc enim, & non alio modo in præsenti redintegrare potest famam alienam. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 39. *a.* 12. *n.* 7. Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 5. *art.* 4. *nu.* 21.

Quæres septimò, an peccet, & ad restitutionem teneatur, qui vitia de aliis audita refert ulteriùs, sed sub dubio duntaxat, & absque asseveratione vel confirmatione?

239 R. Si id faciat in talibus circumstantiis, ut prudenter credere possit, neminem audientium id crediturum; equidem & à peccato gravi & ab onere famam compensandi absolvendus est: quia his suppositis vel nullum, vel certè non grave damnum infert proximo; At verò si id faciat in iis circumstantiis in quibus prævidet audientes vi ipsius narrationis adhibituros fidem, peccabit utique graviter vel leviter juxta qualitatem criminis relati, & damni illati: & quoniam plerumque contingere natum est, ut audientes vel firmam fidem adhibeant, vel certè de fama hactenus certa dubitare soleant, ideo rectè docet Tamburinus *l.* 9. *decalog. c.* 3. §. 2. *n.* 5. plerùmque subesse periculum gravis peccati, præsertim respectu illorum, qui crimina ab aliis audita passim solent ulteriùs dilatare sine respectu personarum & circumstantiarum &c. unde etiam à Confessario seriò dehortandi sunt. Videatur de hoc Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 4. *a.* 1. Lessius *cit. c.* 11. *dubit.* 5. Molina *disp.* 30. Sporer *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 62. Reinffestuel *theol. mor. dist.* 6. *n.* 14. *&* 15.

Quæres octavo, quænam Causæ excusent à restitutione famæ?

240 R. Varii varias referunt causas excusantes, quæ tamen meo judicio commodè reduci possent ad quatuor capita, scilicet 1. ob impossibilitatem. 2. ob liberam condonationem læsi. 3. ob damni cessationem, & 4. ob mutuam compensationem. Explico breviter singula.

I Itaque cessat ob impossibilitatem (quemadmodum ob eandem causam, cessat omnis alia obligatio restituendi, uti

uti mox infrà dicemus) Ratio est clara: quia ad impossibile nemo tenetur; idque intelligendum est nedum de impossibilitate physica, verùm etiam de morali; qualis censetur intervenire 1. quando quis nequit famam restituere sine notabiliter graviori detrimento propriæ famæ vel honoris, aliorumque bonorum &c. item 2. quando famam compensare nequit sine evidenti periculo vitæ; quia his stantibus proximus nequit esse rationabiliter invitus, nisi fortè crimen fuisset falsò ipsi impositum, & quidem cum æquali discrimine vitæ, quia tunc in pari causa major debet haberi ratio de vita innocentis, quàm nocentis.

II. Cessat obligatio restituendi famam, quando læsus liberè condonat hanc obligationem, quia cùm sit Dominus famæ suæ, potest hanc obligationem remittere æquè ac aliam v. g. circa bona fortunæ, modò infamia illa non redundet in alios.

III. Cessat hæc obligatio ob cessationem damni. Ratio est: quia cessante fine, cessat ratio agendi propter finem: atqui compensatio famæ & honoris est finis hujus restitutionis: ergo &c. Cæterùm tunc reputatur cessasse finis, quando vel 1. nulla infamia vi detractionis fuit secuta, vel 2. si fama jam aliunde sit compensata, utputa quia innocentia diffamati innotuit, vel 3. quando diffamatio diuturnitate temporis jam iterum fuit oblivione sepulta.

IV. Denique cessat hæc obligatio vi compensationis mutuæ, quando alius te æquè graviter, vel adhuc graviùs diffamans nondum revocavit sua dicta: etsi enim in hoc casu non penitùs cesset obligatio restituendi famam alteri à te ablatam, cessat tamen secundùm quid, in quantum suspenditur, donec alter famam injustè ablatam tibi restituat: quemadmodum si creditor quiscunque demum tibi nolit restituere debitum pecuniarium, in hujus compensationem retinere potes aliam pecuniam ipsi debitam, juxta notissimam illam regulam: *non cogeris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum*. Illud tamen hìc notandum venit, quòd, qui prior detraxit, cæteris saltem paribus, teneatur priùs ad satisfactionem, veluti Doctores communiter advertunt. Videatur de hoc Sporer *cit. c. 4. à n. 110.* Lessius *cit. c. 11. dubit. 26.* Tamburinus *c. 3. §. 3.* Herincx *disp. 7. n. 77. & sequent.* Illsung. *tr. 4. disp. 3. n. 111.*

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione restituendi famam.

CASUS PRIMUS.

Titius Juvenis sese accusat, quòd subinde de proximo suo fuerit malè locutus: Confessarius hac accusatione utpote nimis genericè facta non contentus, quærit, quidnam de proximo dixerit? Cui respondit Titius 1. se dixisse de aliquo Mechanico, quòd non calleat artem suam. 2. de aliqua puella, quòd nullius sit valoris. 3. de certo quodam Sacerdote, quòd huic pro suo sacrificio nollet dare quinque cruciferos, eò quòd valde luridè, & indevotè illud deproperare soleat. 4. denique de aliquo Nobili, quem ab aliis summopere laudari audiverat, dixisse, eum equidem esse bonum virum, mox tamen subjunxisse: sed, nisi &c. & ultra nihil. Quæritur jam pro praxi, quidnam Confessarius pro praxi habeat observare circa talem pœnitentem.

241 R. In primis Confessarium benè fecisse ulteriùs indagando, quidnam dixerit Titius, secus, enim nec numerum nec speciem peccati satis intellexisset, quæ tamen à Confessario necessariò sunt advertenda. Unde post hanc specificam enarrationem detractionum ulteriùs debuit attendere 1. an Titius practicè graviter vel leviter duntaxat deliquerit; & 2. an opus sit revocatione vel restitutione famæ: Primum expiscetur, ulteriùs indagando 1. an hæc joci causa tantùm, an verò seriò fuerit locutus coram aliis. 2. an putet alios fidem adhibuisse suis dictis, & 3. an per hæc dicta intenderit aliis nocere, aut non præviderit saltem, fore, ut hæc noceant, sive in bono famæ, sive etiam in bonis fortunæ?

Alterum verò, an scilicet opus sit revoca-

catione, facilè dignoscet, quærendo an ex hujuscemodi detractionibus revera aliquod damnum fuerit secutum, vel non? Et licèt in praxi plerùmque experiamur, similia fieri sine peccato gravi, vel quòd indeliberatè duntaxat contingant, vel quòd dictis ab audientibus nulla omnino, aut certè modica adhibeatur fides; nihilominus dato, quòd Titius fateatur se hæc seriò dixisse, eo animo, ut ab aliis crederentur, & præsertim si prævidit grave aliquod damnum diffamatis inde secuturum, dubitare profectò minimè licet, quin graviter peccaverit, & quidem tantò gravius, quantò frequentiùs, vel etiam coram frequentiori auditorio similia sparsit, & quantò gravius damnum animadvertit inde enasciturum; ad cujus compensationem, sicut & ad dictorum revocationem vel correctionem necessariò foret obligandus à Confessario, nisi occurrat alia causa excusans secundùm mox dicta *n.* 239. *in fin.*

At quid inquies, si pœnitens respondeat (sicuti frequentissimè solent respondere) se similia seriò quidem, & ex animo fuisse locutum, dubitare tamen an revera aliquod damnum inde fuerit subsecutum aliis.

242 R. in hoc casu pœnitentem probabilissimè ad nullam compensationem vel restitutionem teneri. Ratio desumenda est ex generalibus principiis de obligatione restituendi dari solitis: quisquis enim verè & rationabiliter dubitat utrùm sua actione, etsi de se injusta, fuerit causa efficax alicujus damni, non tenetur ad aliquam compensationem, eò quòd stante dubio maneat melior conditio possidentis bona sua, juxta superiùs dicta *Confer.* 5. *num.* 146. Seriò nihilominus admonendus est pœnitens, quatenus in posterum velit cavere à similibus detractoriis, & siquidem animadverteret, se hactenus cuipiam nocuisse in bono famæ vel fortunæ, studeat prudenter corrigendo sua dicta, bello modo famam læsam resarcire, meliùs de illis loquendo, eos laudando &c. vel, ubi viderit omnino opus esse ad damni evitationem, apertè retractando sua dicta infamatoria.

Dices iterum. At quid, si pœnitens respondeat, se similia dixisse solùm ex aliqua præcipitantia, indeliberatione, vel etiam inconsideratione, advertere tamen defacto, quòd alii id malè apprehenderint, ita ut Sacerdos, & puella (de qua in casu) notabiliter cogantur pati nedum in bono famæ, sed etiam fortunæ?

243 R. Si Titius prævideat hujuscemodi damna, tenetur modo possibili retractare sua dicta, & sub gravi culpa famam restituere, esto etiam ex inconsideratione similia effutiendo non peccaverit graviter. Ita cum *communi DD.* Sporer *cit. c.* 4. *n.* 86. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 1243. Kreslinger *addit. post. n.* 35. *ad dist.* 6. *theol. mor.* R. P. Reinffestuel. Ratio est: quia justitia non solùm obligat ad non ponendam causam damni injusti, verùm etiam ad tollendam hujuscemodi causam, quoquo modo, etsi fortassis inculpabiliter datam, modò adhuc utiliter, & sine gravi suo incommodo tolli possit, & damnum impediri; hac ratione qui alteri etiam inculpabiliter propinavit venenum, vel ignem posuit, ex quo videt proximum damnificatum iri in bono fortunæ aut vitæ, tenetur ex justitia removere hujusmodi causam: atqui eadem est ratio in nostro proposito de injusta diffamatione: ergo. Et certè quamdiu Titius non retractet sua dicta, censetur suo modo famam alteri injustè ablatam ac debitam retinere: quemadmodum ergo teneretur alienam pecuniam restituere, quamprimùm adverteret eam esse alienam, tametsi priùs inculpabiliter eam apprehendisset; ita & tenebitur restituere famam proximi, esto priùs quasi inculpabiliter, aut certè sine culpa gravi eam rapuisse advertat, modò id utiliter, & sine notabiliter graviori suo incommodo fieri possit.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia famula cum alia quadem vixit in perpetuis diffidiis; unde fatetur, se asperrimè altercando, nescio quæ convitia eidem objecisse; & in faciem exprobrasse, tandemque deprehensam in furto, illico ad Herum suum detulisse, ut in incontinenti domo ejiceretur: quin immo, hac

ain-

vindictâ nondum contentam, adiisse insuper aliam quandam Dominam, & patefaciendo idem furtum nuper commissum effecisse, ut ab illa Domina non assumeretur ad servitia. Quæritur jam in hoc casu 1. quomodo Sempronia peccaverit objiciendo convitia in faciem? 2. an vel quomodo deliquerit eam diffamando apud alios? 3. denique, an teneatur ad aliquam compensationem famæ, & aliorum damnorum?

244 R. ad primum. Sempronia per se loquendo graviter peccavit, eo ipso, quòd gravia convitia objiciendo & exprobrando alteri, famam, & honorem, & charitatem magnopere læserit. Fatendum tamen est, hujuscemodi jurgia aut contentiones in praxi sæpe sæpius, inter mulierculas præsertim, contingere sine peccato mortali; vel quia prædominantibus passionibus iræ, invidiæ &c. non sunt sibi satis præsentes, sed ex motu primo aut certè secundò primo similia effutiunt; vel etiam qui alii audientes hujuscemodi exprobrationes bene norunt, eas, iracundiæ motibus potiùs, quàm rationi & vero fundamento nixas esse, & hoc ipso (saltem prudentiores) parum, vel nihil omnino fidei ipsis attribuunt: quam ob rem ab onere restitutionis non rarò excusantur, veluti rectè advertunt Sayrus *in clav. reg. l. 12. c. 4. n. 8.* Bonacina *de restitut. disp. 2. qu. 5. pu. 1. n. 4. &* Babenst. *tr. 7. disp. 5. art. 4. nu. 8.* Unde ad practicè dignoscendam gravitatem peccati in hoc casu, opus erit examinare Semproniam, an vel qua deliberatione hæc fecerit? item an non ex passione jam pridem in mente concepta & quasi decocta? an ipsa prior, vel ex qua ratione cœperit altercari? tum verò ex responsionibus pœnitentis haud difficile erit colligere gravitatem peccati commissi.

245 R. ad secundum. Si crimen furti ab illa altera non fuit adeò enorme, nec pluries commissum, & præsertim si nullum ampliùs subfuit periculum illud sæpiùs iterandi, tunc Sempronia graviter deliquit accusando & diffamando ancillam suam apud alios & quidem cum gravi damno. Ratio est: quia non licet crimen occultum alterius manifestare, nisi id exigat vel bonum proximi, vel malum ab alio innocente avertendum: at, ex hac suppositione nec bonum proximi (coancillæ scilicet) nec malum ab alio innocente avertendum exigebat manifestationem criminis occulti; ergo. Itaque potiùs ex præcepto charitatis & correctionis fraternæ debuisset coancillam dehortari, comminando manifestationem, casu quo iterum fuisset deprehensa in furto; quod, cùm non observaverit Sempronia, profectò vix, aut ne vix quidem dubitandum videtur, quin hæc diffamatio potiùs animo vindicandi & nocendi, quàm mala à proximo avertendi facta, sit utique non sine gravi peccato. Videatur Herincx *disp. 7. num. 52.* Lessius *l. 2. c. 11. dubit. 9.* Sporer *cit. c. 4. à num. 74.* Reinffestuel *ubi suprà dist. 6. à num. 6.*

246 R. jam ad tertium sub eadem distinctione. Nam si Sempronia supponatur habuisse justam causam manifestandi furtum (qualis esse posset timor rationabilis, ne sæpiùs repeteretur, vel ne alii revera innocentes venirent in suspicionem, aliudvè gravius damnum pati cogerentur) tunc non peccavit contra justitiam manifestando illud furtum, & per consequens ad nullam restitutionem tenetur: at verò si non habuit justam causam manifestandi & diffamandi coancillam, condemnanda est nedum ad restitutionem famæ injustè ablatæ, verùm insuper ad resarcienda alia damna inde secuta; quæ meo judicio vix alia via congruentiùs poterit refundere, quàm procurando & providendo, ut coancilla injustè diffamata obtineat aliud servitium æquè commodum & proficuum. Ratio hujus resolutionis facilè colligetur ex dictis: quia omnis alterum injustè damnificans tenetur resarcire damnum illatum omni modo possibili: ergo &c. Videantur de hoc DD. proximè citati.

CASUS TERTIUS.

Caja Saga incarcerata & torturæ subjecta, candidè fassa est, se Diabolo jam ante aliquot annos subscripsisse, eodemque authore multa mala hinc inde intulisse. Verùm, ut in his etiam circumstantiis noceret, mendaciter nominavit aliam quandam fœminam (quam Semproniam dicimus) di-

cti-

ćltans eam pariter subscripsisse, & criminum plurimorum extitisse complicem. Quam ob causam Sempronia pariter à Judice comprehensa, ac torturæ subjecta est, & quia nihil fateri voluit, certè nec potuit, vi illius ad extrema deducta fuit: postulavit proin Confessarium, sed Judex loco Confessarii vocari fecit Medicum. Sempronia interim ante hujus adventum exspiravit; quod, ubi Caja intellexit, ingenuè fassa fuit, Semproniam fuisse innocentem, à se verò partim ex invidia, partim verò ex instinctu Diaboli injustè delatam fuisse velut complicem criminum. Quæritur jam in hoc casu 1. an vel quomodo Judex deliquerit, & ad quid teneatur? 2. quomodo peccaverit Caja, & utrùm hæc fuisset obligata ad revocandum sua dicta, tametsi prævidisset, se propterea graviùs punitum iri?

247 R. ad primum. Judex ob solam depositionem Sagæ non potuit procedere ad torturam Semproniæ. Ratio est: quia ad hanc prærequiritur saltem semiplena probatio criminis: sola autem depositio Sagæ non facit semiplenam probationem, præsertim cùm aliunde pluribus exemplis constet, quòd Sagæ soleant alios innocentes deferre & nominare, velut processum differant, vel ut aliis noceant: ergo &c. graviùs adhuc peccavit, eam torquendo in tantum, ut ad extrema deduxerit; & per se loquendo gravissimè deliquit negando Confessarium constitutæ in mortis periculo, ut de se clarum, & inter omnes Catholicos receptum est. Unde, nisi ignorantia invincibilis eum excuset, ad hanc speciem facti resolvendum videtur, Judicem (saltem in defectum Cajæ injustæ delatricis) teneri nedum ad publicandam innocentiam defunctæ, quatenus huic coram Mundo fama restituatur; verùm etiam ad resarcienda omnia damna realia in bonis fortunæ hæredibus, vel aliis à Sempronia fortè relictis, inde secuta: tanta quippe ruditas (ne dicam crudelitas) in Judice Christiano vix, aut ne vix quidem excusabilis videtur à peccato mortali, & per consequens neque ab onere restituendi, seu etiam resarciendi damna aliis innocentibus inde secuta. Videantur de hoc Gobat *in suo Clypeo tr. 11. n.* 311. Delrio *lib. 5. Sect. 5. n.* 4. La Croix *l.* 4. *num.* 14. 48.

248 R. ad secundum. Caja gravissimè deliquit diffamando innocentem Semproniam, ut de se liquet: unde etiam nedum ante torturam & mortem illius, sed etiam post tenebatur adhuc revocare iniquissimam suam delationem, non obstante quòd prævideret se propterea graviùs punitum iri. Ita in re *communis DD.* & satis clarè Tambur. *l.* 8. *decal. cap.* 1. *§.* 9. Bonacin. *in* 8. *præcept. disp.* 10. *qu.* 3. *propos.* 3. Sporer. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 89. Ratio est: quia in pari causa debet esse melior conditio innocentis: atqui Sempronia fuit innocens; non item Caja: ergo hæc tenetur revocare sua dicta, esto prævideat, se ob id graviùs puniendam; quia excessus hujus pœnæ non est tanti æstimandus, ut propterea excusari possit, aut debeat à revocanda infamia: utpote nedum in ipsam defunctam, verùm insuper in totam ipsius familiam redundatura.

Dices. At quid aget Confessarius, si Caja nolit revocare falsam suam delationem metu gravioris torturæ; aut supplicii perferendi?

249 R. Equidem omni possibili modo inducendam esse, ac persuadendam, ut revocet falsum crimen alteri impositum: nihilominus in casu, quo Confessarius ab hujusmodi malefactore aut malefactrice cæteroquin disposita ad moriendum &c. obtinere nequit, ut revocet, consulit noster A. R. P. Kazenberger *in supplimento decal.* P. Sporer *cap.* 2. *numer.* 233. ut ei persuadeatur, quatenus privatim præsentibus duobus testibus & Confessario id faciat, aut sine hoc quidem fieri possit, in loco supplicii coram Populo protestetur sincerè coram omnibus, se suo Confessario aliquid concredidisse, spectatoribus post suam mortem mox aperiendum, & ab ipsis infallibiliter credendum: tunc verò nomine Malefactoris vel Malefactricis jamjam defunctæ, Confessarius de licentia priùs obtenta revocet, & declaret innocentiam illius, quicunque demum injustè delatus fuit. Videatur etiam de hoc Layman *l.* 3. *tract.* 6. *c.* 5. *§. un. n.* 25. *& seqq.*

Dices adhuc. At quid, si injustus diffama-

mator (uti fuit Caja nostra) nec in vivis nec post mortem, injustam diffamationem revocet, tenebiturne Hæres defuncti, cui de innocentia alterius constat, revocare? aut saltem alia damna realia ex iniqua delatione illata compensare?

250 R. Hæres injusti delatoris in locum defuncti ex justitia tenetur de bonis sibi relictis resarcire damna realia ex iniqua delatione secuta aliis: non tamen tenetur ex justitia (benè verò ex charitate) ad revocandam injustam delationem, seu etiam diffamationem. Ratio disparitatis est hæc: quia obligatio restituendi famam injustè ablatam est personalis, consequenter non transit ad hæredes: è contra obligatio compensandi damna ex iniqua diffamatione secuta est realis, ideòque etiam ab hærede ex rebus à defuncto relictis solvenda, veluti ex *communi* docent Lugo *disp. 15. sect. 1. n. 8.* Lessius *l. 2. c. 11. dubit. 21.* Laym. *lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 7. n. 4.* Sporer *cit. c. 4. n. 84. & 85.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

251 Colliges ex dictis primò, non esse peccatum, consequenter nec obnoxium restitutioni, detegere alterius crimen verum (etsi occultum, extra confessionem sacramentalem cognitum) quando id fit justa de causa. Ratio est: quia talis nec agit contra justitiam, neque contra charitatem. Cæterùm justæ causæ, possunt esse sequentes 1. si manifestatio sit necessaria ad evadendam mortem, vel gravia tormenta, uti fieri amat apud incarceratos, & examinatos de complicibus 2. ad evitandum notabile damnum spirituale aut corporale sibi, vel etiam proximo innocenti imminens. Ratio est: quia secundùm rectam rationem, & ordinem charitatis licitum est, se vel etiam alium innocentem defendere, defensione moderata, esto id fiat cum detrimento injusti invasoris in vita, & membris: ergo multò magis cum detrimento famæ. Ob eandem rationem Doctores communissimè inferunt 3. licitè detegi simulationem alterius, qui fictis & fucatis virtutibus sibi comparavit famam, quando hæc cede re in aliorum detrimentum: profectò ipsemet Christus Dominus *Matth. 16. & Luc. 12.* occultam, & perniciosam hypocrisin Pharisæorum discipulis suis manifestasse legitur, quatenùs sibi ab eorum fermento caverent. Herincx *disp. 7. q. 4.*

252 Colliges secundò, à fortiori non esse contra justitiam, & per consequens nec obnoxium restitutioni, manifestare, seu etiam loqui de crimine alterius notorio sive notorietate juris, sive facti (ubi nota, illud censeri notorium notorietate juris, de quo quis in judicio convictus, vel confessus est, aut judicis sententia publicè fuit punitus &c. illud verò censetur, notorium notoreitate facti de quo evidenter apud non paucos constat, esse scilicet factum, sicut prudentis arbitrio credatur nulla posse tergiversatione celari, aut certo certiùs credatur ulteriùs publicatum, & divulgatum iri) Ratio autem hujus corollariæ resolutionis hæc est: quia hujusmodi facinorosus amisit jus in suam famam; vel quia Judex illum privavit publicando crimen, & in hujus justam punitionem, aliorumque terrorem illud publicari voluit; vel etiam quia ipsusmet delinquens notoriè perpetrando crimen, censetur renuntiasse juri, quod habuit ad suam famam: ergo qui hujuscemodi crimen ulterius narrando dilatat, non peccat contra justitiam, esto non raro possit impingere contra charitatem Lugo *disp. 14. sect. 6. n. 72.* Lessius *cit. c. 11. dub. 13.* Sporer *tr. 5. c. 4. n. 65.* Kresslinger *in append. post nu. 19. ad tr. 9. dist. 6. theolog. mor.* R. P. Reiffenstuel Babenstuber *ubi suprà n. 35.*

253 Quocirca tamen sapienter advertit Herincx noster *proximè c. lib. n. 61.* subinde crimen aliquod etiam ex mente Judicis, vel punientis non reddi publicum simpliciter: sic etenim Superiores Familiarum, Collegiorum, Religionum, &c. tametsi publicè in sua communitate delicta commissa corrigant, aut puniant per hoc tamen minimè intendunt dare licentiam, hujuscemodi crimina extra, Religionem aut communitatem, manifestandi. Unde, inquit idem Doctor, crimen verb. grat. Religiosi etiam condemnati, qui non ejicitur ab Ordine pro

palare extra Religionem, si extra illam non sit alia via publicum, est contra justitiam, ut notarunt Molina *disp.* 33. *nu.* 7. Lugo, & alii.

254 Colliges tertiò à contrario, crimen alterius, etiam verum, occultum tamen, manifestare absque justa, & gravi causa, nedum charitati, sed etiam justitiæ repugnare. Ratio est: quia proximus semper retinet jus ad suam famam, quamdiu de crimine à se commisso non constat: ergo contra faciens impingit contra justitiam. Ad dignoscendum tamen, an injustus diffamator graviter peccet, & per consequens sub gravi, vel sub levi culpa duntaxat teneatur ad restitutionem famæ pro possibili juvabit bene notare hanc regulam, quam Sporer *cit. n* 59. dicit esse generalem: *quoties notabiliter fama alterius læditur, sive defectus narratus sit mortalis, sive venialis, sive naturalis tantùm, toties peccatur mortaliter: Quoties verò leviter solùm læditur fama, peccatur venialiter: quando nihil læditur, quidquid dicatur, nihil peccatur ex hoc capite.* Nam si dicas (pergit idem) de viro probo vel Religioso, eum amare puellam, rixatum esse vel, duellasse, aut quid simile, graviter ejus lædis famam, ideòque peccas graviter: si idem dicas de juvene nobili, vel milite, leviter, vel nihil famam lædis, cùm de talibus non erubescere, sed gloriari soleant Considerandæ tamen sunt circumstantiæ personarum, deliberationis, &c. &c.

At, inquies forsitan, quomodo ad famam restituendam, vel etiam ad revocandum obligari poterit, qui de puella v. gr. dixit, eam ex fornicatione esse gravidam si res à parte rei ita se habeat?

255 R. Talem quidem obligari non posse, ut revocet sua dicta, si moraliter certò prævideat, delictum proximè publicatum iri: profectò parum etiam proficeret, tametsi millies diceret, eam esse honestam Virginem, si gestatio uteri vel subsequens partus clament contrarium. Undè licèt talis sine causa propalando crimen, graviter deliquerit, ob moralem tamen impossibilitatem in his circumstantiis obligari non potest ad revocanda sua dicta. At verò si mulier ex occulta fornicatione non sit imprægnata, aut si delictum præcisa tua manifestatione mansisset occultum, tu illud manifestando graviter peccabis, & (si tamen moraliter ac utiliter possis) teneberis ad resarciendam famam, dicendo v. g. (cum debita restrictione mentali) eam esse Virginem (scilicet in foro Ecclesiæ) vel te fuisse malè locutum (intelligendo peccaminosè) nihil de illa scire (quod scilicet in foro externo, licitè manifestare posses.) Quocirca tamen rursus magna cautela, & circumspectione opus erit, ne alii fortè advertentes te loqui amphybologicè, magis confirmentur in sua opinione semel concepta, & ita error posterior fiat pejor priore. Vide Lessium *dubit.* 20. *nu.* 110. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 39. *a.* 5. *n* 5.

256 Colliges quartò, injustum detractorem teneri ad restitutionem famæ ablatæ, nedum apud audientes immediatos, verùm etiam apud mediatos, si auditoribus immediatis rem ideò manifestavit, ut hi eam ulteriùs dilatarent. Ratio est: quia auditores immediatos adhibuit velut instrumenta quædam ad propagandam ulteriùs infamiam, adeòque fuit vera causa principalis damni apud alios. Idipsum asserendum est de eo, qui detrahit coram talibus, quos scit ulteriùs infamiam delaturos, utì fieri amat, si crimen coram infantibus, vel aliis hominibus junioribus, & valdè garrulis narretur; quia hoc modo alterum sciens, & volens conjecit in periculum gravis damni in bono famæ subeundi. Ita ex communi Mastrius, Sporer, Herincx, Tamburinus *lib.* 9. *decalog. cap.* 3. §. 5.

At quid tenendum de eo, qui detraxit, non attendendo, utrùm auditores ulteriùs essent propagaturi, infamiam, vel non, prout reverà in praxi plerùmque fieri assolet?

257 R. In tali casu probabiliter sufficit revocare, & restituere famam pro possibili apud auditores immediatos. Et ità tenent Tamburin. *cit. nu.* 5. Lugo *disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 16. Illsung. *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 109. Sporer *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 162. esto fateantur contrariam opinionem speculativè esse probabiliorem. Ratio autem hujus responsionis est: partim quia apud omnes, etiam mediatos auditores revocare, censetur

moraliter impossibile; partim etiam quia qui revocat sua dicta apud auditores immediatos censetur his imponere obligationem idipsum faciendi apud suos, quod onus, dum expressè non contradicunt, in se suscipere præsumuntur; partim denique, & potissimùm, quia hanc sententiam confirmat quotidiana praxis Confessariorum etiam doctorum, qui dum pœnitenti imponunt obligationem revocandi apud eos, coram quibus detraxit, & pœnitentem satisfacturum, & se suo muneri satisfecisse existimant

258 Colliges quintò, Nedum vivis sed etiam mortuis famam ablatam esse restituendam. Ratio est: quia in morali hominum existimatione etiam post mortem homo censetur possidere bonum famæ, illudque vel maximè affectare: nec dubitandum, quin potior mortalium pars potiùs tempore vitæ suæ, quàm post mortem primùm vellet sufferre diffamationem sui: ergo bonum famæ injustè ablatum etiam defuncto est resarciendum: nec propterea, quòd hæredes forsitan non urgeant, compensationem famæ, mortuus censetur condonasse hanc obligationem, ait Pettschacher; consequenter ex hoc capite injustus diffamator non evadit liber ab hoc onere. Quòd si talis infamia mortui in hæredes quoque redundet, etiam istis infamator satisfacere, famamque restituere tenetur. Lessius *citat. dub.* 21. *numer.* 114. Bonacina *de restitut. disput. secunda quæst. quarta punct. ultim. numer.* 16. Babenstuber *tractat. septimo disput. quinta artic. quart. numer.* 73. Illsung *ubi suprà*, Mezger, & *alii*.

259 Colliges sextò, nedum famam, sed etiam honorem injustè læsum esse denuo resarciendum, & quidem eo modo, qui considerata tum gravitate injuriæ, tum etiam personæ injuriantis reputetur sufficiens pro reparatione illius. Ratio patet ex dictis. Dixi tamen: *qui considerata, gravitate personæ* &c. alio quippe modo inferior superiori honorem ablatum compensare, alio quoque modo æqualis sibi æquali. Superior plerùmque satisfaciet, si subdito læso majoris benevolentiæ signa exhibeat, nec tenetur se demittere usque ad petitionem veniæ, *ne dum nimiùm servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas* ut ait S. Augustinus in S. Regula. Inferior è contrà vix alio modo compensabit honorem Superiori ablatum, quàm sese humiliando, & petendo veniam, saltem tunc si offensa fuit gravis. Denique æqualis æquali honorem compensare poterit ac debebit, vel honorifica salutatione, aut compellatione, vel obsequii exhibitione, vel invitatione ad mensam, propinatione, &c. &c.

260 Colliges tandem septimò Confessario in hac materia, utpote valde practica & utinam non quotidie nimis practicata prudenter ac circumspectè procedendum esse cum pœnitentibus, ne eos vel laxè nimis, vel nimis strictè ducat, & instruat. Quocirca id vel maximè observandum erit, ut ab hoc onere (restituendi scilicet famam (non nimis facilè absolvat, quando animadvertit reipsa injustum damnum alteri fuisse illatum, aut certè ex diffamatione præterita adhuc secuturum: caveat verò ne ad hujus restitutionem nimiùm adstringat pœnitentem, tunc præsertim, quando prævidet, quòd injustus diffamatur revocando deberet subire notabiliter majus damnum; vel quando prævidet, restitutionem famæ jam impossibilem, vel quia ampliùs fieri non potest coram illis auditoribus, vel quia revocatio illa nihil ampliùs prodesset, vel denique quia infamia tractu temporis jamjam fuit oblivione deleta, & quasi sepulta. Ratio horum desumi debet ex dictis *numer.* 240. tum etiam ex eo, quòd Confessarii intentio, & instructio semper eò sit dirigenda, ut quæ ad DEI gloriam, & animarum salutem viderit magis conducere, suggerat, consulat, vel omnino, ubi opus fuerit, præcipiat: at, sive laxè nimis, sivè nimis strictè pœnitentem direxerit, semper id erit obnoxium periculis, & animarum saluti, Deique gloriæ, ut de se liquet: ergo &c.

Dices tamen adhuc. Quid agendum in Casu, ubi rationabiliter dubitatur, utrùm infamia secuta ex detractione, non jam sit exoleta, & oblivione obliterata?

261 R. In hoc casu vel maximè opus

esse magna cautela, & circumspectione; quia, ut sapienter advertit Sporer *tr. 5. c. 4. n. 113.* sæpe fieri posset, ut talis revocatio plus noceret, quàm prodesset, dum scilicet infamiam jam sepultam oblivione apud audientes denuo renovaret. Itaque attendendum est, quidnam Confessarius, vel quid pœnitens ipse vellet fieri in his circumstantiis, si ab alio fuisset diffamatus injustè, & tunc id, quod sibi vellet fieri perpensis omnibus circumstantiis, faciat aut curet fieri proximo suo. Quòd si dubitet, quidnam vellet sibi fieri in his circumstantiis? conetur saltem in tali dubio indirectè restituere famam, utpute laudabiliter loquendo, & quantum moraliter potest, quovis modo vel genere illum vel illam, cui detraxit, recommendando apud eos, coram quibus crimen occultum priùs manifestavit. Videantur de hoc, si placet, Lugo *ubi suprà disp. 15. sect. n. 35.* la Croix *l. 3. p. 2. num. 1255.* Kresslinger *addit. post num. 41. ad tr. 9. disp. 6. theol. mor.* R. P. Reiffenstuel.

CONFERENTIA DECIMA:

De Restitutione debita ex injusta læsione proximi in bonis fortunæ per furtum, Rapinam &c.

SUMMARIUM.

289 An

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de restitutione debita ratione furti &c.

262 Quæres primò, quid sit furtum? R. Furtum est occulta acceptatio, seu contrectatio rei alienæ rationabiliter invito Domino. Ita *communis DD.* Dicitur autem 1. occulta; nam si fieret apertè, & cum violentia Domino scienti jam non amplius esset furtum, sed potiùs rapina, quæ specie morali differre censetur à furto Dicitur secundò: Rei alienæ; nullus enim in rebus sibi propriis furtum committere potest, sicut nec sibi inferre injuriam: nomine verò rei hìc intelliguntur res externæ, & bona fortunæ, eorumque usus ac possessio. Dicitur tertiò rationabiliter invito Domino; nam si is prudenter credi possit non esse invitus sed consentiens potiùs in hujusmodi contrectationem, non committitur verum furtum; quia consentienti non fit injuria; sicut, & quando consentire debet Dominus, ita ut non possit esse rationabiliter invitus, prout fit in casu extremæ indigentiæ, & necessitatis, veluti docent S. Th. 2. 2. *q. 66. a. 7.* & Scotus 4. *dist. 15. q. 2.*

Quæres 2. quale peccatum sit furtum?

263 R. Est peccatum ex suo genere, mortale, secundùm omnes. Ratio est: quia nedum charitati, verùm etiam (supposita saltem gravitate materiæ (justitiæ graviter repugnat. Qua ratione Apostolus 1. *Cor. 6.* ait: *neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

264 Dixi: *ex genere suo* (id est ex suo objecto, præscindendo ab aliis circumstantiis, quæ novam supperaddere possent malitiam) ut innerem, non omne furtum esse mortale; nam 1. si fiat ex necessitate tantùm, subinde sin minùs in toto, saltem in tanto excusari potest; quia, quò major urget necessitas, tantò minùs Dominus potest esse rationabiliter invitus 2. sæpè sæpiùs etiam non ascendit ad gravitatem peccati mortalis ob parvitatem materiæ, utputa si quis modicum duntaxat auferat. Verùm diffinire, quænam sit materia gravis furti, sufficiens ad mortaliter peccandum, oppidò difficile est, prout vel inde haud obscurè colligere licèt, quòd circa hujus determinationem hodiedum vix non tot reperiantur sententiæ, quot capita, teste Reiffenstuel *theol. mor. tr. 9. dist. 5. num. 6.* Undè.

Quæres tertiò, quænam igitur judicanda sit materia gravis furti, & sufficiens ad constituendum peccatum mortale?

265 Ante responsionem notandum, quòd quemadmodum materia legis aut præcepti alia dicitur absolutè, & alia respectivè tantùm gravis; ita ad nostrum propositum, materia furti congruenter distingui possit in absolutè, & respectivè gravem: absolutè gravis illa appellatur, quæ absque consideratione circumstantiarum, alicujus personæ est sufficiens ad peccatum mortale furti respectu omnium: respectivè autem gravis censetur, quæ non secundùm se, sed habita ratione conditionum personæ, loci, temporis, &c. gravis est, & ad mortale peccatum sufficiens, eò quòd Dominus propterea grave damnum patiatur, uti cum Salmanticensibus rem explicat P. Babenstuber *tr. 7. disp. 5. a. 5. n. 10.* hoc notato.

266 R. Materia furti absolutè gravis & respectu cujuscunque sufficiens ad peccatum mortale, est unus aureus seu ducatus 2. materia verò respectivè gravis illa est, quæ in unum diem sufficeret ad victum illius hominis, cui aufertur. Ita Babenstuber, *cit. a. 5. num. 11. & 12.* Lessi. *de just. l. 2. c. 12. dubit. 6. nu. 29.* Layman *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3.* Sporer *tr. 5. cap. 5. num. 29.* Bonacin. *disp. 2. de restit. q. 8. pu. 1. nu. 7.* Lugo *tom. 1. disp. 16. sect. 2. nu. 28.* Marchantius

tribun. par. 2. tr. 8. tit. 1. qu. 5. Ratio primi est: quia in communi hominum persuasione unus aureus (aut certè, uti P. Sporer & alii non pauci existimant, duo) censetur non esse quid modicum : qua ratione experimur dominos quantumvis divites, esse graviter invitos, si eis unus aureus aut certè duo auferantur; : atqui communis hominum persuasio in his moralibus multum habet ponderis : ergo meritò reputatur absolutè grave. Et certè, si homines scirent, se unum aut duos aureos auferendo non peccare graviter, impellente avaritia vel cupiditate alienorum bonorum, utpote quorum aliunde sunt cupidi, sæpiùs, quàm par est, hujusmodi furta committerent, non sine ingenti perturbatione pacis, & tranquillitatis publicæ: ergo quemadmodum ob hujusmodi periculum habituale Doctores communiter arguunt, procurationem pollutionis, abortus, & similia peccata esse graviter mala, ita pariter judicari debet de ablatione unius, aut certè duorum aureorum seu ducatorum, esse scilicet materiam gravem.

267 Ratio autem secundi est: quia illa quantitas pecuniæ judicari debet notabilis ob cujus injustam ablationem dominus meritò censetur graviter invitus: atqui ob injustam ablationem quantitatis, quæ sibi ad honestum, & juxta conditionem sui status competentem victum unius diei fuisset sufficiens, quilibet meritò censetur graviter invitus; ergo ejusmodi quantitas meritò censetur notabilis, & sufficiens ad constituendum peccatum mortale. Ex quo Layman *lib. 3. tr. 3. par. 1. cap. primo nu. 3.* Sporer, Mezger, & alii plures inferunt, eum mortaliter peccare, qui à mercatore valde opulento furatur duos aut tres florenos; à cive verò mediocriter divite unum florenum; ab opifice tres vel quatuor pazios; ab operario ex diurno labore victitante unum vel alterum pazium; denique à mendico pauculos nummos, quibus uno die utcunque sibi victum parasset.

Quæres quartò. Utrùm in casu necessitatis licitum sit auferre, seu contrectare rem alienam?

268 R. In casu qualiscunque necessitatis esto etiam sit gravis, id neutiquam est, permissum; secundò bene verò in casu extremæ necessitatis, nisi Dominus ipse in pari necessitate sit constitutus. Ita *hodie DD. communissimè.* Ratio prioris desumitur ex decreto Innocentii XI. 2. *Martii* 1679. emanato, in quo præter alias etiam sequentem *numer.* 36. propositionem damnavit! *permissum est furari nedum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Et ratio est : quia si in gravi necessitate id foret permissum, nulla ampliùs esset securitas aut tranquillitas speranda in Republica; cùm enim passim inveniantur, qui nedum communem, sed etiam gravem necessitatem (comparativè ad suum statum) patiantur. procul dubio passim committerentur innumerabilia furta, idque eò ampliùs, quò facilius quisque sibi persuaderet, se in satis gravi necessitate constitutum ideoque tuta conscientia alienum auferre posse.

269 Ratio autem posterioris hæc est : quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem in eo sensu, quatenus sunt necessaria ad sublevandam, & evadendam hujusmodi necessitatem. Unde *c. Exiit §. Nec quidquam de Verb. signif. in* 6. dicitur: *nec jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ, via omnibus extremæ necessitate detentis concessa præcluditur, cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta.*

270 Dictum tamen fuit : *nisi Dominus ipse in pari necessitate sit constitutus.* Rationem hujus limitationis subministrat Scotus 4. *dist. 15. q. 2. §. ad aliud*: tum quia res illa jam priùs erat sui domini, ideoque propter possessionem actualem eidem debet relinqui; tum etiam quia propter extremam necessitatem, in qua supponitur constitutus, & de novo quasi aquisivit illius rei dominium; ergo meritò esset invitus, si ab alio sibi præriperetur. Videatur *Scot. loc. cit.* Mastrius *theol. moral. disp. 9. num.* 21. Reiffenstuel *cit. dist. 5. à. nu.* 10. La Croix *l. 3. p. 1. n. 9. 51.*

Dices: quænam igitur reputatur necessitas extrema, & quænam gravis, vel etiam communis tantùm?

271 R. Cum Lugone, Sporer, & aliis, illam

illam dici extremam necessitatem, qua homo periclitatur in natura, & esse simpliciter, seu, quæ versatur circa ea, quæ natura æquali jure voluit omnibus esse communia, utì est vita, fama, libertas; unde si tibi immineat periculum mortis, aut gravissimi morbi, aut si sis incursurus aliud gravissimum, & morti æquivalens malum v. g. perpetuam captivitatem, infamiam publicam, vel pœnam triremium, meritò reputaberis versari in extrema necessitate: neque verò opus est, ut hujusmodi mala jam actu sentias, sed sufficit quòd tibi proximè, & quidem moraliter certò immineant in ordine ad hoc, ut licitè rem alienam contrectes vel usurpes: quia tunc necessitas extrema jam censetur moraliter præsens: & certè si deberes exspectare usque ad extremum quasi halitum vitæ, ubi moraliter certò moriturus esses, frustra permittereris jam usurpare rem alienam; veluti sapienter notant S. Thomas, Dicastillo, Cardenas, & alii plures apud La Croix *l.* 2. *num.* 195. quem vide. Porro gravis necessitas appellatur, qua homo solùm periclitatur in statu, & esse meliori; utputa si homo ingenuus, & nobilis deberet amittere statum suum, laborare, servire, & mendicare &c. nisi opportuno subsidio adjuvetur. Denique communis necessitas illa communiter dicitur quam pauperes triviales passim sentiunt. Laym. *l.* 3. *tr.* 2. *cap.* 6.

Quæres quintò, quanta obligatio restituendi furi incumbat?

272 R. Eadem, quæ possessori malæ fidei, scilicet quantitas damni illati, secundùm *omnes*. Ratio patet: quia fur revera est, & reputatur possessor iniquus. Unde, quemadmodum suprà *Confer.* 3. *n.* 67. & 68. diximus, iniquum possessorem teneri nedum ad restituendam rem ipsam mala fide possessam, aut damno datam, sed insuper ad resarciendum omne damnum emergens, & lucrum cessans, ita prorsus per omnia de iniquo fure est discurrendum ob identitatem rationis.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione restituendi ex furto.

CASUS PRIMUS.

Titia conqueritur, se sortitam fuisse virum valde austerum atque tenacem, qui prolibus à se (Titia scilicet) ex priori matrimonio jam susceptis, præter alimenta necessaria vix aliud quidpiam, quò honestè tegantur vult admittere: quàm ob rem fatetur 1. *se non raro clam suo marito subtraxisse pecunias, easdemque præfatis prolibus suis honestè vestiendis impendisse item* 2. *dissimulasse nonnunquam rem, quando advertit, quòd filius aliquid clam subtrahat suo Vitrico* 3. *insuper de bonis ac mediis sui mariti non raro aliquid clanculariò dedisse propriæ suæ Matri, utpote valdæ miseræ ac pauperi, tametsi bene sciat, quòd maritus hæc omnia ægerrimè portasset, & omnino contradixisset; dubitat proin, an peccaverit similia practicando, & an tuta conscientia eadem protinus practicare possit?*

273 R. Cum distinctione. Vel enim Titia habet aliunde de bonis scilicet propriis seu etiam paraphernalibus, unde tum prolium tum etiam matris suæ necessitati possit succurrere, vel non? Si habeat tenetur de bonis propriis illis succurrere & oppositum faciendo peccaret; quia tunc maritus esset rationabiliter invitus: econtra si de bonis propriis nihil habeat, non peccabit subtrahendo marito, modò non excedat, subtrahendo plus, quàm sit necessarium ad sublevandam eorum inopiam, simulque habeat intentionem, soluto matrimonio ea pro possibili compensandi hæredibus mariti sui. Ratio est: quia qua mater jure naturali pietatis pro possibili tenetur administrare ea, quæ sunt necessaria prolibus suis, ex quocunque demum matrimonio susceptis: qua filia verò tenetur itidem, succurrere propriæ Matri indigenti: ergo si aliunde non habeat, profectò maritus nequit esse rationabiliter invitus,

si de bonis ipsius, quippe quorum & ipsa quodammodo particeps est, & jus habet aliquid subtrahat, & administret prolibus ac Matri propriæ. Videatur de hoc Gobat *Quin. tr. 5. cap. 24. num. 51.* la Croix *lib. 3. part. 1. num. 1025.* Kresslinger *addit. post n. 34. ad tr. 9. dist. 5. theol. mor. R. P. Reiffenstuel.*

274 Illud tamen hic observandum venit, quòd si filiæ aut filii ex priori conjugio suscepti sibimet sint sufficientes ad lucranda sibi necessaria, tunc Titia malè ageret, subtrahendo marito pecunias, easdemque prolibus applicando, immò, & dissimulando subtractionem à prolibus factam aut faciendam; quandoquidem, & ipsa teneatur ad conservanda bona sui mariti, & ad impediendas iniquas subtractiones. Item 2. malè ageret, si prolibus suis, quantumvis indigentibus nimiùm applicaret, ultra id, scilicet; quod habent necessarium; quocirca vel maximè cavendum est, ne cœcus amor suggerat esse necessitatem, ubi revera nulla est, sicque mentiatur iniquitas sibi, uti sapienter monet Kresslinger *loc. cit.* Profectò nec opus est, ut deficientibus mediis propriis, proles ex priori matrimonio susceptæ tam splendidè, & politè vestiantur, sicut liberi ex posteriori connubio geniti, quibus Parens lucratur necessaria. Ratio hujus facilè patebit: quia si secus fiat, maritus erit rationabiliter invitus: atqui Domino rationabiliter invito nihil licet subtrahare: ergo &c.

Dices. Ergonè Uxori habenti bona, propria seu paraphernalia nihil omnino licet subtrahere, aut expendere de bonis mariti?

275 R. Licet utique secundùm communissimam DD. videndam apud Dianam *part. quinta resol. 34.* Layman. *lib. secundo de charit. cap. sexto* Tambur. *lib. 1. c. 3. §. 4.* & alios passim: licet inquam, sed cum certa limitatione, tantum scilicet, quantum maritus ipse in uxoris, liberorum totiusque familiæ necessitates, atque adeò etiam in victum, vestitum, medicinas &c. secundùm æquitatem deberet expendere: item 2. quantum deberet facere in eleemosynas, aliasvè donationes liberales, maximè remuneratorias secundùm consuetudinem patriæ, loci, personarum &c. item 3. quantum debent facere ad avertenda damna sibi, suisve imminentia, utputa morbi, mortis carceris, &c. Ratio est: quia uxor hoc modo utiliter, gerit negotium mariti, ita, ut is rationabiliter non possit esse invitus. Et ob hanc causam posset fortassis etiam aliquid impendere prolibus ex priori matrimonio susceptis, si sint verè pauperes, & egentes, dummodo considerata conditione status, mediorum, & personarum, non excedat limites, ut jam monuimus *nu. praecedenti.* Vide de hoc P. Sporer. *tr. 5. cap. 5. n. 55.* ubi circa hanc materiam de uxore quadam, bona sui mariti sibi arrogante, casum valde practicum invenies resolutum.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia Parentum satis opulentorum filia advertit, ab iisdemet parentibus suis suo fratri, tum pro addiscendo certo artificio, tum etiam pro vestibus &c. satis multa liberaliter impendi annuatim; eapropter, & sibi prospiciendum rata (quippe quæ non esset deterioris conditionis, quàm frater, eò præsertim quòd ipsa totam quasi domum gubernaret) suis parentibus liberaliori manu subtraxit circiter ducentos florenos, de quibus 100. circiter tum sibi, tum suis etiam amicis, & præsertim suo amasio impendit, alios 100. per modum capitalis alteri cuidam dedit, ut inde censum annuum perciperet. Quæritur jam, an vel quomodo Sempronia peccaverit: secundò an teneatur parentibus suis restituere quæ subtraxit, præsert im censum annuum?

276 R. ad primum Sempronia auferendo 200. florenos per se loquendo peccavit mortaliter. Ratio est: quia quisquis rem alienam contrectat rationabiliter invito Domino, peccat peccato furti, & quidem graviter, si auferat materiam notabilem: at, 200. floreni procul dubio sunt materia notabilis, etiam respectu parentum satis opulentorum; nec dubium, quin Parentes id rescientes, ægerrimè ferrent: ergo dicendum, quòd graviter deliquerit. Unde.

277 R. ad secundum. Sempronia tenetur

ad

ad restitutionem 100. florenorum, quos ad censum dedit: & licèt fortassis censum ipsum hactenus perceptum restituere non teneatur, quippe qui non tam fructus pecuniæ, utpote rei de se sterilis, sed potiùs suæ industriæ est, nihilominus tenebitur de illo satisfacere pro aliis 100. florenis iniquè subtractis, vel pro lucro cessante, si quod passi sunt parentes. Ratio patet ex dictis; quia possessor malæ fidei tenetur restituere alienum, & omne damnum emergens vel lucrum cessans ex suo delicto, compensare.

278 Nec refert, quòd Parentes Semproniæ fratri annuatim multum impendant; nam quod ille percipit extra, hoc Sempronia percipit in domo paterna, utique pariter ex bonis paternis. Deinde cùm Pater sit dominus suorum bonorum, potest (præsertim ob rationabilem causam) uni ex suis liberis plus impendere, quàm alteri, modò singulis salvam relinquat suam legitimam: ergo propterea, quòd Parens sciens ac volens multum impendat filio, Semproniæ non licet subtrahere de bonis parentum, præsertim in tanta quantitate. Unde *Proverb.* 28. dicitur: *qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non est peccatum particeps homicidæ est.*

Dices. Supponitur tamen in casu, Semproniam totam quasi domum gubernare, adeòque sua industria ac labore, multum lucrari; ubi è contra filius nihil lucratur, sed potiùs consumit lucrum, & bona parentum: ergo Semproniæ permittendum est, ut intuitu industriæ, laborumque suorum aliquid subtrahat: nec videtur, cur parens propterea possit rationabiliter esse invitus.

279 R. Esto Lessius, Diana, Burghaber, aliique multi DD. probabile censeant quòd filius aut filia in domo paterna laborans, hujus intuitu possit sibi aliquid subtrahere, si parens id neget, vel pudeat petere; opposita tamen sententia Sylvestri, Molinæ *tom.* 2. *disp.* 234. Sanchezii *Consil. l.* 1. *c.* 2. *dub.* 8. & 9. Laymanni *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 5. la Croix *l.* 3. *p.* 1. *n.* 1024. est multò probabilior, ac tutior, juribusque conformior, uti bene ostendunt Sanchez & Layman. *ll. cc.* Ex quo liquet, non esse certum, quòd filio aut filiæ aliquid debeatur intuitu laborum parentibus exhibitorum in domo paterna: atqui, ubi jus non est certum, ibi non licet uti tacita compensatione: ergo adhuc possunt parentes rationabiliter esse inviti, præsertim si subtractio fiat in tanta copia.

280 Illud tamen silentio hìc prætereundum non est, quod communissimè notant DD. scilicet ad furtum grave filiorum, & ad obligationem gravem restituendi, multò majorem requiri quantitatem materiæ, quàm si illud fuisset commissum ab extraneis; & meritò: quia Parentes non censentur esse tam faciliter aut tam graviter inviti respectu filiorum aut filiarum, quàm respectu extraneorum; putantque Lessius, Navarrus, Filliucius & alii plures, filium non esse condemnandum peccati mortalis, si duos vel tres aureos auferat à Patre divite, secus, si à mechanico exiguæ fortunæ; alii adhuc plus concedunt; meo tamen judicio una certa regula aut mensura universalis statui non potest, sed Confessarii discretioni atque arbitrio relinquendum est, qui, ut gravitatem peccati cognoscat, attendere debet non ad solam materiam, sed vel maximè etiam ad circumstantias personarum, utputa ad statum & facultates parentum, an sint liberales vel tenaces, an prolibus suis multum vel parum concedere assueverint pro victu, vestitu &c. an habeant paucas vel multas proles, an filius aut filia sint multùm vel parùm utiles, an pecuniam subtractam benè vel malè, utputa ad lusum, ad mulieres vel amasias nutriendas &c. &c. impendant &c. Unde P. Sporer sapienter monet, cavendum semper esse, ne temerè peccati mortalis scrupulus cuipiam injiciatur, neque etiam ansa præbeatur ad furandum nimium. Vide Sporer *tractat. quinto cap. quinto numer.* 57. Reiffenstuel *dist. quinta num.* 37.

Dices adhuc. At quid, si Sempronia nostra solùm subtraxisset esculenta, & poculenta suis parentibus?

281 R. Quantum ad esculenta, & poculenta à filiis subtracta esse attendendum à Confessario 1. quantitatem, quæ

si non

si non sit nimia, plerùmque subtrahitur sine gravi peccato 2. item an parentes sint, vel saltem rationabiliter credi debeant inviti quoad substantiam, vel verò quoad modum duntaxat, quod scilicet talis subtractio modo occulto, & ipsis ignorantibus fiat (quod quidem tunc vel maximè præsumi posse videtur, si hujusmodi esculenta non aliis, sed sibimet applicent, vel si dent pauperibus & egentibus, quibus parentes, utpote valde misericordes & habentes, bene affecti sunt) tunc enim tam facilè non peccabunt graviter, licèt venialiter peccare possint; at verò quando parentes sunt inviti quoad substantiam, utpute quia ipsimet non abundant bonis & sunt egentes, vel quia filii familias hujuscemodi bona malè dilapidant &c. minimè dubitandum, quin successivè domui paternæ grave damnum inferre, ideòque & graviter delinquerè possint: & quod de filiis familias hic dicimus, idem suo modo tenendum est de Religiosis respectu monasterii, & à fortiori de servis respectu dominorum; nam si talis v. g. ex cellaria quotidie unam vel alteram mensuram vini surripiat, præsertim ubi vinum in pretio est, quis neget, unius mensis vel anni spatio grave damnum illatutum, & mortaliter peccaturum, ait rectè Sporer *cit. n.* 58.

CASUS TERTIUS.

Cajus pauperculus hactenus assueverat circumeundo & cursitando more aliorum mendicabulorum quæritare eleemosynam, sed quia vi novissimæ constitutionis municipalis hujusmodi quæstus fuit universaliter interdictus, ex communi autem cassa pauperum, quibus & ipse annumeratus fuit hebdomadatim non recepit tantum, quantum sibi sufficeret ad sustentationem vitæ; hinc alia via sibi prospiciendum ratus, cœpit furari, ubi demum commodam occasionem sibi videbatur nactus: aliquoties etiam in Ecclesiis infregit cippos & gazophilacia, & de altaribus aliisvè imaginibus sacris clepsit anathemata aurea, atque argentea, de quibus se sustentare studuit. Dubitatur jam, an vel quomodo Cajus deliquerit?

282 R. Si dicta Caji veritate nitantur, quòd scilicet de communi cassa pauperum non perceperit tantum, quantum opus erat ad vitam quomodocunque demum sustentandam, neque aliunde hanc sustentationem vel labore manuum suarum, vel etiam privata seu occulta mendicatione sibi procurare potuit, dicendum foret, quòd per hujuscemodi furta non peccaverit, modò non excesserit in quantitate. Ratio peti debet ex dictis *num.* 268. quia in extrema necessitate licitum est furari, vel potiùs contrectare rem alienam; siquidem talis contrectatio non ampliùs dici debet furtum, eo quòd Dominus nequeat in his circumstantiis rationabiliter esse invitus, cùm omnia bona temporalia à Deo sint ordinata ad hominis conservationem, juxta illud S. Augustini: *exteriora fecit Deus propter corpus, corpus propter animam, animam verò propter se ipsum*: ergo Cajus ex hac suppositione non peccasset.

283 Dixi tamen notanter: *si dicta Caji veritate nitantur*; enim verò non videtur verosimile, quòd in hisce partibus nostris, ubi erga miseros & egentes charitas singulariter abundat, tantam fuerit passus inopiam, ut revera ad extremam pauperiem & necessitatem sit redactus; quia, sin minùs labore manuum, certò tamen certiùs occulta quæritatione eleemosynæ; & sollicitatione benefactorum (quæ in tali casu necessitatis extremæ nunquam censeri debet prohibita) sibi procurare potuisset victum & sustentationem necessariam. Profectò inauditum (ni fallor) est, quempiam in hac civitate Salisburgensi ad extremam necessitatem redactum, non invenisse Patronum, qui misericorditer succurrendo hanc necessitatem non sublevasset. Unde, tametsi Cajus noster fortassis nedum communem, ut alii pauperes, sed & gravem necessitatem fuerit passus, quia tamen in gravi duntaxat necessitate non est licitum furari, secundùm dicta *num.* 268. ideò nec facilè est credendum à Confessario, aut supponendum, hujusmodi furta sine gravi peccato sacrilego fuisse commissa à Cajo.

Dices. Juxta Laymannum, Sporer, la Croix

Croix & alios DD. non est facilè condemnandus peccati mortalis, qui à divite (præsertim antea rogato) clam aufert, quantum ad gravem necessitatem suam sublevandam verè necessarium est; necessitas enim multum minuit de malitia furti, & excusat, sin minùs in toto, saltem in tanto: ergo nec Cajum condemnare debemus alicujus gravis peccati.

284 R. Id omnino verum esse, quod tradunt DD. allegati: neque ego de facili condemnarem peccati mortalis Cajum nostrum, nisi limites hujus doctrinæ fuisset transgressus. Cùm enim fateatur se passim hinc inde clepsisse nedum de profanis, verùm etiam de sacris, hinc procul dubio limites necessitatis sublevandæ transgressus fuit, proptereàque à Confessario sin minùs condemnandus ad restitutionem propter inopiam & moralem impotentiam, certò tamen seriò omnino dehortandus est, & monendus, quatenus alia via velit quæritare victum necessarium; scilicet vel labore manuum, vel saltem privata & occulta imploratione benefactorum, de quibus procul dubio providebit clementissimus Deus, si Cajus in eundem curam suam jactaverit, & fideliter serviverit.

Dices adhuc: at demus, Cajum, vel alium quempiam in extrema necessitate constitutum, usurpasse rem alienam, eritnè postea condemnandus ad restitutionem si redierit ad meliorem fortunam?

285 R. breviter cum distinctione. Nam I. si rem illam in casu necessitatis solùm usurpavit, & non consumpsit, eò quòd illius (v. g. equi) usu duntaxat opus habuerit, tenebitur cessante necessitatis casu restituere rem alienam v. g. equum, juxta *omnes*. Ratio est: quia extrema necessitas non tribuit plus juris in rem alienam, quàm sit necessarium ad evadendam illam necessitatem: ergo si non ipsa re, sed usu tantùm rei alienæ hanc evasit, tenebitur postea restituere rem alienam. At verò II. si durante & instante necessitate rem alienam omnino consumpsit, multi DD. negant, eum postea teneri ad restitutionem, eò quòd illam velut suam consumpserit, patrocinante sibi casu necessitatis, in quo communiter omnia bona dicuntur communia: alii è contra absolutè affirmant, talem postea teneri ad restitutionem; eò quòd necessitas satis sublevetur, quando indigens sibi necessaria accipit cum onere postea resarciendi, dum poterit: & hæc posterior sententia speculativè loquendo videtur probabilior: quia tamen in praxi valdè dura, immò (teste Lugo *disp.* 16. *sect.* 7. *nu.* 171) communi censui nedum indoctorum, sed & Doctorum repugnat quippe qui nunquam existimant se obligatos ad refusionem faciendam post casum necessitatis; hinc censeo, in praxi à Confessario prudenter dissimulari posse hoc, onus restitutionis pœnitenti injungendum tunc præsertim, quando consumens fuit & re & spe pauper. Ratio bona satis est: quia (præscindendo à speciali pacto) juxta probabilem sententiam non tenebatur in se suscipere onus recompensandi postea; vel certè ideò etiam, quia Dominus non censetur voluisse obligare tales ad compensationem, qui re, & spe sunt pauperes; quandoquidem de tali spe pauci curent, & hoc ipso exigui sit momenti. Secus tamen dicendum, & resolvendum puto, quando is quis consumpsit, rem alienam non fuit re, & spe pauper, utputa quia alibi habuit, unde posset solvere. Ratio est: quia talis non censetur esse simpliciter in necessitate constitutus accipiendi rem alienam, sed potiùs emendi vel mutuò accipiendi; qui enim emere potest, vel mutuum accipere, non indiget simpliciter alienis. Et certè illi nemo facilè de suis vellet gratis subministrare necessaria, si quis habeat alibi, unde solvat. Videatur Lugo *cit. num.* 170. & 171. Sporer *tract.* 5. *capit.* 5. *n.* 98. & *seqq.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

286 Colliges primò, furtum non committi, quotiescunque alienum aufertur in iis circumstantiis, in quibus Dominus nequit rationabiliter esse invitus. Unde

Unde sequitur 1. non committere furtum, qui ab amico aliquid aufert joci causa duntaxat, uti non rarò fieri amat inter tales. 2. neque illum, qui aliquid aufert in bonum & commodum illius, cui aufert; ut si Uxor Marito (casu non rarò contingente) aliquid auferat v. g. pecunias, ne illas dissipet ludendo, debachando &c. vel si easdem rursus impendat in bonum commune, seu necessitates familiæ &c. 3. Nec committit furtum, qui proximo suo aufert rem verè nocivam ac damnosam v. g. librum hæreticum aut lascivum, quo seduceretur, vel gladium, quo alium trucidaret &c. 4. item si famulus aut famula ex nummis domini det moderatam eleemosynam valde indigenti, cui dominus ipsusmet deberet succurrere in his circumstantiis. Ratio horum est: quia dominus ob has & similes subtractiones sibi clam factas nequit rationabiliter esse invitus: at, ubi Dominus nequit esse invitus, ibi non committitur verum furtum juxta jam dicta. Lessius *de just. l. 2. c. 12. dubit. 1. numer.* 4. Salmanticenses *tom. 3. tr. 13. c. 5. pu. 1. numer.* 3. quos refert & sequitur Babenstuber *tr. 7. disp. 5. a. 5. numer. tertiò*.

287 Colliges secundò, non peccare graviter contra justitiam, qui alteri aufert rem levem seu modicam, tametsi prævideat eum propterea non leviter offensum iri, dummodo aliud damnum inde non sequatur. Ratio est hæc: quia ob rei levis ablationem Dominus non est rationabiliter invitus tam graviter: unde merè per accidens evenit, quòd prævideatur tam ægrè & graviter laturus rei modicæ ablationem, uti præter alios bene advertit Layman *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. numer.* 3.

288 Dixi tamen: *dummodo aliud damnum inde non sequatur*; enim verò si tale prævideatur secuturum, sine dubio committitur peccatum mortale; omnis quippe, voluntariè inferens proximo grave damnum, graviter lædit justitiam. Unde fit, quòd qui Sartori acum, sutori subulam; pictori penicillum vel cuivis artifici instrumentum necessarium aufert, prævidens eos defectu hujuscemodi instrumenti nil lucraturos, & notabile damnum vel lucrum cessans passuros &c. graviter omninò delinquit, non quidem peccato furti; quippe quod de se supponitur leve duntaxat, sed ratione damni indeinjustè illati. *Communis DD.* apud Laym. Babenstuber, Mezger, Bonacinam, Lessium &c.

Dices. At quid tenendum est de Sartoribus, retinentibus sibi fragmenta, vel potiùs segmenta, etiam holoserica &c. de vestibus noviter confectis?

289 R. si hujusmodi segmenta sint adeò exigui momenti, ut meritò credi possint haberi pro derelictis à Domino, non peccant. Quin immò, tametsi majoris supponantur valoris, nihilominus à Sartoribus retineri posse, arbitrantur Sanchez *l. 1. consil. c. 7. dub. 2. n.* 4. Lugo *disp. 16. sect. 4. n.* 84. aliique multi: idque hac ratione: quia Sartores etiam timoratæ conscientiæ testantur, à Dominis minùs sibi mercedis solvi, quàm mererentur; unde per hujusmodi retentionem fragmentorum censentur justè compensare id, quod adhuc esset solvendum. Meritò tamen monet Lugo *cit.* hanc compensationem, utpote valdè periculosam, non esse nimiùm extendendam. Nec dubitandum, quin graviter peccent, cum onere restitutionis, si scienter plus materiæ exigant, quàm ad vestem vel opus perficiendum sit necessarium, aut si contra rationabilem Domini voluntatem sibi reservent notabilem partem de auro, argento &c. de quo proin à Confessario indagandum, & singulariter attendendum est, ad dignoscendam peccati gravitatem, & onus restituendi inde contractum.

290 Colliges tertiò, ad constituendum furtum mortale longè majori quantitate opus esse, quando furta fiunt successivè in quantitate modica, sive dein ab eodem sive à diversis quàm si multum unica ablatione aufferretur: putantque Doctores, requiri ad minimum plus dimidio. Ratio est: quia cùm Domini hujusmodi furta successiva & quasi insensibiliter facta non ita sentiant, hoc ipso non censentur tam graviter inviti, quàm si magnum quid unica ablatione fuisset ablatum. Ob eandem rationem major quan-

quantitas requiritur ad complendum peccatum mortale, dum quis etiam eodem tempore modica surripit a diversis Dominis, quàm si eidem surripuisset. Ratio clara est: quia tunc omnes & singuli non patiuntur tam grave damnum, & hoc ipso sunt minùs inviti. Quam ob causam Molina *tom. 3. de just. disp.* 689. existimat; in hujuscemodi furtis factis à diversis Dominis duplo majorem quantitatem requiri, quàm si fuissent facta ab eodem, qui procul dubio graviùs illa sentiret. Vid. Lessius *lib. 2. c. 12. dubit. 7. num. 45.* Layman *ubi suprà num. 6.* Babenstuber *l. cit. art. 6. num. 26.*

291 Colliges denique quartò ex hactenus dictis, quo modo practicè in confessionali procedendum sit cum pœnitente sese accusante de furtis seu infidelitatibus (uti vocare solent) respectu Parentum, vel Dominorum commissis; etenim si pœnitens se ipsum non satis explicet, nec numerum vel quantitatem exprimat, oportebit attendere 1. quis commiserit furta illa? an scilicet sit Uxor, filius, servus, vel omnino extraneus? & an necessitate compulsus vel non? 2. quid? an scilicet quantitatem absolutè, vel saltem respectivè gravem, vel verò levem duntaxat? pro cujus discretione 3. attendendum erit, à quo? an scilicet à divite vel à paupere? ab uno aut pluribus? & 4. quomodò? an simul, vel successivè, an habuerit statim ab initio animum perveniendi ad magnam quantitatem, & Dominum graviter damnificandi, vel non? quia supposita tali intentione in singulis furtis potuisset peccare mortaliter. 5. denique specialiter est attendendum à Confessario, qua fide & conscientia commiserit illa furta, & an, vel quomodo apprehenderit se peccare: quia ex his potest ac debet colligi gravitas peccati, nec non obligatio restituendi vel non? Nam si *extraneus* v. g. homini de se *pauperi* aliquid auferat, unde is *damnificetur* &c. jam crescit malitia & gravitas furti ex his circumstantiis: sicut è contrario decrescit, si v. g. *filius familias* suo *Parenti* valde *diviti* aliquid auferat successivè per furta minuta &c. Et licèt similia pœnitentibus insinuare non expediat, ne fortè ad hujusmodi furta reddantur proniores, nihilominus tamen certum esse debet, quod multum deserviant Confessario in ordine ad dignoscendam gravitatem vel levitatem peccati, nec non ad decernendum, an, vel quando expediat injungere obligationem restituendi vel non, veluti sapienter advertit P. Kresslinger in addit. post *num. 40. ad tract. 9. dist. 5. theol. moral.* R. P. Reinffestuel.

CONFERENTIA

UNDECIMA.

De Circumstantiis restitutionis.

SUMMARIUM.

292 *Per se loquendo restituendum est id, quod in individuo debetur.*
293 *Debita certa, simpliciter incerta, & incerta secundùm quid, quae dicantur.*
294 *Debita certa regulariter loquendo restituenda sunt Domino, vel justo possessori.*
295 *Subinde tamen datur justa causa ab hoc excusans.*
296 *Debita simpliciter incerta in pauperes, vel alias pias causas sunt expendenda.*
297 *Econtra incerta secundùm quid duntaxat præstanda sunt iis, quibus probabiliter debentur.*
298 *Quo loco res, sive ex delicto formali, sive materiali, sive etiam ex contractu debita, restituenda sit.*
299 *Et cujus periculo, aut expensis id fieri debeat.*
300 *Quo modo debita sint compensanda & extinguenda.*
301 *Et quando facienda sit restitutio.*
302 *Resolvitur Casus I. de quodam Juvene, qui puellam imprægnavit, & postea sparsit, eam ab alio fuisse imprægnatam.*

303 Un-

303 *Unde tenetur etiamnum compensare injurias, & damnatum puellæ, tum etiam alteri injustè diffamato secuta.*
304 *Idque à fortiori dicendum, si supponatur puellæ jam gravidæ suasisse, ut alterum nominaret Patrem coram Judice;*
305 *Quo supposito in defectum hujus juvenis ipsa puella tanquam Mater teneretur nedum suæ proli providere de alimentis necessariis, sed etiam alteri delato resarcire damna illata.*
306 *Nec ampliùs tuta conscientia ab eo posset prætendere vel acceptare alimenta prolis.*
307 *Resolvitur Casus II. cujusdam ancillæ, quæ everrendo eauponam invenerat tres ducatos.*
308 *De his nihil tenetur dare hero suo, etsi in illius domo eos invenerit.*
309 *Solvitur quædam instantia de inventore thesauri.*
310 *Qui rem inventam, post factam congruam inquisitionem Domini consumpsit bona fide, postea fortè comparenti nihil ampliùs tenetur restituere, nisi inde evasisset ditior.*
311 *Resolvitur Casus III. de iniquo possessore, qui de consilio Confessarii 100. florenos per tertium quemdam restituit sed sine effectu, ob illius tertii infidelitatem.*
312 *Unde etiamnum tenetur eos resarcire.*
313 *Etsi nonnulli DD. oppositum probabile teneant.*
314 *Consultiùs proin faciet, si per se ipsum ea quæ priùs subtraxerat, etiam successivè sub schemmate donationis restituat.*
315 *Et quid, si prævideat, fore ut sibi vicissim ab illo domino aliquid donetur.*
316 *Possessor malæ fidei in restitutione rei alienæ non tenetur facere expensas nimias, seu excessivas.*
317 *Ad impertiendam absolutionem ex parte pœnitentis non prærequiritur necessariò restitutio realis, bene tamen mentalis, id est, propositum efficax restituendi &c.*
318 *Et quid de pœnitente, qui perpetuò erit impotens ad restituendum?*
319 *Qui sæpiùs jussus restituere, nunquam satisfecit, tametsi potuisset, non est absolvendus;*
320 *Nisi hic & nunc specialia signa ostenderet, sese emendandi, & satisfaciendi parti læsæ.*
321 *Nec satisfacit suæ conscientiæ ille, qui cùm posset statim totum restituere, non vult restituere, nisi successivè & per partes;*
322 *Sicut nec ille, qui restitutionem vult differre usque ad, vel omnino post mortem.*
323 *Cautela specialis circa hujusmodi pœnitentes usurpanda insinuatur.*

§. I.

Præmittuntur & breviter resolvuntur quæsita scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Circumstantiis restitutionis.

Quæres primò, quid, & quantum sit restituendum?

292 R. ad primum breviter: per se, loquendo restituendum est id, quod in individuo alteri debetur: nec sufficit tantùm restituere aliud æquivalens, v. grat. pecuniam loco equi, &c. veluti jam constare debet ex hactenus dictis. Ratio est quia finis restitutionis est æqualitas inter jus activum unius, & inter debitum alterius: at, hæc æqualitas nunquam obtinebitur perfectè, nisi res individuo, quippe ad quam Dominus supponitur habere jus, restituatur: ergo &c. Nihilominus casu quo res ipsa non ampliùs existit, aut certè ob moralem impossibilitatem restitui non potest, satis erit, restituere aliud æquivalens; cùm enim aliter jus Domini recuperari non valeat, nequit is esse rationabiliter invitus, sed potiùs contentus esse debet, quandoquidem melius ipsi sit, recipere aliud æquivalens, quàm omnino nihil. Ad alteram quæsiti partem responsio jam superiùs C. 2. n. 28. data fuit: quo proin remittimus lectorem.

Quæres secundò, cuinam restituendum sit.

293 Ante resolutionem hujus quæsiti necessariò præmittenda, & bene notanda

da est differentia inter debita, sive ex delicto, sive etiam ex contractu. Etenim alia dicuntur *certa*, alia *incerta simpliciter*, & alia denique *incerta secundùm quid*. Certa appellantur illa, quorum Dominus scitur ita, ut ei restitui possint: incerta simpliciter dicuntur illa, quorum Dominus omnino ignoratur, vel etsi fortè sciatur, rationabiliter tamen creditur fore, ut ei nunquam possit restitui id, quod debetur: incerta verò secundùm quid nuncupantur, quando Dominus in confuso duntaxat agnoscitur, ut si scias, rem à te possessam esse unius ex duobus, vel aliquorum ex communitate aliqua, nescias autem cujus vel quorum in individuo, & determinatè illa sit h. n.

294 R. ad quæsitum primò. Debita certa ordinariè, & per se loquendo, restituenda sunt Domino immediatè, vel justo possessori, cui res ablata, aut debita est. Ita *omnes*. Ratio est, quia secundùm mox dicta restitutio eò tendit, ut fiat æqualitas inter personas: at, nisi Domino suo, justovè possessori, utpote qui supponitur pati inæqualitatem, reddatur, hæc æqualitas nunquam recuperabitur: ergo. Ex quo clarè sequitur, eum qui aliquid abstulit non ipsi Domino directo, & proprietario, sed tantùm usufructuario, aut depositario teneri ad restitutionem huic immediatè, & non ipsi Domino proprietario faciendam, ob rationem mox datam. Videatur Sporer *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 80.

295 Dictum tamen fuit: *per se loquendo*; ad innuendum, posse non rarò occurrere causas rationabiles, ob quas Domino, etsi bene cognito, non est restituendum. Tales esse possunt 1. si ipse Dominus vel creditor nolit sibi restitui, aut restitutio talis esset cessura in ipsius, vel alterius tertii, vel denique in totius Reipublicæ damnum &c. velut ampliùs constabit ex dicendis in Conferentia proxima *à num.* 329.

296 R. jam secundò. Debita simpliciter incerta, & quidem ex delicto formali post sufficienter inquisitum, & non inventum, Dominum in pauperes, vel alios pios usus sunt eroganda 2. Debita verò incerta ex contractu vel re accepta probabiliter possunt retineri à possessore bonæ fidei, præsertim si, & ipse sit pauper vel non abundans. Ratio prioris desumitur tum ex *c. cùm tu. de usuris* item *c. Nemo. C.* 24. *q.* 5. tum denique ex eo: quia cùm res illa semper adhuc maneat prioris Domini vel ejus hæredis, ratio naturalis dictare videtur, ut illa dispensetur juxta rationabiliter præsumptam Domini voluntatem: at non est verosimile, Dominum velle, ut iniquus possessor eam sibi reservet, sed potiùs ut in pias causas eam impendat, quatenus saltem spiritualem fructum inde recipiat Dominus, qui temporalem percipere non ampliùs potest: ergo. Et ita sentiunt D. Thomas, Cajetanus, Molina *disp.* 746. Lugo *disp.* 6. *sect.* 12. aliique *communissimè*. Quin etiam ob eandem rationem idem S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *a.* 5. *ad* 2. Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 4. Vasquez, & alii insignes Doctores censent, etiam possessorem bonæ fidei obligari ad rem alienam in pias causas expendendam: oppositum tamen probabile, & in praxi tutum censent Sotus, Navarrus, Layman Lugo, Reiffenstuel, Herincx, Diana, Sporer *tr.* 4. *cap.* 3. *num.* 111. Ratio autem hujus est; tum quia non satis constat, quòd Dominus velit possessorem bonæ fidei ad hoc obligare, sed potiùs ut illam reservet, quamdiu affulget spes inveniendi Dominum, aut si nulla ampliùs affulgeat, eadem res inventori ac possessori in partem suæ fortunæ cedat; tum etiam quia aliunde ostendi non valet lex certa sive humana, sive divina aut naturalis, quæ possessorem bonæ fidei ad hoc obliget. Unde hanc sententiam verè tutam censeo; quia tamen opposita est tutior, & ab auctoritate saltem probabilior; hinc oportet, ut Confessarius suo pœnitenti consulat, quatenus velit hujuscemodi rem erogare, & applicare ad pias causas, nisi, & ipse sit pauper, & multùm egens: si tamen eò facilè persuadendus vel inducendus non videatur, potest ac debet Confessarius eisdem condescendendo permittere, ut post congruam, & commensuratam gravitati rei inquisitionem ipse sibi usurpet illam rem, præsertim si ipsusmet sit admodum egens, vel non abundans.

297 R. jam tertiò. Debita incerta secundùm quid, nec retineri possunt à possesso-

sessore, nec dari debent pauperibus, sed reddenda sunt iis, quibus verosimiliter debentur. Unde qui scit, se aliquid debere uni aut alteri ex communitate, tenetur illud reddere communitati, aut Superiori communitatis illius, quatenus is eandem rem vel in natura, vel in æquivalenti applicet ac reddat iis, quibus verosimiliùs est debita. Ita rursus communissimè sentiunt Doctores Molina, Lessius Layman, Lugo *cit. disp.* 6. *sect.* 12. *nu.* 128. Tamburinus *l.* 8. *tr.* 4. *c.* 16. §. 3. *nu.* 19. Ratio manet semper eadem, quæ mox supra fuit data: quia res aliena reddenda est Domino meliori modo, quo fieri seu sperari potest æqualitas: atqui hæc æqualitas nunquam obtinebitur, si talis possessor bona secundùm quid incerta vel sibi reservaret, vel in pauperes erogaret; bene tamen si illam modo præfato reddat communitati, vel iis, quibus verosimiliùs est debita: ergo his est reddenda.

Quæres tertiò, ubi, seu quo loco restitutio sit facienda?

298 R. 1. Res ex delicto debita est restituenda in loco Domini seu creditoris, & quidem expensis debitoris. 2. Res verò debita ratione rei acceptæ duntaxat, restituenda est in eo loco, ubi habetur, idque expensis Domini, qui propterea monendus est, quâ scilicet via velit eam sibi restitui; & siquidem pro custodia interim facienda sint expensæ, debebit Dominus eas refundere. 3. Denique res debita ex contractu restitui debet eo in loco, de quo expressè vel tacitè inter paciscentes conventum fuit. Quod si vi contractus eadem numero res sit restituenda, uti contingit in *deposito*, *commodato*, & *locato* &c. facienda erit eo loco, quo fuit accepta, nisi aliter conventum fuit; quemadmodum enim secundùm dicta eadem res quoad substantiam, sic & quoad locum reponenda est, & hoc modo perfectissimè ponetur æqualitas, quem in finem restitutio principaliter, & ultimatò collimat. Videantur dicta superiùs *C.* 6. *num.* 158. & 159.

At, inquies, cujus expensis vel periculo res ex contractu debita est transferenda?

299 R. Transferenda est expensis illius, in cujus gratiam & commodum res fuit à loco abducta, & contractus cedit, ut in commodato expensis Commodatarii, in deposito gratuito expensis deponentis. Unde si contractus cedat in commodum utriusque, uti fit in locato, conducto; restitutio fieri debet expensis utriusque; nisi aliter fuerit conventum, aut consuetudine approbata receptum. Ratio est: quia æquitas naturalis hoc suadet, ut, qui sentit commodum & onus sentire cogatur, juxta Regulam 55. I. *in* 6. Periculum verò quod attinet, jam superiùs *C.* 1. *num.* 4. item *C.* 6. *nu.* 153. & 169. diximus, quod si res pereat culpa, tunc culpabili perit: si verò pereat casu, tunc perit Domino. De quo videri potest Henrincx *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 8. *num.* 111. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 705.

Quæres quartò, quo modo debita sint restituenda?

300 R. 1. Res debita ex occulto delicto regulariter restitui potest ac debet occultè, sicut è contrario res publico delicto ablata aut damno data, publicè restituenda est, quatenus de tali restitutione publicè constet ad tollendam aliorum offensam. 2. Res aliena (nisi aliter conventum sit) restituenda est tota simul, & non per partes, nisi justa causa occurrat in contrarium; quia aliàs Dominus posset novum incurrere damnum. 3. Denique perinde quidem est quoad substantiam, sive debitor immediatè per se ipsum restituat, sive per alium, attamen ubi nullum subest periculum diffamationis vel majoris incommodi semper oportet debitor per se ipsum restituat; quia hoc modo infallibiliùs obtinebitur finis justitiæ; prout etiam mox infrà *num.* 314. dicemus. Videatur Bonacina *de restitut. disp.* 1. *qu.* 7. *punct. ult.*

Quæres quintò, quando facienda sit restitutio debitorum?

301 R. 1. Debita ex delicto moraliter statim sunt solvenda, quamprimùm scilicet sine gravi incomodo fieri potest: tum quia præceptum restitutionis jugiter urget: tum etiam quia aliàs novum posset emergere damnum. 2. Debita verò ex contractu solvenda sunt eo tempore, de quo

inter

inter paciscentes vel expressè vel tacitè conventum fuit, ita, ut si debitor sit in mora culpabili, cogatur omnia damna resarcire ex tali dilatione emergentia, idque verum est, tametsi alter non moneat. Ratio est: quia dies interpellat pro homine. *L. Magna. ff. de contrahen. stipulat.* 3. Denique quando nullus certus terminus solutionis vel restitutionis fuit præfixus, tunc rursus facienda est restitutio aut solutio, quamprimùm moraliter fieri potest: quia *in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die debetur L. 14. ff. de R. I.* Advertit tamen Herincx noster *disp. 8. nu. 116.* quòd si creditor non urget aut petat solutionem, etsi posset, dilatio plerùmque non censeatur graviter culpabilis, etsi à Confessario semper adhuc sit dissuadenda; tum quia, qui citò dat, bis dat, tum etiam, quia hoc modo evitatur omne periculum injustæ damnificationis. Vide Tambur. *l. 8. tract. 4. c. 1. §. 6.* Laym. *l. 3. tract. 2. c. 10. n. 2.*

§. II.

Proponuntur & breviter resolvuntur Casus practici de Circumstantiis restitutionis.

CASUS PRIMUS.

Titius Cajam impregnavit, sed ut infamiam inde sibi imminentem, aliaque damna evaderet, vulgo sparsit, eam ab alio, Sempronio scilicet, fuisse impregnatam. Quia tamen verè agnoscit, se nedum Cajam, verùm etiam Sempronium graviter diffamasse, & suæ obligationi quantum ad alimentationem prolis hactenus nondum satisfecisse; hinc sciscitatur, quid? quantum? vel cui debeat restituere? Quid respondendum?

302 R. ad primum. Titius nedum Cajæ, sed etiam Sempronio utpote injustè diffamatis, tenetur restituere famam, & insuper resarcire omnia alia damna, si quæ in bonis fortunæ ex injusta diffamatione incurrerant. Ratio facilè colligetur ex hactenus sparsim dictis, præsertim *n. 237.* Quisquis enim alterum injustè, & quidem scienter ac voluntariè damnificat, in quocunque demum genere bonorum, naturali æquitate tenetur ad refusionem damnorum: atqui Titius juxta speciem facti injustè damnificavit Cajam & Sempronium in bono famæ, præsertim si reipsa fuerunt innocentes: ergo tenetur restituere ipsis famam, revocando apud illos, apud quos detraxit, secundùm dicta *C. 9. num. 256.* id ipsum pariter dicendum est de restitutione quantum ad damna in bonis fortunæ illata. Ex quibus, ni fallor, satis liquet, quid sit respondendum ad tertium quæsitum in hoc casu: *cui scilicet sit restituendum?* liquet insuper, quid ad secundum: *quantum sit restituendum?* quia secundùm communes regulas restitutionis superiùs *C. 3. num. 67.* & *C. 4. numer. 94.* traditas: mensura restitutionis incumbentis injusto damnificatori est: *quantitas damni scienter illati.* Pro majori tamen hujus Casus dilucidatione

303 R. ad secundum quæsitum. Titius tenetur compensare ea, quæ Caja hactenus in alimenta, vel alias necessitates prolis expendere debuit (id ipsum à fortiori dicendum est, si Sempronius innocenter delatus & diffamatus fuisset coactus facere quasdam expensas) Ratio est: quia nedum naturali jure, sed etiam Canonico *C. cùm habere de eo, qui duxit*, juncta glossa *in idem capit. V. secundùm facultates*, immò & juxta *communem opinionem DD.* apud Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. nu. 5.* Cura alendi prolem primo triennio ad Matrem spectat, postea verò ad Patrem. Quin etiam primo triennio Mater proli nihil tenetur subministrare præter lac: unde si Caja suæ proli alia necessaria hactenus administravit sine animo donandi, potest ea repetere à Titio ceu vero Patre; idque verum est nedum de Matre respectu prolis legitimæ, uti vult Laym. *loc. cit.* verùm etiam respectu prolis illegitimæ; jura enim non distinguunt: ergo nec nos debemus distinguere, inquit La Croix *l. 3. p. 1. num. 697.* referens pro eadem opinione Azorium, Bonacinam, & Gobat. *Quinar. tr. 6. c. 28. nu. 19.* Vide etiam dicta *part. 3. theol. sacrament. de matr. C. 18. nu 446. & seqq.*

Dices. At quid, si Titius Cajæ jam à se

se imprægnatæ suasisset, ut alteri cuidam ditiori illico faceret potestatem sui corporis postea verò coram Judice hunc ditiorem nominaret Patrem suæ prolis, veluti contigisse novimus, & fortassis sæpiùs?

304 R. Titius gravissimé peccasset nedum contra charitatem peccato scandali; suadendo, & inducendo Cajam ad novam fornicationem cum alio; verùm insuper contra justitiam, dum eandem induxit ad graviter decipiendum alium ditiorem, quatenus is haberetur pro Patre prolis, & ad hujus sustentationem cogeretur, utique non sine gravi detrimento, & fortassis majoris fortunæ suæ dispendio, ut de se satis liquet. Quare, tametsi Sempronius forté à Judice compulsus, huic proli alimenta necessaria hactenus administrasset, propterea tamen Titius noster minimé, fuit liberatus ob onere sustentandi prolem, aut Sempronio ea, quæ expendit, refundendi. Ratio de se patet: quia Titius fuit veré causa injusta omnium illorum damnorum, quæ Patri putatitio, scilicet Sempronio emersere: quemadmodum ergo per hujusmodi sententiam Judicis, utpote erroneam & materialiter saltem injustam, Sempronius non fit verus parens, ita vicissim Titius ceu verus parens non liberatur ab onere sustentandi suam prolem, & reparandi alia damna Patri putatitio secuta.

At nunquid in defectum Titii tenebitur Caja reparare hujuscemodi damna?

305 R. Quòd sic, saltem per se loquendo. Ratio est: quia in defectum Patris mater tenetur providere proli de necessariis; etenim ratio & instinctus naturalis (vel in ipsis brutis animantibus videndus) dictat matri ut nutriat. Id quod etiam legitur statutum *authent. Si pater C. de divortio in fine*. Et quamvis Layman aliique multi existiment, ante matrem priùs teneri Avum paternum ad prolem alendam, nihilominus P. Gobat *theolog. experiment. tr. 10. n. 782.* meritò dicit, usum præsentium temporum saltem in plerisque locis esse contrarium. Neque ego dubito, quin veritate comperta in nostro casu Caja in omni foro ante avum paternum condemnaretur ad alimentandam prolem, nec non ad damna alteri injusté delato resarcienda, quippe quorum ipsa, & non avus, extitit immediata causa injusta: atqui in defectum principalis (qualis erat Titius) aliæ causæ injusté cooperantes ad damnum, compellendæ sunt ad ea reparanda, veluti dictum fuit suprà *C. 5. nu. 128.* ergo.

Dices tamen adhuc. Esto Caja supponatur ex instinctu Titii illum alterum ditiorem nominasse parentem, certé tamen sine evidenti periculo gravioris damni in fama propria huic putatitio parenti nihil ampliùs poterit restituere; quamprimùm enim hoc faceret, aut revocaret, procul dubiò illico incurreret suspicionem injustæ delatricis, immò Scorti infamis, utpote quæ debuisset ab alio concepisse.

306 R. Equidem excusandam fore Cajam ab hoc onere restitutionis, si absque tali periculo rationabiliter præviso, nequeat restituere; quia secundùm dicta *in Conferentia proxima numer. 325. & 329.* impossibilitas moralis, aut aliud notabiliter majus damnum à debitore incurrendum excusat ab onere restitutionis, saltem quamdiu durat.

Nihilominus certum est, Cajam teneri pro possibili ad impedienda damna Sempronio imminentia aut deinceps emersura, ne scilicet is cogatur ad faciendas ulteriores expensas; quod procul dubio faciliùs fieri poterit sine periculo infamiæ suæ, si eidem dicat, quòd deinceps nihil ampliùs ab eo postulet dissimuletque ejusmodi exactionem, vel eo ex capite, quòd cogitet de propriis suis bonis proli suæ prospicere, vel sub prætextu, quòd ab alio vel alia benefactrice alimenta necessaria obtineat &c. Unde etiam ulteriùs existimo, Cajam non posse tuta conscientia protinus aliquid acceptare à Sempronio patre putatitio, esto is, utpote firmiter credens se esse patrem prolis, videatur lubens administrare proli alimenta necessaria; nam hoc solùm facit ex sinistra hac persuasione, qui, si veritatem agnosceret, procul dubio nihil vellet dare, nec unquam consentiret in talem administrationem: atqui ignorantis nullus est consensus secundùm

dùm *omnes*. & habetur ex *L. 15. ff. de jurisdict.* item *L. 11. & 41. ff. de contrah. empt.* Quapropter etiam *Reg. 59. Jur. in 6.* dicitur: *dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem*: ergo &c. Vide dicta *C. 5. num. 135.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronia famula cujusdam Oenipolæ, verrendo popinam invenit tres ducatos in quadam papyro involutos, quos, utpote ignorans cujus essent, vel quisnam ex hospitibus tam copiosè confluere solitis, eos perdidisset, reservavit per unam & alteram septimanam; & quia hactenus nulla prorsus facta fuit mentio de pecunia perdita, & nemo inquisivit de ducatis; hinc sciscitatur ex Confessario 1. an fine ulteriori indagine tuta conscientia possit sibi reservare dictos tres ducatos? an hero suo de hac inventione teneatur aliquid dicere, vel ex eo quòd in ipsius popina invenerit ultrò eosdem, vel medietatem saltem offerre, præsertim si hanc prætendat? Quid respondendum Semproniæ?

307 R. ad primum. Sempronia illos tres ducatos non potest sibi illicò reservare, ex eo præcisè, quòd hactenus nemo inquisiverit: sed tenetur illos ulteriùs adhuc conservare ad minus per annum integrum, vel saltem dimidium, & intererea apud alios, præsertim tales hospites, de quibus (attento tempore perditionis & inventionis) rationabiliter, dubitare licet, an non ipsi vel aliquis ipsorum perdiderit? saltem generalibus terminis interrogare, *an nihil perdiderint?* Ratio est: quia juxta *communissimam DD.* inventor rei alienæ tenetur dominum indagare, diligentia morali & humana, scilicet proportionata gravitati rei inventæ; etenim qui tenetur ad finem, pariter obligatus censetur ad media proportionata: atqui inventor rei alienæ tenetur ad restitutionem illius, ad hanc verò exequendam necessum est inquirere dominum; ergo. Hac de causa *C. si quid 14. quæst. 5.* dicitur: *si quid invenisti, & non reddidisti* (culpabiliter scilicet) *rapuisti*. Et quia tres ducati communiter reputantur res notabilis ac magni momenti, hinc operæ pretium est, ut à Sempronia inventrice diutiùs conserventur. Falluntur ergo Simplices illi, qui, dum aliquid inveniunt, velut donum singulari DEI providentia sibi destinatum, mox sibi retinent & consumunt sine scrupulo, & sine ulteriori indagine; de quibus S. Hieronymus, relatus *C. multi 14. quæst. 5.* meritò scripsisse fertur: *multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit: cui habeo reddere? discant ergo, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat*. Vid. Layman *l. 3. tract. 1. cap. 5. num. 22.* la Croix *l. 3. p. 2. num. 87.*

308 R. ad secundum. Sempronia per se loquendo nihil tenetur dicere hero suo de ducatis inventis, nisi probabiliter liceret suspicari, eos fuisse ab illo perditos. Multò minùs tenetur eos dare suo hero eo præcisè, quòd in ipsius popina invenerit, sed potest tuta conscientia sibi reservare, si post factam congruam inquisitionem nulla ampliùs spes appareat inveniendi illorum dominum, præsertim cùm hujuscemodi ancillæ communiter sint pauperculæ. Ratio est: quia bona incerta (uti sunt illa inventa, quorum dominus invincibiliter ignoratur, & nunquam ampliùs compariturus creditur) fiunt primò occupantis, juxta *l. 1. ff. pro derelicto*, & *communissimam DD.* apud la Croix *cit. n. 90.* At primò occupans fuit Sempronia inventrix, non autem Dominus tabernæ: ergo huic nihil tenetur dare de ducatis inventis.

Nec refert, quòd pecuniam illam invenerit in fundo vel solo heri sui, ideoque videatur saltem medietas reddenda domino fundi, quemadmodum reddenda est, quando invenitur thesaurus in fundo alieno. *l. 1. C. de thesaur. & §. thesaurus, instit. de rerum divisione*.

309 Contra namque est, quòd illi tres ducati, utpote inventi in superficie soli, nullatenus dici possint vel debeant thesaurus: ergo mox allegatæ constitutiones, utpote loquentes duntaxat de thesauris, nullatenus extendi debent ad talem pecuniam. Cùmque aliunde constat; rem alienam derelictam (quantum est de ju-

re naturæ & gentium) fieri primò occupantis, in contrarium verò nulla alia dispositio ostendi queat, vi cujus hujusmodi inventor teneatur medietatem rei in superficie fundi alieni inventæ dare domino fundi; hine dicendum, quòd Sempronia de inventis ducatis nihil prorsus teneatur dare domino popinæ. Videatur Layman *l. 3. tract. 1. cap. 5. num. 23. §. insuper duo* &c.

At quid, inquies, si post unum vel duos annos primùm compareat dominus, & rem deperditam repetat?

310 R. Si Sempronia (idipsum tenendum est de quocunque inventore) post factam sufficientem inquisitionem rem illam alienam jam consumpsit bona fide, nec inde evasit ditior, an nihil ampliùs potest adstringi. Ratio est: quia nullus potest ostendi titulus, vi cujus teneretur quidpiam restituere: non enim ratione contractus, ut supponitur; nec ratione rei acceptæ, cùm de hac nihil ampliùs possideat; neque etiam ratione injustæ acceptionis; quandoquidem talis nullam commiserit culpam, nec inveniendo, neque post congruam & sufficientem domini inquisitionem consummando: ergo &c. Vide dicta superiùs *C. 2. n. 32. & seqq.* Vel si præplacet La Croix *l. 3. p. 2. n. 95.* aut Diana *p. 11. tr. 8. Resolut. 1.*

CASUS TERTIUS.

Cajus, quo tempore juvenis adhuc servierat cuidam mercatori, quingentos circa circiter florenos clam & furtivè eidem successu temporis subtraxit. Tandem verò post 20. circiter annos, ubi ad meliorem rediit fortunam, conscientiæ stimulis adactus, rem hanc candidissimè aperuit cuidam Confessario, à quo illico ad compensationem hæredibus faciendam saltem per tertiam quandam personam (nam Dominus principalis diem suum jamjam obierat) condemnatus fuit. Cajus proin, consilium Confessarii executurus centum florenos tertio cuidam, quem fidelissimum crediderat, dedit, hæredibus restituendos: Verùm paulò post rescivit, eam pecuniam non fuisse datam dictis hæredibus, sed ab illo tertio dilapidatam. Unde Cajus jam dubitat 1. utrùm dictos 100. florenos teneatur iteratò compensare hæredibus? an non meliùs & consultiùs faceret, residuos 400. florenos immediatè per se ipsum successivè, & quidem sub schemmatè donationis restituendo & applicando prolibus dictorum hæredum, quorum ipse patrinus est? Quid judicii?

311 R. ad primum. Affirmativè. Ratio est: quia debita ex delicto formali restituenda sunt cum periculo, & expensis debitoris & non creditoris, secundùm dicta superiùs *num. 299.* Deinde non obstante præfata restitutione inefficaci ob infidelitatem tertii, adhuc semper manet verum dicere, quòd culpa & delicto Caji Dominus aut hæredes ipsius patiantur damnum 100. florenorum: ergo semper adhuc incumbit Cajo obligatio compensandi illud damnum, utpote culpabiliter illatum, quemadmodum teneretur, tametsi alius illos centum florenos furto aut rapina eidem immediatè abstulisset; uti rectè tenent Molina *tom. 3. disp. 754. num. 2.* Lugo *to. 1. de just. disp. 21. sect. 5. à nu. 59.* Lessius *l. 2. c. 16. dub. 6. num. 65.* Tolletus, Rebellus, & alii plures.

Nec dicas: Cajum fecisse, quantum in se est, dum de consilio Confessarii per tertiam personam fidelem existimatam conatus fuit reddere 100. ideòque hæredes debeant esse contenti, esto nihil receperint in effectu, propter infidelitatem alterius.

312 Contra enim est, quòd, licèt satisfecerit in ordine ad evitandum novum peccatum in tali modo restituendi, utpote facto bona fide, non tamen satisfecit in ordine ad extinguendum debitum, & obligationem restituendi ex primo delicto contractam. Unde hæredes ob talem modum restitutionis non tenentur esse contenti absolutè, sed tantùm conditionatè quasi, & *salvo jure suo*, ita scilicet, ut si ob infidelitatem alterius pecunia illa sibi destinata periret, non sibi, sed debitori periret, ideòque is adhuc teneretur compensare damnum illatum.

313 Scio equidem, oppositam sententiam, ob rationem mox allatam, quòd scilicet debitor fecerit, quantum in se est, adeòque creditores debeant esse contenti, à multis Doctoribus, nominatim Tamburino *l. 8.*

tr. 4. *c.* 1. §. 5. *n.* 7. *fine*. Lessio *cit. c.* 16. *dub.* 6. *nu.* 67. censeri probabilem, immò verò à Diana *p.* 2. *tr.* 3. *sect.* 17. *miscellan. resolut.* 2. in praxi tutam nominari, qua de causa eandem hìc insinuandam duxi; arbitror tamen, eam non esse practicandam, & à Confessario non, nisi in iis circumstantiis sectandam, in quibus deprehendit, creditorem valde esse liberalem & habentem, debitorem è contra esse indigentem, ita, ut sine permagna difficultate nunquam persuadendus aut inducendus videatur ad iteratam solutionem; quibus simul concurrentibus fortè dabitur locus prudenter dissimulandi iteratam obligationem imponendi hujusce-modi pœnitenti. Etsi adhuc securiùs procederet, si, sive per se, sive per alium (cum magna tamen cautela & circumspectione, ad præcludendas omnes sinistras suspiciones) curaret exorari hæredes, quatenus velint gratuitò remittere hujusmodi debitum, pro majori animæ quiete &c. Fortassis enim non erunt difficiles ad condescendendum, si intellexerint bonam mentem & intentionem debitoris, vi cujus is, quantum in se erat, conatus jam fuit satisfacere. Videatur Sporer *tr.* 4. *c.* 4. *num.* 19. La Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 420. *& seqq.*

314 R. jam ad secundum quæsitum hujus casus, Cajum procul dubio meliùs facturum, si per se ipsum immediatè restituat, etsi sub schemmate donationis. Ratio est: quia alio securiori modo vix, aut ne vix quidem poterit restituere reliquos 400. florenos. Tum etiam quia hoc modo faciliùs declinabit periculum infamiæ, & magis stabiliet amicitiam inter patrinos. Tum denique, quia hæredes hoc modo verè percipient id, quod ipsis debetur: ergo stantibus his nequeunt esse rationabiliter inviti.

Dices. At quid, si Cajus prævideat hujuscemodi parentes, utpote valde habentes, nec minùs generosos, sua dona non acceptaturos gratis, sed vicissim, sin minùs tantundem, saltem notabile quid sibi, aut prolibus suis redonaturos?

315 R. Cum P. Sporer *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 5. Cajum nihilominus liberatum iri ab onere restitutionis. Ratio est: quia redonatio illa non fiet ex justitia, sed ex mera liberalitate, ad quam Cajus non intendit inducere, esto aliquo modo huic præbeat ansam & occasionem: at periculum infamiæ notabilis excusat à tali actione, quæ aliquam præbet occasionem damno alterius, sicut etiam excusat non rarò vel à differenda, vel ab omnimodis intermittenda restitutione: ergo & Cajum excusat. Fatendum tamen est, non esse tam facilè permittendum hunc modum restitutionis, quippe qui aliquo saltem modo præbet causam alterius damnificationi. Et certè qui prævidens, dominum tantundem restituturum, sine causa graviori excusante vellet sub schemmate donationis restituere, convinceretur velle potiùs illudere, quàm restituere, uti bene advertit *Doctor cit.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

316 Colliges ex dictis primò, ea, quæ *nu.* 298. diximus de expensis faciendis à possessore malæ fidei in restitutione rei alienæ, intelligenda esse de expensis non nimium excessivis. Etenim si restituendi causâ deberet facere multò majores expensas, utputa si restituendo v. g. rem constantem 10. florenis, deberet facere expensas 20. aut plurium florenorum, probabilissimè potest differre restitutionem usque ad tempus commodius, quo cum minoribus expensis restituet. Ratio est: quia Justitia non adversatur charitati, quæ est finis omnium virtutum; neque rectæ rationi, quippe quæ omnem virtutem debet dirigere: atqui charitas & recta ratio suadet, ut Dominus non urgeat restitutionem cum tanto detrimento, nisi creditor ipsumet ex carentia rei suæ deberet subire majus damnum, vel lucrum cessans; ergo &c. Videantur de hoc S. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Scotus 4. *dist.* 15. *a.* 4. Molina *disp.* 752. Tambur. *l.* 8. *tract.* 4. *c.* 1. §. 8. *num.* 4.

317 Colliges secundò, ad impertiendam validè, immo & licitè, absolutionem, neutiquam quidem opus esse, ut præcedat restitutio realis, seu, ut pœnitens effectivè & realiter restituat; bene tamen restitutione men-

tali, id est, ut habeat firmum & efficax propositum restituendi, quamprimùm moraliter loquendo potuerit. Ratio est: quia ad licitam & validam absolutionem necessariò requiritur propositum efficax emendandi, esto non actualis emendatio: atqui pœnitens potest concipere hujusmodi propositum efficax, priùs quàm restituat realiter, etsi non sine restitutione mentali, seu voluntate efficace restituendi: ergo hæc saltem necessariò præcedere debet absolutionem.

318 Dixi: *quamprimùm moraliter potuerit*; nam si evidenter prævideatur impotentia moralis restituendi, & quidem perpetua, uti non rarò prævideri potest in moribundis pauperculis, minimè opus erit, ut Confessarius talem pœnitentem urgeat ad concipiendum firmum propositum restituendi; quia restitutio secundùm dicta *C. 1. num.* 9. non est ad salutem necessaria simpliciter, seu necessitate medii, sed tantùm secundùm quid, & necessitate præcepti: at, ab eo, quod est duntaxat necessarium necessitate præcepti, excusat moralis impossibilitas; ergo etiam ab onere restitutionis in his circumstantiis.

319 Colliges tertiò, regulariter & ordinariè loquendo non esse absolvendum illum pœnitentem, qui in aliis confessionibus jam sæpiùs admonitus de facienda restitutione, eam tamen hactenus nunquam præstitit, tametsi moraliter loquendo potuisset. Ita cum *communi DD.* Filliuc. *tract.* 32. *c.* 4. *n.* 117. & Babenstuber *tr.* 7. *disp.* 4. *art.* 6. *n.* 20. Ratio est: quia de tali pœnitente meritò præsumere licet, quod hactenus nunquam habuerit, nec etiamnum habeat firmum sese emendandi propositum. Unde quemadmodum is, qui sæpiùs jussus domo ejicere concubinam, eam nunquam ejecit, non est absolvendus defectu propositi efficacis, quod de tali non licet præsumere; ita pariter tenendum est de eo, qui sæpiùs jussus restituere, nunquam tamen restituit.

320 Dixi rursus: *regulariter loquendo*; secus enim dicendum foret, si Confessarius hic & nunc in tali pœnitente adverteret specialia signa efficacis propositi, ob mutationem circumstantiarum, utputa quia defacto jam præparavit pecuniam alienam, vel alteri dedit proximè restituendam, vel quia in mortis periculo versatur &c. Nam quemadmodum juxta dicta *in theol. sacrament. par.* 2. *C.* 2. *nu.* 108. absolvi potest Concubinarius in talibus circumstantiis, in quibus specialia signa futuræ emendationis & firmi propositi ostendit; ita ob eandem rationem pœnitens, qui hactenus nunquam restituit. Oportet tamen nonnunquam tales prohibere à Communione sacra tamdiu, quamdiu effectivè non satisfecerint suæ obligationi, veluti sapienter monent Molina *disp.* 756. *num.* 3. & Lugo *disp.* 29. *sect.* 9. *num.* 213.

321 Colliges quartò, Nec satisfacere illum pœnitentem, qui cùm moraliter loquendo posset, illico restituere debitum simul non tamen vult restituere, nisi successivè per partes. Ratio est: quia non licet detinere alienum rationabiliter invito domino: at, ubi debitor moraliter loquendo posset statim restituere totum simul, & tamen non vult restituere, nisi per partes & successivè, Dominus meritò, & rationabiliter potest esse invitus: ergo talis pœnitens peccat contra justitiam, nec vult totaliter cessare à peccato, quandoquidem perseveret in mora culpabili; secus dicendum foret, si vel non posset statim restituere, vel Dominus non exigere statim totum debitum, vel totum debitum non esset magni momenti. *Communis* apud Molinam, Layman, Sporer *cit. cap.* 3. *num.* 142.

322 Colliges quintò, à fortiori (saltem per se loquendo) absolvi non posse illum, qui restitutionem vult differre usque ad mortem: immò ne moribundum quidem capacem esse absolutionis, qui restitutionem differre vult, & non restituere per se, sed hoc onus relinquere hæredibus. Ratio est: quia etiam talis est in mora culpabili, & consentire meritò præsumitur in injustam detentionem & damnum proximi, nec vult absolutè, sed potiùs conditionatè tantùm restituere, si scilicet moriatur.

Adde, quòd de se non vacet culpa gravi, velle obligationem propriam transferre

re in alios, hæredes scilicet, qui ordinariè loquendo sunt negligentiores ipso defuncto, ideòque creditor ex hujusmodi dilatione grandi periculo damnorum exponitur, veluti experientia jam sæpiùs, quàm pareret, monstravit. Ita rursus ultra DD. mox allegatos Molina *disp.* 753. Lessius *l.* 2. *c.* 12. *dub.* 3. *n.* 11.

323 Dictum denuo fuit: *saltem per se loquendo* absolvi non posse. Prudenter enim monent Dicastillo *l.* 2. *de restit. tr.* 2. *disp.* 10. *dub.* 1. *à n.* 6. Tamburinus *l.* 8. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 8. subindè à Confessario rem dissimulari, & prudenter condescendi posse pœnitenti, volenti successivè duntaxat, vel etiam post mortem primùm per suos hæredes restituere Creditoribus à se damnificatis, idque in sequentibus præcipuè circumstantiis, 1. si creditor ex tali dilatione non sit incursurus magnum damnum, neque periculum omnino perdendi suum debitum; quia tunc is non censetur adeò graviter invitus. 2. Si Confessarius advertat, suum pœnitentem hoc quidem modo facilè disponendum ad dignam susceptionem Sacramentorum, nunquam verò, si cogeretur vel adigeretur ad faciendam illico restitutionem simultaneam; & præcipuè. 3. Si advertat, pœnitentem esse in bona fide, nec apprehendere suam obligationem gravem, sed potiùs putare, se suæ obligationi omnimodis satisfacturum hoc modo. Stantibus hisce conditionibus Confessarius prudenter potest dissimulare obligationem illicò restituendi, ne alioquin pœnitens abeat desperatus, & qui hactenus materialiter tantùm peccavit, deinceps etiam formaliter peccet. Et hoc modo Confessarius nedum ipsius pœnitentis, verùm etiam Creditoris negotium utiliter geret. Ita post Dicastillum, & Tamburinum Sporer *tr.* 4. *c.* 3. *nu.* 147. mox subjungens: quodsi tamen eo casu debitor „ pœnitens dubitet, & doceri petat de „ obligatione sua, jam veritas ei sincerè „ aperienda erit, cùm jam dubitet, & „ conscientia læsa sit, juxta communem „ doctrinam in materia de conscientia, „ & pœnitentia.

CONFERENTIA DUODECIMA.

De Causis excusantibus à restitutione differenda, vel omnino in perpetuum omittenda.

SUMMARIUM.

324 *Breviter recensentur decem causæ, è quibus aliquæ excusant à restitutione differenda duntaxat, aliæ ab omnimodis in perpetuum intermittenda.*

325 *Impotentia nedum physica, sed etiam moralis excusat, & quomodo.*

326 *Item excusat necessitas nedum extrema, sed etiam gravis.*

327 *Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.*

328 & 329 *Ignorantia inculpabilis, & damnum ex restitutione imminens debitori, quando, vel quomodo excusent.*

330 & 331 *Quomodo excusent rei in specie interitus, & remissio Creditoris.*

332 & 333 *Compensatio debiti, & auctoritas Superioris, quando, vel quomodo excusent ab onere restitutionis.*

334 & 335 *Cessio bonorum, itemque ingressus in Religionem subinde excusare possunt ab hoc onere restitutionis.*

336 *Resolvitur Casus I. Cujusdam Viduæ illustris, quæ post mortem sui Mariti à creditoribus conventa fuit ut solveret.*

337 *Quid si debitores æquè, ac vidua ex dilatione vel omissione restitutionis cogerentur subire gravem jacturam vel damnum.*

338 *Si Maritus nulla bona reliquit, an tunc vidua sit obligata ad satisfaciendum creditoribus ex bonis sibi propriis.*

339 *Quid in his circunstantiis specialiter sit advertendum, seu attendendum à Confessario.*

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de differenda seu etiam omittenda, vel non omittenda restitutione.

324 QUæres primò, quot dentur Causæ excusantes ab onere restitutionis?

R. Convenienter assignantur decem (etsi alii duodecim recenseant, vel adhuc plures) & sunt sequentes. 1. impotentia. 2. necessitas propria. 3. ignorantia. 4. damnum ex restitutione creditori, vel alteri imminens. 5. Rei in specie (vel potiùs individuo) debitæ interitus. 6. Remissio creditoris. 7. Compensatio debiti. 8. Compositio facta auctoritate Juris, vel Judicis &c. 9. cessio bonorum, & 10. ingressus in Religionem. Has causas omnes ac singulas à restitutione quodammodo excusare, communissimè traditur à Doctoribus, etsi non omnes æqualiter & eodem modo excusent; nam priores quatuor plerùmque solùm excusant ad tempus, ut scilicet restitutio licitè differri possit; posteriores verò sex excusant in perpetuum, veluti præter alios benè advertit P. Sporer *tr. 4. c. 4. n. 53. & sequentibus*. Verùm pro meliori captu & intellectu singularum causarum mox enumeratarum.

Quæres secundò, quænam impotentia & necessitas excusent, & quo modo?

325 R. ad primum. Nedum impotentia physica (qualis censetur, si debitor prorsus nihil habeat, quod posset reddere) verùm etiam moralis (qualis censetur, si id, quod habet, sine permagna difficultate reddere non potest) excusat à restitutione, quamdiu talis impotentia durat. *Omnes*. Ratio desumitur ex *R. VI. Juris in sextò*, juxta quam *nemo potest ad impossibile obligari*. Et certè creditor nequit esse rationabiliter invitus, quòd debitor ob physicam seu etiam moralem impotentiam non restituat: atqui, juxta Regulam à Scoto 4. *dist.* 14. *qu.* 2. *art.* 4. §. *de quinto*. traditam, & à Doctoribus com-

communiter receptam, licet detinere rem alienam, *quando ille, cujus est debet rationabiliter velle, eam detineri, seu non restitui*. ergo hæc impotentia meritò censetur excusare.

326 R. jam ad secundum. Nedum extrema necessitas, quando scilicet restituens deberet vitam amittere, sed etiam verè gravis necessitas excusat à restitutione, utputa si debitor ob hujusmodi restitutionem vitam suam (addunt alii apud nostrum Herincx *disp*. 8. *n*. 122. Uxoris & prolium) admodum difficulter posset aut deberet sustentare, aut si propterea deberet suo statu justè aquisito excidere. Ratio est: quia, ut ait Scotus mox citatus, *quilibet rationabiliter debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quàm modicum incommodum suum, vel nullum in illa modica dilatione restituentis*.

Dices. Ob gravem duntaxat necessitatem non licet furari, veluti superiùs *numer*. 268. dictum fuit: ergo nec licet detinere rem alienam; quia detentio censetur continuata ablatio, seu furtum rei alienæ.

327 R. neg. Conseq. quia multò plures causæ occurrunt, ob quas rationabiliter licet præsumere, Dominum esse contentum, quòd sibi hic & nunc non restituatur, quàm quòd sibi aliquid de novo auferatur. Deinde *auferre alienum* repugnat præcepto negativo: *non furtum facies*, econtra non reddere alienum duntaxat præcepto affirmativo: *restitue, seu redde quod debes*: atqui præcepta negativa faciliùs observari possunt, & propterea etiam strictiùs obligant, quàm affirmativa; nam vi priorum non jubemur aliquid agere, sed tantùm abstinere ab agendo: faciliùs autem est abstinere ab agendo, quàm aliquid agere, quod posterius jubemur vi præcepti affirmativi: ergo non est mirandum, quòd in verè gravi necessitate licitum sit detinere; non item auferre alienum. Videatur Lugo *disp*. 13. *Sect*. 3. *nu*. 51. Kresslinger *addit. post n*. 104. *ad tr*. 9. *dist*. 5. *theol. mor*. R. P. Reinffenstuel.

Quæres tertiò, quomodo à restitutione excuset ignorantia, vel etiam damnum imminens?

328 R. ad primum. Ignorantia inculpabilis, cum bona scilicet fide conjuncta, excusat à restitutione, quamdiu talis ignorantia & bona fides durat, sive dein sit ignorantia juris, ut si ignores v. g. quòd juris dispositione creditore defuncto restituendum sit hæredibus; sive sit facti, ut si ignores, rem tibi ab altero donatam esse furtivam &c. Ratio est eadem, quæ mox supra fuit data: quia ignorans non agnoscit suam obligationem restituendi: ergo huic satisfacere non potest; quandoquidem ignoti nulla cupido. Dixi etiam: *si ignores & quidem invincibiliter;* secus enim discurrendum est de eo, qui vincibiliter ignorat hanc obligationem. Similiter ille, qui invincibiliter dubitat, an teneatur ad aliquam restitutionem, excusandus erit ab hoc onere; *quia in dubio melior est conditio possidentis*: nec quispiam propterea tenetur in tali dubio bonis suis privare seipsum. Quid verò agendum illi, qui incipit dubitare, an res à se hactenus possessa non sit aliena, diximus superiùs *C*. 2. *nu*. 32. item *num*. 59. & 60. quæ revide, si placet.

329 R. jam ad secundum. Damnum imminens ab onere restitutionis excusat tunc, quando ex restitutione longè majus detrimentum immineret vel 1. ipsi debitori, vel 2. Reipublicæ, vel 3. denique alteri cuidam tertio. Ratio est: quia restitutio ordinatur per se ad bonum proximi & Communitatis: ergo si ex restitutione secuturum esset damnum vel ipsius Creditoris, vel alteriùs tertii, vel totius Communitatis, cessat pro tunc obligatio hujus. Adde, quòd hic non agatur de restitutione omnino omittenda, sed potiùs de differenda: at, rationabilior causa differendi restitutionem vix occurere nata est, quàm velle exspectare illam occasionem, qua hæc in nullius detrimentum, sed potiùs in emolumentum cedet creditoris: ergo. Sporer *tr*. 4. *theol. decal. c*. 3. *n*. 77.

Quæres quartò, quomodo à restitutione excuset rei in specie interitus, & remissio Creditoris?

330 R. ad primum. Rei in specie, vel potiùs in individuo interitus excusat tunc, quando illa res perit sine omni culpa debitoris, sive in accipiendo, sive etiam

in

in detinendo commissa à debitore, sive dein debitum sit ex contractu, sive etiam ex re accepta. Ratio est: quia secundùm dicta *C. 1. num. 4. omnis res, quæ sine culpa, ideòque casu tantùm perit, suo Domino perit*. Minimè tamen excusat rei interitus, quando debitor commisit culpam præsertim gravem, vel quando rem non bona, sed mala fide possedit: quia *quidquid perit culpa, culpabili perit*, excepto duntaxat casu, quo eadem res apud Dominum suum existens, similiter periisset, utputa communi incendio &c. quia ex hac suppositione Domino nullum omnino damnum reale fuisset illatum, ideoque non est, cur eidem aliquid ob hujusmodi interitum deberet compensari, veluti rursus dictum fuit superiùs *C. 3. n. 77. & ex communi DD. tradit.* Mezger *tom. 3. tr. 12. disp. 3. a. 5. n. 2.*

331 R. Jam ad secundam partem hujus quæsiti. Remissio Creditoris excusat ab onere restitutionis tunc, quando creditor habet potestatem condonandi, & simul liberè condonat. Ratio est: quia donatio non valet, nisi liberè fiat; & quidem ab eo, qui potest donare: atqui remissio debiti est donatio: ergo. Illud tamen hic animadvertendum occurrit, quòd scilicet non sit opus, ut semper interveniat remissio expressa & formalis, sed sufficiat etiam tacita & interpretativa, qualis meritò censetur fieri, si creditor chyrographum laceret, vel comburat &c. De quo videri possunt Herincx *ubi suprà disp. 8. numer.* 119. La Croix. *l. 3. p. 2. à. numer.* 456.

Quæres quintò, quomodo à restitutione excuset compensatio debiti, vel etiam compositio auctoritate Judicis aut Superioris facta?

332 R. ad primum Compensatio debiti excusat tunc, quamprimùm Creditor incipit debere suo debitori tantum, quantum sibi ab illo priùs erat debitum; ut si Titio debeas 100. pro frumento, desinet hæc tua obligatio, quamprimùm idem tibi debuerit 100. v. g. pro vino. Res de se liquida est: quia talis compensatio in morali hominum existimatione reputatur debiti solutio. *L. si debitor ff. qui pot. in pig.* Unde etiam hæc compensatio *L. 1. ff. de compensat.* describitur, quòd *sit debiti & crediti inter se contributio*. Ut tamen talis compensatio locum habeat, præsertim in foro externo & judiciali, necessum erit 1. ut debitum sit certum, & liquidò probari possit. *L. fin. C. de compensat.* 2. ut debita sint ejusdem rationis, id est, in rebus ejusdem speciei; quia si res sit alicui in specie debita, tunc illi neutiquam satisfiet per solutionem pretii, vel redditionem alterius rei: consequenter nec per remissionem debiti alterius rei. Videatur Illsung *tractat. 4. disput. 3. à. numer.* 290. Herincx *citat. numer.* 117. Castropalao *de just. commut. disp. 1. punct. 16. §. 2.*

333 R. jam ad secundum. Justa Judicis sententia, vel auctoritas Superioris excusat tunc 1. quando Judex (justè, ut supponitur) alicui adjudicat aliquid velut debitum, v. gr. mulctam pecuniariam tibi compensandam & solvendam ab eo, cui tantundem ex alio titulo aut capite debuisti; idque verum est, tametsi ille alter à Judice condemnatus, non commisisset culpam theologicam, sed politicam duntaxat. 2. Quando tu velut possessor bonæ fidei elapso jam tempore præscriptionis legitimæ aquisivisti rei alienæ dominium, item etiam tertiò hæc compensatio locum habet, quando auctoritate Pontificia debitori certa quantitas imponitur illico solvenda ad pias causas, vel ad sumptus belli contra infideles, vel pro redemptione captivorum &c. prout aliquando in certis circumstantiis factum fuisse constat. Ratio horum est; quia habens legitimam potestatem exigente bono communi potest dominium bonorum temporalium ab uno transferre in alium: atqui Respublica, Princeps &c. habent potestatem legitimam: ergo &c. Ad hanc ultimam causam nonnulli referunt casum, quo creditor excommunicatur, putantque tunc debitorem absolvi ab onere restitutionis; verùm, cùm excommunicatio non auferat potestatem communicandi cum tali in re necessaria (qualis utique etiam censeri debet restitutio) hinc excommunicatio etiam major ab hoc onere restitutionis non videtur excusare. Secus dicendum, si summus Pontifex velut

Prin-

Princeps & legitimus Superior ecclesiasticus in pœnam criminis exigente bono publico Ecclesiæ absolveret debitorem expressè ab onere satisfaciendi, seu etiam restituendi hujusmodi excommunicato. Videantur de hoc Lessius *l. 2. dubitat. 7.* Lugo *disp. 17. sect. ult.* Sporer *tract. 4. c. 4. à nu. 89.* La Croix *ubi suprà num. 466.* Illsung *cit. n. 282.*

Quæres sextò, quomodo ab hoc onere excuset cessio bonorum, & ingressus in Religionem?

334 R. ad primum. Cessio bonorum excusat tunc, quando debitor solvendo impar & impotens, ex dispositione juris civilis omnia sua bona cedit Creditoribus suis, & relinquit inter ipsos secundùm proportionem geometricam debitorum dividenda. Esto autem talis favor cedenti bonis suis concessus sit, ita, ut incarcerari, aut in carcere detineri non ampliùs possit. *L. 1. C. qui bonis cedere pos sint*, immò etiam de postea aquisitis non conveniri, nisi quantum commodè præstare potest, scilicèt reservata sibi ac suis congrua & moderata sustentatione, *L. 4. & 6. ff. de cessione bonorum;* nihilominus hujusmodi cessio in foro conscientiæ locum habere non potest, nisi debitor verè sit impotens. Ratio est: quia hic favor ideò duntaxat pro foro externo conceditur, eò quòd miserabilis debitor supponatur non esse potens solvendo omnibus quantum debet, ita, ut secus Respublica aut Princeps nunquam velint tollere creditoribus jus suum, vel debitorem ab onere liberare: ergo pro foro conscientiæ manet obligatus tantum, quantum potest; quam ob rem tam in foro externo, quàm interno compelli potest ad laborandum & aquirendum, unde solvat, quantum conditio ac status personæ permittit, veluti habetur *L. 4. de cession. bonor.* Iniquissima igitur praxis est eorum (ait rectè Sporer *citat. numer. 95.*) qui cessuri bonis suis, priùs preciosiora seponunt, & occultant. Layman *lib. 3. tractat. 2. cap. 12. num. 5.* Henricx *l. cit. n. 141.*

335 R. jam ad secundum. Ingressus in Religionem eatenus solùm excusat, quatenus ingressurus supponitur hìc & nunc impotens ad satisfaciendum suis Creditoribus, nec intra tam exiguum temporis spatium, quale (teste Babenstuber *cit. art. 6. nu. 32.*) hìc reputatur biennium, vel ad summum triennium, aquisiturus suis laboribus vel industria &c. unde solvat; cujus ratio redditur hæc: quia debitor non tenetur bona inferioris ordinis, quæ habet in re, restituere cum notabili suo damno in bonis altioris ordinis, secundùm *communissimam DD.* ergo multò minùs tenetur subire multò majus damnum (cujusmodi est neglectus vocationis, vel retardatio à Religione) propter hujusmodi bona, quæ tantùm habet in spe, & quidem valde remota, uti supponuntur lucra illa aliquando obtinenda: ergo non tenetur (saltem quantum est de jure naturæ) abstinere ab ingressu. Secus per omnem modum dicendum foret, si intra tam breve temporis spatium quocunque demum modo honesto & congruo posset obtinere, unde satisfaciat suis creditoribus, quia tunc procul dubio suadente æquitate naturali ad hoc adstringeretur. Atque hanc ob causam Sixtus V. in sua constitutione edita 1587. vetuit, eos admitti ad Religionem, qui ultra suas facultates sunt obærati debitis, eorumque professionem annullavit, etsi postea Clemens VIII. hanc constitutionem nonnihil fuerit moderatus, in tantum scilicet, quod voluerit professionem talium validam quidem, non tamen licitam. Quin etiam fieri posset, ut talis invalidè profiteretur, in casu scilicet, quo Monasterium seu etiam Religio expressè protestaretur, se nolle acceptare, aut ratam habere professionem novitii debitis in sæculo relictis oberati, prout fieri solet in nostra Provincia; quia tunc deficit consensus essentialiter requisitus ad professionem ceu contractum Religionem inter & novitium profitentem initum, ac per consequens corruit professio, veluti sapienter advertit P. Herincx *citat. nu. 136.* Videri etiam de hoc possunt Sanchez *l. 4. decalog. cap. 19. à numer. 22.* Lessius *l. 2. cap. 16. dubit. 8. à. num. 76.* Illsung. *tr. 4. disp. 3. n. 275.*

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Causis excusantibus ab onere restitutionis.

CASUS PRIMUS.

Titius illustri stemmate natus, homo liberalissimus, vel veriùs loquendo, prodigalissimus, hinc inde plurima contraxerat debita, tum propter luxum extraordinarium, quo sese ostentare assueverat, tum etiam propter continua convivia & commessationes à Principe (ut dicere solemus) factas, ad quæ Uxor Titii, utpote similium amatrix magna nimis, haud modicè fuit cooperata. Contigit proin, ut Titius maturiùs quàm credebatur, vita excideret, quo audito Creditores illicò catervatim convenere Conjugem relictam, postulantes satisfactionem pro debitis: sed quia hæc à defuncto suo Marito nihil possidet præter copiosam prolem, & respectivè modicam bonorum temporalium substantiam, hinc scitatur, an ex his teneatur in conscientia satisfacere creditoribus pro debitis à suo Marito defuncto relictis & contractis: quid respondebit Confessarius?

336 R. Equidem per se loquendo obliganda foret ad solvendum Creditoribus de illis bonis à Conjuge defuncto relictis; hoc enim suadet æquitas naturalis, prout de se cuivis facilè apparebit; nihilominus, cùm supponatur habere proles multas, bonorum verò temporalium exiguam substantiam; hinc procul dubio ea indigebit ad suam, suarumque prolium sustentationem, ac per consequens deobligatur ab onere restitutionis saltem in tantum, ut interea, quousque ad pinguiorem fortunam redierit, possit eam tuta conscientia differre, nisi creditores, vel aliquis eorum in pari necessitate versaretur. Ratio est: quia secundùm mox dicta *numer.* 325. impotentia moralis præbet justam causam differendi restitutionem: atqui moraliter loquendo, considerato præsertim statu nobilitatis, in quo Titia est constituta, multiplicatione prolium, & similibus circumstantiis, censetur moraliter impossibile, ut de bonis à Marito relictis aliquid tribuat creditoribus: ergo. Et hac de causa una permittunt Uxori de bonis mariti (postpositis etiam creditoribus) retinere sibi necessaria ad sustentationem; nam alimentatio Uxoris & prolium est privilegiata ante reliquos creditores, & sicuti talis necessitas debitorem excusabat, ita & hæredes excusat à restitutione saltem differenda. Vide la Croix *l.* 3. *par.* 2. *num.* 432.

337 Dixi tamen: *nisi creditores, vel aliquis eorum in pari necessitate versentur.* Ratio hujus limitationis est: quia tunc creditor posset esse rationabiliter invitus, quandoquidem æquitati minimè consentaneum videatur, ut ex re alteri debita quis suas necessitates sublevet cum pari necessitate (non extrema) alterius; idque vel maximè tenendum tunc, quando debitor per nimium luxum vel prodigalitatem dedit causam suæ necessitati gravi, veluti communiter satis advertunt Doctores, uti Layman, Lessius, Dicastillo *disp.* 10. *nu.* 30. Illsung. *tract.* 4. *disp.* 3. *num.* 248. la Croix *cit. num.* 430.

At quid, inquies, si talis vidua nobilis habeat bona sibi propria v. g. paraphernalia &c. tenebiturne ex his satisfacere creditoribus?

338 R. Non tenetur, nisi absolutè se obligasset ad satisfaciendum creditoribus illis. Ratio est: quia si teneretur, tunc vi contractus: at, ubi deficit consensus, ibi corruit contractus: ergo si talis vidua nunquam se obligavit absolutè ad solvendum, & satisfaciendum Creditoribus, debet absolvi ab hoc onere. Et licèt Maritus supponatur sese obligasse ad præstandam satisfactionem, non tamen potuit se obligare ad satisfaciendum de bonis alienis (cujusmodi erant illa bona relictæ viduæ nobili propria) sed tantùm ad satisfaciendum de bonis sibi propriis; de quibus, cùm parum vel respectivè nihil reliquerit, hinc & uxor ad nihil obligari potest. Quin immò sine uxoris consensu Maritus ne quidem de bonis sibi & uxori communibus pro libitu suo disponere valet, utputa alienando ea, vel donando donatione excessiva;

ſiva; eſto enim jura Marito permittant poteſtatem adminiſtrandi bona communia, eam tamen limitant ita, ut non poſſit hoc cum gravi præjudicio Uxoris, veluti pluribus allegatis oſtendit Sanchez *in Conſil. lib.* 1. *c.* 6. *dubit.* 7. *nu.* 7. & 8. Idipſum docent Layman *l.* 3. *tractat.* 4. *c.* 13. Gobat *Quin. tract.* 5. *cap.* 24. *numer.* 4. & *ſeqq.* Reinffenſtuel *theol. mor. tract.* 7. *diſt.* 4. *nu.* 18.

Dices tamen adhuc: in hoc caſu noſtro refertur, Titiam non modicè fuiſſe cooperatam ad conſumptionem, & ſine dubio etiam ad illa debita contrahenda: ergo naturali jure videtur obligata ad ſolvendum & ſatisfaciendum creditoribus etiam de bonis ſibi propriis.

339 R. Ob hanc rationem, utique minimè ſpernendam, attendendum eſſe à Confeſſario, an Titia ad hujuſmodi conſumptionem & debitorum contractionem bona, vel verò mala fide fuerit cooperata vel non? ſi bona, utputa quia nihil ſcivit de debitis in tanto numero à Marito contractis, vel tametſi ſciverit, tamen credidit, fore, ut tempore congruo is poſſit ſolvere &c. dicendum, quòd pro foro interno ad nihil teneatur. Ratio eſt: quia de rebus illis alienis nihil ſupponitur ampliùs poſſidere, nec inde evaſit ditior: at, qui bona fide rem alienam conſumit, ita ut inde non evadat ditior, propterea nihil tenetur reſtituere, uti ſuprà *C.* 2. *n.* 31. diximus: ergo. Quin immò, tametſi Titia prævidiſſet, fore, ut Maritus de bonis ſibi communibus nunquam ampliùs ſatisfacere queat; ſi tamen per illam non ſtetit, quò minùs debita illa contraherentur, potuit adhuc tuta conſcientia, & ſine onere ea ſolvendi ex propriis, acceptare alimenta, & alia ſibi neceſſaria, quippe ad quæ ſibi miniſtranda Maritus fuit obligatus. *L. ſi cum dotem. §. Sin autem ff. ſoluto matrimonio.* At verò, ſi mala fide fuiſſet cooperata, utputa ſuadens vel etiam inducens maritum ſuum ad nimium luxum, & ad debita contrahenda, eſto præviderit eum fore imparem ad ſolvendum ex bonis ſuis, vel etiam communibus ſibi & ipſi, proculdubio Titia teneretur ſolvere creditoribus ex bonis ſibi propriis. Ratio eſt: quia hoc modo fuiſſet cooperata ad injuſtum damnum creditoribus inferendum: atqui omnis injuſtè cooperans ad damnum alerius, tenetur illud omni modo moraliter poſſibili reſarcire: juxta dicta ſuperiùs *C.* 4. *numer.* 94. Idipſum à fortiori dicendum foret, ſi Titia proprio ſuo nomine & auctoritate illa debita contraxiſſet. Videatur de hoc la Croix *l.* 3. *p.* 2. *num.* 381 & 387.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius juvenis videbatur ſibi nimis coarctatus ſub diſciplina & ferula ſui Tutoris vel potiùs Curatoris, unde ab eo petiit & obtinuit licentiam aliò proficiſcendi, & (ut dicunt) ſuam fortunam quærendi: quia verò, ut alter filius prodigus pecuniam omnem, & magnam patrimonii ſui ſubſtantiam à Curatore ſibi identidem ſibi ſubmiſſam malè delapidavit, hinc idem Curator rei tandem gnarus, idem omne ſubſidium pecuniarium denegavit; quo factum eſt, ut dictus juvenis varias infirmitates; calamitates, & miſerias inciderit. Jam quærit idem Curator, an hactenus tuta conſcientia potuerit Sempronio denegare pecunias eidem vi patrimonii debitas? 2. an non ex ſuis teneatur compenſare damna illa, quæ Sempronius defectu pecuniæ ſibi non ſubminiſtratæ incurrit?

340 R. ad primum. Curator tuta conſcientia potuit, & deinceps etiam poterit Sempronio negare ſubſidia ſaltem non neceſſaria, ſeu illa, quæ prævidit malè diſſipanda &c. Ratio eſt: quia quivis Curator & Tutor nedum ex charitate, ſed etiam ſpecialiter ex virtute pietatis tenetur gerere curam clientis ſibi commiſſi, ejuſdemque negotium utiliter gerere, pro poſſibili avertendo damna nedum corporis, ſed etiam animæ *l. à tutoribus. ff. de adminiſtrat. & periculo tutor.* atqui hoc meliori modo fieri non potuit in noſtro caſu, quàm Sempronio ſubtrahendo ſubſidia pecuniaria non neceſſaria: ergo. Accedit, quòd ſecundùm dicta *num.* 329. nemo teneatur ad reſtitutionem rei alienæ, quando dominus illa vult abuti; quia hìc in his circumſtantiis irrationabiliter prætenderet reſtitu-

tutionem, & hoc ipso non habet jus proximum ad repetendam rem suam: ergo à fortiori curator vel tutor obligatur non subministrare ea, quibus cliens sibi commissus abuteretur ad propriam perniciem. Vide Lugo *disp.* 21. *num.* 26. Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *n.* 256.

341 R. jam ad secundum. Si miseriæ, calamitates, & damna Sempronio secuta ex subtractione subsidii peccuniarii fuere minora, quàm dissipatio patrimonii, vel etiam pericula animæ ab eo incurrenda fuerint, tutor seu etiam curator ad nullam prorsus restitutionem seu etiam damnorum compensationem obligari potest. Ratio est: quia ex hac suppositione non peccavit contra justitiam, quin potiùs negotium sui clientis utiliter ac laudabiliter gessit, veluti cuivis rem ponderanti facilè patebit. Quin, etiamsi damna illa fuissent majora, si tamen à curatore non prævisa, vel ex subtractione subsidii necessarii non per se, sed merè per accidens subsecuta, hic ad nullam prorsus restitutionem à Confessario obligari potest aut debet; quandoquidem nullam intulerit injuriam formalem suo clienti, veluti post Molina rectè tenent Lugo *cit. num.* 31. & la Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 426. & *seqq.*

CASUS TERTIUS.

Cajus fatetur se tempore studiorum suorum multa contraxisse debita, è quibus principaliter enumerat sequentia 1. à quodam successivè creditò accepit 100. *florenos.* 2. *alteri per furta minuta successivè clepsit circiter* 100. 3. *diversis in popinis tum pro vino, tum pro aliis etiam victualibus debet circiter* 70. *florenos.* 4. *denique ait, se cuidam puellæ promisisse matrimonium. Quia tamen his non obstantibus putat se vehementer incitari ad statum religiosum; hinc dubitando quærit, an possit vel debeat sequi hunc instinctum internum, non solutis creditoribus; an verò potiùs teneatur remanere in sæculo, & sua talenta (quibus à Deo insigniter erat ornatus) eò applicare, ut dictis creditoribus faciat satis. Quid respondebit Confessarius?*

342 R. Spectato præcisè jure naturæ videtur satis probabile, Cajum tuta conscientia posse amplecti statum religiosum, ad quem se vocatum existimat. Ratio est: quia videtur moraliter impossibile, ut sine detrimento vocationis, & neglectu status religiosi possit satisfacere creditoribus suis; cùm enim aliunde supponatur pauper & inops, non apparet verosimile, quòd remanendo in sæculo suis laboribus, industria ac ingenio possit lucrari tantum, quantum sibi præter sustentationem propriam & alia, sufficeret ad expungenda debita: & certè si id aliquando sperare liceret, fieri non poterit, nisi post sat longum temporis tractum, quo Cajus jam evaderet impotens, vel potiùs ineptus ad statum suæ vocationis exequendum, utique non sine periculo salutis, & magno detrimento in bonis animæ: at, qui sine notabiliter graviori suo detrimento, & præsertim sine periculo animæ nequit solvere debitoribus, ille probabilissimè deobligatur ab hoc onere, ita, ut tuta conscientia possit amplecti statum religiosum; veluti satis communiter tenent Doctores, nominatim S. Thomas 2. 2. *qu.* 89. *art.* 6. *ad* 3. Sanchez *in decalog. l.* 4. *c.* 19. *nu.* 7. Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 272. & alii plures ab his relati: ergo spectato jure naturæ Cajus licitè amplecteretur statum religiosum.

343 Dixi tamen: *spectato jure naturæ*; nam jure positivo per constitutiones Sixti V. & Clementis VIII. mox suprà *nu.* 335. allegatas, sub gravissimis pœnis ecclesiasticis cavetur, ne illi, qui ingenti ære alieno gravati sunt (inter quos meritò recenseri potest Cajus noster) statum religiosum amplectantur, aut ad hunc acceptentur, si ab ipsis in sæculo remanentibus sperari possit solutio: at, à Cajo, utpote maximè talentato videtur posse sperari, si remaneat in sæculo: ergo vi juris positivi ad hoc probabiliùs tenetur. Idcirco à Confessario (nisi is prævideat majora damna & animæ pericula certò certiùs à Cajo subeunda) huic potiùs dissuadendum, quàm consulendum arbitror statum religiosum, eò potissimùm, quòd Religio ipsa non parùm diffamari soleat ex receptione talium, qui ingenti ære gravati, potiùs animo evadendi hoc onus, quàm verè

verè pœnitendi arguuntur amplecti statum religiosum, non sine scandalo, immò & præjudicio aliorum, scilicet creditorum; præsertim si jam priùs in sæculo cuipiam sese obligarunt in ordine ad contrahendum matrimonium: qui propterea vi statutorum nostrorum à nostra Religione Seraphica specialiter arceri & excludi debent, & solent.

Dices. Qui defloravit Virginem sub spe matrimonii, ne quidem de jure naturæ licitè amplecteretur statum religiosum, sed potiùs tenetur stare promissis suis, ducendo defloratam: ergo similiter is, qui præter promissionem matrimonii puellæ factam tot ac tanta contraxit debita: ergo Cajus nequidem de jure naturæ licitè amplecteretur statum religiosum.

344 R. negando paritatem; nam deflorator saltem implicitè promittit abstinere à statu religioso, quandoquidem sub spe & onere matrimonii tantùm usus corporis à puella supponatur concessus &. acceptatus à defloratore: è contra Cajus noster non promisit solvere suis creditoribus postposita Religione; quòd, si expressè promisisset, etiam ipse teneretur abstinere ab ingressu, usque dum satisfecisset creditoribus, uti rectè tradunt Sanchez *de matr. lib. 1. disp.* 44. *nu.* 38. Lugo *disp.* 21. *n.* 67. Illsung *cit. nu.* 279. & La Croix *l.* 3. *p.* 2. *n.* 442.

At quid, si talis studiosus jamjam ingressus, & professus Religionem, aliquid lucretur, aut lucrifacere possit, tenebiturne propterea laborare, ut inde possit satisfacere suis creditoribus?

345 R. Probabiliter tenetur, quantum est ex sua parte, labore & opera suo statui præsenti conveniente conari, ut satisfaciat creditoribus: ita contra S. Antoninum, Arriagam & alios nonnullos tenent Navarrus, Medina, Lugo *cit. num.* 80. & plures. Ratio est: quia ingressus in Religionem non liberat aliter à solutione debitorum, quàm quatenus impedit modum & potestatem solvendi: ergo in casu, quo non impedit, non magis liberat, quàm status ecclesiasticus: ergo si convenienter possit, tenetur talis Religiosus laborare laboritio congruo, ut possit satisfacere creditoribus suis. Rectè tamen præter alios docet La Croix *mox. cit. nu.* 449. & 450. talem Religiosum excusari ab hoc onere procurandi suo labore solutionem, si Prælatus ei neget licentiam laborandi; quia cùm professus sit, tenetur obedire suo Prælato. Et quia Prælatus nihil debet Creditoribus; hinc etiam ex justitia non tenetur dare licentiam laborandi suo subdito,; esto saltem ex charitate videatur esse obligatus ad dandam hanc licentiam, si nihil inconveniens inde sit timendum. Sapienter tamen faceret Confessarius obligando hujuscemodi professum, ut, sin minùs temporaliter possit, saltem spiritualiter conetur satisfacere suis Creditoribus, utputa orando, vel etiam Sacrificia Missæ offerendo, quatenus clementissimus DEUS largiori sua benedictione velit ipsis compensare, id, quod Religiosus professus hìc & nunc non ampliùs potest, nam hæc videtur rationabiliter præsumpta voluntas Creditorum, quippe qui sine dubio desiderabunt hoc modo sibi satisfieri à tali Religioso.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

346 Colliges ex dictis primò, non peccare debitorem differendo restitutionem in tempus oportunius, vel etiam restituendo successivè per partes, si secus deberet excidere statu suo justè adepto, utputa si persona illustris ad civilem, civilis ad plebejam, ingenua ad servilem conditionem deberet devolvi. Ita cum communi Herincx, Sporer, Mastrius, Lessius *l.* 2. *cap.* 16. *dubit.* 1. *nu.* 25. Illsung *num.* 246. Ratio est: quia in his circumstantiis creditor ob neglectam, vel etiam dilatam restitutionem nequit esse rationabiliter invitus, veluti jam dictum fuit suprà *nu.* 325. & 326.

347 Dictum tamen fuit: si propterea deberet excidere statu suo *justè adepto*; Etenim si talis supponatur ad hujusmodi statum injustè, utpote furtis, fraudibus, rapinis &c. evectus, neutiquam excusandus est à restitutione illico facienda, esto cum periculo excidendi hoc statu: quia ta-

talis non censebitur excidere statu suo, sed potiùs alieno, sibi prorsus indebito, & redire ad proprium: posset nihilominus juxta Lessium *cit. num.* 29. & alios adhuc retinere ea, quæ hominibus suæ conditionis sunt necessaria ad tenuem victum & vestitum. Porro si debitor ob restitutionem solùm deberet diminuere statum suum etiam justè aquisitum, utpute pauciores famulos alendo & conducendo, parciùs victitando, viliùs se vestiendo, equorum numerum diminuendo &c. non est excusandus ab onere restitutionis. Ratio est: quia hoc modo non excideret suo statu: ergo creditores rationabiliter postulant sibi satisfieri, esto non sine gravi incommodo debitoris. Videatur P. Mezger *tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 35. *a.* 1. *nu.* 7.

348 Colliges secundò, neminem adstringi posse in foro conscientiæ (quidquid sit de foro externo & pœnali, seu vindicativo) ad restituendum bona inferioris ordinis cum notabili detrimento in bonis altioris ordinis, Communis apud Layman *l.* 3. *tr.* 2. *cap.* 12. *n.* 2. & Illsung *tr.* 4. *disp.* 3. *nu.* 252. Ratio est eadem, quæ mox fuit data: quia scilicet Dominus non potest rationabiliter prætendere restitutionem sibi faciendam cum notabili damno debitoris in bonis altioris ordinis; nam charitas proximi & æquitas naturalis suadent contrarium. Quocirca breviter juvabit animadvertere, à Doctoribus triplex bonorum genus distingui, scilicet 1. infimum, 2 medium, & 3. supremum. De infimo ordine reputantur bona fortunæ, utputa pecunia, vinum, frumentum, agri, animalia &c. de medio, bonum honoris ac famæ, denique in supremo ordine habentur bonum vitæ, membrorum, sanitas, libertas, virginitas & similia; unde sequitur, bona fortunæ non esse compensanda cum notabili detrimento in bono famæ aut vitæ &c. Babenstuber *tractat.* 7. *disp.* 4. *art.* 6. *numer.* 11.

349 Colliges tertiò, constitutum in extrema necessitate non teneri ad restitutionem, tametsi creditor pariter versaretur in extrema necessitate, vel periculo hanc incidendi. Ratio est: quia in extrema necessitate omnia bona reputantur communia, ideoque fiunt primò occupantis: at, primò occupans tunc est ille, qui actualiter eadem possidet; cui etiam in tali casu charitas suadet, ut sibi potiùs, quàm alteri consulat, & Dominus vel potiùs creditor in hoc casu non ampliùs esset rationabiliter invitus. Ita cum aliis tenent Salmanticenses *tom.* 3. *tract.* 13. *capit.* 1. *num.* 272. Sayrus, Bonacina & Mezger apud Babenstuber *mox citat. nu.* 5.

350 Colliges quartò, nedum extremam, sed etiam verè gravem necessitatem excusare ab onere restitutionis, & quidem in perpetuum, si talis necessitas supponatur perpetuò duratura. Ita Illsung *ubi suprà num.* 249. Lugo *tom.* 1. *disput.* 21. *sect.* 1. *nu.* 20. Ratio hujus est: quia manente causa manet effectus ab ea dependens; atqui justa causa differendi restitutionem est nedum extrema, sed etiam verè gravis necessitas: ergo quemadmodum hæc modicè vel ad tempus durans, excusat ad illud tempus; ita pariter si duret in perpetuum, debet in perpetuum excusare.

351 Excipiendum tamen & limitandum hoc est: *nisi creditor pariter ob dilationem vel neglectum restitutionis devolveretur ad similem verè gravem necessitatem*. Ratio hujus limitationis est: quia tunc debet esse melior conditio ipsius Domini creditoris, qui proin esset meritò invitus ob negatam sibi restitutionem, idque præsertim dicendum, quando restitutio debita est ex delicto; quia iniquum videtur, ut debitor ex sua injuria reportet commodum contra innocentem pari necessitate gravatum. Lessius Molina, Dicastillo *disput.* 10. *numer.* 30. & alii plures, quos sequitur la Croix *l.* 3. *p.* 2. *numer.* 430.

Dices tamen contra hoc. Debitor constitutus in extrema necessitate non tenetur restituere, tametsi creditor similiter versaretur in necessitate extrema, veluti paulò ante diximus: ergo similiter constitutus in verè gravi necessitate deobligandus est, etsi creditor versetur in pari necessitate.

352 R. negando consequentiam & pari-

ta-

tatem; nam extrema necessitas facit res communes, & tribuit primò occupanti dominium, ut dictum est *n.* 349. at hoc non facit necessitas gravis duntaxat. Ex quo consequens est, creditorem in pari necessitate verè gravi constitutum posse esse rationabiliter invitum, non item constitutum in extrema necessitate: & quemadmodum in casu, quo creditor defectu restitutionis deberet excidere suo statu, tenetur debitor restituere, esto is propterea incideret idem damnum; ita profectò si creditor pariter versetur in verè gravi necessitate, cogendus est debitor ad satisfaciendum, non obstante æquali periculo vel necessitate gravi.

353. Colliges quintò, damnum ex dilatione restitutionis quantumvis justè facta, esse compensandum creditori, si is aliquod passus fuerit. Ratio est, quia gratia debitori facta à creditore in hujus præjudicium cedere non debet. Et certè foret conditio iniqua, si debitor obtenta in suum commodum dilatione restitutionis, nollet in se suscipere onus resarciendi damna creditori inde provenientia: profectò nullus etiam creditor facilè consentiret in hujusmodi dilationem cum damno proprio: ergo cùm debitor sentiat commodum ex dilatione, congruum omnino videtur, ut portet & onus, scilicet recompensandi damna suo creditori fortè emersa. Ita Layman *l.* 3. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 2. Mezger *ubi suprà n.* 8. Babenstuber *l. ult. n.* 13.

354. Colliges denique sextò, etiam remissionem præsumptam posse excusare ab onere restitutionis, uti ex communi DD. tradunt Lugo *tom.* 1. *disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 52. & Bonacina *de restitutione disput.* 1. *quæst. ult. punct.* 2. *num.* 8. Ratio patet ex hactenus dictis; quotiescumque enim Dominus non est invitus, ut sua res ab alio detineatur, toties debitor ab onere satisfactionis liberatur; quia tunc Dominus quodammodo cedit juri suo: at, ubi adest remissio rationabiliter (ut supponimus) præsumpta, ibi Dominus non est invitus, immo supponitur cessisse juri suo, ut de se liquet: ergo debitor excusatur ab onere restitutionis. Cæterùm tunc censetur intervenire remissio præsumpta rationabiliter, quando debitor ex circumstantiis prudenter credere potest, creditorem non esse invitum.

FINIS.

INDEX
ALPHABETICUS MATERIARUM
IN HOC OPERE CONTENTARUM.

Littera p. *Paginam*, n. *cum cifra numerum marginalem denotat*.

A

C

tur,

D

F

Famu-

Indu-

L

Machi-

M

Tt 2 fessio-

N

P

Pa-

Q

R

S

FINIS.



